CHARTULARIUM
UNIVERSITATIS PARISIENSIS

SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS FACULTATUM PARISIENSIUM

EX DIVERSIS BIBLIOTHECIS TABULARIISQUE COLLEGIT

ET CUM AUTHENTICIS CHARTIS CONTULIT

HENRICUS DENIFLE, O. P.

IN ARCHIVO APOSTOLICAE SEDIS ROMANAE VICARIUS, ACADEMIAE SCIENTIARUM VINDOBONENSIS SOCIUS

[illegible]

AEMILIO CHATELAIN

BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS IN SORBONA CONSERVATORE ADJUNCTO

TOMUS I

AB ANNO MCC USQUE AD ANNUM MCCLXXXVI

PARISIIS

EX TYPIS FRATRUM DELALAIN

VIA A SORBONE DICTA

ANNO MDCCCLXXXIX

CHARTULARIUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Paris, Université

CHARTULARIUM
UNIVERSITATIS PARISIENSIS

SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS FACULTATUM PARISIENSIUM

EX DIVERSIS BIBLIOTHECIS TABULARIISQUE COLLEGIT

ET CUM AUTHENTICIS CHARTIS CONTULIT

HENRICUS DENIFLE, O. P.

IN ARCHIVO APOSTOLICAE SEDIS ROMANAE VICARIUS, ACADEMIAE SCIENTIARUM VINDOBONENSIS SOCIUS

AUXILIANTE

AEMILIO CHATELAIN,

BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS IN SORBONA CONSERVATORE ADJUNCTO.

TOMUS I

AB ANNO MCC USQUE AD ANNUM MCCLXXXVI.

PARISIIS

EX TYPIS FRATRUM DELALAIN

VIA A SORBONE DICTA.

ANNO MDCCCLXXXIX.

CONSILIUM GENERALE Facultatum Parisiensium, duodetricesimo die mensis Decembris, anno MDCCCLXXXV, decreto institutum, quo in Francia Universitates quasi de integro instauratae sunt et refectae, censuit uti antiquae Parisiensis Universitatis Chartularium, ab Henrico Denifle O. P. collectum, sub auspiciis suis, auxiliante Aem. Chatelain, pervulgaretur.

Hoc opus, Summo scholarum publicarum Magistro sumptus ex aerario liberaliter suppeditante, typis mandatum, necnon curantibus O. Gréard, Academiae Parisiensis Rectore, et A. Himly, Facultatis Litterarum Decano, et E. Lavisse, in eadem Facultate Professore, in lucem editum, Consilium Generale Facultatum antiquae Parisiensis Universitatis memoriae, quod foret insigne pietatis monumentum, dicavit et dedicavit.

INTRODUCTIO

I

Universitatis Parisiensis monumenta in unum corpus colligere, novis subsidiis adhibitis, operae pretium esse visum est. Quanquam enim Caesar Egassius Bulaeus[1] primum indefessa opera sex voluminibus maximis plurima emisit, non omnia tamen invenire ei licuit neque ea diligentia, quam hodie critici jure requirunt, instrumenta edita sunt; saepe praeterea fontem unde hauserit notare omisit, alias codice apographo usus est cum authenticam chartam consulere potuisset; quae vitia tempori illi communia si facile auctori ignoscas, nihilominus opus celeberrimi rectoris istius mancum imperfectumque efficiunt.

Aetate nostra Carolus Jourdain utilissimum indicem chartarum ad Universitatem pertinentium edidit[2]. Cum autem in Archivo Universitatis, tunc in Ministerio Instructionis publicae, ut dicunt, asservato, multa videret quae Bulaeum fugerant et digna quae in diem proderentur, ex membranis ipsis in opere suo inseruit; alia vero ab aliis jam vulgata rubricis saltem notavit. Itaque ei maximam gratiam debet quisquis historiae Universitatis Parisiensis studuit; nam apud Bulaeum documenta complura cum multis miscentur nihil ad rem facientibus, neque semper ordo temporum observatur, unde difficilius quid velis deprehendas. Saepe etiam fontes a Bulaeo tacite adhibitos feliciter Jourdain invenit et magno studentium commodo indicavit. At, quod ad primum Universitatis saeculum attinet, viro clarissimo, optime de studiis nostris merito, documenta tantum in Archivo Universitatis servata et quosdam codices extraneos adire datum est; eumque authentica instrumenta (quae nunc dicuntur *originalia*) aliquando fefellerunt; neque propositum satis constans animadvertas in citandis chartis quae, si non ipsam Universitatem, tamen res prope vicinas et finitimas respiciunt, ut collegia saecularia religiosaque, quorum alias mentionem brevissimam injecit, alias memoriam omnino praetermisit.

Principio inedita tantum documenta colligere vel imperfecte ab aliis vulgata nobis in animo propositum erat. Sed adeo multa tractationem novam requirebant ut propediem utilius videretur Chartularium integrum aggredi. Ad quod alia etiam exempla inducebant, cum ubique per Europam Universitatum instrumenta novis curis ardenter investigari atque in vulgus emitti cerneremus; quas tamen non ejusdem momenti fuisse constat neque foco

1. *Historia Universitatis Parisiensis*, Paris, 1665-1673, 6 vol. in-f°.
2. *Index chronologicus chartarum ad Universitatem Parisiensem pertinentium*, Paris, 1862, in-f°.

tam lucido splendorem emisisse, neque ea auctoritate per medium aevum valuisse qua viguerit Universitas Parisiensis[1]. Satis ergo studiis nos historicis consulturos existimavimus si in unum coegerimus et monumenta nondum edita et alia in variis libris vulgata quae tamen ad fidem codicum manuscriptorum redigere necesse erat.

II

Universitas magistrorum et scholarium.

Anno 1200 incipiunt documenta proprie ad Universitatem pertinentia. Quae enim inseruimus ab Alexandro III usque ad praedictum annum faciem omnino diversam prae se ferunt; quapropter *Partem Introductoriam* componere decrevimus[2]. Differentiae hujus origo nobis

1. Hic praecipuos recenseamus libros, in quibus documenta ad Universitates saec. XIII-XV pertinentia proferuntur:

Munimenta Academica or Documents illustrative of Academical Life and Studies at Oxford, by Rev. Henry ANSTEY; London, 1868, 2 vol. — *Statutes of the Colleges of Oxford*; Oxford, 1853, 3 vol. — *Documents relating to the University and Colleges of Cambridge*; London, 1852, 3 vol. — *The privileges of the University of Cambridge*, ed. by DYER; London, 1824. — *Munimenta alme Universitatis Glasguensis*; Glasgow, Maitland Club, 1855, 3 vol.

Memorie e documenti per la storia dell' Università di Pavia; Pavia, 1877, 4°. — *Documenti inediti per servire alla storia delle Università italiane*, p. da PADELLETTI (Contributo alla storia di Perugia nel sec. XIV-XV); Bologna, 1872. — *Documenti per la storia dell' Università di Perugia*, da A. ROSSI (Giornale di erudizione artistica, vol. IV-VI); Perugia, 1875, sqq. — *Statuti della Università e studio Fiorentino*, publ. da A. GHERARDI; Firenze, 1881, 4°. — *Memorie e documenti per la storia della Università di Parma*; Parma, 1888, 4°. — *Acta nationis Germanicae in Universitate Bononiensi*, ed. FRIEDLAENDER et MALAGOLA; Berolini, 1887. — *Statuti delle Università e dei collegi dello studio Bolognese*, publ. da C. MALAGOLA; Bologna, 1888, in-f°.

KINK, *Geschichte der Kais. Universität zu Wien*; Wien, 1854, 2 vol. (Documenta in altero volumine inseruntur). — *Codex diplomaticus Universitatis studii generalis Cracoviensis*; Cracoviae, 1870-1884, 4 vol. 4°. — *Statuta necnon liber Promotionum philosophorum ordinis in Universitate studiorum Iagellonica*; Cracoviae, 1849. — *Monumenta historica Universitatis Pragensis*; Pragae, 1830-1848, 4 vol.

Die Statutenbücher der Universität Leipzig aus den ersten 150 *Jahren ihres Bestehens*, v. Fr. ZARNCKE; Leipzig, 1861. — STUEBEL, *Urkundenbuch der Universität Leipzig*; Leipzig, 1879. — C. PRANTL, *Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München*; München, 1872, 2 vol. (Documenta in altero vol.) — Ed. WINKELMANN, *Urkundenbuch der Universität Heidelberg*; Heidelberg, 1886, 2 vol. — *Urkunden zur Geschichte der Univ. Tübingen*; Tübingen 1877. — KOSEGARTEN, *Geschichte der Univ. Greifswald*; Greifswald, 1857 (duae partes, in altera doc.).

Cl. ANNERSTEDT, *Upsala Universitets historia*; Upsala, 1877, 2 vol. (Documenta alterum vol. implent). — BIANCO, *Versuch einer Gesch. der Universität Köln*; Köln, 1833. (Documenta in primo vol.)

MATZEN, *Kjöbenhavns Universitets rehtshistorie*; Kjöbenhavn, 1879.

H. BEAUNE et J. D'ARBAUMONT, *Les Universités de la Franche-Comté. Gray, Dôle, Besançon, Documents inédits*; Dijon, 1870. — P. RANGEARD, *Histoire de l'Université d'Angers*, p. p. A. LEMARCHAND; Angers, 1872, 2 vol. (Documenta in altero v.) — L. LENS, *Facultés, collèges et professeurs de l'Université d'Angers, du XV*e *siècle à la Révolution française*; Angers, 1876. — *Statuts des quatre facultés de l'Université d'Angers*, 1464-1494 [p. C. PORT]; Angers, 1878. — A. GERMAIN plura ad Univ. Montispessulanam pertinentia in variis opusculis emisit, inter quae notanda: *Histoire de la Commune de Montpellier* (t. III); *Étude historique sur l'École de Droit de Montpellier*; Montpellier, 1877; *L'École de Médecine de Montpellier*, 1880; *Du principe démocratique dans les écoles de Montpellier*, 1881; *La Faculté des arts et l'ancien collège de Montpellier*, 1882. — M. J. BAUDEL et MALINOWSKI, *Histoire de l'Université de Cahors*; Cahors, 1876 (cum quibusdam documentis). — Amédée de BOURMONT, *La fondation de l'Université de Caen, et son organisation au XV*e *siècle*; Caen, 1883. — *Cartulaire de l'Université d'Avignon*, 1303-1791, p. p. Vict. LAVAL, 1re partie; Avignon, 1884. — *Statuts et règlements de l'ancienne Université de Bordeaux* (1441-1793), p. p. H. BARCKHAUSEN; Libourne, 1886, 4°.

REUSENS, *Documents relatifs à l'histoire de l'Université de Louvain*, in *Analectes pour servir à l'histoire ecclés. de la Belgique*, vol. XVII-XXI; Louvain, 1884-1888.

Plurima opera in quibus nomina magistrorum et scholarium sive immatriculationes, ut dicitur, fusius enumerantur consulto praetermisimus.

2. Hujus partis quaedam in opere insigni *Cartulaire général de Paris*, I, ed. DE LASTEYRIE (Paris, 1887), tractantur.

explicanda est. Priora documenta singulares scholas et magistros et scholares separatim respiciunt, posteriora autem scholas conjunctas et magistros et scholares in corpus Universitatis redactos. Scilicet circa finem saeculi post C. N. duodecimi, ut Bononiae, ita Parisiis formata est magistrorum scholariumque societas. Legimus primum, ut videtur, apud Thomam Walsingham[1] in vita Johannis I, vicesimi primi abbatis S. Albani (1195-1214) : « Hic in juventute scolarum Parisiensium frequentator assiduus ad electorum *consortium* magistrorum meruit attingere. » Certe anno 1208-1209 jam vigebat Universitas, cum Innocentius III universis doctoribus sacrae paginae, decretorum, liberalium artium Parisiis commorantibus injungat ut magistrum G. « beneficio societatis eorum in magistralibus » privatum « Universitati magistrorum » seu « communioni magistrorum » restituant et ad « consortium in magistralibus » admittant (*Vid.* infra n° 8). In eadem charta primum vox « Universitas » magistrorum usurpatur. Anno 1207 Odo, episcopus Parisiensis, de communitate scholarium loquitur (*Vid.* n° 6). Hae mentiones primae de Universitate constituta occurrunt, sed quin eam paulo prius formatam esse existimemus non obstant; quanquam Philippi Augusti privilegium (*Vid.* n° 1) anno 1200 datum scholaribus scholarium societatem non indicat.

Actio verisimiliter prima qua « Universitas » suo nomine aliquid decrevit ante annum 1208 incidit; nam Innocentius III in epistola supra memorata mentionem facit trium « articulorum » quibus omnes magistri parere debeant; respiciebant autem habitum honestum, « lectionum et disputationum ordinem » ac pium usum in celebrandis defunctorum clericorum exsequiis. Quos articulos, saltem de lectionum disputationumque ordine, utique magistri una statuerant, sicut eorundem reformationem articulorum (quae in eadem epistola refertur) nomine omnium magistrorum ab octonis ex eis susceptam cernimus.

Universitas magistrorum et scholarium quasi persona introducitur primum in nota donatione erga Fratres Praedicatores S. Jacobi anno 1221 (*Vid.* n° 42), in qua legitur : « Nos Universitas magistrorum et scholarium Parisiensium », quod postea vulgo occurrit, donec Rector artistarum ut totius Universitatis Rector haud ambigue recognitus est. Postea enim Rector semper ante Universitatem nominatur. Habemus etiam ejusdem anni litteras quasdam Honorii III praebentes locutionem « Universitas magistrorum et scholarium » (*Vid.* infra n° 41); quarum ex contextu concludere licet illam primo adhibitam esse cum Universitas sigillum fabricaverit, in quo verisimiliter, ut etiam posterius, fuit inscriptum « Sigillum Universitatis magistrorum et scholarium Parisius »[2]. In praedicto documento sigillum Universitatis primum quasi paulo ante confectum memoratur, quanquam charta donationis erga Fratres Praedicatores sigillis trium theologorum, non autem Universitatis sigillo munita

1. *Gesta abbatum monasterii S. Albani*, ed. Riley, I, p. 217.

2. Habemus sigillum Universitatis anni 1292 in Arch. Nat. Paris. K. 964 conservatum. Cf. descriptionem apud Douët d'Arcq, *Collection de sceaux*, II, n° 8015, et Vallet de Viriville, *Hist. de l'Instruction publique*, p. 129.

fuit, fortasse quia in ea donatione Cancellarius etiam interfuit qui utendo sigillo Universitatis obstitit, ut infra videbimus. Sigillum anno 1225 confractum est (*Vid.* notam 3, pag. 104); ante annum vero 1246 magistri a papa Innocentio IV petierunt facultatem iterum sigillo utendi (*Vid.* notam pag. 160), quae eisdem anno praedicto concessa est (*Vid.* n° 165).

Quattuor igitur disciplinarum, Artium, Theologiae, Juris utriusque, Medicinae magistri primo societatem inierunt, ut Universitas ipsa declarat anno 1254 : « Excelsi dextera paradisum voluptatis olym plantavit Parisius venerandum gignasium litterarum, unde sapientiae fons ascendit, qui in quatuor Facultates, videlicet Theologiam, Jurisperitiam, Medicinam, necnon rationalem, naturalem, moralem Philosophiam... distributus... universam terram irrigat. » (*Vid.* n° 230).

Quattuor facultates.

Minime mirandum quod post formatam Universitatem singularum disciplinarum magistri, eisdem commodis ducti, in societatem constitui paulatim studuerunt, ut cuncta ad materias docendas vel ad scholares pertinentia ordinarent. Jam anno 1213 modus licentiae docendi a Cancellario donandae distincte pro unaquaque quattuor Facultatum statuitur (*Vid.* n° 16). Biennio post Robertus de Courçon statuta diversa magistris theologiae atque artium magistris imponit (*Vid.* n° 20). Utique nondum utebantur nomine « Facultatis ». Quod nomen primo in Actis Universitatis Parisiensis anno 1219 occurrit, hoc est in epistolis Honorii III : ut quivis « in ea, de qua licentiam obtinuit, regere Facultate » libere possit; « in omni Facultate silet Parisius vox doctrine » (*Vid.* n[is] 29, 31), et sic etiam in posterioribus documentis; sed nullum alium quam « disciplinae » sensum hic agnoscere possis. Non multo post eandem vocem pro consortio magistrorum cujusdam disciplinae usurpatam invenimus; primum in statuto Artistarum de modo legendi anni 1255 : « periculum, quod in Facultate nostra imminebat » (*Vid.* n° 246). Sine dubio tamen jam longe antea Facultates constitutae erant. Revera magistri quattuor Facultatum ab ineunte fere saeculo XIII statuta communiter edere de sua disciplina, congregationes habere, examina et promotiones ordinare, ex suo consortio indignos excludere et postea in consortium, si placuit, recipere solent. Firmiorem vero statum singulae Facultates acceperunt anno 1231 ex celeberrima Gregorii IX charta, quae est quasi totius Universitatis constitutio : « Parens scientiarum » (*Vid.* n° 79).

Actio prima cujusdam Facultatis fortasse apparet, cum Theologi communem laborem aggressi sunt ut una eademque forma libri Bibliae in scholis vulgarentur. De qua re, quanquam nulla charta afferri potest, testis Rogerus Baco audiendus (*Vid.* infra notam pag. 316). Quod ineunte saeculo XIII evenisse multa probant[1].

Quo tempore decani Facultatum instituti sint adhuc ignoratur; sed morem satis antiquum

1. Vide Denifle, *Die Handschriften der Bibelcorrectorien des XIII Jahrhunderts* in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, IV, 263 sqq., 471 sqq.

b.

jure putamus cum in documento anni 1264 (infra, n° 399) legatur : « De antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine Parisius est obtentum ut antiquior ex eisdem [Theologiae] magistris in actu regendi nomen decani habeat inter eos et ipsis indicat festa per nuntium proprium et alia faciat que ad suum noscuntur officium pertinere. » Ut hic Theologiae, ita Decretorum et Medicinae Facultates decanum habuisse ex antiqua consuetudine pro certo tenendum est; Artistis vero non decanus aliquis praesidebat, sed certe posterius Rector Universitatis de quo infra verba faciemus. Incertum etiam quo tempore singulae Facultates sigillum proprium habuerint. Prima mentio sigilli Decretorum Facultatis occurrit circa annum 1271 (*Vid.* n° 446) in quadam conventione, cujus si verba perpenderis, paulo prius institutum esse sigillum persuasum habeas. Medicinae vero Facultatis sigillum primum in ordinatione quadam anni 1274 memoratur (*Vid.* n° 451). At quattuor Nationum sigilla, ut mox videbimus, multo antiquiora. Theologiae Facultatis proprii sigilli mentionem frustra in Chartularii nostri primo volumine quaesieris, et anno 1253 doctores Theologiae Parisienses chartam quandam privatis sigillis munierunt (*Vid.* n° 216)[1].

His positis ad singula descendamus. Formata est Universitas magistrorum et scholarium absque Cancellario, litigando tamen cum eo adolevit et vires acquisivit.

Quomodo hoc evenerit in sequentibus monstrabimus.

Cancellarius Parisiensis.

Officium quo Cancellarium Parisiensem primo in Universitate Parisiensi videmus fungi, jam per aliquot decennia ante constitutam Universitatem Cancellarius exercebat, scilicet licentiam docendi iis qui volebant docere et quidem inter duos pontes, id est in Insula, conferebat, sicut, verbi gratia, scholastici Aurelianis, Andegavis, Remis, aliisque in locis et Maestreescuela capituli in Hispania. Sic saltem Petrus Comestor anno 1174 (*Vid.* Part. Intr. n° 8), et sic Cancellarii postea (*Vid.* n° 14), quanquam in Capitulo, cui aderant, aliis etiam officiis fungebantur (*Vid.* n° 21 et notam). Ante medium saec. XIII officium Cancellarii Parisiensis sic explicabatur, magistris commissas esse « claves scientiae a domino Papa, vel a Cancellario Parisiensi ex ordinatione domini Pape, ad aperiendum thesaurum sapientie »[2]. Cum magistri et scholares Insulae in corpus unum congregati sint, facile intelligas Cancellarii munus majoris ponderis evasisse. Eum Parisiis residere necessario oportebat, nihilque mirandum quod episcopus capitulumque Parisiense anno 1207 statuerunt « ut quicumque de cetero Cancellarius Parisiensis fuerit, post institutionem suam teneatur juramentum in capitulo exhibere se facturum residentiam in ecclesia Parisiensi quamdiu Cancellariam tenuerit » (*Vid.* n° 6).

Certe post formatam Universitatem Cancellarius Parisiensis non eligi debuit nisi magis-

1. Douët d'Arcq, l. c., n[is] 8020-8022, describit sigilla trium Facultatum in Arch. Nat. (I. 515, n° 14) conservata, anni 1398. Cf. Vallet de Viriville, l. c., p. 134 sq.

2. Gualterus de Castello Theodorici in suis *Quaest. theol.* ms., Bibl. Antonianae Patav., n° 152, f. 150[b].

terium assecutus esset, quemadmodum jam saeculo XII omnes Cancellarii Parisienses magistri vocantur; forte etiam eum docuisse necesse erat. Non tamen exigebatur ut ipse, quo tempore fiebat Cancellarius, Theologiam doceret; nam multo posterius ea coudicio nondum imponebatur, cum videamus Stephanum Tempier electum Cancellarium Parisiensem antequam in Facultate praedicta Universitatis Parisiensis actu regere inciperet (*Vid.* n[is] 396, 399). Immo evenit ut aliquis paululo tantum ante vocatus sit Parisios quam Cancellarius fieret; cujus rei exemplum praebet celeber Philippus de Grève, qui 15 febr. 1217, etiam tum archidiaconus Noviomensis, annuente Honorio III, ab episcopo Parisiensi ad ecclesiam Parisiensem vocabatur[1], et saltem jam anno 1218 officio Cancellarii fungebatur.

Vulgo autumant Universitatem magistrorum et scholarium sese in corpus constituisse litigando cum Cancellario Parisiensi. Quod cum vero congruit si quattuor Nationes, minime tamen si ipsam Universitatem intelligas. Namque Universitas post formatam societatem contra Cancellarium insurrexit, tametsi in illa contentione sustinenda societas cohaerentior facta est. Per conatus magistrorum et scholarium sese in societatem constituendi Cancellarius suam jurisdictionem non in discrimen adductam credebat, quanquam formata Universitate intelligere debuit, magistris et scholaribus simul congregatis longe aliam fore condicionem erga ipsum quam antea singulis. Nam mutuo obligari per sacramentum fidelitatis contendebant et statuta boni communis gratia redigere. Unde, progrediente consortii temperatione, res in eo erat ut concursus cum Cancellario vitari non posset. Denique jampridem multa magistris studentibusque displicere potuerunt quae tamen abrogare non poterant; quippe cum singuli pro se starent: constituta autem Universitate, injuria in privatum illata Universitatem, cujus particeps erat, offendebat. Parte altera Cancellarius, eo quod officium in Universitatem formatam exsecutus est, majoris ponderis potestatem obtinuit; major etiam ea potestas evasit ex privilegio Philippi Augusti, qui magistros et scholares, ab auctoritate Praepositi subreptos,

1. Legimus in Registro Honorii III Archiv. Vatic., an. I, fol. 57, ep. 257 (cf. Horoy, *Honorii III opp.*, II, p. 276):

« Episcopo Parisiensi. Per tuas nobis litteras humiliter supplicasti, ut dilectum filium Philippum Noviomensem archidiaconum tibi vocare ad Parisiensem ecclesiam de nostra permissione liceret, quod a bone memorie Ph. Parisiensi archidiacono genitus extitit non obstante. Quoniam igitur cum eodem archidiacono ad humilem multorum episcoporum et aliorum prelatorum instantiam de vita et scientia sibi testimonium laudabile perhibentium super hujusmodi defectu de benignitate sedis apostolice dispensavimus, tibi presentium auctoritate concedimus, ut impedimento non obstante predicto, ipsum ad tuam libere voces ecclesiam, si ejus vocationem ipsi ecclesie videris profuturam. Dat. Laterani xv kal. Martii, pontificatus nostri anno primo. »

Certe ad hoc pertinent quae ait Gervasius abbas Praemonstratensis in epistola ad Honorium III, qui propter quasdam *insinulationes* Philippum ad curiam citaverat (*Vid.* infra n° 31, p. 90): « Admirandum est merito, qualiter fama ipsius apud vos potuerit obfuscari, qui eum nuperrime in tantam gratiam recepistis quanta non nisi praeclaris meritis et integrae famae videtur potuisse competenter impendi..... Ego autem sciens quod sit homo affabilis et benignus et eminenter litteratorum virorum judicio litteratus, illos quoque qui testimonium perhibent famae suae, maxime dominum Remensem archiepiscopum nostrum et decanum et capitulum Parisiense integrae famae esse, » etc. *Sacrae antiquitatis monumenta*, not. ill. C. L. Hugo, Stivagii, 1725, epist. 10, p. 14 sq. Cf. epistolam 87, p. 78. Occasione oblata, adjiciemus Philippum, antequam esset Cancellarius Parisiensis, fuisse una cum Rogero de Vermella canonico S. Gaugerici Cameracensis, cathedralium ecclesiarum provinciae Remensis procuratorem generalem in Romana curia, ut apparet ex epistolis memoratis et ex Regesto Vatic. Honorii III an. 1, epp. 444 et 445 (Cf. Horoy, l. c., p. 418). Ipse remansit etiam archidiaconus Noviomensis simul ac Cancellarius Parisiensis. (*Vide* infra n[is] 97 et 98).

Officiali Parisiensi submisit. Tum Cancellarius jurisdictionem ordinariam erga magistros et scholares exercuit. Anno 1208 praeterea Guala Bichierus, legatus apostolicae sedis, statuit ut magistri et scholares adversus suam constitutionem rebelles « per Cancellarium excommunicati denuncientur » (*Vid.* n° 7). Facile intelligas Cancellarium primas partes in Universitate occupavisse. Mox, ut saepe in talibus casibus evenit, intumuit et in quibusdam modum excessit. Itaque lis inter Cancellarium et Universitatem utrinque ineluctabilis imminebat. Fortasse illo tempore (circa annos 1210-1212) scholares ab Innocentio procuratorem « ad agendum et respondendum » instituendi jus petebant (*Vid.* n° 24). Circa annum 1211 querelas contra Cancellarium summo Pontifici deferebant, eum « a volentibus scolas regere, quos etiam magistrorum assertio idoneos asserit ad regendum, juramentum fidelitatis vel obedientie ac interdum pecunie precium » extorquere niti, eumque motu proprio incarcerare delinquentes, etiamsi culpa levis foret, ac pecuniam ex eisdem exigere quam in usus proprios converteret. Ex mandato pontificis anno 1212 scholaribus annuentis, Cancellarius emendari debuit aut censura ecclesiastica compesci (*Vid.* n° 14).

Universitatem igitur vidimus Cancellarii non jura, sed excessus, primis querelis impetere, neque insurgere in statutum quod postea, fortasse falso, dicebatur ab Octaviano apostolicae sedis legato et Odone episcopo Parisiensi olim factum, per quod scholares et magistri excommunicarentur si sine consensu et auctoritate episcopi vel Cancellarii vel capituli Parisiensis « aliquam conspirationem seu constitutionem aut obligationem quamlibet juramento vel fide seu alia quacumque pena vallatam facerent [1] » (*Vid.* n^is 30 et 31).

Anno 1213 concordia inter duas partes facta est et jura utriusque melius definita sunt. Praeterquam quod querelis scholarium supradictis satisfiebat, etiam modus dandi licentiam in quacumque Facultate ordinabatur. Cancellarius quidem licentiam dare potuit cui censebat esse dandam, non habito aliquorum magistrorum vel alicujus magistri testimonio, denegare tamen non potuit quando major pars magistrorum cujuscumque Facultatis erat pro licentiando (*Vid.* n° 16). Quae nihilominus locum habebant solummodo pro tempore Johannis Cancellarii. Robertus de Courçon apostolicae sedis legatus anno 1215 hanc concordiam confirmavit, et specialiter formam dandae licentiae. Aetatem vero incipientium in Artibus (non ante vicesimum primum annum) et in Theologia (non ante tricesimum quintum annum) praescripsit, adjungens quasdam condiciones quibus arbitrio libidinique in licentia danda aditus secluderetur. Praeter alia concessit magistris et scholaribus facultatem « tam per se quam cum aliis

1. Professor KAUFMANN in libro, *Die Geschichte der deutschen Universitäten*, 1, *Vorgeschichte*, Stuttgart, 1888, p. 250, nota 1, abhinc anno 1208 quandam synodum hujus statuti rigorem temperasse contendit. At, pace ejus, qui multa falsa de Universitate Parisiensi in suo libro congessit, dixerimus ipsum fugisse quod verba « rigorem nostrae constitutionis duximus temperandum » quae inveniuntur in supra citata constitutione Gualae, legati apostolicae sedis, minime Octaviani Odonisque statutum respiciant, sed ea quae in constitutione Gualae proxime praecedunt, Bulaeus tamen (III, 44), quem Kaufmann, praetermisso Mansi, unice consuluit, afferre omisit, quanquam ad sensum intelligendum erant necessaria (*Vide* infra, n° 7, not.).

obligationes et constitutiones fide vel pena vel juramento vallatas » faciendi in certis casibus, utpote de taxandis hospitiis, de habitu, de sepultura, de lectionibus et disputationibus, *etc.* (*Vid.* n° 20). Praeterea anno 1218-1219 Honorius III ut scholares licentia digni, etiam invito Cancellario, ea fruerentur concessit (*Vid.* n^is 27 et 29).

Ita sensim adolescebat Universitas crescebatque privilegiis, ut verbis auctoris libri *Origo vera* utamur, restringebatur vero Cancellarii auctoritas. Minime tamen sententia Car. Thurot amplexanda omnem auctoritatem Cancellario detrahentis[1]. Privilegium Roberti de Courçon forte ansam praebuit quattuor Nationes constituendi et inde novum fomitem litibus inter Cancellarium Universitatemque addidit. Anno 1219 episcopus Parisiensis contra scholares statutum jam memoratum Octaviani Odonisque de conspirationibus conjurationibusque non faciendis protulit, scholares arma portantes et nocte incedentes pro suae voluntatis arbitrio excommunicando.

At magistri scholaresque causam Honorio III deferebant, qui decano et cantori Rotomagensibus injunxit ut sententias excommunicationis relaxarent prohiberentque ne episcopus aut qui ad eum pertinebant tales sententias in magistros et scholares promulgarent (*Vid.* n° 30). Habemus hic primum Universitatis ab excommunicatione immunis privilegium.

Verumtamen hoc susceptae liti finem nondum imposuit. Episcopus enim Cancellariusque idem quod antea egerunt, saepius memorata Octaviani Odonisque freti charta. Quam tamen cum scholares sibi exhiberi postularent, omnino ipsis ignotam, ab episcopo obtinere nequiverunt. Iterum Universitas ad summum pontificem appellat contra episcopum et Cancellarium qui praeterea in multis modum excesserit; iterum scholaribus Honorius annuit et Cancellarium « cujus fama multipliciter est gravata », ad curiam citat, ut « tueatur, si poterit, (famam), aut iniquitatis suae vinculis constringatur » (*Vid.* n° 31). Notatu dignum quod in isto documento peculiariter de magistris et scholaribus Artium agitur.

Hoc prospero successu, ut facile est sentire, magis intumuit Universitas, conataque est ab auctoritate Cancellarii omnino emancipari. Quod discimus ex querelis episcopi Parisiensis delatis ad Honorium III, magistros et scholares facere frequenter constitutiones seu colligationes seu conspirationes, abuti sigillo quodam nomine Universitatis magistrorum et scholarium nuper facto, taxare domorum pretium contra ordinationem auctoritate regia factam, et in ipsius episcopi et Cancellarii praejudicium sibi pro suae voluntatis arbitrio judices constituere; his episcopi et Cancellarii jurisdictionem usurpare et enervare. Anno 1221 Honorius III archiepiscopo Cantuariensi aliisque injunxit sigillum Universitatis confringere, de ceteris vero inquisitionem facere et partes adversas ad amicam compositionem reducere (*Vid.* n° 41). Quod quidem non successit. Alias litteras pacis restituendae causa anno 1222 idem pontifex

1. « Ce privilège enlevait aux Chanceliers toute autorité sur l'Université » (p. 12).

scripsit, quibus donec episcopus ad curiam venisset arbitrium decretorium differebat, quid interim agendum esset componendo. Ut quaedam tantummodo memoremus, carcer a Cancellario constructus demoliendus erat, Cancellarius non molestare debebat « licentiatos ab abbate S. Genovefae quin ubi consueverint libere incipere valeant », atque usus sigilli scholarium, « praeterquam in his que ad officium procurationis in hac causa pertinent », suspendebatur (*Vid.* n° 45). Anno 1225, sigillum scholarium fractum est (*Vid.* supra pag. x); nihilominus tamen inter duas partes efficax fuit compositio quantum attinebat ad licentiam dandam a Cancellario Parisiensi, ad faciendas constitutiones de ordinandis lectionibus et disputationibus ac puniendis rebellibus per subtractionem societatis, et de taxandis hospitiis ac quibusdam aliis, ut apparet ex documento n° 58. Jura autem Cancellarii coram Universitate magistrorum scholariumque ultimam normam receperunt in constitutione « Parens scientiarum », quam Gregorius IX anno 1231, post reducem Universitatem, ad reformandum studium Parisiense, enuntiavit. Potestas Cancellarii novis coercetur limitibus. Jam, quando instituitur, coram episcopo vel in capitulo Parisiensi, praesentibus pro Universitate scholarium duobus magistris, jurare debet « quod ad regimen Theologie ac Decretorum... non nisi dignis licentiam largietur »; quam Theologis, inconsultis magistris, concedere non poterat. Licentiae dandae potestas, in aliis etiam Facultatibus, certis condicionibus adstringitur. Jurare debet insuper « quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit ». Ipsi denique carcer adimitur, carcere episcopi tantum retento (*Vid.* n° 79).

Sic Cancellarius, durante per multos annos hac lite cum Universitate quae firmius in dies convalescebat, paulatim plurima amisit quae initio saeculi XIII immo etiam anno 1213 possederat. Qui summo imperio regnaverat in exercendo munere ligatus stetit.

Nova ei jactura patienda fuit, cum plures magistri et scholares, Insula relicta, sub jurisdictionem abbatis S. Genovefae se receperunt, ita ut paulatim alius Cancellarius emerserit, id est Cancellarius S. Genovefae. Quod intelligi nequit, nisi prius quaestionem dijudicaverimus utrum in Insula, inter duos pontes, Universitas sit formata, an ex collectis magistris et scholaribus Insulae, S. Genovefae et, si placet, S. Victoris, ut Bulaeus et quidam alii post eum affirmaverunt.

Cunabula Universitatis.

Omnes concedere debent saltem maximam partem magistrorum et scholarium, tempore nascentis Universitatis, in Insula sub jurisdictione Cancellarii ecclesiae Parisiensis habitasse. De scholis S. Victoris quaestio est inanis, cum post mortem celebrium magistrorum hujus monasterii saeculo XII, illud magistris caruerit, ita ut anno 1237 Gregorius IX abbati et monasterio expresse magistrum theologum concesserit (*Vid.* n° 111). Quaestio tantum de scholis S. Genovefae tractanda.

Celeberrimae sunt eae scholae quas Abaelardus ibi contra Guillelmum de Champeaux, tunc in Insula docentem, in primis decenniis saec. XII instituit[1]. Illum non tantummodo in regione S. Genovefae, sed in claustro docuisse nos monet auctor anonymus vitae Gosvini dicens: « In claustro S. Genovefae schola publica utebatur[2] ». De Abaelardi historia, cum omnibus nota sit[3], ne nimis moremur, duobus tantum instabimus: primo, quod in monte S. Genovefae Abaelardus fundamenta jecit scholae quae per aliquot decennia disputationibus dialecticis Artistarum ejus temporis locus famosus remansit; altero, quod quanquam Abaelardus longe ante formatam Universitatem Parisiis et extra Parisios docuit, ejusque scholae in monte sine vinculo cum scholis Universitatis fuerunt, tamen ejus ratio vel methodus in docendis scientiis, praesertim quidem in Theologiae Artiumque disciplinis, apud Universitatem quasi exemplar perstitit, uti infra explicabimus.

Certe usque ad annum 1147 vel 1148 in monte scholae Artistarum vigebant. Ad illam aetatem pertinent notae relationes Johannis Saresberiensis[4]. Aliam scholam in monte, id est apud S. Hilarium, aperuerat Ernaldus de Brescia[5].

Anno 1147–1148, Eugenio III auctore, in monasterio S. Genovefae reformatio facta est. Canonici saeculares canonicis regularibus S. Victoris locum dare coacti sunt[6]. Illo tempore claustralis schola in monasterio S. Genovefae, ut et S. Victoris, florebat, in qua Theologia tractabatur, certaque nobilitate fruebatur cum ad eam ab Anglia Daciaque juvenes mitterentur[7]. Sed de scholis Artistarum antea famosis nunc maximum silentium est usque ad secundum decennium saeculi XIII.

Nullum e magistris Artium (nam de iis tantum quaerimus), quorum post istam tempestatem notitiam habemus, in monte docuisse invenimus, quin etiam saepe traditur eos in civitate Parisiensi seu in Insula magisterium exercuisse. Sic alii supra Parvum Pontem, qui Parvipontani nuncupabantur[8], ex quibus notissimus Adam[9] et Ethion[10], morabantur, alii alibi,

1. « Extra civitatem in monte S. Genovefae scholarum nostrarum castra posui. » *Hist. calamitatum*, opp. ed. Cousin, I, p. 6.

2. *Recueil des Hist. des Gaules*, XIV, p. 442.

3. Cf. Rémusat, *Abélard*, Paris, 1845, 2 vol.; — Deutsch, *Peter Abälard*, Leipzig, 1883.

4. *Metalogicus*, lib. II, c. 10 (ed. Giles, p. 78).

5. Johann. Saresberiensis in *Hist. pontificali* (*Mon. German.* XX, 537): « Parisius manens in monte S. Genovefae divinas litteras scolaribus exponebat apud S. Hilarium, ubi jam dictus Petrus (Abaelardus) hospitatus fuerat. Sed auditores non habuit nisi pauperes et qui ostiatim elemosinas publice mendicabant. » Ecclesia S. Hilarii non ex abbatia S. Genovefae, sed ex abbatia S. Marcelli dependebat.

6. Cf. Feret, *L'Abbaye de Sainte-Geneviève*, Paris, 1883, I, p. 101 sqq.

7. Celebris illius scholae professor est Guillelmus de Monte seu Leicestriensis, qui olim prior fuit S. Genovefae (*Vid.* Wright, *Biograph. Brit. Lit.*, II, p. 463), postea Cancellarius Lincolniensis et magister Giraldi Cambrensis (*Vid.* Giraldi *opp.*, ed. Brewer, I, p. 93. Cf. etiam Alex. Neckam *opp.*, ed. Wright, p. 460).

8. Cf. Godofredus de S. Victore, *Fons philosophiae*, ed. Charma, Caen, 1868, p. 47.

9. Cf. de ipso Hauréau in *Mémoires de l'Institut national de France*, XXVIII, 2, p. 228 sqq.

10. Cf. Alexander Neckam, *De naturis rerum*, ed. Wright, p. 307.

sicut Mainerius[1], Albericanus[2], *etc.* At objicere aliquis possit, quoties referatur quidam Parisiis docuisse, hoc verbo non excludi S. Genovefam, quanquam intra muros civitatis non ante annum 1211 censita fuit, cum ante hunc annum dicta fuerit S. Genovefa Parisiensis perinde ac dicebatur S. Victor Parisiensis, S. Dionysius Parisiensis. At pro nobis facit testis Stephanus Tornacensis (abbas S. Genovefae intra annos 1178-1192), qui ab archiepiscopo Lundensi Absalone adduci non potuit, ut Petrum canonicum ad magistros Parisienses mitteret dicens : « quod nobis per litteras vestras intimastis vel in monte, vel ad Parisienses secularium scholas et venditores verborum mittendo, salva gratia vestra, non admittimus, quoniam institutioni nostre repugnat et consuetudini... Quod si forte consilium vestrum in hoc declinaverit, ut de regulari secularem facere credatis, aliam quam Parisius civitatem in qua studeat eligite » (*Vid.* infra Part. Introd. n° 42). Scholam canonicorum montis aperte scholae saecularium civitatis hic opposuisse abbatem Stephanum patet. Prior claustralis erat, ut ex ipsa epistola aliisque plurimis[3] apparet, minime vero antiqua schola Artistarum ; scholas Parisienses extra ejus jurisdictionem fuisse his satis constat, easque igitur non in monte, sed proprie in civitate Parisiensi quaerendas esse. Eas illo tempore in Insula unice viguisse docet nos etiam epistola Guidonis de Bazoches testis quoque oculati et Stephani aequalis : « In hac insula regale sibi solium ab antiquo filosofia collocavit... In hac insula perpetuam sibi mansionem septem pepigere sorores, artes videlicet liberales... decreta leguntur et leges. Hic fons doctrine salutaris exuberat » (*Vid.* infra Part. Intr. n° 54). Sane Guido has quattuor scientias solummodo in Insula publice doceri ab antiquo credidit, famosasque olim in monte Artistarum scholas penitus ignoravit ; unde eas illius aetate exstinctas fuisse concedendum.

Certe Artistae non in claustro S. Genovefae habitare poterant ; sed fortasse in eo loco ubi eos invenimus saeculo XIII, id est in *vico Garlandiae?* At iste vicus e jurisdictione S. Genovefae pendebat, atque Stephanus Tornacensis scholam tantum de monte canonicorum quae claustralis erat, et scholam civitatis Parisiensis saecularium agnoscit, ut supra vidimus. Praeterea ex quadam charta (*Vid.* n° 2) patet sub finem saeculi XII nondum huic vico domos aedificatas fuisse, et anno 1202 « ad hostisias faciendas » hospitibus concessum esse clausum Mali Vicini, quod vicum Garlandiae comprehendebat. Intra annos 1202 et 1225 constructa est via Straminis, quae postea dicebatur « du fouarre »[4], ubi Artistae morabantur.

Haec omnia mire congruunt cum instrumentis de Universitate servatis. Videmus Universitatem non litigantem cum abbate S. Genovefae, sed magistros et scholares quattuor Facul-

1. Giraldus Cambrensis eum nominat ut discipulum Abaelardi et docentem « in auditorio scholae Parisius ». *Opp.* ed. Brewer, II, 349, et IV, 7. Walter Mapes quoque eum affert. *Vid.* Wright, *The latin poems*, London, 1841, p. 29. Certe idem est cum magistro Mainerio infra (Part. Introd. n° 6) citato.

2. Giraldus Cambrensis, *Opp.* II, 33. Godofredus de S. Victore, l. c., p. 45. Cave ne nostrum cum Alberico a J. Saresberiensi allato (*Metal.* l. c.) confundes.

3. Vid. Denifle, *Die Universitäten*, I, p. 656 sqq.

4. Vid. Jaillot, *Rech. crit. sur la ville de Paris*, quartier Saint-Benoît, p. 65.

tatum tantummodo cum Cancellario in Insula causam habentes, quia tunc ab eo, utpote in Insula commorantes, unice dependebant. Ceterum in libro juramentorum Artistarum S. Genovefae ibidem conservato (Q. l. 2. 8°) antiquissimum est instrumentum anni 1227. Praeterea Robertus de Courçon qui anno 1215 statum scholarum Parisiensium ordinabat, Cancellarium Parisiensem tantummodo novit, quanquam in hoc statuto, si usquam alias, necessarium fuit loqui de S. Genovefae scholis, si tum exstitissent. His collectis mire splendet Jacobi de Vitriaco testimonium scholas in civitate Parisiensi describentis : « In una autem et eadem domo scholae erant superius, prostibula inferius. In parte superiori magistri legebant, in inferiori meretrices officia turpitudinis exercebant, *etc.*[1]. » Namque in Insula domicilia tam multis magistris rara fiebant, atque, ut verbis Honorii III utamur, « coangustatum erat illic stratum et fere arctus locus ibidem filiis prophetarum » (*Vid.* infra n° 32).

Igitur ex magistris in Insula commorantibus formata est Universitas, ibique, sub umbra Nostrae Dominae, cunabula Universitatis agnoscenda[2].

Sancta Genovefa.

Lis suscepta cum Cancellario Parisiensi, multitudo cathedrarum, angustia loci causae fuerunt cur paulatim Insulam relinquere magistri conarentur. Jam quosdam circa annum 1212 hoc tentasse concludere possumus, cum una querelarum contra Cancellarium inde orta sit quod sacramentum fidelitatis et obedientiae a licentiandis exigebat; quod nullum sensum haberet nisi inter duos pontes remanere sub ejus jurisdictione deberent. Artistas fuisse istos magistros constat ex hoc quod magistri Decretorum et Theologiae usque ad annum 1227 relinquere Insulam non ausi sunt, quanquam Artistae anno praedicto jam in territorio S. Genovefae regebant (*Vid.* n^is 55, 56). Hoc eo facilius intelligas quod Artistae numerosissimi ex omnibus magistris erant atque in lite cum Cancellario prima fronte decertabant, ut ex superioribus notum est. Magna pars Artistarum circa an. 1219-1222 verisimiliter regionem S. Genovefae adiit; certe hoc ultimo anno abbas S. Genovefae licentiam, sicut Cancellarius Parisiensis, invito quidem eo, dabat, cum Honorius III dicat : « nec episcopus et officialis ac cancellarius licentiatos ab abbate S. Genovefae quin ubi consueverint incipere valeant, molestabunt » (*Vid.* infra, n° 45, p. 103). In vicum Garlandiae illi Artistae confugerunt; inter quos eminet celeber Johannes de Garlandia Anglicus, qui nomen a vico sumpsit, ipso teste :

Parisius vici cum sit Garlandia nomen
Agnomen florens contulit illa mihi[3].

Post annum 1227 Theologi Decretistaeque partim etiam ripam ulteriorem petierunt.

1. *Hist. occident.*, cap. 7 (Duaci, 1597, p. 278).
2. In hoc omnino cum auctore libri *Origo vera* assentimus.
3. *Exempla honestae vitae* (Bibl. Nat. Paris. latin. 10 358, f° 284b). Cf. HAURÉAU in *Not. et ext.* XXVII, 2, p. 75, c.

Cancellarius S. Genovefae.

Ante annum 1255 nulla fit de Cancellario S. Genovefae mentio (*Vid.* n° 260). Ab abbate S. Genovefae ab anno 1222 licentiatos invenimus, sed, crescente Artium magistrorum numero qui jurisdictionem Montis in vico Garlandiae petierunt, Cancellarius ibi necessarius fuit. Hac origine Cancellariae S. Genovefae explanatur cur munus ejus ad Artistas imprimis spectaverit, ut aperte probant documenta quae de Cancellario, examinibus, licentiis S. Genovefae tractant.

Cancellarius Parisiensis, Cancellarius S. Genovefae, Rector.

His collectis, facile intelligas Cancellarium Parisiensem tempore interposito multa amisisse : primum in actione in magistros et scholares exercita, ut supra demonstravimus, deinde in aemulatione nata cum abbate, postea cum Cancellario S. Genovefae, denique emergente Rectoris auctoritate, ut brevi exponemus. Nihilominus tamen saeculo XIII Cancellarius Parisiensis, ut nemo alius, in Universitate Parisiensi summum imperium retinuit. Anno 1234 decanus ecclesiae Parisiensis in quadam causa contra Cancellarium Paris. duos judices « habebat ea ratione suspectos, quod cum Parisienses scolares existerent, ratione jurisdictionis ordinarie, quam obtinet in eisdem, subjecti erant Cancellario memorato » (*Vid.* n° 105, p. 156). Magister Artium Johannes de Garlandia circa medium saeculum de Cancellario Parisiensi sic loquitur : « Parisius studii directas ducit habenas[1]. » Eandem fere locutionem hic notemus quam de scholastico Aurelianensi anno 1301 adhibebat pontifex Bonifatius VIII : « Ad quem studii gubernatio et dispositio... pertinet[2]. » Etiam anno 1283 tametsi plurimum Rector Universitatis potestatem suam auxerat, Cancellarius Parisiensis se caput Universitatis esse contendebat, « in quem ipsa potestatem non haberet sicut nec inferior in superiorem » (*Vid.* n° 515, p. 718). Quanquam procurator Artistarum Johannes de Malignes contra nisus est et Rectorem caput esse declaravit, summus pontifex, apud quem ea causa pendebat, Cancellario Parisiensi satisfecit, ut patet ex epistolis an. 1284 et 1286 (*Vid.* n[is] 516, 528). Cancellario Parisiensi hoc saeculo maximas partes in Universitate tributas esse eo quod Cancellarius ecclesiae Parisiensis esset atque in Insula sub ejus jurisdictione Universitas formata foret, agnoscendum ; nihil mirum quod nomina omnium, inter quos celeberrimi numerantur, ad nos pervenerunt, cum Cancellarii S. Genovefae, quorum institutio posterior fuit, ut occasione tantum data, vix rari in scriptis appareant[3].

1. *De mysteriis ecclesiae* (Cod. Bibl. Brugensis 546, f. 54).

2. Regest. Vatic. Bonif. VIII, an. 7, epist. 86, f° 21.

3. Seriem Cancellariorum Parisiensium illius temporis, cum vulgo male nota sit, describendi occasionem arripiemus, initium capiendo ab illo qui primus in nostro Chartulario occurrit usque ad ultimum. Manca neque errorum expers est nomenclatura apud HEMERAEUM, *De Academia Parisiensi*, pag. 105 sqq., sicut et in Registro (saec. XVIII) Arch. Nat., LL 189, fol. 23. — Terminos *a quo* et *ad quem* non semper pro certo definire possumus.

Odo fuit saltem anno 1164 usque ad annum fere 1168.

Petrus Comestor, 1168 usque ad annum fere 1180.

Hilduinus, 1180..... 1193 (?).

Petrus Pictavensis, circa 1193 usque 1205.

Bernardus Chabert, 1205.

Prepositinus, 1206 usque ad an. fere 1209.

Quattuor Nationes.

Jam de quattuor Nationibus, quae tanti momenti post formatam Universitatem fuerunt, verba quaedam supra praestrinximus; nunc fusius quales fuerint explicabimus. Quattuor Nationes magistrorum Artium et scholarium primum anno 1255 « ab antiquo Parisiis distinctae » memorantur (*Vid.* n° 256); quae quidem Anglicana, Gallicorum, Normannorum, Picardorum Nationes nuncupabantur. Quando autem ista distributio orta sit ambigitur. Bulaeus ante constitutas quattuor Facultates ortam putabat, Universitatemque antiquam constitutam fuisse ex quattuor Nationibus; immo anno 1206 statutum quattuor Nationum de eligendo Rectore exstitisse concludebat, quadam mentione fretus quae inerat catalogo (qui hucusque non repertus est) rerum in tabulario Nationis Gallicanae contentarum [1]. Jamque auctor libri qui inscribitur : « Universitatis Parisiensis ejusque Facultatum quatuor origo vera » jure asseruit statutum illud suppositicium, mirumque quod non fuerit descriptum in libris Rectoris et Nationum, simulque affirmat nihil aliud esse quam statutum Simonis legati anni 1266 (*Vid.* n° 409)[2].

Et quidem jam saeculo duodecimo scholares diversarum nationum Parisios accessisse manifestum est, cum Philippus de Harvengt notet « tantam frequentiam clericorum ut contendat supergredi numerosam multitudinem laicorum » (*Vid.* Part. Introd. n° 51); Henricus II vero Angliae rex Thomae archiepiscopo Cantuariensi adversatus, teste Radulpho de Diceto, dicat se paratum esse « stare etiam judicio scholarium diversarum provinciarum » (*Vid.* Part. Introd. n° 21, not. p. 23). Circa annum 1200 Rogerus de Hoveden loquitur de « concursu clericorum Teutonicorum » atque de « hospitio clericorum Teutonicorum [3] ». Quod sane probat eo tempore fortasse jam inter scholares ejusdem regionis quandam societatem initam fuisse; nondum tamen distributio in quattuor Nationes instituta apparet.

Primo Honorius III anno 1222 prohibet ne « scholares interim secundum Nationes suas sibi quemquam preficiant ad injurias ulciscendas » (*Vid.* n° 45), ubi num quattuor Nationes

Johannes de Candelis, 1209 usque 1214 vel 1215.
Stephanus Remensis, 1214 vel 1215-1218.
Philippus de Grève, 1218-1236.
Guiardus, 1237-1238.
Odo de Castro Radulphi, 1238-1244.
Petrus Parvus, 1244 usque ad an. fere 1246.
Galterus, 1246-1249.
Heimericus de Veire, 1249 usque ad an. fere 1263.
Stephanus Tempier, 1263-1268.
Nicolaus, 1263-1271.
Johannes Aurelianensis, 1271-1280.
Philippus de Thoriaco, 1280-1284.
Nicolaus de Nonancuria, 1284 sqq.
Cancellariorum S. Genovefae duorum tantum nomina invenire potuimus. Vid. Indicem.

1. Bulaeus, III, p. 31.
2. Bibl. Univ. ms. 393 (olim u. I, 1), pag. 617-618. Auctori anonymo assenserunt Crevier (*Hist. de l'Université de Paris*, I, 294, nota; VII, 117); C. Thurot (*De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 16); Jourdain (*Index*, pag. IV et not. ad n. 2); Denifle (*Die Universitäten des Mittelalters*, I, p. 84).
3. *Chronica Rogeri de Houedene*, ed. Stubbs, IV, 120.

intelligendae sint ambigi potest, sed utique jam tempore Honorii III citantur quattuor procuratores scholarium, ut patet ex documento nº 116, tametsi anno 1219 procuratores magistrorum liberalium artium etiamtum in commune memorantur (*Vid.* nº 31). Universitatis (Artistarum) Rector et procuratores una primo occurrunt anno 1245 (*Vid.* nis 136 et 137), eodemque anno Innocentius IV concedit Universitati magistrorum et scholarium « ut servientes communes a singulis Nationibus concorditer eligantur[1] » (*Vid.* nº 141). Quattuor vero Nationes distinctae primum in nostro Chartulario nominantur anno 1249 in nobilibus juramentis eligentium Rectorem (*Vid.* nº 187). Cum autem Universitas anno 1255 mentionem faciat « quatuor Nationum ab antiquo Parisius distinctarum » (*Vid.* nº 256), multo ante annum 1249, certo etiam ante 1245 et fortasse tempore Honorii III, ex chartis supra allatis, jure putaveris quattuor Nationes stabilitas esse; neque tamen multo prius, nam frustra in Actis saeculi XIII incipientis Nationes quaesieris, ubi, si eae tum fuissent, sine dubio essent nominatae, verbi gratia quando de consortio omnium magistrorum et eorum singularum Facultatum loquuntur. Nostra quidem sententia quattuor Nationes cum suis procuratoribus inter annos 1215 et 1222 constitutae sunt, quo tempore Universitas et praecipue Artistae maxime litigaverunt contra Cancellarium et capitulum Parisiense, imprimis de jure scholarium conjurationes obligationesque juramento vel fide vallatas faciendi, ut supra, de Cancellario Parisiensi verba facientes, monstravimus. Quae omnia congruunt cum iis quae diximus de prima in Actis Universitatis Nationum procuratorumque mentione.

Igitur Nationes post Facultates constitutas esse merito dicimus; cum quo consentit ipsius Universitatis professio anni 1254 qua Facultatibus primas partes in Universitate tribuit (*Vid.* supra, p. xi).

Ex his Facultatem Artium principio non unam eandemque rem fuisse atque quattuor Nationes colligere debemus; etiamque post constitutam distributionem in quattuor Nationes Facultatem Artium propriam vitam egisse juxta Nationes nobis significant plura instrumenta. Cum Facultas Artistarum statutum de modo docendi et regendi in Artibus sigillo munivit, anno 1255, haec dicit : « Presentem litteram sigillis quatuor Nationum *consensu earumdem* duximus sigillandam » (*Vid.* nº 246). Idem etiam concludere licet ex alio documento[2] (*Vid.* nº 256), quanquam quattuor Nationes ex magistris Artistarum et scholaribus omnium Facultatum, dum Artistae essent, formatae sunt. Itaque magistri Artium illo tempore duplici aspectu considerandi, uno, cum Facultatem propriam, sicut alii aliam, constituerunt, altero, cum quattuor Nationes scholaribus omnium Facultatum sociatis stabiliverunt. Mox autem, ut in generationis tempore omnia brevi mutantur, quasi assimilatae sunt Facultas Artistarum et quattuor Nationes, ita ut dici potuerit Facultatem Artium in quattuor Nationes descriptam

1. Alio quidem potiusque generali sensu sumitur « Natio » in documento infra edito nº 79 (p. 137).
2. Vid. Denifle, *Die Universitäten*, etc., pp. 80 et 119.

esse. Unde fit ut Facultas Artistarum non proprium habuerit sigillum, sed etiam postea quattuor Nationum usa sit sigillis; quorum mentio prima in documento jam allato anni 1249 invenitur (*Vid.* n° 187). Unius tantum Nationis (Anglicanae) sigillum primum memoratur anno 1252 (*Vid.* n° 202)[1].

Rector. Nationi cuique praefectus erat procurator pluries quotannis e magistris Artium eligendus. Jam tempore Honorii III vestigia procuratorum invenimus (*Vid.* p. XXI); quorum aperte fit mentio anno 1245 (*Vid. ibid.*). Quaternis vero Nationibus Rector unus praeerat. Supra memoravimus anno 1245 Rectorem cum procuratoribus Nationum nuncupari; ante quem annum nusquam de Rectore agitur. Cum in privilegio quidem Philippi Augusti nominetur « capitale scholarium Parisiensium », primum statuimus hic minime de aliqua re[2], sed de aliqua persona agi; nam licet Philippus Augustus dicat « illud esse arrestandum » (*Vid.* n° 1), Ludovicus IX in renovando eodem privilegio mutavit « illum esse arrestandum » (*Vid* n° 66); atque in versione Gallica saeculi XIII invenimus « le chevetaine des escoliers » (*Vid.* n° 67). Unica quaestio restat quaenam hic persona intelligenda sit. Nam alii Rectorem, alii magistrum regentem agnoverunt. Auctori operis *Origo vera*, Caroloque Jourdain magistrum illic regentem in quadam Facultate videntibus potius assentiendum. Cui interpretationi ansam praebere possunt condiciones temporis quibus privilegium Philippus Augustus edidit[3], Universitasque ipsa per vocem Johannis de Malignes pro Hugone magistro in medicina regenti locutione « capitale » usa est[4]. (*Vid.* n° 515.) Nostra quidem sententia, Philippus Augustus neque Rectorem neque magistrum regentem distincte in animo habuit, sed qualemcumque praefectum studentium, qui postea sive Rector sive magister regens aequo jure existimari potuit. Revera locutionem « chevetaine » Rectori pariter atque alicui magistro regenti attribuere possumus.

Philippum Augustum vero non proprie de Rectore locutum esse nunc inter omnes doctos constat. Idem ex sequentibus Gregorii IX bullis concludendum, de quibus verba faciemus. In epistola anni 1231 prohibet ille pontifex ne quisquam « in Universitatem magistrorum vel scolarium seu *Rectorum* vel procuratorem eorum ... excommunicationis sententiam audeat promulgare » (*Vid.* n° 95). In quo errorem calami forsitan suspicari possis; sed eo minus scribam in voce « Rectorum » erravisse putaverimus quod alius Papa (Alexander IV), amplius vicennio post, pro Universitate Salmanticensi eadem locutione usus est : « Ut nullus in

1. DOUËT D'ARCQ, l. c., n^is 8016-8019, describit sigilla quattuor Nationum anni 1398. Vide VALLET DE VIRIVILLE, l. c., p. 131-133.

2. Stupendam tantum interpretationem afferre liceat a professore G. KAUFMANN, acceptam in citato libro (*Die Geschichte der Universitäten*, I, p. 249, not. 2), qua « capitale » hic significaverit « Facultates » (Vermögen).

3. Vid. *Chronica Rogeri de Houedene*, ed. STUBBS, IV, 120.

4. Vid. DENIFLE, *Die Universitäten*, etc., I, p. 89 sq.

Universitatem magistrorum vel scolarium seu *Rectorum* vel procuratorum, *etc.* [1]. » Sed anno 1237, Gregorius IX dicit : « Ut nullus in Universitatem magistrorum vel scolarium, seu Rectorem vel procuratorem, *etc.* » (*Vid.* n° 113). Quam formulam Universitati displicuisse docemur ex notula tergo originalis praedicti privilegii Gregorii IX apposita, qua magistri, cum ab Innocentio IV renovandum privilegium efflagitarent, suam sententiam his verbis afferebant, « vel procuratorem eorum seu Rectorem cujuscumque aut quarumcunque Rector fuerit Facultatum » (*Vid.* not. ad n^um 113); quibus annuit Innocentius IV anno 1246 dicens : « aut procuratorem eorum vel Rectorem cujuscunque aut quarumcunque Facultatum » (*Vid.* n° 162). Itaque in iis bullis minime Rector quattuor nationibus praefectus, sed potius magister regens, ut de Salmanticensi Universitate constat, accipiendus. Ille quidem ut Rector proprie dictus in nullo instrumento ante annum 1245 comparet. Usque ad annum vero 1274 in nullo statuto Artistarum ejus nomen praeponitur, sicut postea fieri solet (*Vid.* n^is 447, 485). Sed, perinde ac de Nationibus diximus, ita Rectorem, antequam in documentis memoretur, exstitisse, electumque primum Rectorem post formatas quattuor Nationes, certum est.

Verum enimvero Rector illis temporibus non toti Universitati [2], ut posterius, sed quaternis Nationibus praeerat, et mox evasit Rector Facultatis Artium, quam ipse moderabatur sicut ceteras Facultates decani. At forsitan aliquis de his Rectoris partibus dubitare possit, quod jam anno 1249 « Rector Universitatis » Rector nominetur. Sed vocabulum « Universitas » in hoc multisque aliis posterioribus scriptis, quae de rebus Artistarum habentur, non pro Universitate omnium Facultatum, sed pro Universitate Artistarum sumitur. Si quem non persuaserit instrumentum anni 1249, certe eum convincent alia (n^i 201 et 202) quae ad Nationem Anglicanam spectant. Ut omittamus quod cum sensu contextuque repugnat si vocem « Universitas » saepius hic repetitam pro tota Universitate, nedum pro Universitate Artistarum accipias, etiam occurrit ipsa locutio « Universitas Artistarum » (p. 229). Alias (n° 231) legimus : « tota Universitas » cum sensu omnium Facultatum atque ex adverso « Universitas magistrorum Artium ». Rursus in quodam statuto (n° 246) « tota Universitas » pro tota Facultate Artistarum sumitur, sicut etiam n° 328.

Primum anno 1259 occurrit locutio « Rector Universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium » (*Vid.* n° 330); quod ut intelligamus, sciendum antea quid fuerit Rectoris munus. Anno 1249 memoratur « officium Rectorie Universitatis », sed quodnam sit illud officium non exponitur. In documentis 136, 137, 197, 201, 202 posterioribusque plurimis nihil aliud quam Facultatem Artium Rectori incumbere cernimus. Anno 1254 primum

1. Cf. documenta pontificalia Universitatis a Denifle edita in *Archiv f. Litteratur-und Kirchengesch. des Mittelalters*, V, p. 170, n° 4; und *Historisches Jahrbuch*, 1889, p. 93.

2. Cum jam auctor libri *Origo vera* (etiam Thurot et Jourdain partim) et Denifle errantem Bulaeum reprehenderint, idem retractare inutile visum est.

Rector totius Universitatis exsecutor apparet, cum edictum ejusdem publicat ne scholares Fratrum Praedicatorum scholas frequentent. (*Vid.* infra p. 256.) Quod minime mireris; cum enim quattuor Nationibus Artistae, et sic quodammodo ceterarum etiam Facultatum scholares aggregarentur (*Vid.* p. XXI), Rectori, ut capiti Nationum, interdum negotia quasi omnium Facultatum, saltem quantum ad scholares attinebant, exsequenda expediendaque fuerunt. Unde ei, in his negotiis, auctoritas major quam decanis obtigit, dicique potuit haud ambigue « Rector Universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium ». Nemini enim illis temporibus in mentem venit Rectorem Universitatem totam, Theologiae, Decretorum, Medicinae etiam Facultates gubernare. Quid mirum si, de gubernatione omnium Facultatum quoties quid statuendum erat, comparebant priore loco Theologi, Decretorum Medicinaeque decani, altero vero Rector et procuratores quattuor Nationum (*Vid.* n[is] 416, 421)? In his casibus, Rector quattuor tantum Nationibus sive uni Facultati Artium praefectus esse putabatur. Etiam anno 1272 Rector unius Facultatis Artistarum Rector esse dicitur (*Vid.* n° 441); cui sententiae nostrae Simon legatus charta anni 1275 aperte suffragatur dicens : « Facultas Artium magistrorum Parisiensium ... unius tantum Rectoris sit contenta regimine ut unum fiat ovile et unus pastor, unum corpus unius capitis regimine gubernandum, quatuor procuratores et quatuor bedellos habeat, » *etc.* (*Vid.* n° 460, p. 526.)

Paulatim vero Rector, etiam in tribus superioribus Facultatibus, se interponere conatus est ut caput totius Universitatis haberetur. Jamque ante annum 1279 Rector congregationes generales faciendas decanis Facultatum Decretorum et Medicinae denuntiare incipiebat, quod verisimiliter primum seu per se ipse sive per aliquem magistrum Artium efficiebat. Sensim autem bedellos tantummodo vel quemlibet juratum Universitatis, affirmantibus Artistis hoc satis esse, mittebat. At decani, se laesos hoc convocationis modo sentientes, causam ad Simonem legatum deferebant (*Vid.* n° 490), qui tamen eam pro Artistis dijudicabat (*Vid.* n° 493). His adumbrantur primi conatus Rectoris sibi alias Facultates submittere nitentis, quanquam nondum de Theologis agebatur. In formula juramenti incipientium in Artibus circa annum 1280 introducta legitur tantum : « (jurabitis) quod vos observabitis ordinationem nuper factam de modo congregationes denunciandi generales decano Decretorum et decano Medicorum » (*Vid.* n° 501). Non potuit tamen Rector fieri caput totius Universitatis quin prius ei essent submissi Theologi diminutaque Cancellarii Parisiensis auctoritas. In hoc erat magnae molis negotium.

Quod contra decanos Decretorum et Medicinae, idem contra Cancellarium Rector aggressus est. Cancellarium enim, sicut decanos, per bedellos ad congregationes generales citandum curavit, poena quidem suspensionis lectionum praeposita. Haec scimus ex responsionibus anni 1283-1284 magistri Johannis de Malignes, procuratoris magistrorum Artium (*Vid.* n° 515, p. 618). Cancellarius Parisiensis, Philippus de Thoriaco, moleste

ferebat sibi, qui caput Universitatis esset, antiqua jura detrahi. Quod renuebat praedictus procurator, contendens caput Universitatis esse Rectorem, supra quod non posset aliud caput eminere nisi summus Pontifex (*loc. cit.*). Primum hic fit ut Rector, qui anno 1275 a Simone legato « caput Facultatis Artium » vocabatur, « caput totius Universitatis » nominetur. Si responsiones supradictae e tota Universitate vel saltem e Facultate Artium emanassent, pro certo tenendum foret jam tunc Rectorem communiter a magistris Universitatis cultum esse ut caput. Hae tamen responsiones auctorem habent jam memoratum Johannem de Malignes qui ait (*loc. cit.*) se responsurum per ordinem : « Hanc protestationem preferens, ne mee negligentie aliquid imputetur, quod ea que dico, cum non sim consultus meos magistros, dico tantum ad informandum quemcunque mearum responsionum auditorem super veritate quam novi circa proposita, nolens propter eas, si quid minus sufficienter dictum inveniatur in eisdem, contra Facultatem predictam aliquod prejudicium generari. » Fortasse sententiam suae Facultatis Johannes enuntiavit, non totius Universitatis, quoniam, ut supra vidimus, Theologiae saltem Facultas nondum Rectori submissa erat, et Cancellarius Parisiensis, cui suffragabatur capitulum Parisiense (*Vid.* infra n^{is} 521 et 522), coram sede apostolica protestabatur se esse caput Universitatis; quam postulationem Cancellarii Papa haud abnuit (*Vid.* supra p. XIX). Rector tamen nullam occasionem detrahendae Cancellario auctoritatis praetermittebat, atque anno 1290 appellationem contra eum ad sedem apostolicam, una cum magistris Artium, deferebat (*Vid.* JOURDAIN, n° 302). Mox etiam contra Theologos insurrexit et sane eodem modo, quo decanos Facultatum Decretorum et Medicinae sibi subjecerat, atque Cancellarii auctoritatem attenuare conatus erat. Sed decanus Theologicae Facultatis anno 1297 respondit Rectori : « Quod magistri in Theologica Facultate regentes per Rectorem Universitatis, quin potius per bedellum, ad congregationem aliquatenus vocarentur, nunquam visum fuit Parisiis nec auditum. » (*Vid.* JOURDAIN, n° 327). Revera decanus Facultatis Theologicae diu etiam in congregationibus Universitatis primum locum ante Rectorem occupavit, quanquam anno 1289 in tribus documentis consimilibus, hoc ordine enumerantur Rector, decani Facultatum, procuratores Nationum, magistri quattuor Facultatum [1].

Tandem, post varias lites utrinque susceptas acrique animo exercitas, modus convocandi decanum et magistros Theologiae ad congregationes generales 20 april. 1341 decretus est, ita ut Rectori contra decanum Facultatis Theologiae satisfactio daretur, perinde ac saeculo XIII jam contra decanos Facultatum Decretorum et Medicinae causam suam obtinuerat [2]. Non multo post in formula juramenti pro incipientibus in Artibus invenimus : « Item jurabitis quod statutum factum et ordinatum per Facultatem Artium de prepositione Rectoris in actibus com-

1. Arch. Nat. Paris. M. 67, n^{is} 27-29.
2. Arch. Univ. th. VII, D. d. b.; Bulaeus, IV, p. 267 sq.

munibus Universitatis inviolabiliter observabitis, ad quemcunque statum deveneritis[1]. » Unde in instrumentis illius aevi provenit locutio : « Rector et Universitas magistrorum et scolarium Parisiensium. »

Non mirum si Rector Facultatis Artistarum gradatim Rector totius Universitatis evasit; quem vidimus jam pridem negotia quaedam omnium Facultatum expedientem. Aliud autem ex alio trahitur, praesertim in Universitate Parisiensi illius temporis, ubi multa nondum regulam ac normam sequebantur. Deinde scholares omnium Facultatum, quando Artistae erant, ad consortium quattuor Nationum, cui Rector praesidebat, pertinebant; immo et magistri trium Facultatum superiorum Rectori vel saltem Facultati Artistarum per juramentum quod olim, si in Artibus inceperant, Rectori praestiterant, obligabantur. Denique Artistae ceteris studentibus multo plures erant, ita ut Theologi Decretistaeque, magis etiam Medici, prae eorum numero quasi evanescerent.

Anno 1249 Nationes discordiis turbatas videmus, Gallicisque unum Rectorem, aliisque Nationibus simul alium Rectorem praeesse. Tum facta est inter illas amica conventio ut omnes unum Rectorem haberent atque modum eligendi Rectoris statuerent, quae omnia singillatim in documento n° 187 recensentur. Rector a procuratoribus quattuor Nationum eligendus fuit, et ne dissensiones in electione orerentur, cautionibus certis provisum est. In ista compositione non exponitur quoties eligendus fuerit, dicitur tantum : « Stabit Rector usque ad tempus determinatum ». Anno 1266 Simon legatus agit de « usu, quin potius abusu non a multis retro temporibus introducto, videlicet quod Rector novus singulis mensibus vel sex ebdomadis eligatur » (*Vid.* n° 409, p. 455), idemque repetit anno 1279 (*Vid.* n° 492). Pristinum usum seu abusum abolevit, statuitque « quod Rector Universitatis quater in anno, et non pluries, eligatur », diebus quattuor electionis faciendae praescriptis. Adjunxit : « Eligetur Rector unicus a quatuor procuratoribus Nacionum vel aliis quatuor earum magistris juratis secundum tenorem statuti » (n° 187. *Vid.* n° 409, p. 456). Modum eligendi anno 1279 fusius significavit (*Vid.* n° 492).

Rector autem nemo eligi poterat nisi magister regens in Artibus. Aliam condicionem eo tempore impositam non reperimus[2].

Scientiarum professio. Propositi nostri erat originem Universitatis Parisiensis explicare. Licet ergo non in animo sit historiam Universitatis hic scribere, paucis saltem verbis quaedam alia attingamus.

1. Registrum Nationis Anglicanae in Arch. Univ. III, fol. 57b. Ex fol. 2 concludere possumus juramentum praedictum fortasse anno 1347 « ordinatum » fuisse. Bulaeus illud ad an. 1341 refert.

2. In Libro Rectoris qui asservatur in Museo Britannico addit. n° 17304, legitur in margine ad verba relata ex docum. 409, p. 456 : « Per quod statutum ordinatum est quod nullus potest eligere qui non potest eligi, quia intrantes jurati, qui eligunt Rectorem, debent habere vocem activam et passivam, et quod nullus de magistris habet vocem passivam ad electionem Rectoris, nisi sit bachelarius in Theologia vel legerit cursorie, vel rexerit per sex annos continue in grammaticis, licet ad eligendum Intrantem seu Electorem Rectoris, omnes actu regentes Parisius habeant vocem activam, seu suffragium activum. » (Cf. Bulaeum, III, p. 380.) Certe ea condicio non ex statuto memorato (n° 187) vigebat, quin potius ad tempus multo posterius pertinet. Novus eligendi Rectoris modus statuitur an. 1288-1289. Cf. Bulaeum, III, 451, ad annum 1280.

d.

Jam magistros quattuor disciplinarum, id est Theologiae, Jurisprudentiae, Medicinae, Artiumque, consilium ineundae communitatis suscepisse et paulatim quattuor Facultates formavisse memoravimus. Inter quas celeberrimae saeculo XII sicut saeculo XIII, Theologiae atque Artium disciplinae; utraque ab Abaelardo novum impulsum acceperat, methodo ejus, ut supra vidimus (p. xvi), latius introducta. In opere quod « Sic et non » inscribitur, in eo consistit Abaelardi methodus ut auctoritates ex sacra scriptura et traditione permultas accumulet de quolibet argumento *pro* et *contra*. Quod ardens ille magister aggressus est non ut auctoritates dissonantes ipsas, ut vulgo dicitur, ante oculos studentibus monstraret, sed ut hae « teneros lectores ad maximum inquirendae veritatis exercitium provocarent et acutiores ex inquisitione redderent[1] ». Lectoribus « controversiarum solutio » sponte invenienda erat, et ipse per regulas in Prologo operis memorati positas illos adjuvabat. Hanc methodum ab Abaelardo introductam esse et postea nunquam e scholis expulsam minime in dubium revocabit quicumque opera ante Abaelardum condita cum operibus posterioribus, praesertim cum *Quaestionibus* et *Disputationibus* magistrorum eorumque *Summis* comparaverit, quanquam doctrina quae Abaelardi erat post damnationem ejus ultimos fautores circa medium saec. XII habuit. Methodus Abaelardi in illo etiam opere quod in scholis Theologiae quasi textus per aliquot saecula adhibebatur usurpata est, dicimus *Sententias* magistri Petri Lombardi, cujus doctrina in quibusdam ex Abaelardo pendebat. Illam etiam redolet celeberrimum opus quod scholarum juris canonici quasi materia regnavit, hoc est *Decretum* Gratiani, quod esse debebat « concordia discordantium canonum[2]. » Quod ne mireris, cum tempore Gratiani opera Abaelardi Bononiae etiam lecta sint, ut fuse apparet ex *Sententiis* magistrorum Rolandi[3] et Omnebene[4].

Huic formae exteriori, ut ita dicamus, forma interior non deerat; methodus enim dialectica ab Abaelardo, si non introducta est, saltem novas maximasque vires accepit; qui quanquam Analytica, Topica et Elenchos Aristotelis ignorabat, in tradendis tamen scientiis et profligandis opinionibus aliorum, principiis et methodo in istis scriptis ab Aristotele expositis usus est. Postquam autem indagante Johanne Saresberiensi[5] praedicti libri in usum studentium venerant, jam dici potuit :

> Omnis hinc excluditur, omnis est abjectus
> Qui non Aristotelis venit armis tectus[6].

Praeparabatur tunc via ad Aristotelismum saeculi sequentis.

1. Cf. *Prologus* in *Sic et non*, in *Ouvrages inéd. d'Abélard*, ed. Cousin, p. 16; p. 1349, ed. Migne.
2. Vid. c. 6. D. XXII.
3. Ms. Cent. III, 77. Bibl. Urbis Norimbergae, fol. 144-178.
4. Ms. Monac. lat. 19134, p. 148-228. Vide de istis Denifle in *Archiv. f. Litteratur-und Kirchengesch.*, I, 434 sqq., 615 sqq.
5. Hos libros in suo *Metalogico*, l. 3, p. 134 sqq. (ed. Giles), explicat. Cf. ad hoc Schaarschmidt, *Johannes Saresberiensis* (Leipzig, 1862), p. 69 sqq., 232 sqq.
6. Godofredus de S. Victore, *Fons philosophiae*, ed. Charma, p. 35.

« Celebris Theologorum recursus », ut memorat Innocentius III anno 1207, jam ante initam Universitatis societatem vigebat et splendebat. Saeculo XII apparet magistrum qui scholam regebat discipulo provecto docendos scholares credidisse; is vero tunc vocabatur « praepositus scholarum », ut patet ex quibusdam scriptoribus[1], et munere fere eodem fungebatur quo ii baccalarei in Ordinibus religiosis qui saeculo XIII Parisiis sub magistris regentibus docebant. Honorio III et Gregorio IX auctoribus, Parisii scientiarum civitas qua Theologiā κατ' ἐξοχὴν traderetur agnita est, et prior exornata figura utens dicit : « Auro locus in quo confletur est jamdudum Parisiis deputatus » (*Vid.* nº 32, p. 92). Praeconia saeculo XIII Parisiensi civitati tributa (*v.* Indicem sub vº Parisiorum civitas, Studium Parisiense) praesertim ad Theologiam ibi traditam spectabant. Hujus Theologicae institutionis causa, saeculo XIII Ordines religiosi Parisios confluxerunt, hospitiaque multa condiderunt, primo Fratres Praedicatores, deinde Minores, Vallis Scholarium, Cistercienses, Praemonstratenses, Carmelitae, Eremitae S. Augustini, Cluniacenses. Huic etiam debetur domus Sorbonae origo, quippe quae magistrorum pauperum Artium gratia in Theologia studentium fundata sit.

Notissimum est qua celebritate saec. XII et XIII usae sint scholae Artium, quae ut fundamentum aliarum scientiarum habebantur. Alexandro IV teste, « Artium urbs famosa » Parisii evaserunt (*Vid.* p. 343). Nullius Facultatis institutio, disciplina, regimen, ut apparet ex nostro Chartulario, melius constituitur et certioribus regulis subjicitur quam Facultatis Artium.

Ante annum 1219, non modo jus canonicum, sed etiam leges Parisiis docebantur. Fatendum tamen legum scientiam nunquam ibi floruisse. Anno quem memoravimus Honorius III prohibebat quominus Parisiis et in locis vicinis leges traderentur (*Vid.* infra p. 92). Memoratu dignum est etiam anno 1251 nominari « baccalarios leges legentes » (*Vid.* infra p. 223). Multo valentior semper juris canonici traditio vigebat, etsi juris civilis cultura interdicto Honorii III permanente non respuebatur, nam circa finem saec. XIII in Facultate Decretorum Parisiensi statutum est, « quod nullus ad lecturam decreti aut alios actus sequentes admittatur, nisi per triennium leges audiverit in aliquo studio generali[2] ».

Minore fama saeculo XII et etiam saeculo XIII Medicinae Facultas fruebatur. Nihilominus Aegidius de Corbolio seu Parisiensis nomina magistrorum in medicina saec. XII tradidit[3], atque priora nostri Chartularii instrumenta Facultatis Medicinae Parisiensis mentionem faciunt.

1. Gualterus de S. Victore in libro contra Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavensem, Gilbertumque Porretanum, verba Adami Wallensis affert post Concilium Romanum (Lateranense III, anno 1179) prolata : « Domne papa, ego et clericus et prepositus olim scolarum ejus (Lombardi) defendam sententias magistri. » (Bibl. Arsenal. Paris. ms. 379, fº 37; Mansi, *Concil. coll.* XXII, 247.) Odo Ursicampi, loquens etiam de quodam discipulo suo, ait : « Qui prepositus meus in scolis fuerat, mihique successit in scolis. » (Pitra, *Analecta novissima*, II, p. 39.)

2. Hoc statutum « juramento vallatum et a multis retroactis temporibus observatum » in litteris Benedicti XII, 13 Novembris anni 1341, memoratum (Reg. Vat. Comm. nº 129, ep. 484), similis statuti anni 1323 Gaufridi de Plessaio fundamentum fuit. Cf. Félibien, I, 375.

3. Vide p. 68 notam ad n^um 8 et p. 517 notam 5 ad n^um 453.

Denique de collegiis saecularibus eo tempore fundatis raptim loquamur. Primum anno 1180 institutum « collegium decem et octo », alterum S. Thomae de Lupara, deinde Sorbonae, Guillelmi de Saana seu Thesaurarii, Radulphi de Albussone, Daciae, Upsaliense ; his autem annumeranda sunt collegia Bonorum Puerorum, S. Nicolai de Lupara, S. Honorati, Orientale. Quorum collegiorum saecularium, sicut et religiosorum, originem vel saltem prima fata facile invenias, adjuvante Indice. Collegii Harcuriensis initia saeculo XIV ineunti sunt attribuenda.

Quam multas vicissitudines Universitas passa sit, imprimis in dissentionibus cum Ordinibus Mendicantibus, maxime Praedicatoribus, instigante Guillelmo de S. Amore, recensere praetermittimus; de quibus plura quam quisquam in Chartulario congessimus, quae magno commodo erunt iis, qui lubricam et difficilem historiam expandere studebunt.

Magnum animorum motum in Universitate Parisiensi saeculo XIII nobis mire ostendunt documenta in quibus agitur de opinionibus seu erroribus quorundam magistrorum Parisiis regentium (*v.* Indicem sub v° OPINIONES). Maximum huic motui alimentum praebebant Aristotelis opera, quae eo tempore in latinum conversa sunt, cum praecedenti saeculo ad logicam tantum dialecticamque pertinentia nota fuissent; tum Arabici commentatores, nominatim Ibn-Sina (Avicenna) et Ibn-Roschd (Averroes). Hic motus ut in scholis Artistarum, ita non minor in scholis Theologorum apparuit cum rationes philosophicas Aristotelis ad enucleandas theologicas positiones Theologi adhiberent; tunc sermo omnino Aristotelicus invaluit. Gravem differentiam videmus, ex hoc disputandi modo, inter tractatus theologicos anterioris et posterioris aetatis. Antiquam scholam repraesentant etiam tum *Summae* Guillelmi Autissiodorensis, Gaufredi Pictavensis et Philippi de Grève; novam *Summa* Alexandri de Hales et opus *de Universo* Guillelmi Arverni. Mox intra Ordines religiosos, ut Praedicatorum et Minorum, formatae sunt scholae, illinc antesignanis Alberto Magno et Thoma de Aquino, hinc Alexandro de Hales et Bonaventura. In Chartulario etiam nostro dissensionis inter duas memoratas scholas vestigia reperire possumus, nempe in epistolis Johannis Peckham Cantuariensis archiepiscopi (*Vid.* n^is 517, 518, 523)[1], quanquam schola Praedicatorum nondum erat compacta (ut apparet ex notis ad docum. n° 474 et n° 481), sicut eam postea cernimus.

Theologi praeterea celeberrimi Aristotelis operum commentatores saec. XIII fuerunt. Ipsos, minime artistas, jam Gregorius IX ad examinandos libros naturales, qui olim Parisiis prohibiti fuerant (*Vid.* n^is 11, 20)[2], designavit eisque injunxit, ut errores ex illis libris penitus resecarent (*Vid.* n° 87). Huic praecepto non illi quidem theologi, ad quos litterae Gregorii missae erant, sed posteriores obtemperarunt, cum Aristotelis opera commentariis illustrarunt. Liceat saltem nomina Alberti Magni et Thomae Aquinatis in memoriam revocare.

1. De quibus vide nunc EHRLE in *Zeitschrift für Katholische Theologie*, 1889, p. 172 sqq.
2. De condemnato Commentario Averrois cf. HAURÉAU in *Not. et extr.*, XXXI, 2, p. 291.

III

Ratio editionis.

Nunc quam rationem in colligendis documentis ab origine Universitatis usque ad magnum schisma occidentale secuti simus paucis dicemus. Cum in isto volumine de principali Universitatis saeculo ageretur, instrumenta in extenso edere decrevimus, quod sequentium tomorum modum excederet, nam ibi innumerabiles chartae codicesque jam occurrent, multaque minoris momenti regestis tantum memorabimus. Aliam tamen seriem explebunt Acta Nationis Anglicanae saeculi XIV una cum *Rotulis* in Arch. Vat. conservatis, quae jam praelo praeparavimus, eaque, cum Actis Nationis Germanicae in Universitate Bononiensi (Berolini, 1887) congruentia, perutile complementum efficient.

In praesenti tomo non omnia afferre scripta decuit, in quibus aliqui magistri Parisienses nominantur; sed de rebus ab Universitate alienis agitur. In quo forsitan majorem etiam quam requirebatur materiam congesserimus[1], quanquam mera chronica et similis generis auxilia mediocris auctoritatis, quae non documentorum ingenium habent, jure omisimus. Raro hanc normam perfregimus, id est quando ea auxilia proprie ad rem faciebant.

De Ordinibus religiosis qui cum Universitate commercium habebant, instrumenta ad eorum fundationem Parisiis pertinentia semper inseruimus, postea partem eorum quae ad Universitatem sive studia Parisiensia spectant. Eadem ratio in collegiis saecularibus adhibenda esse nobis visa est. Hic delectus omnino necessarius fuit, cum ex. gr. de Sorbona tam multa supersint documenta ut plura volumina de solo collegio Sorbonensi facile vulgari possint. Nihil vero omittere voluimus de collegiorum cum Universitate consuetudine, multis saltem per notas memoratis.

Studiorum generalium seu Universitatum aliarum tantum afferre documenta decuit quantum ea Universitatis Parisiensis interesse videbantur.

Documenta *originalia* quoties feliciter reperire potuimus, textum eorum absolute nobis sequendum esse duximus, omni variantium lectionum cura omissa; cum tamen Regesta Vaticana eundem textum praestarent, textum documentorum originalium sequentes, Regestorum varia verba notavimus. Fonte priore deficiente, ad alios codices chartulariaque antiqua recurrere cogebamur, et tunc varia verba rettulimus. Quando Chartularium Vaticanum Regin. et Cheltenhamense praebebant instrumenta in principibus fontibus non contenta, supervacuum putavimus alia chartularia generaliter annotare, utpote multo posteriora vitiatumque saepe textum offerentia, quibus C. Jourdain utebatur, Vaticano Reg. et Cheltenhamensi tunc ignotis. Ceterum textus nostri fundamentum seu praecipuum fontem designat semper manuscriptus in

1. Adjungere poteramus epistolam abbatis Gervasii Praemonstr., qua saeculo XIII ineunte scholastico Remensi quendam magistrum G., qui Parisiis aliquantum temporis in decretis regerat, commendat. *Sacrae antiquitatis monumenta*, not. illustr. C. L. Hugo, p. 54, ep. 57.

fronte notae principalis positus. Orthographiam ipsam documentorum, etsi inconstantem mobilemque ut eo tempore solebat, retinuimus.

Cum chartas apud Bulaeum jam vulgatas ex manuscriptis recudimus, solum Bulaeum citavimus, etiamsi apud alios quoque impressae inveniuntur; in eis autem quae a Bulaeo ignota apud alios impressa reperiuntur, ad opera omnium gravissima lectores remisimus[1]; nunquam tamen curavimus talibus in casibus varia verba referre, quippe quae nihil utilitatis attulissent. Raro ab impressis tantum libris documenta mutuari nobis contigit, ter ex solo Bulaeo.

Multa in notis ad explicandum textum congessimus. Ibi fontes plurimos et demonstrationes cum rebus in textu allatis cohaerentes accumulavimus; semper tamen inter constitutos fines stare conati sumus.

IV

Documenta primum *originalia*, seu authenticas chartas, reperire in eo opere curae habuimus, multaque a nobis inventa esse tam de Universitate ipsa quam de collegiis, Ordinibusque religiosis lector quilibet eruditus fatebitur. Eorum maxima pars conservatur in Archivo Nationali Parisiensi, multo minor in Archivo Universitatis (nunc Sorbonae), ubi paene omnia instrumenta quae ad Universitatem pertinent olim servabantur. Sunt etiam in Archivo Universitatis Registra sive Inventaria duo, saeculo XVII scripta, documentorum originalium (Arch. Univ. Reg. 97, 98) ex quibus quaedam deperiisse vel adhuc penitus latere edocemur, tametsi verbum « deest » in margine appositum jacturas jam antiquas esse significat. Multa originalia documenta, specialiter Ordines religiosos respicientia, ex aliis tabulariis protraximus, nominatim Divioni (Arch. de la Côte-d'Or), Trecis (Arch. de l'Aube), Massiliae (Arch. des Bouches-du-Rhône). **Fontes.**

Regesta summorum Pontificum in Archivo Vaticano servata multis documentis, quorum alibi vix vestigium manet, repleta sunt. Regesta Philippi Augusti in Bibl. Nat. Paris. (lat. 9778) et Archiv. Nat. (JJ. 26) nobis utilia fuerunt quantum ad Ludovici IX aetatem; contra Regesta Ludovici IX in Arch. Nat. (JJ. 30, 31, 34) nihil profuerunt.

Ex *Chartulariis* Ecclesiae Parisiensis plurima deprompsimus, quorum descriptionem apud Guérard (Chart. de N. D. de Paris, I, 1 sqq.) luculentam invenies. Adeo accuratus Guerardi labor ut membranae de novo collatae vix unam diversam lectionem praebuerint; etiam quaedam, quae forte ex industria omiserat, in nostro volumine edita sunt.

In multis *Chartulariis* domorum religiosarum ea quae ad Universitatem spectarent inquisivimus, sed pauca nos adjuverunt, ut Chartularium S. Benedicti Floriacensis (Arch. du Loiret,

1 Fortasse aliquis mirabitur non mentionem fieri operum Honorii III ab Horoy editorum; at cum documenta in nostro Chartulario ex Regestis ipsis Vaticani vulgata sint, supervacuum erat editionem ex apographis eorum in Bibl. Nat. Parisiensi servatis citari.

nº 53), Chartulaire Blanc de S. Denis (Arch. Nat. LL. 1157), Chartularium S. Mathurini (Arch. Nat. LL. 1544), Chartularium Cluniacensium (Bibl. Nat. lat. 5458), eorumque Definitiones capitulorum generalium (Bibl. Nat. nouv. a. l. 2263), Chartularium S. Genovefae (Biblioth. S. Genovefae, E. l. 25) et Necrologium (ibid. BB¹ 42²), aliaque, quae occasione data annotavimus. De collegiis saecularibus illorum temporum notandum sane Chartularium Sorbonae (Bibl. Nat. lat. 16069), in quo saepe exstant etiam antiquiora documenta in ms. Cheltenh. 2975, et in Archivo Nat. (M. 74. MM. 281-295. S. 6211 sqq.) conservata. Statuta Sorbonae ex quinque codicibus Bibl. Nat. infra citatis edidimus. Liceat hic mentionem quoque facere Chartularii S. Honorati (Arch. Nat. LL. 66–68).

Multa documenta offerebant libri manuscripti *Privilegia Ordinum* Mendicantium continentes : Praedicatorum codex Rutenensis, sic dictus, quia olim fuit conventus Rutenensium Praedicatorum, manet nunc in possessione Ordinis Praedicatorum ; Chartularium Praedicatorum in Arch. de la Côte-d'Or (fonds Dominicains, H), aliud in Arch. de la Gironde (f. Domin. 651 *bis*). Chartularium Minorum optimum nunc ad Ordinem Servorum Mariae pertinens, tria alia in Bibl. Vaticana (Ottobon. 15 et 56) et in Bibl. S. Antonii Patavini (nº 49). In codice Rutenensi inveniuntur etiam primae Constitutiones Praedicatorum an. 1228, posteriores in codice liturgico Ord. Praed. an. 1256 ad Ordinem pertinente. Non pauca instrumenta praebebant capitula generalia et provincialia Ord. Praed., generalia duobus recensionibus quarum prior ante collectionem Bernardi Guidonis in codice Romano ad Ordinem pertinente, altera ipsa collectio Bernardi Guidonis[1] in manuscripto Rutenensi a codice citato dissimili (etiam in possessione Ord. Praed.), Avenionensi nº 229, Tolosano 490, in quibus ambobus etiam provincialia provinciae Tolosanae capitula reperiuntur. Prima statuta Ordinis Minorum de studiis Parisiensibus dederunt Cod. Vaticanus lat. 7339 et ms. Bibl. Gubernat. Cremonensis 15, 3, 22. Cisterciensium statuta de studiis suggerebant Definitiones capitulorum generalium in collectione Archivi Status Lucernensis et monasterii Mehrerau in Austria. Antiquae, melioris notae, collectiones in variis bibliothecis conservatae saepe non annum 1220 supergrediuntur.

Qua aetate omnes hi codices scripti sint, semper in notis indicavimus.

Nunc sermonem habeamus de praecipuis *Universitatis Chartulariis*, quae nos adjuverunt. Certum est unamquamque Facultatum saec. XIII habuisse proprium registrum. Infra pag. 500 mentio fit Registri Facultatis Artistarum, et pag. 412 cujusdam statuti « inregistrati ». Sed antiquissima illa Registra sicut Universitatis Registra amissa sunt, vel saltem vestigium eorum nullum comparet. Omnium veterrima, quae quidem noverimus, nullo titulo antiquo praefixo, sunt Cod. Vatic. Reg. 406 (cont. 75 fol., 23/16 cent.) et Cod. Cheltenhamensis 876[2]

1. De ista vide Delisle in *Notices et Extraits*, XXVII, 2, pag. 329 sqq., 335 sqq., 342 sqq. Denifle in *Archiv für Litteratur-und Kirchengesch.*, II, 168 sq.

2. Quaedam de illo scripsit Rashdall in *The Academy*, 1887, nº 788, pag. 415.

(cont. 72 fol., 21/15 cent.). Ambo membranacei pertinent ad priores annos saeculi XIV, cum novissimum habeant instrumentum anni 1302[1]. Ambo, etsi alter ex altero transcriptus esse nequit, ab uno eodemque fonte procedunt. Documenta utrique communia eodem fere ordine ponuntur et saepius eisdem mendis scatent. Aliquoties documentum quod in altero deest in altero servatum est et vice versa. Paulo ditior Cod. Reg. qui inter alia quaedam de Facultate Medicorum et taxationibus librorum exscripta habet in Cheltenh. omissa. Ab evangeliis S. Johannis (1, 1-14) et S. Lucae (11, 27-28), super quae manum ponere jurantes debebant, incipit Cod. Chelt. sicut Chartul. Londinense infra notatum; sequuntur juramenta diversa. Cod. Reg. incipit cum ipsis juramentis, evangeliis omissis. Postea exscriptae sunt ordine temporis servato epistolae summorum Pontificum, quas alia documenta nullo temporum respectu excipiunt. Non optimus quandoque textus in istis ambobus Chartulariis servatus est; ideo quando fontem puriorem deteximus, ab eo hausimus, quem aliquando nobis praebuit ms. Oxoniensis Corp. Chr. Collegii 283, saec. XIII, qui alia etiam inedita nobis suppeditavit. Cod. Reg., si instrumenta saec. XIII respicimus, omnibus aliis Chartulariis fecundior est.

Pejora his exstant Chartularia posterioris aetatis, etsi, quod ad res saeculi XIV attinet, pretiosa. His annumerandus Cod. Archiv. Universitatis (Reg. 94), chartaceus, alterius partis saec. XIV (cont. 126 paginis in 4° maj. 124 documenta), qui pertinuit ad Nat. Anglicanam, et ultimum docum. offert anni 1355. — Tum Codex Carnotensis 662, dictus Harcuriensis, vergente saec. XIV vel incipiente XV scriptus, ab Johanne ab Altaribus, alumno Harcuriano, in integrum restitutus anno 1698, membran. in 4° maj. (cont. 187 fol. membr., et 13 chart. in quibus index), quondam Nationis Normannorum, praecedente fecundior, multa jam Carolo Jourdain obtulit. — Liber dictus Rectoris, etsi Chartularium ut praecedentia, nunc Londinii Brit. Mus. addit. 17304, membr. 220 fol. 21/14 cent., 172 instrumenta cont., saec. XIV inceptus[2], quo usus est Bulaeus et postea Jourdain, ditior anterioribus. — Pessimum omnium, si textum consideres, Chartularium est Vindobonense (Bibl. caesarea, lat. 7219, saec. XVI, chartac., foliis 209, cont. 79 documenta[3]).

Haec Chartularia, si Londin. i. e. Brit. Mus. excipias, in enumerandis documentis

1. Id est juramentum librariorum quod legitur in Regin. f° 73[b], atque in Cheltenh. f° 69[b] (sed in hoc omissa Introductione) : Anno domini M CCC II, die veneris ante decollationem beati Joannis Baptiste tempore magistri Petri de Laignus Rectoris Universitatis juraverunt stationarii in generali congregatione apud S. Maturinum articulos qui sequuntur presentibus magistro Ricardo de Martiniaco, fratre Arnaldo de Tholosa Ordinis Heremitarum Sancti Augustini tunc tempore regentibus in Theologia, et magistro Hugone de Besuncio, magistro Alemant et magistro de Tellu doctoribus decretorum ac etiam quampluribus aliis doctoribus et magistris tunc temporis Parisius regentibus in qualibet Facultate. « Vos jurabitis quod fideliter et legitime habebitis libros venales recipiendo, custodiendo, exponendo et vendendo eosdem, *etc.* » *V.* Bulaeus, IV, 37. — Cod. Reg. praeterea fol. 66[b] tabulam originalium anno 1303 confectam; Cod. Chelt. in ultima parte fol. 72 manu recentiore litteras Philippi regis anni 1312 praebet.

2. Codicem descripsit Marchegay, in *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, série 4, t. I, p. 100. Indicem instrumentorum in codice contentorum praebet ms. Bibl. Nat. Paris. suppl. franc. 4305, t. I, p. 163 sqq.

3. *Vide* descriptionem codicis apud Lambecium, *Comment. de Bibl. caesar. Vindob.*, lib. II (Vindobonae, 1669), p. 240-260, et ex ipso apud Kollar, *Analecta monument. omnis aevi Vindobon.* (Vindobonae, 1761), I, col. 307-339.

saepe alium ordinem servant atque Codd. Reg. et Cheltenh., quanquam inter se plus minusve consentiunt; textus vero instrumentorum e Chartulariis antiquioribus, imprimis Cod. Reg., omnino pendet. Haec verissima sunt de Chartulariis Londin. et Vindobon.; nam sicut Reg. offerunt statuta medicorum et taxationes librorum; utrinque iidem errores, v. g. in doc. n° 434, ubi praebent annum 1031[1]. Epistolae Honorii IV anni 1286, quam Cod. Cheltenh. integram exscribit, codices Reg. et Vindob. initium tantum, et quidem concorditer usque ad verba « magister Johannes de Malignes », praebent. Sane in Chartularia posterioris aetatis plures etiam quam in duo priora irrepserunt errores, maxime quantum ad appositam notam temporis et propriorum nominum scribendorum rationem. Cave igitur ne istis solis innitaris, quando alia adminicula in promptu habes.

Proximum locum post Codd. Reg. et Cheltenh. occuparet Cod. lat. 450 Bibl. caesar. Vindobon. (membr. in fol. min., ante med. saec. XIV), si esset integer. At ex foliis 62 supersunt tantum sexdecim[2]. Sicut Cod. Reg. ab juramentis initium sumit, atque ordinem documentorum et textum, ut ex fragmento colligere possumus, Codicum Reg. et Cheltenh. sequitur. In fine documenta saeculi XIV addita sunt, quorum quaedam Johannis XXII epistolae duoque alia instrumenta supersunt. In mediis documentis textus quandoque abrumpitur. — Fragmentum denique Collectionis Privilegiorum Universitatis, ad usum Universitatis Vindobonensis redactae, exstat in Cod. lat. 4929 Bibl. caesar. Vindobon. (chartac., saec. XIV-XV), fol. 255-262, quae nunc in media epistola *Parens scientiarum* incipit. Fol. 257 in unum collecta inveniuntur privilegia paparum, fol. 258 privilegia regum. Quod ad saeculum XIII attinet, privilegium Philippi Augusti solum occurrit, cetera saeculi XIV sunt; privilegiorum pontificalium duo ultima solum saec. XIV redolent, omnia cetera in nostro Chartulario fusius notata sunt. Operae pretium videbatur haec in nota exscribere, cum nobis appareat rationem saec. XIV atque saec. XIII eandem fuisse[3]. Fol. 260-262 ritus *De modo licentiandi in theo-*

1. In Codice Vindobon. nota temporis manu recentiori correcta est in 1271, et postea omnino sublata.

2. Non 8, uti dicunt Lambecius et Kollar, apud quem, l. c., pag. 339-344 vide descriptionem.

3. Privilegia papalia :

Privilegium ne magistri vel scolares eundo et redeundo Parysius causa studii pedagium solvere teneantur. Conservatio dicti privilegii.

Privilegium ut nullus magister vel scolaris possit trahi extra civitatem Parisiensem per litteras apostolicas super causis intra eam exortis. Conservatio dicti privilegii.

Privilegium ut nullus in aliquem pro facto vel occasione Universitatis excommunicationis, suspensionis seu interdicti sententiam audeat promulgare. Conservatio dicti privilegii.

Privilegium de modo licentiandi in qualibet facultate et de juramento cancellarii, de potestate cessandi a lectionibus, et quod scolares capti pro suspitione probabili habita cautione reddantur, et quod scolares non teneantur solvere pecuniariam emendam, et quod bona scolarium ab intestato decedentium successoribus eorum serventur.

Privilegium cujusdam legati de modo legendi ordinarie et cursorie, et hoc respicit artes; de habitibus magistrorum, quomodo debent esse magistri in exequiis magistrorum et scolarium. Item quod magistri et scolares possunt facere tam per se quam cum aliis obligationes et constitutiones fide vel pene vel juramento vallatas in hiis casibus, scilicet in interfectione vel mutilatione scolarium vel in atroci injuria illata scolari, si defuerit justitia; pro taxandis preciis hospitiorum, de habitu, de sepultura, de lectionibus et disputationibus, ita tamen quod propter hoc studium non dissolvatur ac destruatur.

logia Parisiis saec. XIV exeunte usitatus exscriptus est. Licentiandus quaestiones duas propositas tam in *vesperiis*, quam in *aula*, episcopi videlicet, solvere tenebatur. Hunc ordinem saec. XIII originem sumpsisse, probat nota ad n^um 596.

Ea Chartularia magis in aliis nostris voluminibus quam in praesenti adhibebuntur; namque duo quae primo memoravimus, ad aetatem sequentem, nos paene deficient.

De Facultate Artistarum exstat practerea in Bibl. S. Genovefae Paris. Codex (Q. I. 2, in-8°, saec. XIV-XV) juramenta et alia continens, qui nobis utilis fuit.

De Facultate Decretorum habemus Codicem Arsenalis (n° 1121), qui quattuor partibus constat: Officio mortuorum; Calendario Facultatis Decretorum; Statutis Facultatis; Privilegiis Universitatis; qui nihil nisi apographum accuratissimum est codicis Cheltenh. 2863 (saec. XV, cont. 16 + LVIII + 77 fol., 22/15 cent.)[1]; menda quae apographo imputare posses jam in Cheltenh. comparent. — Codex Arsen. 1123 nullius usus fuit, quippe qui nihil habeat quod ad aetatem de qua agimus pertineat.

Idem dicendum de Codd. mss. Bibl. Nat. lat. 9950, 10402, 12846-12851; Archivi Nat. MM. 247, qui Statuta seu Universitatis, seu singularum Facultatum conservarunt, sed omnes, paucis documentis a nobis notatis exceptis, posteriorem aetatem respiciunt. Idem etiam de mss. qui continent Calendaria Universitatis seu Facultatum v. g. Bibl. Nat. 12461, Arch. Nat. MM. 261, Bibl. S. Genovefae, E. l. 29, Mus. Brit. addit. 17304[2]. Sic et illa tantum Juramenta

Privilegium quod statuta et ordinationes Universitatis Paris. inviolabiliter observentur.

Privilegium super danda licentia a Cancellario Parisiensi in theologia et decretis, et quod episcopus Parisiensis secum non possit dispensare super non licentiando modo in privilegio contento.

Privilegium quod Cancellarius Parisiensis scolares arma portantes, si ter moniti se non correxerint, privet libertatibus Universitatis.

Privilegium quod servientes Universitatis communes gaudeant immunitatibus scolarium.

Privilegium quod Cancellarius in sua institutione teneatur jurare in presentia episcopi Parisiensis et duorum deputatorum ab Universitate, et de potestate Cancellarii, et de casu cessationis, et quod Universitas potest statuere, et de modo licentiandi in theologia et decretis.

Privilegium quod Universitas non possit excommunicari.

Privilegium quod Cancellarius tenetur juramentum recipere a licentiandis Parysius, quod statuta pro comodo Universitatis ordinata inviolabiliter observabuntur.

Privilegium quod Cancellarius tenetur juramentum recipere a licentiandis quod ordinationem in privilegio, quod incipit *Quasi lignum vite* inviolabiliter observabunt.

Privilegium quod Cancellarius Parisiensis scolares potest absolvere a violenta manuum injectione nisi esset ita enormis, ut pro ea sedes apostolica esset adeunda.

Privilegium quod singuli magistri in factis necessariis Universitatis teneantur contribuere.

Privilegium quod judices et officiales curie, conservatores teneantur jurare Universitati, et quod conservator et hujusmodi judices et officiales pro emendis vel salariis non recipiant ultra illud quod est solitum recipi in una ordinaria et etiam quod punitio magistrorum et scolarium dictis privilegiis abutentium spectat ad Universitatem.

Privilegium quod magistri et studentes Parysius gaudere possunt fructibus et proventibus beneficiorum suorum, esto quod residentiam non fecissent in eisdem. Conservatio domini pape. Item aliud privilegium de septennio cum sua conservatione. Bulla domini Urbani pape sexti per cancellarium Nostre Domine super aliquibus reformationibus studii Parisiensis missa.

1. Istum codicem descripsit primum Viollet in *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, tom. XLI, p. 152 sq.

2. Sicut et illa calendaria a Vallet de Viriville, *Hist. de l'Instruction publique*, p. 364 notata et p. 366 sqq., atque a Jourdain, *Index*, p. 201 sqq., exscripta.

suppositorum Universitatis, quae infra edidimus, ad primum Universitatis saeculum spectant; alia, saltem ut nunc in mss. reperiuntur, aetatis posterioris sunt.

Registra quae habemus Facultatis Medicinae et Nationum documenta recentiora praebent quam ut in hoc volumine memorentur.

Codicibus supra descriptis annumerandi sunt Vatic. Regin. 870, chart. et Regin. 1283, pergam.; prior documenta tantum saec. XIV exeuntis et aetatis subsequentis continet et sic nobis inutilis fuit; posteriori, qui fol. 97-100 privilegia regum, incipientia a Philippo IV, deinde usque ad fol. 105 privilegia paparum affert, aliquoties usi sumus; etiamsi eadem in aliis fontibus inveniantur.

Praeterea permultos manuscriptos, occasione data, ex diversis Bibliothecis Europae, praesertim vero ex illa omnium praestantissima, Bibliotheca Nationali Parisiensi, adhibuimus aliosque fontes quos legentes in notis citatos reperient.

Jam nunc nihil nobis restat nisi jucundissimum gratiarum actionis officium; primum Octavio Gréard, Academiam Parisiensem summa liberalitate, ingenio, acumine regenti, qui ubi audivit Chartularium illud parari nusquam alias quam Parisiis publicandum esse statim opinatus est atque a Ludovico Liard, studiorum superiorum moderatore, minime Universitatum veterum incurioso, facile publicum subsidium impetravit. Neque Augustum Himly, optimum Facultatis Litterarum decanum, neque Ernestum Lavisse, doctissimum studiorum historicorum gubernatorem, debita laude fraudemus, quibus adeo cordi est antiquae Universitatis Parisiensis fama et veterum magistrorum hujus urbis memoria, ut a Consilio generali Facultatum Parisiensi, nuper instituto, salutare patrocinium Chartulario nostro obtinuerint. Omnes doctos et bibliothecarios et archivis praefectos qui nostris studiis faverunt hic nominatim memorare longum erat; liceat saltem P. Viollet, bibliothecario Facultatis juridicae Parisiis, et H. Rashdall, socio et praelectori Collegii Hertfordensis Oxoniae, qui Cheltehamii Oxoniaeque quosdam codices ad nostros usus inspexit, atque sociis Bibliothecae et Archivi Nationalis Paris. justa pendere. Denique typographis nostris, fratribus Delalain, propter indefessam curam quam per laboris longinqui decursum prompta benignitate summaque sollertia nobis adhibuerunt, grates referamus; Paulo praesertim, qui, cum meminisset non vanum esse illum titulum « Typographi Universitatis » jampridem domui quam moderatur inscriptum, in plagulis legendis ipse nos adjuvit plurimaque quae corrigerentur indicavit, ut volumen illud, quod alia sequentur, patrocinio Universitatis dignum esset.

Parisiis, 10 Maii 1889.

CHARTULARIUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PARS INTRODUCTORIA

AB ALEXANDRO PAPA III USQUE AD ANNUM MCC

1. *Alexander III statuit in Concilio Turonensi, ut nullus omnino post votum religionis et post factam in aliquo religioso loco professionem ad physicam legesve mundanas legendas permittatur exire.*

1163, Maii 19, Turoni.

(§ 1.) Non magnopere antiqui hostis invidia infirma membra ecclesie precipitare laborat, sed manum mittit ad desiderabilia ejus et electos quoque nititur supplantare dicente scriptura : Esca ejus electi[1]. Multorum siquidem casum operari se putat, ubi pretiosius aliquod membrum ecclesie sua fuerit calliditate detractum. Et inde nimirum est, quod in angelum lucis se more solito transfigurans sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus et ecclesiastica negotia fidelius pertractandi regulares quosdam ad legendas leges et confectiones physicales ponderandas de claustris suis educit. Unde ne sub occasione scientie spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur et in interioribus ex eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere, de presentis assensu concilii statuimus, ut nulli omnino post votum religionis et post factam in aliquo loco religioso professionem ad physicam legesve mundanas legendas permittantur exire. Si vero exierint et ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur et in nulla causa, si patrocinium prestare voluerint, audiantur. Reversi autem in choro, capitulo, mensa et ceteris ultimi fratrum semper existant, et nisi forte ex misericordia sedis apostolice totius spem promotionis amittant.

Mansi, *Ampliss. coll. concil.*, vol. XXI, 1179. *Compil. I*, c. 2, ne clerici (3, 37) in Cod. Vat. lat. 1377. Cod. Burghes. 204. Abbrev. in X c. 3 h. t. (3, 50). Haec Decretalis cum aliis actis concilii Turonensis repetitur in Appendice ad Concilium Lateranense III, p. XXVII, c. 2 (Mansi XXII, 373) cum hac conclusione : « Episcopi vero, abbates, priores tante enormitati consentientes et non corrigentes spolientur propriis honoribus et ab ecclesie liminibus arceantur ». De ista Decretali repetita vide infra parte 1. n. 19 Concil. Paris. anni 1213. Honorius III sua celebri constitutione « Super speculam » superius scriptam Decretalem de verbo ad verbum refert a « claustrum suum infra » usque in finem.

1. Hab. 1, 16 : cibus ejus electus.

---

2. *Alexander III Hugoni episcopo Suessionensi Rain. archidiaconum Sarisberiensem Parisiis operam studiis daturum commendat.*

1164, Julii 26, Senonis.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hugoni Suessionensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster Rain. Salesberiensis archidiaconus Parisius se moram habiturum disposuit, et ibi studio litterarum ad presens vacare. Quia vero pro sua probitate nobis carus est plurimum et acceptus, eum fraternitati tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, propensius commendamus, rogantes attentius,

quatinus pro reverentia beati Petri ac nostra, consideratione quoque sue devotionis, ipsum oculo clementiori respicias, diligas et honores, sibique opportunum consilium, si quando opus habuerit, conferas et favorem, ita quod nostras preces sibi sentiat profuturas, et nos quoque tue sollicitudini gratias uberes exsolvamus. Dat. Senonis vij kal. Augusti.

Recueil des Historiens des Gaules XV, 819. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CC, p. 299.

---

3. *Alexander III Willelmo archiepiscopo Senonensi praeceptum renovat, ut suffraganeis Parisios convocatis Petri Lombardi quondam episcopi Parisiensis falsam sententiam de Christo homine tollendam curet, et veram ibidem a magistris et scholaribus edoceri.*

1170, Maii 28, Verulis.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Willelmo Senonensi archiepiscopo apostolice sedis legato salutem et apostolicam benedictionem. Cum in nostra esses olim presentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisius tibi ascitis ad abrogationem prave doctrine Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur, quod Christus secundum quod est homo non est aliquid, omnino intenderes et efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, quod tibi, cum coram nobis presens esses, precepimus, suffraganeos tuos Parisius convoces, et una cum illis et aliis religiosis et prudentibus viris prescriptam doctrinam studeas penitus abrogare, et a magistris scolaribus ibidem in theologia studentibus Christum sicut perfectum Deum, sic et perfectum ac verum hominem ex anima et corpore secundum quod homo consistentem precipias edoceri : universis firmiter et distincte injungens, quod doctrinam illam de cetero tenere seu docere nequaquam presumant, sed ipsam penitus detestentur. Dat. Verulis v kal. Junii.

Apographum saec. XIII. in Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 16992, fol. 138. — *Recueil des Historiens des Gaules* XV, 968. Migne, *Patrol. lat.*, tom. CC, p. 685. — *Annales Reicherspergenses* referunt jam ad an. 1164, « ipso anno, cum per totam Franciam multae et variae sententiae haberentur de fide inter magistros francigenas, Alexander papa convocatis in unum (Senonis) scholasticis et quibusque litteratis in ipsa vigilia nativitatis domini (24. Dec.) usque ad tria, ut fertur, milia vel ultra, cum assentientibus sibi domnis cardinalibus condemnavit et omnino interdixit omnes tropos et indisciplinatas quaestiones in theologia, Parisiensique episcopo praecepit, ut per totam Franciam eas compesceret. Sententia autem de gloria hominis in Deum assumpti et in Deum nati approbata est ibi coram papa ac roborata conscriptis inde centum quinquaginta et eo amplius auctoritatibus ». *Mon. Germ.* XVII, 471.

---

4. *Alexander III episcopis per regnum Francorum constitutis praecipit, ne in eorum ecclesiis pro licentia docendi pecunia exigatur, etiamsi haec vigeat consuetudo.*

1170-1172, Octobris 20, Tusculani.

Fratribus et episcopis per regnum Francorum constitutis. Quanto Gallicana ecclesia majorum personarum scientia et honestate prefulget, et cautius nititur evitare que con-

fundere videantur ecclesiasticam honestatem, tanto vehementiori dignos eos esse animadversione censemus, qui nomen magistri scolarum et dignitatem assumunt in ecclesiis vestris et sine certo pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hec prava et enormis consuetudo a cupiditatis radice processerit, et decorem admodum ecclesiastice honestatis confundat, providendum vobis est et summopere satagendum, ut consuetudo ipsa de ecclesiis vestris penitus extirpetur, cum vobis precipue et specialiter ascribatur, si quid in ecclesiis eisdem laude dignum inveniatur vel reprehensione notandum. Nos quoque, qui licet immeriti dispensante clementia conditoris suprema fungimur potestate, tante cupiditatis et rapacitatis vitium nolentes inemendatum relinqui, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus consuetudine ipsa de vestris ecclesiis extirpata sub anathematis interminatione hoc inhibere curetis ne qui dignitate illa, si dignitas dici potest, fungentes pro prestanda licentia docendi alios ab aliquo quidquam amodo exigere audeant vel extorquere; sed eis districte precipiatis, ut quicunque viri idonei et litterati voluerint regere studia litterarum, sine molestia et exactione qualibet scolas regere patiantur, ne scientia de cetero pretio videatur exponi, que singulis gratis debet impendi. Si qui vero hujusmodi prohibitionis vel precepti extiterint transgressores, eos auctoritate nostra et vestra officiis et dignitatibus spolietis. Porro si hoc juxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram gravem habebimus et molestam et ad ea corrigenda manum extendere compellemur, ita quod si voluerint in hujus rapacitatis proposito persistere non valebunt. Data Tusculani xiij kal. Novembris.

Martène-Durand, *Ampl. coll. vet. script.* II, 853. *Compil. I*, c. 3, de magistris (5, 4). Multum abbrev. in X s. h. t. — Glossator Vincentius Hispanus dicit in suo infra annum 1210 et 1215 composito *Apparatu* ad Compilationem primam sub h. t. : « Hoc caput fuit impetratum contra cancellarium Parisiensem, qui a quolibet docente marcam unam exigebat ». Cod. Vat. lat. 1377. Biblioth. capituli Cordubensis n. 440.

---

5. *Alexander III Petro abbati S. Remigii et Fulconi decano Remensi mandat, dure puniant J. presbyterum de burgo S. Remigii, qui cum in die dominica coram clericis et laicis choreas duceret, a scolaribus increpatus eos male tractaverit et in ipsos excommunicationis sententiam promulgaverit, qui tamen per hoc plurimum libertatem suam fuisse laesam proponunt, cum nullus in eos violentas manus injicere aut excommunicationis sententiam possit promulgare, donec coram magistro suo velint justitiae stare.*

1170-1172, Novembris 8, Tusculani.

Alexander episcopus servus servorum Dei Petro abbati S. Remigii[1] et Fulconi decano Remensi salutem. Audivimus ex transmissa conquestione quorumdam scolarium, qui in burgo S. Remigii consistunt, quod cum J. presbyter de burgo S. Remigii in die dominico coram clericis et laicis, postposita modestia clericali, choreas duceret, scolaribus ipsis eundem presbyterum exinde increpantibus et deridentibus, idem presbyter quorumdam favore cum furore et impetu ostium et fenestras scolarum ausu temerario fregit, et in quosdam ex ipsis scolaribus violentas manus injecit, et his injuriis non contentus, absque

conscientia venerabilis fratris nostri Henrici Remensis archiepiscopi et officialium suorum in ipsos non citatos nec confessos proxime sequenti die excommunicationis sententiam promulgavit, quam idem archiepiscopus fecit, prout debuit, relaxari. In quo utique iidem scolares libertatem suam plurimum fuisse lesam proponunt, cum eam se asserant libertatem habere, ut nullus in eos violentas manus injicere aut ecclesiasticam sententiam audeat promulgare, donec coram magistro suo velint justitie stare [2]. Hinc siquidem et aliis injuriis predicti scolares provocati, eundem presbyterum, sicut asserunt, ad nostram presentiam appellarunt : sed per se vel per alium nostro se conspectui minime presentavit. Quoniam igitur idem presbyter in hoc, si verum est, multipliciter excessisse videtur, nos excessus ejus nolentes, sicut non debemus, incorrectos relinqui, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus partibus ante vestram presentiam convocatis, super his rei veritatem studiosius inquiratis; et si inveneritis predictum presbyterum choreas in conspectu clericorum et laicorum duxisse, et pro tali causa tantam prefatis scolaribus injuriam intulisse, aut ipsos ita incaute anathemati subjecisse, ipsum auctoritate nostra sublato appellationis remedio de tanta levitate, presumptione, et audacia dure et aspere puniatis, et si vobis constiterit eum vel complices suos in aliquos predictorum scolarium, qui essent clerici, violentas manus injecisse, ipsos auctoritate apostolica freti omni contradictione et appellatione postposita publice excommunicatos denuntietis, et faciatis sicut excommunicatos cautius evitari, donec passis injuriam congrue satisfaciant, et cum vestrarum testimonio litterarum apostolico se conspectui representent; et prohibeatis omnibus, ne prefatos scolares contra libertatem eorum in aliquo molestare audeant vel gravare, quandiu coram magistro suo parati sunt justitie stare. Dat. Tusculani vj id. Novembris.

Sirmondi, *Opp. var.* (Paris. 1696) III, 1345. *Rec. des Histor. des Gaules* XV, 892. Migne, *Patrol. lat.*, tom. CC, p. 746.

1. Petro Cellensi. — 2. Quod si ita erat Remis, concludere possumus, eumdem usum Parisiis viguisse.

---

6. *Alexander III decano et capitulo Parisiensi concedit, ut beneficia Roberto de Beelei et magistro Mainerio concessa post horum obitum recipiant.*

1174, Octobris 28, Ferentini.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis decano et capitulo Parisiensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Justitia postulat et ratio persuadet ut his uberius debeamus gratiam nostram impendere, et suis justis postulationibus benignius nostrum impertiri favorem, qui circa nos et Romanam ecclesiam multa noscuntur devotione fervere, et nostram exsequuntur facilius voluntatem. Inde est quod cum vos ad preces nostras dilecto filio nostro Roberto de Beelei vicario beati Petri Fossatensis super illas octo libras, quas in ecclesia vestra preter stationes et minutos redditus solebat annuatim percipere, sex libras annis singulis liberaliter addideritis, nos providere volentes, ne

vobis in dampnum vel prejudicium convertatur, quod ob reverentiam nostram prompta devotione fecistis, apostolica auctolitate (*sic*) statuimus, ut occasione additionis quam fecistis memorato R. aut dilecto filio nostro magistro Mainerio[1], cui prebenda sancte Genovefe concessa est, non possitis a prescriptis ecclesiis quomodolibet molestari, quo minus post eorumdem R. et M. decessum in eum statum eedem prebende redeant, in quo ante additionem factam fuisse noscuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Ferentini v kal. Novembris.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 230 nº 10. Bulla plumbea filis seric. rubei coloris appenditur. *Magnum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 564. — Mansi, *Ampl. coll. concil.* XXI, 1059, ubi perperam « v. id. Novembris ».

1. Iste Mainerius videtur esse idem cum Mainerio, discipulo Abaelardi, qui « in auditorio scholae Parisius » legebat, ut dicit Giraldus Cambrensis, *Opp.* ed. Brewer II, 349; IV, 7; de quo etiam Walter Mapes apud Wright, *The latin poems*, p. 29.

---

7. *Alexander III ecclesiae Parisiensi libertates et rationabiles consuetudines confirmat. Item de praebenda S. Genovefae in ecclesia Parisiensi, quae concessa fuit magistro Mainerio.*

1174, Octobris 28, Ferentini.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis B. decano et capitulo Parisiensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Quanto fervorem devotionis vestre laudabilius sumus et efficacius in multis experti, tanto libentius jura et libertates ecclesie vestre conservare volumus et tueri, et vestris justis postulationibus benignius condescendere, ut de sinceritate devotionis, quam erga nos et Romanam ecclesiam geritis, gratiam nostram uberius sentiatis. Eapropter, dilecti in Domino filii, officii nostri debito provocati, et petitionibus vestris clementer inducti, libertates et antiquas et rationabiles consuetudines ecclesie vestre, a tempore sancte recordationis patris et predecessoris nostri Eugenii pape usque ad nostra tempora observatas, ratas habemus et firmas, easque auctoritate apostolica confirmantes, perpetuam in posterum decernimus habere firmitatem. Ad hec cum quedam monasteria et ecclesie prebendas habeant in ecclesia vestra, et dilecto filio nostro magistro Mainerio prebenda sancte Genovefe concessa sit, veriti ne paulatim subrependo in detrimentum predictorum monasteriorum et ecclesiarum et in gravamen vestrum hujusmodi consuetudo inoleat in ecclesia vestra, postulastis a nobis ut super hoc juri vestro et indempnitati eorumdem monasteriorum et ecclesiarum pastorali deberemus sollicitudine precavere. Inde est quod presenti scripto arcius inhibemus, ne de aliqua prebendarum, quas prescripta monasteria vel ecclesie habent in ecclesia vestra, quamlibet personam canonicare cogamini. Nulli ergo, *etc.*, nostre confirmationis et consti-

tutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem, *etc.* Dat. Ferentini v kal. Novembris.

Magnum Pastorale in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 563. Mansi, *Ampl. coll. concil.* XXI, 1058. Guérard, *Cart. de l'église Notre-Dame de Paris* II, 392, 388.

---

8. *Alexander III Petro cardinali S. Chrysogoni, apostolicae sedis legato, mandat ut cum aliis super scholarum regimine Parisiensium provideat, ita quod personam magistri Petri cancellarii Parisiensis non excedat, quod exinde fecerit.*

1174, Octobris 29, Ferentini.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro tituli sancti Chrysogoni presbytero cardinali, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Licet mandaverimus ut hi qui volunt docere nihil pro scolis regendis ab aliquo exigant, juxta illud : veni et audi : volentes tamen honestati et litterature magistri Petri, cancellarii Parisiensis [1], quantum salva honestate possumus, prompta benignitate deferre, quem speciali prerogativa diligimus et volumus honorare, discretioni tue mandamus quatinus, habito consilio cum venerabilibus fratribus nostris Willelmo Senonensi archiepiscopo, apostolice sedis legato, et H. Remensi archiepiscopo, et aliis dignis et honestis personis, super regimine scolarum Parisiensium, quod tibi visum fuerit, ita quod personam jam dicti Petri non excedat quod exinde feceris, circumspecta diligentia provideas atque disponas, eam cautelam et maturitatem adhibiturus, quod non videaris modum excedere, et illi qui scolas rexerint, non debeant immoderate gravari. Dat. Ferentini iv kal. Novembris.

Rec. des Histor. des Gaules XV, 951. — Migne, *Patrol. lat.* tom. CC, p. 998.

1. Petri Comestoris (Manducatoris), auctoris « Historiae scholasticae » et multorum sermonum. Apud Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, ut cancellarius primo nominatur anno 1168 (III, 438), et ultimo an. 1178 (II, 503). Non constat, quo anno se contulerit ad Victorinos, in quorum Obituario legitur ad xij kal. Novemb. : « Anniversarium sollempne magistri Petri Manducatoris Parisiensis cancellarii et nostri canonici », Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14673 fol. 245. Petri successor in cancellaria, ut videtur, Hilduinus primo nominatur an. 1185 (Guérard, *Cartul. de Notre-Dame* II, 311) et ultimo an. 1191 (ibid. I, 45). Petri antecessor fuit Odo, qui chartam anni 1164 subscripsit : « Data per manum Odonis cancellarii ». *Magnum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 755 (apud Guérard l. c. II, 503, ejus nomen hic supprimitur).

---

9. *Alexander III Guillelmo archiepiscopo Remensi mandat, ut convocatis magistris scholarum Parisiensium et Remensium, etc., interdicat, ne quis dicere audeat, Christum non esse aliquid secundum quod homo.*

1177, Februarii 18, Vestae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Willermo Remensi archiepiscopo, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Cum Christus perfectus Deus perfectus sit homo, mirum est, qua temeritate quisquam audet dicere, quod

Christus non sit aliquid secundum quod homo. Ne autem tanta possit in ecclesia Dei abusio suboriri vel error induci, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus convocatis magistris scolarum Parisiensium et Remensium et aliarum circumpositarum civitatum auctoritate nostra sub anathemate interdicas, ne quis de cetero dicere audeat Christum non esse aliquid secundum quod homo, quia sicut verus Deus ita verus est homo ex anima racionali et humana carne subsistens. Data Veste xij kal. Martii.

Bibl. Arsenalis Paris. ms. 379, fol. 39ª. Apud Friedberg, c. 7, X, De haereticis, sicut et apud Mansi, *Ampl. coll. concil.* XXI, 1081, perperam legitur « xij kal. Maii ».

---

10. *Alexander III magistro Gerardo Pucellae*[1], *ut usque ad quadriennium si scholas rexerit redditus, quos habet in Anglia, libere ei et sine diminutione reddantur in scholis, nec cogatur infra terminum ipsum scholas, nisi casu necessitatis, dimittere.*

1178, Februarii 7, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro G. salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes litteraturam et scientiam tuam, et quomodo compositione morum et honestate sis preditus nihilominus cogitantes, cogimur communi et speciali debito tuis profectibus et incrementis intendere, et multa tibi benignitate deferre. Eapropter, dilecte in Domino fili, cum sub magisterio tuo multi per Dei gratiam proficiant in scientia litterarum, auctoritate tibi apostolica duximus indulgendum, ut usque ad quadriennium, si scolas rexeris, redditus tui quos habes in Anglia nullius contradictione vel appellatione obstante libere tibi et sine diminutione qualibet reddantur in scolis, ita quidem, ut nulli fas sit tibi quidnam de illis redditibus diminuere vel subtrahere, aut circa res tuas indebitam molestiam vel gravamen inferre; nec cogaris infra terminum ipsum scolas dimittere, nisi alicui ecclesie, in qua personatum vel magnum beneficium habeas, ea necessitas imminuerit, quod merito tuam sibi debeas presentiam et patrocinium exhibere. Dat. Anagnie vij id. Februarii.

Rec. des Histor. des Gaules XV, 953. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CC, p. 1157.

1. Ipsius scripta saeculo XIII ineunte adhuc legebantur, et magister Praepositinus in sua *Summa* citat ejus sententiam circa divinas personas his verbis : « Propter hoc dixerat magister G. Puella, quod hoc nomen persona aliter significat divinam naturam quam hoc nomen essentia ». E multis mss. cf. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14526, fol. 3ᵇ.

---

11. *Alexander III magistro Gerardo Pucellae redditus ab ipso schismatis tempore sponte dimissos restituit.*

1178, Martii 15, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei magistro Girardo Pucelle salutem et apostolicam benedictionem. Litteratura tua ac probitas ac morum honestas nos monent propensius et hortantur, ut te sicut probum, honestum et litteratum virum sincero

diligamus caritatis affectu, et speciali prerogativa amoris et gratie foveamus. Hac igitur consideratione inducti, et personam tuam speciali volentes dilectionis nostre privilegio decorare, tibi redditus quos in regno Teutonico in fervore schismatis, nullo cogente, spontanee dimisisti, de consueta clementia et benignitate sedis apostolice, interventu quoque venerabilis fratris nostri Maguntini archiepiscopi, restituimus, statuentes ut non obsit tibi ad diminutionem vel maculam fame tue, nec circa promotionem tuam tibi prejudicium valeat in posterum generare, quod aliquandiu redditus inter schismaticos nosceris tenuisse. Dat. Laterani id. Martii.

Rec. des Histor. des Gaules XV, 960. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CC, p. 1200. Vide praeterea Jaffé-Loewenfeld n. 13039, ubi magister Gerardus Pucella cum Petro Blesensi nominatur, 3. April. ejusdem anni.

---

12. *Alexander III statuit in Concilio Lateranensi III, ut quaelibet ecclesia cathedralis praebere debeat beneficium magistro, qui clericos ejusdem ecclesiae et alios pauperes gratis doceat, et si quis vendiderit licentiam docendi, aut interdixerit docere, beneficio privetur.*

1179, Martii 19, Laterani.

(§ 18) Quoniam ecclesia Dei et in his, que spectant ad subsidium corporis, et in iis, que ad profectum proveniunt animarum, indigentibus, sicut pia mater, providere tenetur; ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem ecclesie et scolares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium prebeatur, quo docentis necessitas sublevetur, et discentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur ecclesiis seu monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docendi nullus omnino pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab eis, qui docent, aliquid querat, nec docere quemquam, qui sit idoneus, petita licentia interdicat. Qui autem contra hoc venire presumpserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus. Dignum quippe esse videtur, ut in ecclesia Dei fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.

Mansi, *Ampl. coll. concil.* XXII, 227, *Compil. I*, c. 1, tit. de magistris (5, 4), in Cod. Vat. 1377. Abbrev. in X, c. 1 h. t. (5, 5).

---

13. *Alexander III monet quoddam capitulum, praebendam per biennium concedat canonico Theobaldo, ad hoc ut in scholis theologiae gratia commorari possit.*

Circa an. 1180.

Justis peticionibus grato nos convenit favore concurrere et eas tanto benignius, quanto honestius porriguntur, effectui mancipare. Dilectus autem filius noster magister The(obaldus) supplici relatione suum nobis exposuit commorandi in scolis desiderium illius scientie gratia potissimum, que ecclesie Dei non minus necessaria quam utilis existit,

adiciens se ad hoc pene ultra vires facultatis sue certam pecunie summam mutuo accepisse. Inde est, quod universitatem vestram affectuose rogantes monemus, quatinus eidem tamquam fratri et canonico vestro, presertim de quo in Domino spes uberioris scientie presumitur in scolis, prebendam per biennium dumtaxat pro reverentia Romane ecclesie et precum nostrarum consideratione concedatis, ita ut et ipse vobis devotior existere teneatur et nos exinde tam vestris quam ecclesie vestre utilitatibus promptius et sollicitius aspirare debeamus.

Loewenfeld, *Epistolae pontificum Romanorum ineditae*, p. 200. — Capitulum istud verisimiliter Turonense fuisse apparet ex duabus litteris ibidem praecedentibus. Non minus probabile est, sub « scholis » Parisienses intelligi debere.

---

14. *Urbanus III domui S. Thomae de Lupara Parisiensi asserit possessiones a Roberto I comite Drocensi de uxoris suae Agnetis et filiorum suorum conniventia assignatas.*

1186-1187, Julii 22, Veronae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Vuilelmo presbytero provisori domus Sancti Thome Martyris Parisius salutem et apostolicam benedictionem. Cum principes seculi divinitus inspirati aliqua de bonis suis piis usibus applicant, in bono debemus eos proposito confovere, et ne factum illorum per alicujus malitiam valeat immutari, apostolicum eis patrocinium impertiri. Sicut autem in audientia nostra est propositum, dilectus filius noster nobilis comes Robertus divine pietatis amore quasdam domos, quas habebat Parisius, provisioni pauperum clericorum cum quibusdam redditibus de uxoris et filiorum suorum conniventia deputavit, religiosis personis in eodem loco auctore Domino constitutis, que secum pariter in eodem laudabili opere debeant exerceri. Quia igitur postulavit a nobis benignus in Christo filius noster Philippus illustris Francorum rex et regina uxor ipsius, postulavit etiam et jam dictus comes, ut donationem ejus nostra deberemus auctoritate firmare : ipsam, prout pie et laudabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Statuimus autem, ut per dioecesanum episcopum ad opus fratrum et familie ipsius atque infirmorum decumbentium cimiterium debeat benedici. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum hortorum vel domorum fructibus, nullus a vobis decimas extorquere presumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et prohibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Verone xj kal. Augusti.

Dubois, *Hist. eccl. Paris.* II, 182. Bulaeus II, 463. Haec epistola cum alia Innocentii III inferius edita fuit transcripta in « Inventaire de Saint-Nicolas-du-Louvre, appelé le *Livre vert* ». At hoc inventarium ad nos non pervenit. — In hisce litteris Urbani III prima fit mentio domus S. Thomae de Lupara. Charta Roberti I comitis Drocensis ab antiquo desideratur, habemus tamen illam Roberti II, quae ideo inferius publicatur. Clemens III die 26 Julii anno 1189 canonicis possessiones et redditus ad sustentationem quatuor canonicorum a Roberto I collatas asseruit. Idem fecit anno 1192 Philippus Augustus. Vide documenta apud Dubois l. c. et Bulaeum II, 464 sq. Ut videri potest non tangunt adhuc scholares S. Thomae, sed tantummodo canonicos. Cf. Berty, *Topographie historique du vieux Paris* I, 96 sq.

15. *Coelestinus III mandat, ut causae saeculares clericorum Parisiis commorantium jure canonico decidantur.*

1191-1198.

Coelestinus [episcopo Parisiensi][1]. Quod clericis, etc. Et infra : Nullus episcoporum vel clericorum ad judicia secularia est trahendus. Habent enim illi judices suos, nec quicquam est eis publicis commune cum legibus. Bonifacius vero Papa et Gelasius et alii plures antecessorum nostrorum antiquioribus Conciliis consonantes, sicut bene patet viris juris utriusque peritis, id ipsum in sacris constitutionibus ediderunt. Hac igitur ratione inducti per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus si quas causas seculares[2] clerici Parisius commorantes habuerint contra aliquos vel aliqui contra illos, appellatione remota jure canonico decidatis, nec permittatis juri scripto consuetudinem prevalere.

Compil. II, c. 5 de foro competenti (2, 2) in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15398; Cod. Vat. lat. 1377. Decretalis in X. sub hoc titulo 2, 9, est abbreviata et vice « seculares » legitur « pecuniarias ».

1. Non caret probabilitate hanc epistolam esse directam ad episcopum Parisiensem, ut etiam Boehmer exhibet. Glossator Laurentius dicit ad verbum « clerici Parisius » : « est speciale Parisius, ubi episcopus gerit vicem comitis, unde et preco bannum ibi nuntiat nomine episcopi et regis. Alias layci sub seculari judice debent conveniri ». Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3931[a], fol .89. Alius glossator in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15398, fol. 80[b]; 3932, fol 76[b] : « . . . Unde cum denuntiat preco bannum Parisius, nomen episcopi statim post nomen regis subjungit. Quia ergo episcopus temporalem habet jurisdictionem super laicos, precipit dom. papa, ut coram eo clerici eos conveniant » etc. — 2. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15398 (ineuntis saec. XIII.) : « scolares » contra omnes alios codices.

---

16. *Innocentius III Odoni episcopo, cantori, et magistro Petro de Corbolio Parisiensi canonico praecipit, ut Stephanum episc. Tornacensem excommunicationis sententia feriant, si Bernardo de Insula renuerit concedere praebendam, quae ei Parisiis, etiam consilio magistrorum adjudicata fuit.*

1198, Aprilis 29, Romae.

Episcopo .. cantori, et magistro P. de Corbolio Parisien. canonico. Confirmationis nostre manum in hiis, que per predecessores nostros non sine maturitate consilii novimus instituta, nec non et ex eorum auctoritate pariter et mandato sortita sunt effectus debiti complementum, non tantum libenter apponimus, verum etiam in eos, qui ad institutiones hujusmodi eludendas in contradictionis et rebellionis aculeum eriguntur, graviter sicut tenemur insurgimus ad vindictam, ut sic rebellium et superborum contumacitas elidatur, et ecclesie Romane institutio submoto cujuslibet temeritatis obstaculo sua gaudeat libertate. Tenor siquidem litterarum dilecti filii H. decani Parisiensis, quas felicis recordationis C.[1] pape predecessori nostro tamquam nobis directas accepimus, nos instruxit, quod mortuo in Urbe bone memorie magistro Henrico de Sognies canonico Tornacensis ecclesie prebendam ejus dilecto filio Bernardo clerico de Insula de sedis apostolice benignitate concessit, eumque de ipsa per anulum propria manu investiens, prebendam ipsi confirmavit eandem. Super quo tam venerabili fratri nostro .. Tornacensi episcopo[2], quam

dilectis filiis .. decano et capitulo Tornacensi districte precipiendo mandavit, ut factum suum in hac parte irrefragabiliter observantes prefatum Bernardum in suum canonicum admitterent et in fratrem. Inhibens etiam illis, ne ad prebendam illam aliquem alium in fratrem assumerent, scripsit tam prefato decano, quam bone memorie P.[3] cantori Parisiensi cum districtione precepti, ut eis in hujus mandati executione cessantibus, ipsi apostolica auctoritate suffulti, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, que premissa sunt exequi non tardarent, atque ipsum in possessione prebende illius corporaliter inducentes facerent eum nichilominus possessione quieta et integra fructuum perceptione gaudere, eos insuper, qui institutioni ejus ac investiture tam sollempniter facte se ducerent opponendos, per districtionem ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, si quid forte interim in ipsius clerici prejudicium de illa fuisset prebenda statutum penitus irritarent. Verum memoratus decanus sicut ei de ipsius rescripti auctoritate licebat solus executioni horum diligenter insistens, non semel set sepius suis litteris destinatis eo ordine quo decebat episcopum et capitulum attente commonuit, ut preceptum apostolicum quantocius adimplentes, dictum Bernardum, qui de prebenda Tornacensi vacante per manum apostolicam sicut dictum est investituram acceperat, in choro et in capitulo tam liberaliter quam libenter admitterent, et prebende fructus ex integro absque omni difficultate conferrent. Episcopus vero licet sepe tam litteris quam viva voce commonitus ab eo ut decuit semper exhibuit se rebellem, nullatenus volens institutioni apostolice consentire. Set tandem Parisius veniens, cum predictus Bernardus vehementer instaret, presente te frater episcope necnon et dilecto filio .. abbate sancte Genovefe[4] procuratore ipsius episcopi Tornacensis cum multis aliis religiosis et honestis personis post multas altercationes et rationes hinc inde propositas, de communi consilio magistrorum, prudentum et jurisperitorum, qui vocati ad litem convenerant decidendam, cum allegationes predicti episcopi nullam vim aut vigorem haberent, sepefatum Bernardum auctoritate apostolica sententialiter in corporalem prebende illius possessionem induxit eo modo laborans, quod decanus ipse totumque capitulum Tornacense eundem clericum in fratrem et canonicum suum communiter receperunt, et adhibitis sollempnitatibus, que debent in admittendis canonicis adhiberi, stallum in choro et locum in capitulo ei liberaliter assignarunt, ita quod statim et deinceps sicut et reliqui juxta consuetudinem ecclesie plena et integra perceptione fructuum est gavisus. Et ut mandatum apostolicum ex ordine compleretur, idem executor quidquid circa Hulvinum ipsius Bernardi adversarium vel alium ab episcopo vel quolibet alio forte fuisset in ejus prejudicium attemptatum, cum ipso capitulo Tornacensi penitus irritavit solo episcopo in sua rebellione contumaciter perdurante. Nos igitur quod ab eodem decano auctoritate apostolica provide super hiis omnibus est statutum debitum volentes effectum sortiri discretioni vestre per apostolica scripta mandamus et districte precipimus, quatinus si idem episcopus vel Hulvinus sive alius prenominatum Bernardum canonicum Tornacensem super illa prebenda, quam ipse

tam sollempniter est adeptus, post monitionem vestram duxerint impetendum aut possessionem prebende qualibet occasione turbandam, eos per severitatem districtionis ecclesiastice omni contradictione et appellatione cessante compescere nullatenus omittatis, nichilominus facientes, ut prenominatus episcopus suum in hoc velit adhibere consensum. Nolumus enim sicut nec fieri convenit, ut apostolice sedis institutio tam sollempniter celebrata et tot tantorumque virorum approbationibus et sententia unanimi roborata, temeritate seu contradictione quorumlibet infirmetur, aut factum quod de tanti consilii maturitate ac provida consideratione processit in recidive questionis scrupulum relabatur. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito, etc. Quod si non omnes, etc., tu frater episcope cum eorum altero, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum iij kal. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Vat. Innocentii III. an. 1, ep. 116, fol. 31ª. — Baluze, *Epist. Innocentii III*, I, 67, ep. 119. — Petrus de Corbolio anno sequenti electus est episcopus Cameracensis, anno 1200 translatus est ad sedem archiepiscopalem Senonensem. Sub ipso fuit celebre Concilium Parisiense anno 1210.

1. Coelestino III. — 2. Eidem Stephano, qui olim monasterio S. Genovefae Paris. abbas praefuit. — 3. Petro Cantori, qui anno 1197 obiit. — 4. Johanne I, successore Stephani in regimine monasterii S. Genovefae.

---

17. *Innocentius III decano et capitulo Eboracensi praecipit, ut magistrum Petrum de Corbolio, a quo (Parisiis) divinarum paginam scripturarum audivit, ad praebendam et archidiaconatum admittant.*

1198, Decembris 17, Laterani.

Decano et capitulo Eboracensi. Si eorum petitionibus apostolicum gratanter impertimur assensum, quos gratiosos inter alios clericos orbis et litterarum scientia et morum reddit honestas, officii nostri sicut credimus debitam prosequimur actionem et Deo in hoc et hominibus complacemus. Sane licet dilectum filium magistrum P. de Corbolio, de cujus litteratura et scientia in longinquis et remotis partibus predicatur, sue tantum probitatis et honestatis intuitu habere debeamus in visceribus caritatis, cum tamen ad memoriam nostram reducimus, nos aliquando sub ipsius magisterio extitisse et ab eo divinarum audisse paginam scripturarum, quod ubique non pudet nos dicere immo reputare volumus gloriosum, ad dilectionem ipsius efficimur promptiores et ejus libentius augmento intendimus et honori. Cum igitur venerabilis frater noster G.[1] Eboracensis archiepiscopus prebendam Eboracensis ecclesie cum archidiaconatu eidem magistro contulerit, sicut nobis per suas litteras ut proponitur intimavit, nec vos unquam deceat talem ac tantum clericum a societate vestra repellere set vocare, cum de litteratis et discretis personis ecclesiis multa provenire consueverint incrementa, devotionem vestram rogando monemus et per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus prefatum magistrum ad prebendam et archidiaconatum sibi concessum tam libenter quam liberaliter admittentes faciatis eundem vel procuratorem suum prebendam et archidiaconatum pacifice possidere,

ut et idem magister in vobis se gaudeat fraterne dilectionis solatium invenisse et nos, qui pro ipso puro corde et voluntate sincera scripta nostra dirigimus, devotionem vestram valeamus in Domino merito commendare. Alioquin nos venerabili fratri nostro Eliensi episcopo[2] noveritis injunxisse, ut prefato magistro prebendam et archidiaconatum, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, si ei de canonica concessione constiterit nostra fretus auctoritate non differat assignare, et faciat pacifice possidere, illos ecclesiastica censura percellens qui se duxerint mandato nostro temere opponendos. Dat. Laterani xvj kal. Januarii.

Reg. Vat. Innocentii III an. 1, ep. 465, fol. 126b. — Baluze, *Epist. Innocentii III* I, 275, ep. 478. Eodem modo sub eadem temporis nota scribit Eustachio Eliensi episcopo. Ibid. ep. 466. In ep. 467 Innocentius papa Ricardum regem Anglorum exhortatur, ut mag. Petro de Corbolio ad habendam possessionem archidiaconatus auxilium praebeat.

1. Godefredus Plantagenet. — 2. Eustachio. De isto, qui olim Parisiis studiis operam dabat, legitur in Obituario S. Victoris (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14673, fol. 167) ad ij non. Febr. : « Anniversarium sollempne pie recordationis magistri Eustachii Elyensis episcopi, qui vita celebris et scientia, quanto nos affectu coluerit, et laudabilis ejus circa nos aliquociens conversatio et multorum magnorumque beneficiorum exibitio comprobavit » etc.

---

18. *Robertus II comes Drocensis et Iolendis uxor ejus canonicis S. Thomae de Lupara possessiones et redditus ad sustentationem quatuor canonicorum a patre Roberto I assignatos novis additis sub certis conditionibus asserunt.*

1198, apud Calliacum.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ego Robertus, comes Drogensis, et Jolenz, uxor mea. Notum facimus universis presentibus pariter et futuris quod, cum de elemosina patris nostri, comitis Roberti, assensu matris nostre, Agnetis, comitisse, et filiorum ejus fratrum nostrorum, facta esset Parisius institutio quatuor canonicorum sacerdotum in ecclesia Sancti Thome de Lovre, et eis in quibusdam villis que ad nos devolute sunt, beneficiorum suorum perceptio assignata, nos de eadem institutione gavisi et eorum postmodo utilitatibus insistentes, de consulto fecimus, pro eo quod redditus illi non ita libere habebantur, quomodo nullus molestie supersit locus, et ad reddendas illis prebendas suas nulla de cetero interveniat difficultas, statuentes ut loco eorum que ipsi solebant percipere annuatim habeant apud Braiam in censiva domorum de quibus sic institutum est ut unaqueque duos solidos reddat, xx libras parisiensis monete, infra octabas Sancti Remigii, de eadem censiva atque aliis censibus domini Braie, quicumque ipse erit, sine omni dilatione reddendas; ea per singulos annos conditione servanda ut, si predictos denarios infra predictas octabas non reddi contigerit, detentores seu dilatores pro uno quoque die quo ab elapso termino dilati fuerint, v solidos de pena reddere tenebuntur. Quod si dominus loci secundum hec statuta non exequeretur predictis canonicis justiciam suam, terra eius interim interdicto supponeretur, et detentores seu dilatores, quicumque essent, usque ad solutionem omnium anathemati subjacerent. Habebunt

preterea jam dicti canonici c solidos in Villa nova Sancti Georgii infra octabas Sancti Remigii annuo persolvendos de reddito qui vulgo dicitur Bien. Habebunt insuper infra octabas Natalis Domini VII libras et X solidos, et infra octabas Sancti Johannis Baptiste VII libras et X solidos de teloneo nostro apud Braiam, eadem pena quam prediximus ipsis detentoribus sustinenda. Porro hec beneficia ipsi canonici ita libere habebunt quod propter hoc nulli persone in aliquo erunt obnoxii, nisi quod pro anima patris nostri et fratrum eius, regis Ludovici et Henrici, quondam Remensis archiepiscopi, et aliorum antecessorum posterorumque nostrorum orare debebunt. Ceterum ea que circa adjacentiam loci in quo sunt eis concessa esse noscuntur, ipsi quiete et libere in perpetuum possidebunt. Nec vero illud volumus subticeri quod illi quatuor canonici in loco illo assiduitatem facient, et si quis eorum ad majus beneficium vocaretur, vel alibi postposito loco eligeret residere, infra dimidium annum prebenda sua alii sine contradictione assignaretur. Si quis etiam in minoribus ordinibus ibi persisteret, nichil omnino de prebenda sua aut de alio beneficio ecclesie usque post susceptionem sacerdotii tolleret, sed fructus prebende illius consilio domini Braie et canonicorum in commodum ecclesie expenderentur. Sciendum est etiam quod post obitum fratris nostri, Philippi, Belvacensis episcopi, ad quem prefatarum prebendarum in vita sua spectat donatio, ad dominum Braie donationis ipsius dignitas devolvetur[1]. Nec illud preterire volumus quod pro anima mea et uxoris mee orare debebunt. Que omnia ut in futurum inviolanda permaneant, presentem paginam scribi fecimus et sigilli nostri subterfixo caractere communiri. Actum apud Calliacum, anno gratie M° C° XC° VIII°, assistentibus bonis viris et factum istud approbantibus quorum nomina subterscribuntur : Petrus, capellanus comitis. Radulphus, capellanus Calliaci. Stephanus, clericus comitisse. Albericus, clericus comitis. Balduinus de Dongun, Raerius de Musi, Odo Eglins, Milo Bevanz, milites.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 549 n° 4. Deest nunc sigillum. — Charta multum abbreviata apud Bulaeum II, 465.

1. Exstat de hoc etiam charta Philippi Belvacensis episcopi una cum novis praescriptionibus anni 1209 mense Novembris. Vide Dubois, *Hist. eccl. Parisiensis* II, 183. Bulaeus II, 466.

---

19. *Johannes Saresberiensis scribit Thomae Cantuariensi archiepiscopo de ejus adventu Parisiis, ubi admiratur reverentiam cleri et varias occupationes philosophantium, et studet se omnino scholaribus conformare.*

1164, Parisiis.

Venerabili domino et patri carissimo Thome Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo et Anglorum primati suus Joannes Saresberiensis salutem et felices ad vota successus. Ex quo partes attigi cismarinas, visus sum mihi sensisse lenioris aure temperiem, et de tumescentibus procellis tempestatum cum gaudio miratus sum rerum ubique copiam, quietemque et letitiam populorum. Egredientem vero de navi servientes comitis Gisnensis et mandato ejus, procurante Arnulpho nepote ipsius, honorifice susceperunt, et mihi et meis domum

et terram comitis pro vestra reverentia exponentes, liberum ab omni consuetudinis onere perduxerunt fere ad Sanctum Audomarum. Quo cum venissem, procurante quodam Marsilio monacho, qui apud Thilleham et Truelegam[1] morari consuevit, in domo S. Bertini honestissime receptus sum, et patenter intellexi, quod ecclesia illa ad honorem sancte Cantuariensis ecclesie et vestrum exposita est. Et si placet, tam comiti quam monachis, oblata vobis opportunitate gratias referatis. Exinde cum venissem Atrebatum, comitem Philippum apud Exclusam castrum[2], a quo tyrannus Yprensis tam longa obsidione exclusus est, esse audivi. Illuc itaque divertens, Domino misericorditer iter meum in omnibus prosperante, non longe a strata publica obvium habui quem querebam. Ut enim more divitum, quos oblectat hoc nugandi genus, in avibus celi luderet, fluvios, stagna, paludes, et scaturigines fontium peragrans circuibat. Gavisus est se invenisse hominem, a quo fideliter audiret Anglie statum, et ego magis, quia eum mihi deus obtulerat, ita ut sine multo vie dispendio mandatum vestrum exsequerer. De rege et proceribus multa percunctatus est, sed ego temperavi responsum, ut me nec de mendacio conscientia reprehendat, nec temeritatem meam in his, que ad regem spectant, quisquam possit arguere. Vestras vero angustias audiens vobis compassus est, auxiliumque promittit. Naves etenim procurabit, si hoc necessitas vestra exegerit, et ipse ante, ut oportet, premuniatur. Si vero ad hoc vos tempestas impulerit, premittite ante aut Philippum emptorem vestrum, qui et comitis auctoritate utatur et cum nautis et vectoribus, prout expedierit, contrahat. Sic a comite recedens, die sequenti Noviomum veni. Et nescio quo prepetis et inquiete fame preconio calamitas Anglorum, ecclesiarumque vexatio, quocunque veniebam, fuerat divulgata, ut ibi multa audirem gesta in conventu Londoniensi[3] et Wintoniensi, que in Anglia nunquam audieram. Et quidem pleraque, ut fit, majora et pejora veris referebantur. Ego autem hec omnia, que per ora populi volitabant, studiosissime dissimulabam : sed nec simulanti prospera plene credebatur, nec adversa dissimulanti. Quodque miremini, comes Suessionis ea die, qua Noviomi eram, omnes articulos Londoniensis nescio conciliabuli aut disciliabuli dicam decano ita seriatim exposuit, ac si interfuisset omnibus presens, non modo his que in pallatio gesta sunt, sed que secretissime ab his vel ab illis dicta sunt in conclavi. Nec facile crediderim, quin ibi sive de suis sive de nostratibus cautos exploratores habuerint Galli. Decanus autem Noviomensis, vir integerrime fidei, concussionem vestram non sine multo dolore audierat : et se ad vos recipiendum preparat, non modo sua omnia expositurus pro vobis, sed pro Cantuariensi ecclesia, si opportuerit, se ipsum positurus. Decreverat autem transire ad curiam. Sed quia de statu vestro incertus est et sollicitus, donec certioretur, domi expectat. Ibi a quibusdam pro certo accepi regem Francorum esse Lauduni, et prope eum dominum Remensem[4] eius expectare colloquium. Eos ergo adire proposui. Sed propter guerras, quas comes de Roceio et alii quidam proceres adversus dominum Remensem exercebant, a proposito revocatus Parisius iter deflexi. Ubi cum viderem victualium copiam, letitiam populi, reverentiam cleri, et totius

ecclesie majestatem et gloriam et varias occupationes philosophantium, admirans velut illam scalam Jacob, cuius summitas celum tangebat, eratque via ascendentium et descendentium angelorum, lete peregrinationis urgente stimulo coactus sum profiteri, quod vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Illud quoque poeticum ad mentem rediit : Felix exilium, cui locus iste datur.

Evolutis autem paucis diebus in conducendo hospitio, et sarcinolis componendis, regem Francorum adii, eique ex ordine exposui causam vestram. Quid multa? Compatitur, promittit auxilium, et pro vobis se domino pape scripsisse asseruit, et iterum, si oportuerit, scripturum, et acturum quod poterit viva voce. Cum vero eum ex parte filie sue, quam nuper Saresberie videram, quando a domina regina licentiam accepi, salutassem, respondit sibi gratissimum esse, si illa jam ab angelis recepta esset in paradiso. Cui cum ego subjungerem, quia istud per misericordiam dei quandoque eveniet, sed ante multis gentibus letitiam dabit, respondit rex : « Hoc quidem deo possibile est, sed longe verisimilius, quod multorum futura sit causa malorum. Sed absit de illa, quod paternus presagit animus, quia vix, inquit, spero, ut ab ea possit aliquid boni esse ». Regem nostrum Franci timent pariter et oderunt, sed tamen quoad ad illos, quieto et alto somno dormire potest. Et quia Remensem adire non potui, litteras meas ad abbatem S. Remigii[5] amicissimum mihi direxi, ut in hac parte suppleat vices meas. Ceterum mihi videtur esse consilium, ut per aliquem monachum Boxleie, aliumve nuntium fidelem litteras vestras cum aliquo munusculo transmittatis ad dominum Remensem, contrahatisque cum eo familiaritatem, quia ille, quisquis sit in persona, magnus est in regno Francorum, et in ecclesia Romana multum potest, tum pro rege, tum pro eminentia ecclesie sue. Ad Ecclesiam Romanam nondum ascendi, declinans, quantum possum, ne suspicio probabilis contra me suscipi debeat. Et hoc ipsum, sicut ex litteris domini Pictavensis[6] accepi, domino pape et curie satis innotuit. Receptis autem litteris vestris illico scripsi domino Henrico[7] et Willelmo Papiensi[8], et satis explanavi, in quantam perniciem ecclesie Romane tendant hec, si processum habuerint, que contra vos presumuntur. Distuli autem illuc ire, quia de transitu abbatis S. Augustini[9], aut episcopi Lexoviensis[10] nihil certum erat; et si ad curiam venerint, nobis per magistrum Henricum, qui ibi moratur, cito poterit innotescere. . . . .

Ceterum, an recte mecum agatis prudentia vestra dijudicet. Nostis enim, si placet reminisci, quoniam, quando recessi a vobis, hoc mihi dedistis consilium, ut Parisius morarer omnino scolasticus, nec ad ecclesiam Romanam diverterem, ut vel sic declinarem suspiciones; nec approbastis etiam, quod ducebam fratrem meum, eo quod sumptus magnos nos facere oporteret, possetque tolerabilius Exonie morari. Ad quod cum ego responderem, ea que fratris mei occasione comes Reginaldus[11] episcopo Exoniensi[12] objecerat, meum consilium approbastis. Sic ergo discessi, instructus a vobis, ut Parisius sedem figerem, et me studerem omnino scolaribus conformare. Deus mihi testis est,

quod quando recessi a vobis, duodecim denarios in toto mundo non habebam, nec aliquis, quod ego scirem, ad usum meum. Vascula quidem habebam pauca fere quinque marcarum, omnibus hospitii nostri sociis satis nota; et eram quidem, quod multi sciunt, alieno aere, sed meo onere, graviter pressus. Accepi ergo duodecim marcas mutuas. Sed antequam egrederer Cantuaria, in sarcinulis et instructione clientum tres earum expendi. Deinde per manum Willelmi filii Pagani liberalitatis vestre septem marcas accepi, tres adhuc, ut jusseratis, accepturus. Quod enim minus factum est, vobis nequaquam imputandum est.

Veniens ergo Parisius juxta instructionem vestram, pro tempore, ut videtur, commodum conduxi hospitium, et antequam illud ingrederer, duodecim fere libras expendi. Neque enim introitum potui obtinere, nisi in annum toto pretio prerogato. Equos itaque distraxi, et me disposui ad residendum potius quam ad peregrinandum. Unde et imparatior sum ad circuitus quos prescribitis faciendos, qui non possunt sine sumptibus fieri, presertim ab homine ecclesiasticum habente officium notitiamque multorum. Preterea regis indignationem gratis conscientia teste sustineo; et si me nunciis ejus opposuero, gravius sustinebo. Unde mihi, si placet, in talibus, que eque commode possent per alios exerceri, magis parcere debetis. Et tamen, quantum expense permiserint undecumque quesite, quod jusseritis exequar. Vos autem videritis quid jubeatis. Et quia ecclesia Romana est in ea conditione quam nostis, nihil mihi videretur consultius in mundanis, quam duabus rebus operam dare : altera quidem est, ut eximatis vos utcumque a laqueis creditorum; altera, ut domini regis, quatinus secundum deum fieri potest, queratis gratiam. Deus mederi potest, sed ecclesia Romana non feret opem, et, ut timeo, rex Francorum baculus arundineus est. Preterea, si placet, cum Gaufrido nepote vestro misericordiam faciatis. Tempus est enim : nam ex quo hospitium meum ingressus est, quantum perpendere potui, honeste se habet et literis operam dat et diligentiam. Exhibuit eum dominus Pictavensis antequam veniret, et primo dedit ei quinque marcas, deinde centum solidos andegavensium. Unde, si placet, cum amicis episcopi Pictavensis debetis benignius agere, et in collocanda filia Willelmi filii Pagani non debetis, si placet, aliquam exercuisse duritiam, saltem pro episcopi reverentia. Valete.

Bibl. nat. Paris. mss. Baluze, 127, ep. 137 et fol. 2. Epistolas sequuntur notae ab ipso Baluzio confectae, quae etiam inveniuntur in ms. lat. 9349. Ipsae iterantur in *Rec. des Histor. des Gaules* XVI. — *Johannis Saresberiensis opera* collegit Giles I. 187, n° 134. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 565. In editione Giles sicut in omnibus aliis, excepto *Recueil des Historiens*, deest ultima particula « Ceterum an recte » usque in finem. Baluze primus eam e ms. Oxoniensi exscripsit et postea D. Brial in *Notices et Extraits des mss.* IX, 2, p. 117 sq., publicavit. Certe Johannem Saresberiensem auctorem habet. Sed desideratur connexus inter istud supplementum et epistolam ipsam.

1. Irulege. — 2. L'Écluse. — 3. Anno 1163, 1 Octobris. — 4. Archiepiscopus erat Henricus. — 5. Petrus Cellensis. — 6. Johannis. — 7. Henrico Pisano. — 8. Guillelmus de Pavia erat legatus apost. sedis. — 9. Clarembaldi. — 10. Arnulphi Lexoviensis, cujus fallacias expertus est Johannes Saresber. Sed vide Reuter, *Geschichte Alexanders III*, II, 36 sqq. — 11. Reginaldus, comes Cornubiensis, avunculus Henrici II. — 12. Bartholomaeo.

20. *Johannis Saresberiensis epistola ad Petrum scriptorem, in qua inter alia refert, Franciam, omnium mitissimam et civilissimam nationem, alienigenas scholares abegisse.*

Circa mensem Septembris anni 1167.

Johannes Saresberiensis Petro scriptori. Raritas intermeantium nobis subtrahit mutua solatia litterarum, et chaos quod inter nos, meritis nostris exigentibus, a domino firmatum est, securum intermeantibus denegat commeatum. Sed licet nobis subtrahatur oportunitas colloquendi, non prepeditur mutue dilectionis affectio : sed amantium more, quo magis succensos animos vexat metus et manus corripientium, eo cumulatius et ardentius caritas suscipit incrementum. Si te ergo et alios amicos videre non licet, si mutuis deservire obsequiis non permittimur, amare certe licet votis et orationibus adjuvare. Caritas enim, ut dictum est, cohiberi non potest, quia ubi Spiritus Domini, ibi est et libertas. Non licet ecclesiasticam tenere et defendere libertatem : certe proclamare licet, et protestari mandata legis divine, licet pro verbo Dei, quod in carne suscepta se pro nobis morti exposuit, exponere non modo facultates et perituram supellectilem hujus mundi, sed et animas nostras. Ille autem bonarum mentium Spiritus institutor nobis in hac affectione perseverantiam largiatur, qui ipsius affectionis contulit voluntatem. Et quidem spes est reformande pacis in brevi, interveniente opera et diligentia cardinalium, qui ad hoc missi sunt : nisi forte hoc pacem differat, quod dominus Cantuariensis nullis conditionibus acquiescet, nisi ecclesia Anglorum debita gaudeat libertate. Quod autem dico « debita », non ad alicuius Henrici tempora referatur, sed ad verbi Dei legitimas sanctiones, quia ex professione non Henricianus esse debet, sed Christianus. Sed fortasse objicies : « Si ita statuit, quare fugit? Quare tot et tantis periculis exposuit ecclesiam, pro qua animam sacerdotibus ponendam esse prenoverat, si leges principum et avitas regni consuetudines divinis sanctionibus postponere decernit? Quare apud Clarendonam[1] in reprobarum consuetudinum verba juravit, que divinis legibus, et sanctorum patrum constitutionibus penitus adversantur? Quare se non ingerit ut in conspectu regum et principum legem Dei loquatur intrepidus? » Hec enim omnia gentes inquirunt. Fuge quidem habet actorem Christum et apostolum ejus, qui dimissus in sporta persequentium manus evasit, sciens a facie personam, non causam, persequentis ab una civitate fugiendum esse in aliam. Videbat enim reges et principes convenisse adversus Dominum et adversus Christum ejus. Confugit ergo ad Romanum pontificem, quem apellaverat, ut eius presidio validius opitularetur ecclesie naufraganti, quam in Anglia, ut dicitur, principes sacerdotum maxime submergebant. Hoc autem non fuit ecclesiam exponere, sed liberationi ejus operam dare. Nisi forte et ille tibi navem relinquere videatur, qui, ut eam ad portum pertrahat, scapham ingreditur. Pollicitationem Clarendone, ad quam de consilio episcoporum impulsus est, purgare non possum, quia non fuerat utique facienda : sed offensam confessio diluit, accepta solempniter penitentia a summo pontifice, qui perversas illas consuetudines multis

audientibus auctoritate apostolica condempnavit[2]. Si se non ingerit querentibus animam ejus, cum via pateat commodior et salubrior, recte facit, prophetarum et apostolorum fretus exemplo : cum David, Helias, Petrus, et Paulus hoc idem fecisse legantur. Est enim temptare deum, se ipsum certis et manifestis objectare periculis, cum in Domino pateat opportunitas evadendi. Deus autem, qui iam incepit ecclesiam suam consolari in capite, per misericordiam suam consolidabit et membra : et qui teutonicum tyrannum scismaticorum principem coegit ab urbe recedere confusum[3], ipse dominum regem Anglorum gratia sua reducet et deducet in viam rectam, ut de cetero consiliariis malis non acquiescat. Et si astrologis creditur (quos tamen ego non multum audire dignor) annus iste ex forma constellationis dicitur esse mirabilis, et in eo regum consilia mutabuntur, et in orbe crebrescent bella, fervebit terra seditionibus, deprimentur mercuriales, sed tamen in fine anni relevabuntur. Ego tamen hec sompnia vana puto, licet pro parte verum dixisse videantur. Obierunt enim consiliarii imperatoris Raginaldus Coloniensis archiepiscopus[4], et Magontinus intrusus[5], Leodiensis[6] et Ratisponensis[7] episcopi, et plures scismatici principes. Bella et seditiones ubique fervent, mercuriales[8] adeo depressi sunt, ut Francia, omnium mitissima et civilissima nationum, alienigenas scolares abegerit. Est et revelationis argumentum, quod seditio Remensis pacificata est, et urbis soluta obsidio. Hanc enim sibi germanitatem, ut aiunt, he due exhibent civitates, ut eisdem subjaceant fatis, et simul patientes gaudeant simul. Valete.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 8562 saec. XIII, fol. 46b. — *Johannis Saresberiensis opera* coll. Giles II, 81, ep. 225. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 570.

1. 30. Jan. 1164. In hoc concilio de consuetudinibus avitis regis Angliae agebatur. — 2. Cfr. de hoc Hefele, *Conciliengeschichte*, V, 557 sqq. Ed. 2, p. 628 sqq. — 3. Fridericus I compulsus est 6 Augusti 1167 propter pestilentiam in suo exercitu grassantem cum antipapa Paschali Romam relinquere. *Vita Alex.* a Bosone conscripta ed. Watterich, *Pontif. Rom. Vitae* II, 408. — 4. Defunctus est 14. Augusti 1167. Cf. Ficker, *Reinald von Dassel*, p. 114. — 5. Christianus de Buch non defunctus est isto anno, sed 1183. — 6. Alexander II. — 7. Eberhardus. Isti duo mense Augusto peste defuncti sunt. — 8. Significat « professores bonarum litterarum » sec. Baluze et *Rec. des Hist. des Gaules*. Sane et Alexander Nerkam, *De laudibus divinae sapientiae*, dicit :

Parisius quidam paradisus deliciarum
  Est major cum sit maxima laude mea.
Mercurium coluit error gentilis ibidem,
  Reseos et legum gloria floret ibi, etc.

Opp. ed. Wrigth. p. 453. — Posset aliquis desiderare epistolam 143 (ed. Giles I, 206) ad Henricum I. comitem Campaniae (secund. *Rec. des Hist. des Gaules*, p. 515, an. 1165 vel 1166 scriptam). At Saresberiensis in illa non alludit ad scholas Parisienses, et Albericus Remensis « quem cognominant de Porta Veneris, quae vulgo Valesia dicitur », ibi citatus minime est idem, ut saepe creditur, cum magistro Alberico olim magistro Johannis Saresberiensis (*Metal.* l. 2, c. 10, ed. Giles, p. 78).

---

21. *Thomas Becket, archiepiscopus Cantuariensis scribit Willelmo Senonensi archiepiscopo de lite inter ipsum et Henricum II Angliae, ad quam dirimendam rex paratus se monstravit stare judicio regis Francorum, vel ecclesiae gallicanae, aut scholarium Parisiensium.*

1169, mense Novembris, Parisis.

Reverendo patri et amico carissimo, Willelmo dei gratia Senonensi archiepiscopo, Thomas Cantuariensis ecclesie minister humilis, quidquid devotio potest exsulis et pro-

scripti. Impossibile est ut animus quiescat impii, quem conscientie stimulus semper exagitat, perpetuumque timorem incutit, ne per singula momenta recipiat quod meretur. Sic estuantem jugis sollicitudo premit, et dum omnes homines, etiam bene promeritos et amicissimos, suspicionibus lacerat, ex proprie culpa perfidie putat aliis deesse, quam in conscientia non habet fidem. Sic rex Anglorum, audita profectione vestra, sue conscius iniquitatis et veritus zelum legis, et perseverantiam virtutis, quam habetis et exercetis in Domino, supra modum timet ne in terram eius cismarinam sanctitati vestre legatio committatur, quia in tota ecclesia Gallicana ei alius non occurrit, per quem malitia ejus reprimi possit aut conteri. Sed nec in ecclesia Romana veretur aliquem, sicut sui testantur, preter dominum Gratianum, quia si gloriatio ejus vera est, quotquot alii ad ipsum ex quacunque causa accesserunt, ad nutum ejus, et interdum non sine nota sinistre opinionis, convertibiles inventi sunt. Quia ergo dominum Gratianum in comitatu vestro redire didicit, adeo turbatus est, ut animi motum dissimulare nequiverit, dicens quod per vos cogendus erit ad pacem, aut cum magno sui suorumque dispendio perpetuam ignominiam subiturus. Evocavit itaque magistrum Vivianum per suas et domini Rothomagensis et Gaufredi Ridelli litteras, eique sicut idem Vivianus in publica plurimorum audientia confessus est, corporaliter fidem dedit, quod in ecclesie pace reformanda domini pape mandatum et ipsius consilium sequeretur. Fecit et litteras signari sigillo suo, quas ostendit quibus voluit, promittens in illis, quod pro amore domini pape nobis redderet Cantuariensem ecclesiam et possessiones ablatas nobis et nostris et pacem et securitatem, ut ad tractandum pacis verbum, quam vestro et domini Gratiani metu (quidquid alius glorietur) querere videbatur, prefatum Vivianum validius perurgeret. Sed de ablatis non faciebat aliquam mentionem, nisi quod innuebat, quod si illius in reformatione pacis sequeremur arbitrium, nos collocaret in capite regni, et nulla ratione pateretur egere. Revocato autem magistro Viviano et verbis ejus habente fidem, simulata devotione profectus est ad sanctum Dionysium, re autem vera, ut faceret quod pene fecit, id est ut regem Christianissimum circumveniret. Convenit enim inter eos in colloquio apud S. Dionysium [1], ut ei alendum et instituendum traderet Ricardum filium suum, et ut comitem S. Aegidii Turonas evocaret, eidem Ricardo responsurum super comitatu Tolosano. Siquidem locus ille prudenter commodissimus visus est, ubi subsidiarii partium tutissime conveniant, et litigantium natales libere protestentur, et qui jus dicturi sunt, quam ratio exegerit partem alteri sine trepidatione vel aliqua cunctatione condemnent. Nos ad illud colloquium compulerunt accedere dominus rex Francie et magister Vivianus et alii sapientes, ut nobis Parisius constitutis et illo apud S. Dionysium existente posset de vicino pax nostra commodius tractari. Ubi cum illum sepe dictus Vivianus instantius et diligentius conveniret, ut impleret promissionis fidem, resiliit more suo, et talem se Viviano exhibuit, ut ad nos rediens pluribus assidentibus palam dixerit, quod hominem adeo mendacem se vidisse vel audisse non poterat recordari. Sed et ipsi presenti, multis audientibus, sicut ab eis post accepimus, que fuerant dicenda non

tacuit. Immo duplicitatem ejus patenter arguens, ex magna parte, quam prius leserat, redemit famam suam, conquerens quod adeo captus fuerat dolis eius. Quod quidem vobis ideo intimamus, ut si ad ecclesiam Romanam rediens partes illusoris fovere presumpserit aut fraudes occulere, rei veritatem domino pape et cardinalibus vestra dilectio possit fidelius intimare. Nam sicut nutu divino contigit, ut re strenue gesta rediret dominus Gratianus, et ut vos, quem deus firmissimam columnam, ut persepe loquimur, in ecclesia sua posuit, et qui mores hominis plenius nostis, ad sedem apostolicam arriperetis iter, sic ejusdem nutu creditur accidisse, ut Vivianus, quidquid haberet in animo ad illustrandam justitiam ecclesie et dilatandam gloriam Gratiani remanserit in Francia, ut rex Anglorum per fautorem suum hominibus, quos decipere consuevit, amplius innotescat, et fallacia verborum dominum papam et curiam, ei huc usque nimis credulam, de cetero minus solito circumscribat. Cum vero prefatus Anglorum rex a S. Dionysio recedens prope montem Martyrum transitum faceret, illuc occurrimus, petens ab ipso per venerabiles viros dominum Rothomagensem [2] et episcopum Sagiensem [3] et alios quosdam, qui se verbo ingesserant, quatinus nobis pro amore Dei et domini pape, et nostris, gratiam suam, pacem, securitatem, possessiones et ablata restitueret, offerentes nos paratos esse exhibere illi quidquid archiepiscopus principi debet. Ille autem respondit, se ex animo libenter remittere ex parte sua offensas et querelas, si quas contra nos habuerat; et de his, que proponere vellemus adversus eum, paratum esse stare judicio curie domini sui regis Francorum, vel judicio ecclesie Gallicane, aut scolarium Parisiensium [4]. Quo audito respondimus nos curie domini regis, si ei placeret, aut ecclesie Gallicane non refutare judicium; malle tamen, si illius sederet animo, cum illo amicabiliter componere, quam litigare. Et si ecclesiam et possessiones nobis et nostris vellet restituere, et gratiam et pacem et securitatem prestare nobis, in osculo pacis parati eramus hec recipere, postulantes ut mobilium ablatorum medietatem ecclesie redderet ad solvenda nostra et nostrorum debita, ad sartatecta reficienda, ad instruenda predia et reparandas varias ecclesie necessitates, que ad summum calamitatis officialium suorum depopulatione et fraude perducta est. Et ne vota nostra modum viderentur excedere, et ut pacta ad declinandam lubricitatem hominis in scripturam redacta fidelius tenerentur, ei petitionem, quam vobis scriptam mittimus, ad nuntiorum suorum arbitrium castigatam et temperatam fecimus offerri, ut omnibus innotesceret nos nullam pacis, que ecclesie Dei tolerabilis sit, detrectare conditionem.....

Recueil des Historiens des Gaules XVI, 398. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CXC, ep. 109, p. 584.

1. Die 8. post festum S. Martini, id est 18. Novembris, celebrato. — 2. Rotrodum. — 3. Frogerium. — 4. Radulphus de Diceto ed. Stubbs I, 337, et Matth. Paris ed. Luard II, 263, referunt ista verba hoc modo : « Gallicana ecclesia partes suas interponente seu scholaribus diversarum provinciarum aequa lance examinantibus ». Cf. Denifle, *Die Universitæten des Mittelalters* I, 85, 811.

22. *Petrus Cellensis ad Johannem Saresberiensem de periculis animas Parisiis circumstantibus et de vera schola veritatis.*

1164, S. Remigii apud Remos.

Suo clerico suus abbas[1]. Satis amenum delegisti, mi carissime, exilium, ubi superabundant gaudia licet vana, ubi exuberat plus quam in patria panis et vini copia, ubi amicorum frequens affluentia, ubi sociorum non rara contubernia. Quis preter te alius sub celo Parisius non estimavit locum deliciarum, hortum plantationum, agrum primitiarum? Ridendo tamen verum dixisti, quia ubi major et amplior voluptas corporum, ibi verum exilium animarum : et ubi regnat luxuria, ibi miserabiliter ancillatur et affligitur anima. O Parisius, quam idonea es ad capiendas et decipiendas animas! In te retiacula vitiorum, in te malorum decipula, in te sagitta inferni transfigit insipientium corda. Ita Joannes meus sentit, et ideo exilium nominavit. Utinam istam exilium vere sicut est deputares, et ad patriam non verbo et lingua, sed opere et veritate festinares! Ibi in libro vite non figuras et elementa, sed ipsam sicut est divinitatem et veritatem oculo ad oculum cerneres, sine labore legendi, sine fastidio videndi, sine fallacia vel errore intelligendi, sine sollicitudine retinendi, sine timore obliviscendi. O beata scola, ubi Christus docet corda nostra verbo virtutis sue, ubi sine studio et lectione apprehendimus quomodo debeamus eternaliter beate vivere! Non emitur ibi liber, non redimitur magister scriptorum, nulla circumventio disputationum, nulla sophismatum intricatio, plana omnium questionum determinatio, plena universarum rationum et argumentationum apprehensio. Ibi plus vita confert quam lectio, plus prodest simplicitas quam cavillatio. Ibi nemo concluditur, nisi qui excluditur. Uno verbo : omnis ibi solvitur objectio, cum male malam vitam objicienti respondetur : Ite maledicti in ignem eternum qui paratus est diabolo et angelis ejus; cum bene opponenti dicitur : Venite, benedicti, etc. Utinam his melioribus studiis sic intenderent filii hominum, quomodo vaniloquiis, quomodo scurrilitatibus vanis et pessimis! Certe fructus exinde uberiores, certe favores excellentiores, certe honores majores meterent, et finem consummationis Christum, quem in his inventuri non sunt, sine dubio perciperent. Valete.

Epistolae Petri Coll. primo publicatae sunt a Sirmondo anno 1613 et inveniuntur in *Opp. var.* J. Sirmondi, III (epp. Petri l. 4, ep. 10). — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCII, p. 519.

1. Petrus Cellensis ab anno 1162 erat abbas S. Remigii apud Remos. Johannes Saresberiensis anno 1163 de sua patria relegatus primo brevi tempore morabatur Parisiis. Cf. supra nº 19.

---

23. *Petrus Cellensis Petro cardinali S. Chrysogoni magistrum Crispinum Parisienses scholas aditurum commendat.*

An. 1173-1179.

Petro cardinali Sancti Chrysogoni Petrus abbas Sancti Remigii. Amplexus vestre familiaritatis mihi gratissimos oro non senescere, sed cum ligno vite dies eternos tenere.

Res siquidem est familiaris amicitia, quotidianis refricanda salutationibus, immo irriganda mutuis collocutionibus, et forte renovanda munerum compensationibus. Placuit dignationi vestre me annumerare in amicorum vestrorum collegio sine merito quidem meo, sed non sine vestro. Meritum namque equitatis est, si summus se inclinat ad infimum, magnus ad parvum, valens ad infirmum. Me vermem, me putredinem, me jamjam ad non esse tendentem reputo; vos cum senatoribus celi thronum justitie honorantem suscipio et angelos cum apostolo judicantem non dubito. An irrisorium est et non verum quod dico? Plane Scripture auctoritate id assero. Nam labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est. Amicabilia sunt, exhortatoria sunt, ne dominus et amicus obliviscatur casum graviorem de excelso quam de imo. Certe sollicitudo amicalis frequenter tangit me inquirere de omni statu vestro, tam de interiori quam de exteriori: et gratias ago Deo meo, quia non nisi bona nuntiantur, non nisi honesta, non nisi ordini et officio vestro congrua. Oro ut qui cepit ipse perficiat. Magister Crispinus de vobis me letificavit, referens unde gauderem et Deo gratias agerem. Clericus et amicus noster est; eque desiderat esse et vester. Ecce Parisius ad scolas vadit, sed et ubique nomen vestrum super se invocari postulat. Utile equidem est tanto homini, qui tanta omnium sollicitudine pene continuo vexatur, quod sui corporis necessaria et salubria postponens, ad intemperiem corporalem sepe delabitur. Rogo pro ipso, et cum ipso, quatinus gratiam non qualem qualem inveniat in oculis vestris, sed bonam, sed confertam, sed superagitatam et supereffluentem. Dico autem gratiam, non pecuniam. Hec enim juxta apostolum operanti reddatur secundum meritum. Pre ceteris hoc unum ad presens postulat, ut de manu vestra primitias clericatus, id est coronam accipiat. Hoc etenim signo accepto, magis se obligatum erga obsequium vestrum non immerito deinceps arbitrabitur, et vos tanquam plante vestre bonum jure providebitis. Credo per Dei gratiam quod alter de altero gaudebit, et Deo cooperante fructum salutis faciet. Diu siquidem laboravi, et monitis induxi, ut jugum in area Domini traheret, et glebas post ipsum confringeret. Valete, et de reditu vestro cum potueritis nos certificate.

Sirmondi *Opp. var.* III (epp. Petri l. 7, ep. 16). — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCII, p. 538. — Petrus, card. S. Chrysogoni, an. 1173 creatus est cardinalis; jam an. 1174 erat legatus in Francia. Vide supra n. 8.

---

24. *Petrus Blesensis Jocelinum episcopum Saresberiensem monet ut debitum annuum per nepotes suos, quos ipsi Parisios erudiendos mittere promiserat, solvatur. De educatione juvenum.*

C. an. 1160, Parisiis.

Venerabili patri ac domino Joc. Dei gratia Saresberiensi episcopo Petrus Blesensis salutem et veritatem. Certissime michi promiserat vestra benignitas, quod nepotes vestros infra natale Domini proximum erudiendos mitteretis Parisius, et per eos debitum, quod michi debetis, annuum solveretis. Expectans expectavi dominum meum, nec intendit michi.

Adhuc etiam promissam expecto gratiam, fortasse sicut Arthurum Britannia, sicut Judea Messyam. Donatio quidem gratuita prius fuit et liberalis; sed quia in promissione scripture vinculum intercessit, ut annuum fieret beneficium, gratiam et necessitatem debiti convertistis. Utinam nunquam fuisset hec pecunia, cujus exspectatio tamdiu animum meum torsit; in cujus spe ego diffusiores expensas faciens me debitis usurariis oneravi. Si simplex promissio precessisset, circumspectius expendissem, et usus fuissem leviter levi cibo. Nunc in libro experientie lego quam sancta et efficax sit eruditio evangelice veritatis : « Sit, inquit, sermo vester, est est, non non ; nam quod amplius est, a malo est ». Hoc malum nunc sentio, cui carta episcopi et vehemens ipsius assercio causam dedit. Verba tamen episcoporum, qui apostolorum filii sunt et heredes, vim juratoriam in se habent, ut in eis jusjurandum sit, quod est verbum simplex in aliis; et quod in aliis est simplex mendacium, perjurium et sacrilegium sit in illis. Attendite quid dicat doctor ecclesie[1] : « Numquid, inquit, levitate usus sum, aut que cogito, secundum carnem cogito, ut sint apud me est et non? » Promittentibus et non solventibus convenit vox illa Ysaie prophete dicentis : « Ecce vos ex nichilo, et opus vestrum ex eo quod non est ». Magna debet esse in promissione discretio; inanis enim promissio multotiens de familiaribus amicis sibi comparat inimicos. Porro si cogitatis vestris promissionibus stare, nec michi accepta nec vobis honesta est ista dilatio, testimonio poete :

Dilatio magna ruina est :
Et mora donandi non leve crimen habet.

« Ne dicas amico tuo, dicit Salomon, vade et cras revertere, et dabo tibi, cum statim possis dare ». Cras, cras, vox corvina est; nec deo, nec hominibus grata est promissionis iteratio frequens. Et hoc ipsum credo Salomonem sensisse, cum dicit : « Fili, ne iteres verbum in ore tuo ». Date igitur, reverende pater, voci vestre vocem virtutis, et affectus liberales effectus adimpleat, ne labia evangelio consecrata possit arguere mendacii carta concepta in testimonium veritatis.

Illud autem vehementissime reprehendo, quod nepotes vestros, qui se in castris scolaribus exercere debuerant, fovetis in deliciis, palpatis blanditiis; sciatis quod hec omnia exinanitio sunt virtutum et subversio honestatis. Adhuc vita eorum in incerto est, quia nondum bivium Pitagorice littere transierunt; ideoque magis expediret eis corripi quam palpari. Scriptum est : « Qui parcit virge, odit filium ». Hely cum filiis percussus est a Domino, eo quod filios suos minime correxisset : Dilexisti, dicit ei Dominus, magis filios tuos quam me. Hodie pro filiis, quos abstulit prelatis ecclesie Deus, habere nepotes in dissipationem patrimonii Christi et in sue salutis dispendium permittuntur. Perniciosa est circa minores blanda majorum remissio. Ideo dicit sapiens : « Filie tibi sunt, vultum hylarem ne ostendas eis ». Vestra benignitas eis ad omnes illecebras frenum custodie relaxavit. Ideoque vereor ne vita eorum in primo flore degeneret, sicut in Iob legitur : Ledetur quasi vinea in proximo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum.

1.

Porro enormiter peccat, seque vite aliene reum constituit, qui viros in etate tenera nimia familiaritate et suavibus verbis emollit. Cyrus Persicus[2], de quo ducentis et decem annis prius predixerat Ysaias : « Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, subiciam gentes » et regna, Cresum juxta Alim fluvium vicerat; cumque multe illum fecissent victorie gloriosum, quia tamen gentem Lidorum prius bellicosam fecit vacare comessationibus, ludis atque amplexibus, ut sic gentem eviraret acerrimam, a regina Massagetarum Tamari victus et occisus est : que cum illius caput in utrem sanguine plenum misisset : « Bibe, inquit, sanguinem, quem sitisti. » « Apprehendite, inquit propheta, disciplinam, nequando irascatur Dominus. » Arguite et docete diligenter nepotes vestros, ne causam insolentie prestet nimis blanda et familiaris affectio. Informentur, queso, ad opera honestatis, nesciant experientia, quid sit peccatum, omnisque turpitudinis occasio precidatur. Judas et Symeon, sicut in Judicum legitur, regi Bezech sive Adombezec, qui eos infestabat, summitates manuum absciderant. Sic et nos motus pubertatis prevenire oportet, atque iniquarum precidere primicias actionum. Isti sunt parvuli Babilonis, quos ad petram, que Christus est, oportet allidi. Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram. Scriptum est enim : « quia proni sunt sensus hominis ab adolescentia in malum ». Amputetis igitur prurientem in tenera etate maliciam, nam et spinarum plantaria facilius evelluntur, antequam coalescant.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 14764, saec. XIII. ineunt., fol. 41. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 51, p. 154.

1. S. Paulus II, *Cor.*, 1, 17. — 2. Ms. 14764 et ms. 2605, fol. 42, « Spartacus ».

---

25. *Petrus Blesensis R. archidiacono Nannetensi exponit de ingenio nepotum duorum suae institutioni commissorum, simulque docet nonnisi jactis probe fundamentis grammatices ad sublimiora studia progrediendum.*

C. an. 1160, Parisiis.

Karissimo domino et amico suo R. archidiacono Nannetensi, P. Blesensis, salutem et si quid melius est salute. Duos e nepotibus tuis michi erudiendos nudiustertius commisisti; alterum pueritie annos agentem, alterum plena integrum pubertate. Nunc autem per litteras tuas vehementer evehis et commendas majoris ingenium, et asseris te nunquam vene subtilioris hominem invenisse. Ideo supplicas et hortaris, ut circa eum tempestivius vigilancia magistralis appareat; leve namque estimas illi edificio manum suppreme consummationis apponi, cui aliena sollicitudo dederit incrementum. Verumtamen res in contrarium versa est. Melius enim spero de illius eruditione, qui ad me rudis et informis accessit, quam de alterius, cujus jam ex parte induruit vena, sibique quasi effigiem alieni doctoris impressit. Argilla et cera atque hujusmodi, que susceptioni forme et impressioni se offerunt, facilius et fidelius effigiantur ad imprimentis arbitrium, si nulla prius in se susceperint lineamenta formarum. Refert equidem Quintilianus in

libro de Institutione oratoris[1] Timotheum quendam celebrem in arte tibiarum, solitum duplas ab hiis mercedes exigere, quos alius docuisset. Duplex enim in talibus labor est : alter in eluenda doctrina minus commendabili, qua imbuti fuerant, alter in exhibenda scientia, que lucrum pariter generaret et famam ; egre namque dediscitur, quod didicit etas tenerior, quia

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu[2].

In jure etiam civili ex edilicio edicto veterana mancipia, que ad alienos mores informata sunt, reprobantur; et quandoque dubitabile fuit, utrum venirent in causam redibitionis. Nova vero mancipia favorabilia visa sunt, eo quod sint magis perceptibilia discipline et ad ministerium aptiora. Willelmum predicas subtilioris vene et acutioris ingenii, eo quod grammatice et auctorum scientia pretermisso volavit ad versutias logicorum, ubi non in libris, sicut solet, dialecticam didicit, sed in scedulis et quaternis. Non est in talibus fundamentum scientie litteralis, multisque perniciosa est ista subtilitas, quam extollis. Ait namque Seneca[3] : Odibilius nichil est subtilitate, ubi est sola subtilitas. Quid enim prodest illis expendere dies suos in hiis, que nec domi, nec militie, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicubi prosint alicui, nisi dumtaxat in scolis ? Seneca scribens ad Lucilium[4] : Quid est, inquit, acutius arista, et in quo est utilis ? Tale est, inquit, ingenium, quod sola subtilitate lasciviens nulla in se residet gravitate. Ycarus dum elatus iuvenili levitate fertur in celum, fluctibus marinis immergitur. Tales etiam dum se in artibus temere elevant, alliduntur. Quidam antequam disciplinis elementaribus imbuantur, docentur inquirere de puncto, de linea, de superficie, de quantitate anime, de fato, de pronitate nature, de casu et libero arbitrio, de materia et motu, de principiis corporum, de progressu multitudinis et magnitudinis sectione, quid sit tempus, quid inane, quid locus, de eodem et de diverso, de dividuo et individuo, de substantia et forma vocis, de essentia universalium, de ortu usuque et fine virtutum, de causis rerum, de refluxione oceani, de ortu Nili, de variis latentis nature secretis, de variis figuris causarum, que in contractibus vel quasi contractibus, maleficiis vel quasi maleficiis oriuntur, de primis rerum iniciis, et aliis quampluribus, que plenioris scientie fundamentum et eminentiores exigunt intellectus. Primicianda erat etas tenera in regulis artis grammatice, in analogiis, in barbarismis, in soloecismis, in tropis et scematibus, in quorum omnium doctrina Donatus, Servius, Priscianus, Ysidorus, Beda, Cassiodorus plurimam diligentiam impenderunt : quod equidem non fecissent, si sine hiis posset haberi scientie fundamentum. Nam et Quintilianus, qui hanc doctrinam tradit et tradendam asserit, tantis eam attollit preconiis, ut publice protestetur, sine illa scientie nomen non posse subsistere. Caius Cesar de analogia libros edidit, sciens hac sine scientia nec prudentiam, in qua perfectissimus erat, nec eloquentiam, in qua erat potentissimus, posse a quoquam facile optineri. Marchus Tullius, sicut ex ejus epistolis frequentibus

patet, ad artem grammaticam filium, quem tenerrime diligebat, diligenter invitat. Et que utilitas est scedulas evolvere, firmare verbotenus summas et sophismatum versucias inversare, dampnare scripta veterum et reprobare omnia, que non inveniuntur in suorum cedulis magistrorum? Scriptum est, quia in antiquis est scientia. Nec Jeremias de lacu educitur, donec in funibus ei submittantur vestes veteres et attrite. Nam de ignorantia ad lumen scientie non ascenditur, nisi antiquorum scripta propensiore studio relegantur. Gloriatur Jeronimus se scriptis Origenis operosior institisse. Oracius[5] quoque jactitat se relegisse Homerum,

> Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Planius et melius Crisippo et Crantore dicit.

Scio michi plurimum profuisse, quod cum in arte versificatoria parvulus erudirer, precipiente magistro michi materiam non de fabulis, sed de historiarum veritate sumebam. Profuit michi, quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi, stili elegantia et suavi urbanitate precipuas, firmare et corde tenus reddere adolescentulus compellebar. Præter ceteros etiam libros, qui celebres sunt in scolis, profuit michi frequenter inspicere Trogum Pompeium, Josephum, Suetonium, Egesippum, Quintum Curtium, Cornelium Tacitum, Titum Livium, qui omnes in historiis, quas referunt, multa ad morum edificationem et ad profectum scientie litteralis interserunt. Legi et alios, qui de historiis nichil agunt, quorum non est numerus, in quibus omnibus quasi in ortis aromatum flores decerpere et urbana suavitate loquendi mellificare sibi potest diligentia modernorum. Nolite ergo ulterius allegare subtile Willelmi vestri nepotis ingenium; nec michi imputetis ad culpam, si modico tempore non proficit ad perfectum. Purgatur enim egrotus, antequam dietetur; et juxta sententiam Timothei, qui de aliorum discipulis retributionem laboris sui duplicem exigebat, inutilia prius evellenda sunt, ut utilia inserantur. Nam in mercurialibus nuptiis philologia inutilis scientie libros evomit, antequam in eminentiam dignitatis optate mereatur assumi. Vereor siquidem, ne nimis vera sit assertio Tymothei. Johannes enim Willelmum quodam discendi compendio jam precedit, caput in caudam vertitur; et si Johannes in proposito perseverat, junior primogenitum, et Jacob Esau supplantabit.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14764, fol. 85b. Superscriptio : « Qualiter pueri sint erudiendi ». — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 101, p. 311.

1. L. II, r. III. — 2. Hor., l. I, ep. 2. — 3. Ep. 88. — 4. Ep. 82. — 5. L. I, ep. 2.

---

26. *Petrus Blesensis invehitur in quemdam discipulum suum, qui cursu liberalium artium confecto non ante cogitabat theologiae operam dare, quam per biennium in otio consumpsisset.*

C. an. 1160, Parisiis.

Missione usus minus legitima et honesta tanquam transfuga et desertor castra scolaris militie dimisisti, et de labore quietissimo te in laboriosissimum otium contulisti. Preceperam tibi ut discipulo, consulueram ut amico, quatinus continuata instantia studiorum

imperfectum tuum produceres in plenitudinem, de discipulo ascenderes in magistrum. Respondes te in disciplinis liberalibus diutius laborasse tuumque propositum esse, antequam theologicas difficultates expugnes, biennio respirare. Utinam huic desiderio aut potius desidie et defectui tuo vicennium aut tricennium prescripsisses! Defectui dico; nam defecit in salutare tuum anima tua, michique satius videretur hominem, qui semita dampnate opinionis incedit, negocium honestatis prorsus omittere, quam differre. Sancti quidem et honesti propositi dilatio magna ruina est. Nunc docibilis, in provectiori etate capax doctrine non eris, ideoque in presenti articulo, quod differtur aufertur. Verbum prophete est : Populus hic dicit : nondum tempus est edificandi domum domini. Miserrime, cur opus commendabile in biennium differs? Forsitan cras non eris. Sapiens dicit : Quidquid potest manus tua, cum instantia operare. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. In litteris tuis legi : « Vacabo michi et libris meis, et in camera mea ero michi discipulus et magister : numquam quievi, semper laboravi; nunc laborem convertam in ocium et quietem. » Frater, utinam saperes et intelligeres, et inter ocium et quietem discerneres! Audisti quietem Domini; quievit enim ab omni opere, quod patrarat. Verumtamen eius ocium non legisti. Legitur quia ociositas inimica est anime. Animus namque qui ad ocia resolvitur roditur inanibus curis, ac testimonio Salomonis : « desideria rodunt pigrum ». Eodem docente, stercoribus boum, id est turpi increpatione, lapidandus est piger.

> Cernis ut ignavum corrumpunt otia corpus,
> Et capiunt vicium, ni moveantur, aque[1]?

Flaccus dicit :

> . . . . Si non
> Ante diem posces librum cum lumine, si non
> Intendes animum studiis et rebus honestis,
> Invidia vel amore vigil torquebere[2].

An queris experimentum hujus rei?

> Queritur, Egistus quare sit factus adulter;
> In promptu causa est : desidiosus erat[3].

Teste Ieronymo peccatum Sodome fuit ociositas et habundantia panis. Lex etiam de sacrificiis precipit, ut bos offeratur in ostio tabernaculi; quia qui laborant in agro dominice culture, libere possunt celeste tabernaculum introire. Cur causaris studiorum laborem, et ad ocium toto corde suspiras? Labor scolasticus ocium est, sed ocium negociosum, et quod animum reddit ad honesta sollicitum. Unde scriptum est : « Sapientiam scribe in ocio, et qui minorantur actu, invenient eam ». Ideo discipuli esurientes fricabant spicas in die sabbati; in quo notatur utilium sententiarum discussio, que mente quieta diligencius procuratur. Sic ingreditur homo sepulchrum in habundantia, quia absconditus a conturbatione hominum, foris quidem minuitur, sed interius fructu spiritualis studii inestimabiliter reficitur et ditatur. Sic in Ezechiele : « Porta atrii interioris, que respicit ad orientem, clausa est sex diebus, in quibus opus fit; die autem sabbati aperiatur ». Qui

enim a terrenis vacant, spiritualium noticiam facilius assecuntur. Vacate, inquit, et videte, quoniam ego sum Deus. Ideo Martha turbatur erga plurima; Lye oculus lippitudine prepeditur; Maria vero cum Rachele partem optimam elegit, et Jacob dum requiescit in Bethel, celestium misteria comprehendit. Hoc est ocium sanctum, ocium studiosum. Verumtamen ocium vocas, non vigilare, non legere, vacare commessationibus, resolvi ad carnis illecebras, torpere sompno et potibus indulgere. Timere debueras vocem Domini super tali ocio irascentis : « Neomenias, inquit, vestras et sabbatum non feram. Ocia et sabbata et festivitates vestras odivit anima mea ». Luget etiam super animam ociosam propheta dicens : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus ». Verbum beati Ieronymi[1] est : « Otium sine litteris mors est, et vivi hominis sepultura. » Miser, quicquid longo tractu temporis didicisti, biennale spatium exsufflabit, et illa logices ventosa loquacitas, qua tumescis, sicut visio nocturna, et sicut sompnium avolabit. Putas, quod in pace et quiete sit pax mentis? Habebis forsitan pacem, sed amarissimam. Pacem, scio, reputas te habere, in loci habitatione solitudinem, in carnis exhibitione sollicitudinem : et ecce in pace tua amaritudo amarissima. Qui enim curam carnis in deliciis agit, tormenta conscientie accusantis patitur, et semper hostem domesticum secum gerit, sicut sapiens dicit. Solitudo quam desideras, subversio est virtutum. Ve soli, quia, si ceciderit, non habet sublevantem. Solitudo Amnon fratrem Thamar ad incestuosum sororis sue concubitum provocavit. Solitudo est, que virum fortem fortissime precipitat in reatum; ea enim mediante honestas impudicitie arma sua reddit, degenerat sanctioris vite propositum, et odorifere opinionis gloria dampnabiliter evanescit. Dum Parisius operam studiis dabas, publice dicebatur quod in hac humana conversatione te angelum exhibebas. Vereor ne qui de homine in angelum transieras, de angelo in hominem revertaris. Nam juxta sententiam veritatis, spiritus immundus ambulans per loca deserta et arida, et non inveniens requiem, apud quiescentem in ocio quietem invenit assumensque septem spiritus nequiores se domum vacantem et scopis disciplinalibus mundatam invenit, vacantem occupat, ac novissima hominis illius in pejora convertit. Diu te invitavi ad scolarem militiam, diu clamavi et laboravi clamans, ne abhorreas hunc laborem. Vere laboravi. Suadere enim et non persuadere, hoc labor est ante me. Sane laborem et duritiem theologice facultatis non debueras abhorrere; scolastici namque hominis labor non est in operibus, sed in verbis, et ut verbo Salomonis utar : « Omnis labor hujusmodi hominis in ore ipsius. » Certe precepta sua sciri et custodiri vult Dominus cum labore : nam et ipse est, qui fingit laborem in precepto. Unde et justus scire atque custodire desiderans verba et precepta, que de labiis altissimi processerunt, dicit propheta : « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras ». Adhuc rogo, ne timeas aut differas hunc laborem. Effeminari quidem ocio, et torpere pigricia nichil aliud est, quam suffocare virtutem, nutrire superbiam viamque construere ad gehennam. De his dicitur : In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia. Procul dubio, qui non flagellantur tempo-

raliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum demonibus; et qui cum hominibus non laborant, cum demonibus laborabunt.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14764, fol. 6ᵃ, ubi superscriptio : « Cuidam qui se excusabat a scolis »; ms. lat. 2605, fol. 7ᵇ. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, op. 9, p. 24.

1. Ovid. *Pont.* I, 5, 5. — 2. Hor., l. I, ep. 2, non omnino ad verbum. — 3. Ovid. *Remed.* 101. — 4. Potius Seneca, ep. 82.

---

27. *Petrus Blesensis cuidam socio scribit se, deserto juris civilis studio, theologiae Parisiis operam dare; juris civilis studium et usum propter maximos advocatorum abusus non convenire clericis.*

Circa an. 1160.

Domino suo G. et karissimo socio suo Petrus Blesensis salutem. In epistolari salutatione ferventior extitisset nostra devotio, nisi vel invida michi locorum distantia vel raritas intermeantium contrairet. Vicarias ergo salutationes presens et nunquam intercisa suppleat affectio : cumque civilis possessio corporalem assistentiam non mendicet, me, licet remotum, propinquiorem habetis, et fortius possidetis absentem; nec interstitium locale corporumve remotio, vel temporum intercursus robur dilectionis evacuat. Quod si de verborum obligationibus legem primam attenditis, intervallum medii temporis obligationem non viciat. Vester vobisque devotissimus operam theologie Parisius indulgeo, Bononiensis castra milicie crebro suspirans, que vehementer cicius et premature deserui. Legimus tamen de usu et usufructu legato, quod fructuario liceat maturitatem fructuum prevenire; soletque ex olivis citra maturitatis tempora uberior olei copia emanare. Currens ergo ad oleum, quod Aaron cum laganis jubetur offerre, leges seculi saluto ad tempus, nec peccatoris oleum me impinguet. Lex enim Domini lex immaculata, convertens animas : meque prevaricatorem legis divine constituerem, nisi cum qualiquacumque theologie notitia, nisi cum pugillo simile thus offerrem. Lex equidem secularis gloriosa supellectili verborum, lepideque orationis urbanitate lasciviens me vehementer allexerat et inebriaverat mentem meam. Sed abhorret propheta aureum calicem Babilonis, ubi designatus est lepor eloquentie edificans ad gehennam. Adhuc tamen, quia nondum dilatavi gressus meos in lege domini, lectioni Codicis et Digestorum plerumque ad solacium, non ad usum, tempus vacationis impendo[1]. Res plena discriminis est in clericis, usus legum : totum enim hominem adeo sibi vindicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet, suspendat a spiritualibus, a divinis avellat. Ideo Joannes Crisostomus, sicut tripartita refert historia, licet scientia civili et facundia preemineret, noluit tamen ad instantiam amicorum gerere officium advocati. Periculosum est ita legibus humanis se impendere, ut mens per horulam a divine legis meditatione jejunet. Nemo simul potest precari et orare, petere et postulare, exercere Christi ministerium et officium advocati, ne, dum in utroque festinat, neutrum bene peragat. Non inficior : bonum est scire leges, sed non ad questum, non ad iniquum

juris compendium, sed ad adquisitionem veritatis et judicii equitatem : si forte me aut alium aliquando oporteat esse judicem aut judicis assessorem. Hodie soli avaricie militant patroni causarum : illudque quondam venerabile nomen et gloriosa professio advocati notabili venalitate vilescit, dum miser et perditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones violat, retrectat transactiones, privilegia frangit, et in capturam pecunie pedicas et retiacula tendens, jura omnia intervertit. Ideo constitutio imperialis ab officio postulandi removet litium redemptores. Jure autem pretorio atque interpretum in prevaricantes vel alias delinquentes pene extraordinarie statuuntur. Debuerat advocatus, quod gratis acceperat, gratis dare, advocare pro pupillo et vidua, pro utilitate reipublice, pro ecclesie libertate, nichil exigens, sponte oblata suscipiens, eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum. Fructuosius ei esset salarium modicum et honestum, quam sinum inexplebilis avaricie per fas et nefas extendere in immensum; nam melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Si talentum scientie sibi a Domino commodatum sponte et gratis expenderit, non est abbreviata manus Domini, ut ei respondere ad meritum, et ampliora etiam conferre non possit. Hoc igitur secure commodet patri orphanorum et judici viduarum; ipse enim promissor est magnificus, et munificus retributor.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14764, fol. 25b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 26, p. 91. Cf. *Hist. litt. de la France* XV, 383.

1. Mss. lat. 2604. 2605 epistolam hic absolvunt.

---

28. *Petrus Blesensis scribit magistro Ernaldo, se emisse Parisiis libros legum pretio numerato sed non abstulisse, quos tamen alius majori pretio numerato abstulerit. Arguit libros illos, licet sibi traditi non sint, ab alio emi non potuisse.*

Circa an. 1175.

Karissimo socio et amico magistro Ernaldo P. Blesensis Bathoniensis archidiaconus salutem. Cum dominus rex Anglorum me nuper ad dominum regem Francorum nuncium destinasset, libri legum venales Parisius oblati sunt michi ab illo B. publico mangone librorum. Qui cum ad opus cujusdam mei nepotis ydonei viderentur, conveni cum eo de precio, et eos apud venditorem dimittens, ei precium numeravi. Superveniens vero C. Saxeburgensis prepositus, sicut audivi, plus obtulit, et licitatione vincens libros de domo venditoris asportavit. Quoniam igitur ad eum qui me misit, redire maturius me oportet, vosque moram facturus estis Parisius, plenissimam habens in vestra discretione fiduciam, vobis predicti procurationem negotii committo : aut si Parisius moram aliqua vobis necessitas interdicit, magistro Hugoni Januensi sub litterarum mearum testimonio negotium committatis. Cum enim ratione civili negotiis alienis exactissima diligentia

debeatur: scio quod si presenti cause, cui plurimum assistit equitas, sollicite impenderitis procurationis officium, intentio vestra cum honore et fructu veniet ad effectum. Nam licet rei vendite aut donate aut ex causa relicti debite non soleat sine traditione transferri dominium, hic tamen habeo utilem actionem in rem per quam contendo libros michi exhiberi et tradi. Et ad hoc facit lex illa Digestorum ad municipales, de jure omnium incolarum, et lex tertia Dig. de liberis exhibendis. Sed et libertum meum, cujus possessionem nunquam habui, sic peto : item et filium meum adjecta causa ex jure quiritum; item civis aut civitas decurionem suum, ut in Institutionibus de actionibus, § Prejudiciales, et Digestis De rei vendicatione, lege prima, § Per hanc; Codice De agricolis et censitis, lege « quisquis » et lege « omnes ». Eodem De colonis Tracensibus; eodem De fugitivis colonis; De agricolis etiam et mancipiis lege ij et iij. In hiis omnibus michi vendico rem, cujus possessionem nunquam nactus sum. Sed nec in omnibus hiis traditionis aut possessionis fit mentio. Nam et libertum petam non traditum aut possessum. Alioquin quid fiet si statim post manumissionem se contendat ingenuum? Aut si jus patronatus emerim a patrono? Etsi non possederim, tamen ago. Nam etsi pater michi assignaverit libertum, citra omnem traditionem et possessionem patre mortuo ipsum peto. Item, si debitor erat paratus solvere, deinde convenit ut retineret pecuniam in causam crediti, contrahitur mutuum, quia creditor intelligitur recepisse et illi dedisse, ut Digest. De rebus creditis, lege « singularia. » Expressa similitudinis forma videor libros ab emptore recepisse, et in causam depositi dimisisse. Preterea traditio alia est vera, que fit interveniente corporali actu: unde dicitur, traditionibus et usucapionibus rerum dominia adquiruntur, ut Codice De pactis, lege « traditionibus ». Alia fit per fictionem juris civilis, fit etiam per constitutionem, ut Codice De donationibus, lege « quisquis », Dig. De rei venditione, lege « mulier », et Digest. De adquirenda possessione, lege « interdum ». Alia fit per celeritatem unius actus, qui alium occultat, ut Dig. De donationibus, lege « hec ratio » § Sciendum, in medio paragraphi. Alia fit ex appositione custodis, ut Dig. De adquirend. possess., lege « quorumdam ». Hac brevi delibatione usus sum, non ut vos instruam, qui estis in jure civili precipuus, set ut ad subtiliora vos excitem. Informe principium vos informabit ad optima, scriptum est enim : Da occasionem sapienti et sapientior erit; nam et rivulus ex cursu continuo in magnum plerumque stagnum exuberat, et scintilla incendii ventorum suffragio se porrigit in immensum.

Bibl. nat. Paris. mss. lat. 14764, fol. 56b; 2605, fol. 62b, ubi sicut in edd. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 71, p. 219.

5.

29. *Petrus Blesensis amico duas quaestiones proponenti respondit eum debuisse interrogare Parisios, ubi difficilium quaestionum nodi intricatissimi resolvuntur.*

Post an. 1175.

Petrus Blesensis Bathoniensis archidiaconus dilecto socio et amico R. salutem, et si quid melius est salute. Nuper in conflictu scolastico quedam questiones, sicut asseris, deducte in medium tuum animum in dubio suspenderunt. Eas michi proponis earumque solutionem cum instancia petis. Verumptamen cum sis in scolis, ego autem in castris, et cum jam biennium in legibus et decretis expenderis, vereor ne temptative hoc facias ut sic me in simplicitate mea callide comprehendas. Poteram tibi dicere, quod prudens illa mulier Joab querenti caput Sibe legitur respondisse : « Proverbium est, inquit, ut qui interrogant interrogent in Abela. » Qui interrogant interrogent Parisius, ubi difficilium questionum nodi intricatissimi resolvuntur. Questionum, quas proponis, solutionem apud eos facilius invenire poteris, qui in talibus se exercent. Ego tamen, quod scio, non invideo tibi; utinam voluntaria oris mei beneplacita tibi faciat Deus, ut questiones quas proponis, etsi non ad orationem, saltem ad hominem possint solvi. Michi autem sufficere credo, si solutionem quam daturus sum, unius legis aut canonis auctoritate firmavero. Queris de muliere.....

Biblioth. nat. Paris. mss. lat. 14766, fol. 19b; 2605, fol. 17b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 19, p. 69.

---

30. *Petrus Blesensis ad Thomam Glocestriae abbatem. Odonem de Sully in episcopum Parisiensem ex cantore Bituricensi electum, qui Parisiis scholas frequentabat, laudibus extollit.*

Circa an. 1196.

Reverendo patri et domino Th.[1] Dei gratia Glocestrensi abbati, Petrus Blesensis Bath. archidiaconus, salutem in eo sine quo non est salus. Queritis, utrum novum hunc Parisiensem episcopum noverim, et quid de vita et moribus ejus sentiam, aut quid de ipsius electione audierim, vobis scripto petitis aperiri. Curiosi hominis est ista inquirere; sed scio quod vestri domini Henrici, beate memorie, nuper Wigorniensis episcopi[2], amor et devotio ista inquirere vos compellunt. Scitis enim, quam placide, quam devote totus spiritus ejus requiescebat super Odonem[3] cantorem Bituricensis ecclesie, eratque in votis et deliciis ejus ipsum cum fratre suo Bituricensi archiepiscopo, quotiens se offerebat opportunitas, multiplici preconio recensere. De vita ipsius quod novi, de ipsius autem electione referam quod audivi. Mauricio[4] pie recordationis exempto de corpore mortis hujus, Parisiense capitulum de alterius substitutione tractabat. Erant quidam filii et heredes Symonis Magi, qui licet religionis professores, multorumque inveterati dierum, cum pecuniis tamen, quas congregaverant propter hoc a diebus antiquis, se ad nundinas illius electionis

accinxerant, et per quosdam Giezi successores titulum de contrahenda emptione frequentius tractabant. Porro in tam electa congregatione prudentum versutia mercalis elusa est, et illis, qui sola licitatione optinere sperabant, tanquam stipitibus veternosis sterilibusque rejectis, ducti odore Odonis quasi agri pleni, cui benedixit Dominus, eum sibi communi assensu pontificem rapuerunt in exultatione universe terre. Conglorior ejus glorie, si qua tamen ejus gloria intelligi potest, quem ad cathedram traxit invitum publicus favor communisque devotio. Electus quippe est votis omnium sed non suis, et commendabili quadam intrusione adeptus est dignitatem, que tanto eum sequebatur instantius, quanto eam humilius fugiebat. Circa primicias studiorum ejus et tirocinia militie scolaris adhuc infirma et rudia novi eum, et devote dilexi Parisius, ubi magis unctione quam eruditione magistra puer litteras rapiebat. Nam inter exercitia liberalium facultatum doctrina celestis meliora ei karismata influebat. Propterea super senes intelligens, pueritie dies antiquabat moribus, tempora preveniebat meritis, et quod deerat etati, virtutibus compensabat. Sepe retulit michi secretius Petrus de Verno quidam pedagogus ejus, discipulus autem et familiaris meus, quam sollicite, quam devote, occulte tamen et raptim, se in operibus pietatis adhuc puerulus exercebat. Elemosinas vero frequenter condiebat lacrimis, et pietatis adipe holocausta misericordie impinguabat. Pueritiam salutaverat, cumque jam in ejus facie pubescentis adolescentie lanugo vernaret, sedem apostolicam visitavit, eo scilicet tempore, quo Gregorius octavus successit Urbano [5]. Eram tunc in curia, et vidi, nec invidi, quod honor ei a summo pontifice patribusque conscriptis exhibitus non multum inferior episcoporum reverentia videbatur. Sane Spiritus bonarum mentium institutor virtutum plantaria in eo multiplicabat usque in virum perfectum. Videns autem que a Deo donata sunt ei, cepit supererogare collatis. Cumque vas suum in santificatione et honore ab infantia possedisset, insolentiam tamen carnis et extraordinarios ejus motus quadam preeminentie auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, jejuniis, disciplinis ancillari cogebat. Sciebat enim continentiam optimam esse balsami speciem, qui carnem a corruptione conservat. Alii currentes ad diripiendam predam hujus seculi, questum reputant pietatem; iste vero uberem redditum, quem in Anglia possidebat, prudenti consideratione dispersit, dedit pauperibus, tresque scolares indigos quidem sed industrios et honestos propria exinanitione ditavit. Sed fidejussor pauperum Deus aliud ei beneficium tempestivum non sine magna fenoris accessione redibuit; et quia super pauca fidelis fuerat, eum supra multa constituit. Qui ergo sicut lignum, quod ad humorem mittit radices, in ecclesia Bituricensi fructificari ceperat, nunc Parisius a Domino transplantatur, ut fructum plus afferat, ut lucerna super candelabrum posita gloriosius cunctis irradiet, cujus lumen sub humilitatis modio sollicitus a communis fame palpebris abscondebat. In episcopum denique consecratus nomen suum, sicut publice dicitur, operibus interpretari non cessat, fidelisque sequester inter Deum et homines vota populi offert, et populo gratiam Dei refert, vigilantia jugi reducens in viam justitie, quos inde versutus impostor abduxerat. Bituri-

censis archiepiscopi[6] frater atque de illustrissimis principibus trahens originem : hinc regis Anglie consanguineus, inde Francorum regem linea generis propinquiore contingit; sue tamen fastigium parentele nobiliore quadam animi generositate fastidit, et ex ipsius contemptu judicio eorum, qui rectius sapiunt, sui generis eminentie plurimum superaddit.

Biblioth. nat. Paris. mss. lat. 14764, fol. 104; 3605, fol. 96[b]. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCVII, ep. 126, p. 375.

1. In ms. et in edd. legitur R. Ast ab anno 1179-1205 abbas monasterii S. Petri Gloucestriae fuit Thomas antea prior Herfordiae. Cf. *Historia et Cartular. mon. S. Petri Glouc.* ed. Hart I, 22. In ms. lat. Paris. 2605, fol. 96[b], deest R. — 2. Henricus de Sully episcopus Vigorniensis anno 1195 mortuus est. — 3. Odonem de Sully, qui anno 1196 electus est in episcopum Parisiensem, et defunctus 13 Julii an. 1208. Vide *Œuvres de Rigord et de Guillaume le Breton*, éd. Delaborde I, 136 sq. 165. — 4. Episcopo Mauritio de Sully, qui erat consecratus in episc. Paris. inter 17 Oct. et 30 Novemb. 1160, et obiit 11 Sept. 1196. Ejus sermones in multis mss. conservantur (cf. Lecoy de la Marche, *La Chaire française au moyen âge*, 2e éd., p. 520). Antequam erat episcopus Paris., theologiam docebat in scholis Parisiensibus teste Johanne Cornubiensi in suo *Eulogio ad Alexandrum III*. Martène, *Thes. nov. anecd.* V, 1669. — 5. 21 Octob. anno 1187. — 6. Henrici I de Sully.

---

31. *Senatores Romae commendant Ludovico VII regi Francorum civem Romanum Johannem Felicis Parisiis studiorum causa degentem.*

1164, Januarii 4, [Romae].

Senatores Urbis urbium illustri et prudenti viro Ludovico Francorum regi amico eorum carissimo salutem et dilectionem. Super benignitate vestre regie majestatis ac liberalitatis nos nostrique cives valde confidentes nobiles cives nostros clericos causa liberalium studiorum in terram vestre ditioni subditam summa spe dirigimus. Inter quos quendam generosum civem nostrum Joannem Felicis apud Parisius litterali studio commorantem, quem honestum Romane ecclesie clericum scimus, vestre regie benignitati valde commendamus, precantes nimium vestram liberalitatem, ut ei pro nostro et Urbis amore in his, que eum oportet, honorem et auxilium conferatis, quoniam a nobis suisque optimis consanguineis, quibus in Urbe plurimum pollet, vestri fideles in Romana patria dignam vicem et congrua si oportuerit recipient premia, vobisque laudes et grates magnas referemus. Missa iv die Januarii indictione xij.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 714. — Bulaeus II, 302. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 77. — Ad Ludovicum VII istae et quatuor sequentes epistolae directae sunt.

---

32. *Jordanus Petri Leonis consul Romanorum eundem Johannem Felicis Ludovico VII commendat.*

1164, [Romae].

Domino Ludovico illustrissimo Francorum regi Jordanus Petri Leonis consul Romanorum salutem et perpetuam amicitiam. Quia plurimum de vestra probitate confidimus, vos quantum possumus rogamus pro quodam discipulo dilectissimo nostro consanguineo, qui est ordinatus Romane curie, nomine Joannes Felicis, qui Parisius in scolis

moratur, ut amore nostro et servitio eum diligatis et manuteneatis, ut vobis debitores magni servitii semper simus.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 716. — Bulaeus, II, 302. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 77.

---

33. *Aliqui consules Romanorum commendant Ludovico regi Francorum quemdam Romanum Parisiis studii causa moraturum.*

C. 1164, [Romae].

Glorioso et magnifico domino Ludovico Dei gratia Francorum regi Johannes Petri Leonis et P. Ovic. ac Grat(ianus) Omnipotentis gratia Romanorum consules salutem et solium regni per multos annos feliciter gubernare. Amorem, quem vestra regia domus ex ipsa antiquitate cum nostris antecessoribus habuit, ad memoriam reducentes, liberalitatem vestram multis et verissimis relationibus cognoscentes, plurimum siquidem de magnitudine vestra confidentes facit, et pro consanguineis nostris vos rogare minime dubitamus, optantes aliquid facere, quod in conspectu vestre serenitatis gratum et dulce habeatur. Sane nihil est unquam, quod nos magis agere delectet, quam vestris voluntatibus obedire, et pro vobis tanquam pro carissimo domino modis quibus possumus facere. Hac igitur spe certi in regnum vestrum quendam carissimum filium nostrum Ovic. nomine in litterarum studio Parisius moraturum direximus. Pro quo magnitudinem vestram attente rogamus, quatinus nostro amore et interventu eum taliter commendatum si placet habeatis, ut vobis et vestro regno omni tempore tam nos quam nostri omnes consanguinei fideles esse valeamus, et in negotiis vestris cum expedire videbimus merito studere possimus.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 717. — Bulaeus, II, 302. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 78.

---

34. *Wido Mainfredi et Manfredus commendant Ludovico regi Francorum clericum quemdam litteratum Parisios quasi ad catholicae fidei arcem festinantem.*

1162-1167.

Ludovico Dei gratia Francorum regi semper augusto Wido filius Mainfredi et Manfredus filius Pizi sui per omnia fidelissimi, se ipsos et si quid sunt, id totum quod sunt. Ideo regibus debitus et indebitus honor impenditur, debitum et indebitum obsequium exhibetur, quia etiam quod sibi a subjectis et obnoxiatis jure offertur, cumulatiori solet retributione regia celsitudo pensare. Si quando igitur parentes nostri vel nos obsequium vestre serenitati condignum exhibuimus, id novimus quasi in thesauro vestre liberalitatis reconditum nulla posse oblivione deleri, potius id credimus quasi unicum nostre calamitatis solatium nobis et nostro sanguini diligenter custodiri. Patrimonia siquidem nostra

quanta fluctuatione quantave tyrannide nunc opprimantur, vestram regiam celsitudinem nequaquam latere credimus. Etenim usque adeo grassantis tyrannidis invaluit persecutio, ut nec etiam patentibus nostris viris ecclesiasticis fidem Romane ecclesie et beatissimi pape Alexandri obedientiam servantibus subvenire nec aliquid subministrare audeamus. Proinde nepotem nostrum nomine Al. clericum litteratum et omni honestate conspicuum Parisius quasi ad catholice fidei arcem festinantem vestre serenitati committimus et commendamus : rogantes et obnixe supplicantes, quatinus Dei amore et nostro prestiti etiam aliquando obsequii intuitu ei in suis necessitatibus ita regia liberalitate provideatis, ut exinde et Deum remuneratorem habeatis, et nos nostrisque generis omnes vobis comparetis debitores.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 708. — Bulaeus, II, 301. *Rec. des Histor. des Gaules* XVI, 78.

---

35. *Quidam lantgravius mittit ad Ludovicum Parisios duos filios, quos litteras discere proposuit.*

[Anno 1162?]

Regi Francie Ludovico Dei gratia Lantgravius[1] devotum servitium cum sincera dilectione. Quod hactenus nullam vestri notitiam habuimus, satis moleste ferimus : super quod majestati vestre deinceps servitiis nostris tam jocosis quam seriis notificari volumus, et vestre voluntati super omnia respondere cupimus. Filios enim meos omnes litteras discere proposui, ut qui majoris ingenii necnon majoris inter eos notaretur discretionis, in studio perseveraret. Ex his vero duos ad presens nobilitati vestre mittere proposui, ut vestro juvamine necnon vestra defensione Parisius stabilius possent locari, ita tamen, ut salva pace vestra pro discordia[2] que est inter vos et imperatorem hoc secure peragere possim. Sicut enim absque medio hamus et capit et capitur, tali modo scimus quod quidquid super hoc nobis mandaveritis, illud omni dubio remoto aggredi audemus, qui non hoc immutabitis.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 704. — Bulaeus II, 302.

1. Quisnam lantgravius iste sit, non exprimitur. Videtur tamen mentionem fieri lantgravii Thuringiae, et quidem Ludovici II (1140-1172), qui quatuor filios habuit (Ludovicum, Henricum, Hermannum, Friedericum), quorum ultimus destinatus erat ad vitam clericalem. Vide *Annales Reinhardsbrunnenses*, ed. Wegele, p. 32. — 2. De alia discordia hic tractari vix potest, quam de illa quoad legitimum papam. Ludovicus VII ab Alexandro III, Fridericus I a Victore IV stetit. Maxime hoc apparuit an. 1162.

---

36. *Garinus prior S. Albani Richardo de S. Victore suum fratrem Matthaeum commendat.*

1162-1173, [Sancti Albani].

Venerabili amico et merito honorabili Ric.[1] priori de Sancto Victore G.[2] prior ecclesie Sancti Albani salutem et debite dilectionis affectum. Quia petitiones meas jampridem cure

vestre delegatas diligenter prosequi studuistis, presentem ceteris annecto. Precibus igitur meis, ut mos vester permittit, inflectimini et latorem presentium fratrem meum M.[3] suscipiat dilectio vestra meo intuitu commendatum, et in quo necesse habuerit, si vestrum adstipuletur consilium, ut vobis habeam multiplitiores gratiarum actiones. Munusculum, quod vobis ex parte mea porrigendum transmisi, dignanter vestra dilectio suscipiat, et potius mittentis affectum, quam missi attendite parvitatem. Valete.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 749. — Bulaeus, II, 304.

1. Richardus de S. Victore, anno 1162 electus in priorem, anno 1173 obiit. — 2. Garinus anno 1183 electus est abbas S. Albani (cf. Walsingham, *Gesta abb. monast. S. Albani*, ed. Riley, I, 194), postquam officium prioratus in eodem monasterio obtinuerat. — 3. Frater germanus Garini erat Matthaeus. Vide Walsingham l. c.

---

37. *Garinus prior S. Albani gratias agit Richardo de S. Victore ob servitia fratri suo Matthaeo in partibus Paris. amore scientiae peregrinanti praestita.*

1162-1173, [Sancti Albani].

Venerabili amico suo et merito honorabili Ric. priori de S. Victore suus G. prior ecclesie Sancti Albani salutem et affectum debite dilectionis. Quia fratris mei M. qui in partibus vestris amore scientie peregrinatur, tam singulari gratia, tam peculiari liberalitatis prerogativa proventum curastis, gratias habeo dilectioni vestre; nec quid amoris et obsequii vobis animus meus promittat, muti facile valebunt apices explicare. Sed utinam eveniat, ut quo vos amplector affectu, operis executio viva voce loquatur. Quomodo enim benignitatem, quam sibi a vobis collatam memoratus Matheus predicat, ab eminentia vestra possem sperare, a quo prorsus nihil merui? Cerno siquidem plane, quam amatorium illud Catonis tenaci memorie prudentia vestra commendaverit: si vis amari, ama. Restat igitur, ut quod tam fertili principio inchoastis, talari supervestire velitis tunica. Mihi autem etsi recompensandi desit effectus, non deerit tamen affectus. Hocque modicum munus non pro munere, sed ad amoris indicium vobis transmitto, vicissim postulans ut scriptorum vestrorum mihi rescripto occasione inventa nomina innotescant. Ego autem curabo ut si exemplaria non desint, scientie vestre thesauro Anglia nostra resplendeat.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 747. — Bulaeus, II, 304.

---

38. *Idem ad eundem circa idem negotium.*

1162-1173, [Sancti Albani].

Venerabili domino et amico magistro R. priori de Sancto Victore suus G. prior ecclesie Sancti Albani salutem et sincere dilectionis integritatem. Habeo vobis gratias quante sunt indicibiles, quod gratie vestre fratri meo Matheo tam copiosus fructus arrisit. Metiorque ex illis impensis, quanta vobis debeam latorem presentium nepotem

meum securitate commendare. Precor igitur, ut benignitas, que in altero precessit, se ad utrumque extendat, et geminata caritas me vobis multipliciter reddat obligatum, et ut cumulato assurgam gaudio, aliquid mihi voluntatis vestre dilectio vestra remandet, quo mei experimentum capiatis amoris. Valete.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 747. —Bulaeus, II, 304.

---

39. *Gratianus Petri Leonis Romanorum consul abbati S. Victoris gratias agit ob favorem suo fratri Hugoni Placentino episcopo praestitum.*

1155-1164, [Romae].

Venerabili patri et domino R.[1] Sancti Victoris reverendo preposito et universo ejusdem ecclesie conventui sanctissimo Gratianus Petri Leonis Romanorum consul salutem et plene dilectionis servitium. Ex quo venerabilem fratrem meum et dominum Hugonem Placentie episcopum in vestro collegio suscepistis, doctrina et ordinis vestri honestate[2] informastis, cor meum et caro mea exultaverunt et concupierunt, ut obsequiis vestris per omnia manciparer, in mandatis exercerer, et illum quem in reverentia vestra concepi affectum, ipsa operis exhibitione comprobaretis. Inde est quod in conspectu sanctitatis vestre id quod sum et quod possum devotus offero, suppliciter implorans, ut legem ponatis mihi in servitiis vestris et non in avaritia. Et si est in partibus illis, unde sanctitati vestre obsequium prestare valeam, voluntatis vestre mandatum suscipiam, quatinus in obsequio sinceritatem cordis mei ipsa experientia cognoscatis. Ad hoc plurimum gratiam vestram deposco, ut vestris me orationibus commendatum habeatis, quatinus precibus vestris apud Deum adjutus presentis vite ruinam evadam et peccatorum merear percipere veniam.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 764. — Bulaeus, II, 303. Hugo Petri Leonis (Pierleone), qui in epistola tantummodo Placentinus episcopus nominatur, anno 1155 episcopus, anno 1164 cardinalis creatus est, et die 8. Aprilis 1167 obiit, proindeque epistola scripta est ante annum 1164, et minime post an. 1167.

1. Apud Martène-Durand, *Ampl. coll.* VI, 267, eadem epistola dirigitur ad « Robertum » abbatem S. Victoris. At Robertus erat abbas 1192-1197 (vide *Gallia christ.* VII, 671 sq.). Cum itaque epistola non post an. 1164 resp. 1167 scripta sit, in codd. error irrepsit, et supra sicut etiam apud Martène vel A(chardus), quod maximam probabilitatem habet (Achardus erat abbas 1134-1162), vel E(rvisius), abbas 1162-1172, legendum esse puto. Guntherus tantummodo per aliquot menses anno 1162 praefuit. — 2. Istorum duorum, sc. doctrinae seu scientiae, « quae de loco illo (S. Victoris) fluebat », et bonae conversationis odoris, mentio fit etiam in litteris Alexandri III, 1 Februarii 1171-1172, ad Senonensem archiepiscopum, Meldensem episcopum et abbatem Vallis secretae, atque in istis ad abbatem et canonicos S. Victoris. Cf. Jaffé-Loewenfeld nos 11974, 11975.

---

40. *Odo cardinalis abbatissae S. Mariae Suessionensis nepotem papae Anastasii IV defuncti Parisiis in scholis morantem commendat.*

Anno 1154-1174.

O.[1] Dei gratia sancte Romane ecclesie diaconus cardinalis dilecte sorori abbatisse[2] Sancte Marie Suessionensis salutem. Prospera et leta de persona vestra desiderantes

audire significamus vobis, nos sanos et incolumes Domino faciente consistere, et ad servitium vestrum et ecclesie vestre promptos et paratos esse. Unde pro vestris et amicorum vestrorum opportunitatibus ad nos secure mittatis, quia quod vobis commodum et gratum esse noverimus, nos libentissime faciemus. Preterea pro quodam clerico Romano nomine Sasson. nepote felicis memorie domini pape Anastasii, qui Parisius in scolis moratur, dilectionem vestram rogamus attentius, quatinus ipsum amore nostri commendatum habeatis, ut tam ipse quam parentes sui opportuno tempore ad vestrum servitium prompti existant, et nos grates debeamus vobis plurimas exhibere. Si quod sibi beneficium exhibueritis, sciatis quia et de curia, cujus clericus est, et de nobis et aliis amicis suis poterit vobis digne recompensatio exhiberi.

Duchesne, *Historiae Francorum scriptores* IV, 759. — Bulaeus, II, 303. — Ad eandem directa est epistola Guillelmi S. Petri ad vincula presb. card., qua rogatur, « quatinus (eidem) subdiacono singulis mensibus usque ad annum in v solidis providere » curet. Duchesne, l. c., p. 754.

1. Absque dubio Odo Lombardus, diaconus card. S. Nicolai in carcere Tulliano 1153-1174 et aequalis Guillelmo cardinali. Anastasius papa, qui in epistola nominatur et ab an. 1153-1154 in sede S. Petri sedebat, jam defunctus erat. — 2. Abbatissa monasterii B. Mariae 1126-1162 erat Mathildis II regio sanguine orta, cui successit Marsilia (1162-1177). *Gallia christ.* IX, 444.

---

41. *Stephanus Tornacensis scribit Absaloni archiepiscopo Lundensi de Petro suo, qui in monte S. Genovefae in sacra pagina studet.*

1178-1192, [In monte S. Genovefae].

Verecundiam meam tetigit littera vestra, pater, et castigato rubore frontem perfudit commemorans pro negotiis vestris apud dominum papam me fuisse sollicitum, et in consiliis nuntii vestri magistri Tobie minus desidem quam devotum. Non modicus est obsequiorum fructus, eos quibus impensa sunt maxime potentes et nobiles vel in modico meminisse. Placet michi servitium meum complacuisse vobis, et in vestra gratiarum actione totus accingor, et accendor ad majora, vel si opportunitatem occasio non deserat, vel opportunitas occasioni concurrat. Petrum vestrum pariter ac nostrum commendabili morum nobilitate inter juvenes precipuum, sicut mandastis, quantum nobis Dominus permittit, et commonemus patrum verbis, et promovemus fratrum exemplis. Sacre pagine studens scolas veritatis in auditorio, scolas virtutis frequentat in claustro : cum neque hic sine veritate virtutem, neque ibi sine virtute combibat veritatem. Duo suggens ubera cito poterit impinguari, ut tanquam saginatus vitulus vel fortis aries sive filius arietum de grege Domini ad altare ipsius et ipse immolari possit, et quando vobis placuerit pro aliis immolare. Consideranti michi quid vobis domino meo possem mittere, nichil occurrit quo non habundetis et vos, et ideo inter divicias et delicias occidentales, orientale munusculum mitto vobis ampullam tyriaca probatissima plenam ab archiepiscopo Mamertino, Antiocheni patriarche suffraganeo, concanonico et amico nostro, michi datam. Humile satis, sed utile exenium, magnis et potentibus viris acceptum : quorum et vite status

fructuosus est in seculo, et exitus a seculo luctuosus. Si quid aliud placuerit vobis, quod in Francia, que monstris caret, inveniri possit, parati sumus sine dissimulatione querere, sine dilatione transferre.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, saec. XIII, fol. 123. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 111, p. 400, juxta edit. factam a Molinet, *Mag. Steph. Tornac. epp.* (1682). — Absalon fuit archiepiscopus Londinensis Danorum ab an. c. 1178-1201, Stephanus abbas S. Genovefae 1176-1192.

---

42. *Stephanus Tornacensis scribit Absaloni archiepiscopo Lundensi, Petrum canonicum S. Genovefae ejus nepotem infirmum esse et beneficio soli natalis forsitan salvari posse. Improbat consilium archiepiscopi, secundum quod ejus nepos vel in monte vel ad Parisienses saecularium scholas mittendus sit.*

1178-1192, [In monte S. Genovefae].

Hilarem sui prebet opinionem adolescens, cujus inter etatis initia virtutis judicia coalescunt. Respiciunt hec Petrum nostrum pariter ac vestrum, qui nobiscum regularia professus obedienter suscepit et doctrinam in studiis, et in moribus disciplinam. Et quoniam in eo spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, secundum mandatum vestrum vobis commendamus eum et committimus, satius estimantes et gratius eum apud vos morari, quam apud nos mori. Infestas quartane molestias crebro sentit, et illius infestationis reliquie diem mestum agunt sibi. Soli natalis et naturalis aeris beneficio posse juvari credimus teneros etatis annos, et humores maternis uberibus infusos paterno simul et materno solatio confoveri. Unum est, quod ei sicut filio karissimo consulimus, mandamus et precipimus, ut quamdiu in terra illa moram fecerit, vagari non incipiat post greges sodalium suorum secularium, sed aut in claustro regularibus disciplinis intendat cum fratribus suis sub venerabili fratre nostro W. Domino servientibus, aut quotiens et quando volueritis vobiscum in curia vestra religiose sicut decet et expedit conversetur. Quod autem de ipso nobis per litteras vestras intimastis, vel in monte, vel ad Parisienses secularium scolas et venditores verborum mittendo, salva gratia vestra non admittimus, quoniam institutioni nostre repugnat et consuetudini, nec per ipsum presentibus fratribus novum proponatur spectaculum, quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapientia regulas suas, habet et regulares suos, erigens sibi scolas inde veritatis, hinc virtutis. Quod si forte consilium vestrum in hoc declinaverit, ut de regulari secularem facere credatis, aliam quam Parisius civitatem in qua studeat eligite, ne in oculis nostris pro matutino et vespertino sacrificio quod nobiscum offerre debuerat Domino, verborum strepitus et disputationum anfractus offerat, et unde speravimus fructum, vertatur nobis in opprobrium et contemptum.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 115ª. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 80, p. 376. De sensu hujus epistolae vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters* I, 657 sq.

---

43. *Stephanus Tornacensis ad Absalonem Lundensem archiepiscopum de Petro canonico S. Genovefae ejus nepote, qui in monte S. Genovefae inter scholares simul et claustrales praefulgebat.*

1178-1192, [In monte S. Genovefae].

Jocundam Petri nostri pariter et vestri conversationem tanto gravius est nobis vel ad tempus amittere, quanto gracius esset ea perpetuo non carere. Si numeremus annorum tempora, juvenis est; senex, si morum merita computemus. Inter scolares subtilis, inter claustrales humilis; ibi verecundus, hic vere mundus, ubique avide laudabilis, quia nunquam avidus erat laudis. In ecclesia nostra simul et sua verbo naturalem, scripto civilem, re et consensu cum utraque canonicam, cum beata virgine, cui assistimus, obligationem contraxit, cujus solutionem nec prelatus debet concedere, nec subditus postulare. Tanta eum diligentia curavimus, tantis impendiis extulimus, tanto favore fovimus, ut eum solutum ab obedientia nostra remittere nichil aliud quam amittere estimemus. Absit ut acefalus exeat a nobis, et tamquam ventis expositus sine titulo clericus, sine stipendio miles, sine salario togatus discurrat, miraculum suis, spectaculum alienis. Ne tamen vestram offendamus gratiam, ne vestram incurramus offensam, eum non tamquam apud nos depositum vobis restituimus, sed tamquam nobis appositum eum vobis interim commendamus. Quod si per Dei providentiam et opem simul ac operam vestram ab humiliori ad subliniorem gradum, a scabello ad cathedram, a pulvere subjectionis ad speculam regiminis eum vocari contigerit, in hoc laudabili profectu et proventu plenam ei absolutionem indulgemus, plenam concedimus libertatem.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 128b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 136, p. 418.

---

44. *Stephanus Tornacensis ad Absalonem Lundensem archiepiscopum de nepote Salomone, qui in monte S. Genovefae sic litterarum studiis intendit, ut a virtutum semitis non recedat.*

1178-1192, [In monte S. Genovefae].

Lundensi archiepiscopo salutem temporalem pariter et eternam. Felix opera et impensa, cujus intentionem fructuosus finis excipit, desiderium complet exitus, spei fiducia nec tollitur, nec mentitur. Hec in Salomone vestro vere verbis et operibus pacifico, non inter vos invitare debent, ut quod in eo benevole cepistis, benefice compleatis, prosequentes bonam juvenis indolem, qui sic litterarum studiis intendit, ut a virtutum semitis non recedat. Planta est, que per Dei gratiam et irrigationem vestram fecundam coalescit in arborem, cujus et folium cito non defluat et fructum suum dabit in tempore suo. Testimonium ei perhibemus commoranti nobiscum in monte, quia in scolis assiduus, honestus in hospitio, nec effusus in superfluis, nec in necessariis est angustus. Sociorum benevolentiam sic meretur, ut omnium gratiam non amittat. Gaudeat super eo sancta paternitas

vestra, et illustrem vestri sanguinis celsitudinem sic exaltetis in ipso, ut et honor ejus tanto respondeat generi, et genus tantum consentaneum sit honori. Sic glorietur patruus in nepote, ut nepos ex patruo sublimetur.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 137b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 150, p. 436.

---

45. *Stephanus Tornacensis commendat Guillelmo Remensi archiepiscopo causam magistri Simonis, viri inter scholares cathedras egregii.*

1176-1192, [In monte S. Genovefae].

In oculis vestris, pater, nec honestas mendicat gloriam, nec veritas interventum. Ibi virtus est precium sui; et qui sibi merito sufficit suo, suffragio non indiget alieno. Inde est quod magistro Simoni[1], viro inter scolares cathedras egregio, non necesse est aut verbosas emendicare preces, aut laudum venalium coram vobis preconia corrogare. Graciosum et commendabilem faciunt eum hinc auctoritas morum, hinc pericia litterarum. Tales consuevit illustris clementia vestra vocare, diligere, promovere. Clamat hoc quasi ab ortu usque ad occasum totus orbis, cum Etruscos et Ligures suos Ytalia, Britannia major Anglicos, utraque Gallia Belgas et Celticos in curia vestra videant aut onerari divitiis, aut dignitatibus honorari. Implentur ad cumulum glorie vestre, qui veniunt ab oriente et occidente, et recumbunt in sinum vestrum. Vident et invident, quibus liberalitas displicet, quibus odio simul et tedio virtus est, quibus et honesti cachinnos provocant et nauseam litterati. Sed ne peccatoris oleo caput vestrum videar impinguare, prostratus ad pedes vestros, cum sim pulvis et cinis, loquor ad dominum meum pro magistro Simone preces fundens et supplicans, ut in negotio quod habet cum episcopo suo et canonicis suis tam benivole suscipiatis eum, quam benefice sustentetis. Causam quam promovit, ita promoveatis, si placet, ut si quis promotus est in injuriam canonum, canonice simul amoveatur et jure. Ceterum quid de predicto viro sit agendum, nobilis animus vester melius et plenius providebit. Valeat.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 111b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 60, p. 353.

1. Non caret probabilitate, hunc esse celebrem magistrum Simonem Tornacensem, auctorem *Summae* seu *Sententiarum*, quarum initium : « Sicut in orthographia legitur » (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3114a; 14886; Bibl. Arsen. nº 519; Burgo de Osma, Bibl. Capit.; Oxoniae, Coll. Merton, nº 132), et *Disputationum* (v. g. Bibl. Trecens. n. 1178). Isto tempore jam tenuisse cathedram Parisiis probatur ex documento (sine nota temporis) in *Cartul. S. Genovefae Paris.* (Bibl. S. Genov. E. l. 25 Fol., p. 221), ubi inter testes subscriptos nominatur « magister Symon de Tornaco », unacum magistro Girardo Pucella, qui anno 1184 in sede episcopali Coventriensi defunctus est.

---

46. *Stephanus Tornacensis ad Guillelmum Remensem archiepiscopum pro celebri magistro Petro Cantore Parisiensi in episcopum Tornacensem electo.*

1191-1192, [In monte S. Genovefae].

Commune refugium patens omnibus mansuetudo vestra, pater, sic extenditur ad singulos ut colligat universos. Veniunt ab oriente et occidente et recumbunt in sinum vestrum, nec facile semel admissus emittitur, nisi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hec sunt que michi pluribusque aliis fiduciam prestant, ut pro devoto filio vestro magistro P. cantore Parisiensi pandatur nobis aditus supplicandi, ne vobis provocet indignationem, qui sibi non advocat dignitatem, ne cui meritum sufficit proprium, factum officiat alienum. Vir est cujus per omnes ecclesias fame suavis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissime clarens et doctrinam monitis ornat et moribus disciplinam. Origeni parem in eloquio[1] sic eum docere credimus ut vivere, sic vivere ut docere. Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in sancta Remensi ecclesia suffraganeos esse decet, ut vicine provincie sancta emulatione moveantur ad promotionem consimilium, et sollicitudo vobis commissa facilius et frequentius juvetur per religionem et prudentiam ipsorum. Si quid minus ordinate in electione ipsius a Tornacensibus clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiam justi ledere debet, cum facillime, si vobis placet, possit emendari, si quid perperam factum est, commissa vobis a Deo et potestate corripiendi errores et scientia corrigendi. Ut enim salva gratia vestra sine prejudicio loquor, concurrunt in electione illa quatuor que a Leone primo dicta sunt : vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum. Hiis accedit integritas persone, hylaritas fame, necessitas simul et utilitas ecclesie viduate. Sed et hoc frequenter et solempniter dicitur, quia dominus rex, quem Deus servet ac nobis restituat, personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogavit, nominatim ecclesie Tornacensi preesse voluit et intendit. Si aliter actum fuerit, verendum est et forte verum, ne indignationem et iram et immissiones per angelos malos concipiat, et adversus eos, qui promotionem tante persone impedierint, regalem et juvenilem iracundiam accendat. In hiis omnibus, pater sancte, providete honori vestro, consulite sane opinionis vestre testimonio, deferte regio mandato, et correpto prius, sicut decuerit, errore eligentium, confirmata electione paterno sinu suscipite electum et dilectum vestrum.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 139. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 175, p. 462. — Stephanus die 12 Aprilis anni 1192 consecratus est in episcopum Tornacensem. Sedes Tornacensis vacabat ab 28 Septemb. 1191, proindeque epistola scripta est an. 1191-1192. Vide Feret, *L'Abbaye de Sainte-Geneviève* I, 141.

1. In ms. et in edd. « aliquo ».

47. *Stephanus, episcopus Tornacensis, in epistola ad Octavianum Ostiensem episcopum excusat abbatem Sancti Germani a Pratis ab omni culpa occasione rixae, quae inter homines S. Germani et scholares mota est, in qua unus scholarium per insaniam rusticorum cecidit.*

C. an. 1192, [Tornaci?].

In timore et tremore vos et alios dominos meos recogito et retracto translatus a subsellio ad cathedram, a pusilli custodia gregis ad populose regimen ecclesie, ab humili statu ad altiora quam credidi, quam merui, quam speravi. Et licet pro me rogare non sufficiam, commendatitias preces vobis porrigo pro abbate Sancti Germani, viro humili et utili ecclesie sue, cujus opera inter fratres suos et presentibus proficiunt ad usum, et posteris ad exemplum. Si quis adversus eum in curia domini pape moverit questionem, maxime super memoria rixe, que hoc anno inter homines Sancti Germani et scolares mota est, in qua et unus scolarium per insaniam rusticorum cecidit, excusabilem habete predictum virum, qui sicut immunis est a culpa, et alienus debet esse ab infamia sive pena. Innocentiam suam sufficienter purgavit coram domino Remensi et multitudine clericorum, et fugientibus illis, qui homicidium perpetraverant, accensus in vindictam domos illorum diruit et vastavit. Occurrite et succurrite si opus fuerit viro innocenti, ne veritatem falsitas absorbeat, mendacium negocietur sibi fidem, livor invidie religionem corrumpat.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 152b. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 185, p. 471. — Epistola scripta est paulo post elationem Stephani ad cathedram Tornacensem. Loquitur hic procul dubio de Prato S. Germani, vulgo *Pré-aux-Clercs* dicto, de quo etiam mentio fit infra in decreto Roberti card. an. 1215. Cf. Bouillart, *Histoire de l'Abbaye de Saint-Germain*, p. 92. Felibien, *Histoire de la Ville de Paris*, II, 220-260. *Revue archéologique*, 1855, liv. 7. Abbas S. Germani tunc temporis erat vel Fulco, qui mortuus est 2 Maii anni 1192, vel, quod minus verisimile, ejus successor Robertus.

---

48. *Stephanus Tornacensis in suis litteris ad papam directis conqueritur ruinam studiorum sacrarum litterarum, juris canonici et artium, et reprehendens professores, correctionis apostolicae manum implorat.*

1192-1203, [Tornaci?].

Ad papam. Impetrata venia loquamur ad dominum nostrum, cujus mansuetudo nostram suscitat audaciam, prudentia sustinet imperitiam, patientia promittit impunitatem. Compellit hinc nos majorum auctoritas, inde morbus paulatim serpens, cujus molestie si non occurritur in primis, incurabilis est in extremis. Nec hoc dicimus, pater, tanquam velimus esse aut morum censores, aut doctorum judices, aut doctrinarum discussores; fortiores humeros sarcina ista requirit, et robustos athletarum spiritualium lacertos pugna hec expectat. Id tantum, quod dolet, significare volumus sancte paternitati vestre, cui Deus contulit et potestatem corripiendi errores, et scientiam corrigendi. Lapsa sunt apud nos in confusionis officinam sacrarum studia litterarum, dum et discipuli solis novitatibus applaudunt, et magistri glorie potius invigilant quam doctrine, novas recentesque summulas et commentaria firmantia super theologia passim conscribunt, quibus auditores suos demulceant, detineant, decipiant, quasi nondum suffecerint sanctorum opuscula

patrum, quos eodem spiritu sacram scripturam legimus exposuisse, quo eam composuisse credimus apostolos et prophetas. Ignota et peregrina convivis suis apponunt fercula, cum in nupciis filii regis tauri ejus et artilia sint occisa et omnia parata, nec restat venientibus ad nuptias, nisi que apposita sunt prendere et prandere. Disputatur publice contra sacras constitutiones de incomprehensibili deitate, de incarnatione verbi verbosa caro et sanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas et in triviis secatur et discrepitur, ut tot jam sint errores quot doctores, tot scandala quot auditoria, tot blasphemie quot platee. Rursus si ventum fuerit ad judicia que jure canonico sint tractanda, vel a vobis commissa vel ab ordinariis judicibus cognoscenda, profertur a venditoribus inextricabilis silva Decretalium epistolarum quasi sub nomine sancte recordationis Alexandri pape, et antiquiores sacri canones abjiciuntur, respuuntur, expuuntur. Hoc involucro prolato in medium ea que in Conciliis sanctorum patrum salubriter instituta sunt, nec formam conciliis, nec finem negociis imponunt prevalentibus epistolis, quas forsitan advocati conductim sub nomine Romanorum Pontificum in apothecis sive cubiculis suis confingunt et conscribunt. Novum volumen ex eis compactum et in scolis solempniter legitur et in foro venaliter exponitur, applaudente cetu notariorum, qui in conscribendis suspectis opusculis et laborem suum gaudent imminui et mercedem augeri. Ve duo predicta sunt, et ecce restat tertium ve : facultates quas liberales appellant amissa libertate pristina in tantam servitutem devocantur, ut comatuli adolescentes earum magisteria impudentes usurpent, et in cathedra seniorum sedeant imberbes, et qui nondum norunt esse discipuli laborant ut nominentur magistri. Conscribunt et ipsi summulas suas pluribus salivis effluentes et madidas philosophorum sale nec conditas. Omissis regulis artium abjectisque libris autenticis artificum muscas inanium verbulorum sophismatibus suis tamquam aranearum tendiculis includunt. Clamat philosophia vestes suas conscindi et disrumpi, et quibusdam particulariter seminanciis nuditatem suam verecunde contegens, nec consulitur ab antiquo, nec antiquam consolatur. Hec omnia, pater, correptionis apostolice manum desiderant, ut informitas docendi, discendi, disputandi auctoritate vestra certam redigatur ad formam, ne sermo divinus attricione vulgari vilescat, ne in angulis dicatur : Ecce hic Christus aut ecce illic, ne sanctum canibus et margarite porcis conculcande tradantur.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 2923, fol. 162. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCXI, ep. 251, p. 516. — Stephanus episcopus Tornacensis mortuus est mense Septembri 1203. Direxit epistolam vel ad Coelestinum III, vel ad Innocentium III.

---

49. *Epistola, qua Godefredus canonicus S. Victoris Paris. scriptum suum « Fons philosophiae » Stephano abbati S. Genovefae dedicat.*

1176-1192, [Parisiis].

Domino S. montis sancte Genovefe abbati viro tocius virtutis et scientie gratiis insigni G. quidam pauper Christi summum bonum. Calicem plenum mixto vestre destinavi pater eruditionis examinandum judicio, quatinus utrumque sit in manibus vestris,

ejus videlicet vel status vel eversio. Continet autem mixtum dupliciter, vel materie scilicet, vel artificii varietate, siquidem et de diversis liquoribus et diverso modo conficitur. Prima namque pars ejus aquam simul et vinum guttatim fluit. Secunda vero pars sanguinem uve meracissimum pari modo fluens delicatissime simul carnis edulium ministrat. Porro tres relique partes (quinque enim divisas habet hic calix cellulas) duplici mensura, majore videlicet et minore, per totum distribute, licet tam ex inferioribus quam ex superioribus constent elementis, tenuissimo tamen liquore, et qui spiritus magis quam corpus videatur, perlucent. Quod dico, nunc obscurius est, licet post ex ipsius calicis haustu diligentiore clarius erit. Inter bibendum forsitan aliquid insipidum delicatis faucibus, aliquid occurret amarum, non quidem sua specierum natura, sed artificis imperitia. Ne queso desistat ob hec, sed bibat et ebibat, quicquid illuc est, vestra dignatio, non ut sue sitis indigentiam reficiat, sed ut ipsius calicis amaritudinem tollat, insipientiam condiat, sive per loca dulcioribus infusis amara quelibet et insipida tollendo, sive totum, si sic potius visum fuerit, evertendo. Quod si totum salvum fore magis elegeritis, unum michi tante dignationis hoc erit argumentum, si quod in eo vestre correctionis invenerit condimentum.

Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 15154 (saec. XIII ineunt.), fol. 1b, « fratris Godofridi canonici Sancti Victoris » continens scriptum « Fons philosophie ». Ms. lat. 14709 (fol. 250) est saec. XVI. — Opusculum absque illa epistola publici juris fecit A. Charma in *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, XXII, 1 sqq., et separatim Caen 1868.

---

50. *Fundatio Collegii scholarium decem et octo seu « des Dix-Huit ».*

1180, Parisiis.

Ego Barbedaurus, Parisiensis ecclesie decanus, et universum ejusdem ecclesie capitulum. Notum fieri volumus omnibus, tam presentibus quam futuris, quod cum dominus Jocius de Londoniis reversus fuisset Iherosolimis, inspecto summo devotionis affectu beneficio, quod in hospicio Beate Marie Parisiensis pauperibus et egris administratur, ibidem cameram quandam, in qua pauperes clerici ex antiqua consuetudine hospitabantur, inspexit, et illam a procuratoribus ejusdem domus ad usum predictorum clericorum precio quinquaginta duarum librarum de consilio nostro et magistri Hilduini, Parisiensis cancellarii[1], ejusdem loci tunc procuratoris, inperpetuum adquisivit, tali facta conditione, quod ejusdem domus procuratores decem et octo scolaribus clericis lectos sufficientes et singulis mensibus duodecim nummos de confraria que colligitur in archa, perpetuo administrabunt. Predictos vero clericos ante corpora in eadem domo defuncta crucem et aquam benedictam secundum vices suas deferre, et singulis noctibus septem psalmos penitentiales et orationes debitas et ex antiquo institutas celebrare oportebit. Ut autem hoc firmum ac stabile maneret, prefatus Jocius hanc cartam nostre constitutionis prefatis clericis fieri impetravit et sigilli nostri caractere subternotato corroborari postulavit. Actum publice Parisius in capitulo nostro, anno ab Incarnatione Domini M° C° octogesimo.

S[ignum] Barbedauri decani. S. Galteri precentoris. S. Philippi archidiaconi. S. Graciani archidiaconi. S. Girardi archidiaconi. S.[2] Galteri presbyteri. S. Jocelini presbyteri. S. Galonis presbyteri. S. Sy[monis] diaconi. S. Petri diaconi. S. Odonis diaconi. S. Bauduini subdiaconi. S. Ade subdiaconi. S. Hugonis subdiaconi. S. Stephani pueri. S. Mauricii pueri. S. Gaufridi pueri. Datum per manum Hilduini cancellarii.

Apographum (non originale) partis prioris saec. XIII, in Arch. nat. Paris. M. 121, nº 3ᴬ. — Ibid. nº 5 *vidimus* officialis cur. Paris. (scriptura anglica) an. 1271, Novemb. 21; nº 6 *vidimus* capituli Paris. an. 1323, Septemb. 22. — Anno 1231 scholares jam domum propriam juxta S. Christophorum inhabitabant. Cf. docum. ed. a Brièle in *Cartulaire de l'Hôtel-Dieu*, nº 266.

1. Cf. supra ad nᵘᵐ 8. — 2. « S. Girardi ... S. » ex nº 5, cum apographum primum hic sit dilaceratum.

---

51. *Philippus de Harvengt ad Hergaldum, Parisiis studii causa morantem, civitatem Parisiensem ob cultam ibidem a studiosis scientiam laudibus extollit nuncupatque Cariath Sepher, civitatem litterarum.*

Litteras quas affectu memori tua mihi misit dilectio, ut letargum meum et gravem somnolentiam quodam quasi vigili curares pulsorio, scito me et legisse diligenter, et lectas gratanter accepisse, quia tuum discentis profectum in eis mihi videor percepisse. .... Sicut multo venisse comitatu regina legitur Sabeorum, ut quorum famam de longe hauserat, certiora sibi visu redderet oculorum, sic et tu amore ductus scientie Parisius advenisti, et a multis expetitam optato compendio Jerusalem invenisti. Hic enim David decachordum psalterium manu tangit, hic tactu mystico psalmos pangit. Hic Isaie legitur, legendo detegitur prophetia; hic prophete ceteri diversos modulos concordi proferunt melodia. Hic sapiens Salomon erudiendos convenas operitur; hic ejus promptuarium studiosis pulsantibus aperitur; hic ad pulsandum tantus concursus, tanta frequentia clericorum, ut contendat supergredi numerosam multitudinem laicorum. Felix civitas, in qua sancti codices tanto studio revolvuntur, et eorum perplexa mysteria superfusi dono spiritus resolvuntur, in qua tanta lectorum diligentia, tanta denique scientia scripturarum, ut in modum Cariath Sepher merito dici possit, civitas litterarum. In hac instar Gothoniel volo te non tam litteraliter, quam spiritaliter erudiri, sic scripturas capere ut internam illarum dulcedinem diligas experiri..... Vale.

Philippi abb. Bon. Spei O. Praem. opp. omn., ed. Chamart, ep. 3, p. 14. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCIII, p. 26. — Certa temporis nota harum epistolarum Philippi de Harvengt definiri nequit. Videtur eas esse scriptas quando Philippus erat abbas monasterii Praemonstrat. Bonae Spei, circa 1154-1181. Defunctus est 13 April. 1182.

---

52. *Philippus de Harvengt ad Richerum. Studium litterarum commendat et Parisios ut Cariath Sepher extollit.*

Facis quod tuum est. Proprium est amantium, id quod amant expetere : et eorum neque visu oculus, neque auris auditu satiatur, presertim cum amori sana conscientia copulatur..... Amas ut sensi litteras, immo sacras litteras, quarum lectio juxta Paulum instruit ad salutem, quarum dilectio de virtute provehit in virtutem, quarum lector et

dilector non caret fructu vel premio diligendi, sed requirens invenit, si tamen rectam pervenit ad viam requirendi. Verum, cum easdem litteras de fonte arido, de vena paupere postulas tibi fundi, non satis consideras te errare, non mediocriter me confundi, quia cum a me exigis ad quod nullatenus invalesco.... In hoc tamen non falleris, quod non poetarum exigis fabulas et figmenta, non sophistarum laqueos, non decipientium argumenta, non denique aliud quo exultet vanitas, turbetur veritas et vacillet, sed quod tuam foveat, et, ut ais, animam refocillet. Hoc munus quovis munere tibi carius, immo pretiosius attestaris, hoc a me posse mitti, ut tue littere perhibent, arbitraris : non attendens quod in silvam ligna ferri otiosum, ne dicam frivolum judicatur, et in agro meo nec ipsa ligna fortia, sed arundo fragilis generatur. Habes quam incolis Cariath Sepher, civitatem, ut legitur, litterarum, habes divinos codices, apothecas uberes scripturarum : habes cellam vinariam, domum illam aromatum, porticum Salomonis, habes quod ad refocillandum animam expedire perhibet divine series lectionis. Legis autem et intelligis quod utile est doctrine, moribus, sanctitati, apponis et diligere, et intellectum jungere caritati : et quod predicat lectio, et capit intellectus legentis, amplexatur dilectio et affectus interior diligentis.... Quod propter, recte in tuis te litteris nonnunquam ut attendi nominas peregrinum, quia quisquis recte sapit, novit se dum hic vivitur, inquilinum : et non solum Parisius, ubi aliquando litterarum gratia conversaris, sed ubicunque terrarum vel locorum es viator transitorius, hospitaris. Hospes vero noctis unius, quia illic diutius manere non intendit, non stabilem domum fundat, sed tabernaculum sibi tendit : mane facto solvens illud, alias pergit ire, nec ejus pes quiescit, nisi cum tandem ad optatam conceditur patriam pervenire. Hoc sapis, hoc recolis, hoc revera intelligo te sentire, hoc non semel sed iterum in tuis gaudeo litteris invenire : nec verbo, sive lingua tantum, sed vita et moribus hoc ostendis, dum non retro ad ultima, sed in ante ad optima dono gratie te extendis. Ad hoc sonat et intonat omnis tuba vel buccina litteralis, ad hoc libri gentilium et divinorum pagina spiritalis : ad hoc denique nobis datur omnis lectio vel scriptura, in qua, si pie legeris, vel factor intelligitur vel factura. Est autem lege summa sancitum, et omni firmius insitum creature, ut genitum constet nihil, sed mutabilis sit nature : et quidquid rerum tam corporalium quam spiritualium, vel simul, vel post invicem esse cepit, ut constet, incommutabile naturaliter non accepit. Quod si quis vel humanus vel angelicus spiritus stare nunc immutabiliter invenitur, non conditionis merito, sed gratia ejus qui condidit, hoc sortitur, et quod negat omnibus creatis ex nihilo lex nature, prepotens gratia Creatoris confert ejus, quando voluerit, creature. Ad hoc autem a prudentibus ista rerum naturalis mutabilitas debet sciri, ut summo nisu caveant errore vel amore talium irretiri, ut nullo modo quisquam presumat talibus inherere, que et ipsa a seipsis non valent statu stabili permanere. Transeundum est igitur, et more peregrino proficisci et proficere non cessabis, omnemque creaturam instar tabernaculi tibi non sufficere judicabis : nec desistes progredi donec perveneris et inveneris magnum quiddam omni supereminens creature,

eum videlicet qui mutabilia cuncta creans, solus immutabilis est nature. Ille solus essentia, et essentiali excellentia naturaliter elucescit, mutationis motum, vicissitudinis umbram nescit, ab eterno vere Deus magnus, prepotens, immortalis, non cujusvis majoris gratia, sed nature privilegio specialis. Hunc predicat, hunc attollit, non solum doctorum, predicatio vel scriptura, sed omnium rerum creatio, mutabilitas, et natura, que omnia, cum judicio evidenti mutabilitatis insite creata se ostendant, Creatorem increatum et immutabilem astruunt et commendant. Cum igitur in omni scriptura intelligere poterit prudens lector, in omni creatura admirari providus intellector, creata queque digne considerans, queret semper faciem Creatoris, nihil infra, nihil supra satiabit animum dilectoris. Infra quidem nihil est quod sufficere debeat aut preponi, supra illum nihil est, quem constat omnibus eternitatis excellentia superponi : eum primum, eum novissimum sane sapiens percipit intellectus, summe bonum vere potissimum amor recte intelligentium et affectus. De quo cum bene studentium, ut ais, emulator affectuosius nova queris, non in me, sed in ipso invenire quod postulas promereris, quia, sicut mali querent et non invenient, sic se bonis offerens invenitur, et qui petit accipit, et pulsanti ejus sanctuarium aperitur, et recte, quamvis bene studeas emulatorem te bene studentium profiteris, in quo et non lates sub modio, et presumptionis vitio non teneris : memor illius ethnici qui se non sophum ut priores, sed philosophum appellavit, nec sapientem publice, sed amatorem sapientie predicavit. Nosse autem debent, qui scolas incolunt, quia nondum satis eorum quispiam bene studet, si ad pulsandum predictum sanctuarium, sollicitudine congrua non desudet : si non ad hoc legat, intelligat et diligat hunc laborem, ut profectu congruo sequi et assequi velit et valeat Creatorem. Denique sicut aversus a sanctuario ignorans ignoratur, sic sapientia animalis stulta vel stultitia judicatur; et licet videatur quivis perditus multa scire, non sapit, sed desipit, dum non curat Domini sanctuarium introire. Pete ergo, quere, pulsa, ingredere sponsi cubiculum, in quo pax justitiam osculatur, anima verbo Dei nuptiali fedore copulatur : quo, cum perveneris, et apud te dixeris : « Bonum est nos hic esse », valefacto non solum vitiis, sed et mundi negotiis, gaudebis angelis interesse. Queso autem, ut, cum bene tibi erit, mei vel ad modicum recorderis, ut assistens divino vultui, pro me affectuosius depreceris; et cum tibi divina bonitas infuderit munus gratie largioris, sic intendas gaudio, ut et me participio dones copie ditioris. Nimirum illa caritas, que juxta Paulum in nostris per spiritum cordibus se diffundit, in eo plus abundat, qui ex illa in proximum plus refundit; et cum pleraque cetera non possint et dari pariter, et a dantibus integra retineri, hec impensa pluribus, miro modo invenitur apud eos qui impenderint plus haberi. Opto ut hec caritas tuam scientiam edificet, et salutarem evehat ad profectum, ut evacuato quod ex parte est, tandem felicius transeas ad perfectum. Vale.

Philippi abb. Bonae Spei Ord. Praem. opp. omn., ed. Chamart, ep. 20, p. 91. — Migne, *Patrol. lat.*, tom. CCIII, p. 165.

53. *Philippus de Harvengt Engelberto scholari Parisiensi scribit, studium litterarum ad interioris hominis spiritualem perfectionem esse referendum, et non Parisiis fuisse, sed Parisiis honestam scientiam acquisisse honestum esse.*

Sicut nosti grammaticos dicere, vir dicitur a virtute, eo scilicet quod animum habere debeat non mollem, non elumbem, non ut ita dixerim femininum, sed fortem et constantem invictoque robore masculinum, qui prosperitatis arridente affluentia inaniter non grandescat, et adversitatis urgente molestia muliebriter non facescat. Si ergo perfectum proficere vis in virum, vel potius si te recolis esse virum, age viriliter, et robustius confortare, nec recuses discendi gratia quidquid grave occurrerit tolerare. Sicut enim miles palmam non accipit, qui molli desidia consopitur, qui laboris impatiens, umbra, plumis, uxorio complexu assidue delinitur, sic non nisi labore et studio ad excelsa scientie pervenitur. Ideo nimirum et clericali nomine vides passim plurimos insigniri, et profectu congruo raros admodum erudiri, sed eos difficultate qualibet repercussos vel manere penitus idiotas, vel fonte labra proluere caballino[1], ut sic repente prodeant in poetas. Quod utrumque diligentius vitare studuerunt quicunque litterati et dici et esse veraciter voluerunt; qui philosophie non parvi mora temporis assecle vel ministri ad hoc usque profecerunt, ut aliorum fierent et magistri. Quorum Plato Atheniensium civis, cum jam grecas ad unguem litteras doctus esset et in auditorio Socratis suis longe condiscipulis major esset, adhuc tamen amore sciendi exestuans in Egiptum descendit, et inter exteras et barbaras nationes non parvam scientiam apprehendit. Audierat forte quod Moyses, qui in Egipto natus fuerat et nutritus, omni sapientia Egiptiorum, sicut divina refert pagina, fuerat eruditus; et super hac sapientia idem Plato, non mediocriter curiosus, ad investigandum eam factus est studiosus. Hac autem investigatione non contentus inde Italiam requisivit, et inter Pythagoricos multam quoque scientiam acquisivit; talique studio deditus ad annum etatis octogesimum primum venit, in quo finem studii nisi cum vite termino non invenit. Socrates magister Platonis nonaginta novem annis perhibetur vixisse, et eosdem in assiduo labore litterario consumpsisse. Themistocles, cum centum et septem annorum numerum explevisset, et imminere sibi vite terminum presensisset, conquestus est, ut aiunt, quod eo tempore de vita egredi cogeretur in quo sibi primum incipiens sapere videretur. Cato censorius, cum etate matura provectus et inter Latinos videretur scientia jam perfectus, juvenili tamen alacritate ad discendum grecas litteras incandescit, et Latinorum doctor Grecorum discipulus fieri nullatenus erubescit. Cum igitur hos et hujusmodi viros non fregerit laboris asperitas, non provecte revocaret etatis longevitas, quin studio litterali tantam diligentiam impertirent, ut amore sciendi occurrentia quevis incommoda non sentirent, non est consilii, ut propter ingruentem febriculam tua strenuitas emarcescat, et infirmato corpore virilis pariter animus elanguescat. Non enim Parisius fuisse, sed Parisius honestam scientiam

acquisisse honestum est. Non itaque tibi sufficiat, si musas, si fontem Heliconium tu vidisti, si de illius rivulo guttam modicam tu hausisti, si videas illius rore tenuissimo te perfundi, ejus autem adhuc affluentiam tibi plenius non infundi. Denique ipsa philosophia, que proponit studentibus fontem lucidum Heliconis, non satis esse judicat solum hujus beneficium visionis; et cui acre et acutum ingenium dat Platonis, cui flores et ornatam eloquentiam Ciceronis, cui largitur illius tui Socratis documenta, cui Aristotelis revelat manifestius argumenta, eum profecto vult gutta vel rore modico non aspergi, sed ejus fonti vivido diutius incumbere vel immergi. Que autem vel divitie temporales, vel delicie corporales possunt huic scientie comparari, cum quivis stultus et illis affluere nonnunquam videatur, et hanc sibi acquirere nullatenus mereatur? Unde scriptura divina : « Quid prodest, inquit, stulto divitias habere, cum sapientiam emere non possit? » Non itaque divitie Cresi, non Alexandri potentia, non Polyphemi horrida magnitudo, non invicta Herculis fortitudo, non admiranda Nerei pulchritudo, non hujusmodi cetera ex equo litterali scientie conferuntur, sed illis procul dubio elegantes littere merito preferuntur. Cum ergo ad nos, Deo volente, sanus redieris, et non tam pecuniam quam litteralem scientiam tecum retuleris, ego te, ut verum fatear, etsi naufragum, non tamen pauperem extimabo, sed honestis mercibus onustatum, et pretiosis divitiis honestatum recta sententia judicabo, quamvis ee divitie non primarie, sed secundarie videantur, immo diligentius intuenti, nec divitie veraciter habeantur, si non illis divitiis religiose et humiliter famulentur, que a solis vere divitibus spiritaliter obtinentur. De quibus scriptura divina : « Redemptio, inquit, anime viri, proprie divitie ». Proprie viri divitie fides, spes, caritas, et cetere virtutes sunt, quibus ad celestem gloriam pervenitur, quibus quisquis caruerit, stultus apud Deum et inglorius invenitur, cum ab ipso Deo cognitore vere sapientium reprobetur, etsi a vobis ut Socrates, Plato, Aristoteles approbetur. « Nonne stultam, inquit apostolus, fecit Deus sapientiam hujus mundi? » Et iterum : « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum ». Et Dominus : « Perdam, inquit, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo ». Nulla ergo prudentia, nulla scientia, nulla litterature affluentia satis digna est commendari, que non studet superducto virtutum propugnaculo cumulari, immo illarum divitiis ut compedibus alienis graviter deprimuntur, qui non virtutum meritis tanquam propriis divitiis redimuntur. Ob hoc autem proprie divitie virtutes asseruntur, quia vere divites reddunt eos quibus gratuito conferuntur, dum illis et in presenti conferunt proficientem gratiam meritorum, et in futuro indeficientem gloriam premiorum. Cum igitur quisque prudens quasi ad luctandum in scolari gymnasio se denudat, cum vigilat vel abstinet, alget etiam vel desudat, considerandum est ei diligentius quo intendat, vel intentioni sue et labori litterario quid pretendat. Non enim decet ut in presenti labore spe ventosa et vacua confortetur, tanquam animal quod vento et aura vivere perhibetur, ne scilicet in eo quod studiis litteralibus exercetur, apud se quandoque inaniter glorietur. Que gloriandi causa, cum scolares miseros ad dis-

cendum provocat et inducit, eos grato lenocinio supplantat penitus et seducit; dum illis et sciendi insatiabilem dat affectum, et tamen nunquam eos scientie adducit ad perfectum, de quibus apostolus : « Semper, inquit, discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. » Veritatis est scientia Deum scire, sciendi beneficio illum plenius et sentire..... Utinam omnes qui mancipantur labori litterario sic studerent, eo fine multiplices scolarum angustias sustinerent, ut scilicet oculus eorum interior infuso scientie collyrio mundaretur, et ad videndum Deum promptior et defecatior redderetur. Vale. Eos qui tecum sunt socios tuos, amicos meos, vice mea plurimum saluta.

Philippi abb. opp. omn., ep. 4, p. 18. — Migne, l. c., p. 32. — In ep. 7 ad Johannem directa dicit : « beatus homo, non qui magistrum Ansellum audivit, non qui Laudunum vel Parisius requisivit, sed beatus, quem tu erudieris, Domine ».

1. Ex Persio, *prol.*, vs. 1.

---

54. *Guido de Bazoches cuidam amico epistolam mittit, in qua civitatem Parisiensem describit, adjungens insuper in insula philosophiam, decreta et leges, atque sacram paginam ab antiquo edoceri.*

1175-1190, [Parisiis].

Nobili adolescenti et in tantum suo quod alteri sibi G. de Basochis[1], nobilitati generis respondere moribus generosis. Preoptatis visitando me scriptis, non solum absentem, verum longo remotum terrarum spatio, quantum, etsi disjunctus corpore, sis michi conjunctus animo declarasti. Quapropter de statu meo situque civitatis que me florenti studii remoratur amore rescribere tibi libens incipio, ut te quasi duabus ad me manibus traham et retraham ab amplexu negocii vel ocii secularis, ejus appetitu diu nimiumque languentem, causa videlicet me consolandi dolentem propter absentiam tuam, et desiderio videndi celeberrimam civitatem.

Status itaque meus hic est. Sum quidem Parisius tam mentis quam corporis sanitate jocundus, si frueris eadem jocundior, jocundissimus si te non deesse contigisset. Sum quidem Parisius, in urbe regali, que non solum dulciflua naturalium dotum retinet oblectatione presentes, sed etiam remotos allicit, invitat absentes. Sicut enim luna splendidioris speculi majestate sidereum sepelit jubar, non aliter urbs prefata super ceteras urbes diademate regie dignitatis imperiosum caput attollit. Sedet in gremio vallis deliciose, quam montium coronat ambitus, quos Ceres et Bacchus studiis ortantibus ornant. Secana inter agmina fluviorum non humilis, superbus alveo, decurrens ab Oriente, caput, cor, medullam totius urbis duobus circumplectens brachiis, insulam facit. Suburbia duo dextra levaque porriguntur, quorum minus precellens invidiosis urbibus invidiam parit. Ab utroque suburbio duo lapidei pontes in insulam protenduntur, quorum uterque nomen a sua sortitus est quantitate. Magnum enim eum..., cujus facies ad Aquilonem et mare spectat ad Anglicum; oppositum autem illi, qui patet ad Ligerim, Parvum Pontem appellaverunt. *Pons* ille qui *Magnus* dicitur, densus, dives, emax, fervet, suspirat, abundat navigiis, opibus, mercibus innumeris : navigiis fervet, opibus suspirat, abundat mercibus. Ecce

parem non habet iste locus. *Pons* autem *Parvus* aut pretereuntibus, aut spatiantibus, aut disputantibus logicis didicatus est. In ejus insule sinu precelsa palatii regalis altitudo consurgit, que totius urbibus capitibus humero minatur audaci. Eam non tantum mirabilis operum structura, quantum nobilis illius regni reverenda commendat auctoritas :

Hec est illa domus, Francorum gloria, quorum
Perpetua laudes secula laude canent.
Hec est illa domus cujus ditione tenetur
Gallia Marte potens, Flandria dives opum.
Hec est illa domus cujus Burgundia sceptrum,
Normanni imperium, Britones arma timent.

In hac insula regale sibi solium ab antiquo filosofia collocavit, que sola solo comite contenta studio, perhemnem lucis et immortalitatis possidens arcem, victorioso pede calcat mundi jam pridem senescentis aridum florem. In hac insula perpetuam sibi mansionem septem pepigere sorores, artes videlicet liberales[2], et intonante nobilioris eloquentie thuba decreta leguntur et leges. Hic fons doctrine salutaris exuberat, et, quasi tres rivos ex se limpidissimos ad prata mentium irriganda producens, dividit tripliciter intellectum sacre pagine spiritalem in hystoricum, allegoricum, et moralem[3].

Propterea, dilectissime, precor, et precordialiter brachiis sincere dilectionis tuum illud amantissimum michi pectus amplector, ut, abjectis oblectationum secularium et te retinentis ocii blandimentis, si difficilis est ad solvendum, pocius et ocius rumpe funiculum, venire festinans ad me, tam propter amorem meum, quam propter celebrem locum, in quo possis adipisci rerum divinarum humanarumque scientiam, notitiam nobilium, probabilium gratiam, amicitiam plurimorum[4].

Bibl. civit. Luxemburg. ms. lat. 28, fol. 11. — E. Berger in *Bulletin de la Société de l'hist. de Paris*, 1877, p. 38, ubi dicitur epistolam esse scriptam « vers 1175 ».

1. De ejus scriptis cf. Riant in *Revue de Champagne*, I, p. 1 sqq. — 2. Clare hic exprimitur artes liberales tunc adhuc in insula esse traditas. In vico Garlandiae artistae tantum post an. 1202 (infra parte I, nº 2) morabantur. Vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 663 sqq., et supra in prooemio. — 3. Quod ad medicinam, quae hic praetermittitur, attinet, vide infra parte I ad num 8. — 4. Auctor enarrare prosequitur de morte eujusdam amici, nomine Guidonis militis.

---

55. *Statutum episcopi Mauritii et capituli Parisiensis ne quis domos claustrales alicui scholari conducat.*

1160-1196, Parisiis.

[... Hoc quoque presente Theobaldo episcopo totiusque capituli conventu annuente in eodem capitulo statutum et sub anathemate corroboratum est, quod nullus canonicorum domum suam in claustro alicui conduceret nec aliquem in domo sua precio prenominato procuraret].

Additum est preterea tempore domini Mauritii episcopi et communi assensu firmatum, ne quis canonicorum domos claustrales alicui scolari conduceret aut etiam commodaret. Quod si quis forte presumeret, nec in choro nec in capitulo reciperetur ab aliis.

Livre noir in Arch. nat. Paris. L. 177, p. 338. — Additio manu posteriori facta est.

CHARTULARIUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PARS PRIMA

AB ANNO MCC USQUE AD PHILIPPUM IV REGEM FRANCORUM

1. *Privilegium Philippi Augusti regis Francorum in favorem scholarium Parisiensium.*

1200 [Julio?], Bestisiaci.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod propter enorme illud flagitium, quo Parisius clerici simul et laici quinque numero a quibusdam maleficis interfecti sunt, talem justiciam faciemus, quod Thomam illum tunc prepositum, de quo super omnes alios scolares conquesti sunt, quia factum negat, in perpetuis vinculis detinebimus, in arta custodia et paupere victu quandiu vixerit, nisi forte elegerit Parisius publice aque[1] subire judicium, in quo si ceciderit dampnatus erit, si liberatus fuerit, nunquam Parisius deinceps vel alibi usquam in terra nostra propria prepositus noster vel ballivus erit, nec alibi, dum id evitare possimus per rationem, nec Parisius intrabit de cetero. Et si per bonam et legitimam inquisitionem, quam commisimus duobus fidelibus nostris Galtero camer. et Philippo de Liviis, sine omni personarum acceptione facienda, sub adjuratione fidei, qua christiani sunt quamque nobis domino suo ligio debent, et per juramentum quod nobis fecerunt de honore et consilio nostro, intelligere potuerimus quod amplius inde facere possimus aut debeamus, sine ullo arrestamento faciemus salvo honore Dei et nostro. De aliis autem qui in captione sunt pro eodem forifacto hoc faciemus, quod in perpetuis vinculis in captione nostra eos detinebimus, nisi judicium aque[2] subire maluerint et innocentiam suam Deo teste purgare, in quo si qui ceciderint, habebimus eos pro dampnatis, nisi forte aliqui ex eis per bonam inquisitionem innocentes inventi vel in culpa leviore per intercessionem scolarium a captione per nos fuerint liberati. Eos autem qui fugerunt, eo ipso pro dampnatis habebimus, et omnes prepositos terre nostre jurare faciemus, quod diligenter inquirent eos, et si quem ex eis capere poterunt, capient et nobis mittent Parisius.

De securitate autem scolarium in posterum Parisius consilio hominum nostrorum hoc ordinavimus, quod omnes cives Parisienses jurare faciemus, quod si alicui scolari ab aliquo laico injuriam fieri aliquis viderit, quod super eo testimonium perhibebit veritati, nec se substrahet aliquis ne videat. Et si contigerit quod aliquis scolarem percusserit, nisi super se defendendo, si scolaris maxime armis percutiatur, aut fuste, vel lapide, omnes laici qui viderint bona fide comprehendent illum malefactorem vel malefactores et tradent justicie nostre, nec se substraent ne videant vel comprehendant vel testimonium veritati perhibeant. Sive autem malefactor captus sit super ipsum forifactum, sive non, nos legitimam inquisitionem faciemus et fidelem, sive per clericos sive per laicos seu per quascumque legitimas personas; et prepositus noster et justicie nostre idem facient. Et si intelligere

potuerimus per bonam inquisitionem, vel justicie nostre intelligere potuerint, quod ille cui imponitur fecerit illud forisfactum, statim inde faciemus justiciam sive justicie nostre hoc facient secundum qualitatem et modum forifacti, non obstante eo, quod malefactor ille factum negabit, vel quod dicet se paratum esse defendere se per monomachiam, vel purgare per judicium aque. Preterea prepositus noster vel justicie nostre pro nullo forifacto in scolarem manum mittent, nec in captionem nostram mittent, nisi forifactum scolaris tale visum fuerit ut debeat arrestari; et tunc arrestabit eum justicia nostra in eodem loco sine omni percussione, nisi se defenderit, et reddet eum justicie ecclesiastice, que eum custodire debet pro satisfaciendo nobis et injuriam passo. Et si forifactum grande visum fuerit, ibit vel mittet justicia nostra ut videat quid de scolari fiet. Si vero se scolaris non defenderit in arrestatione illa et injuriam passus fuerit, nos secundum predictam inquisitionem et per juramentum predictum exinde ultionem capiemus. Ad hec in capitale Parisiensium scolarium pro nullo forifacto justicia nostra manum mittet; sed si visum fuerit illud esse arrestandum, per justiciam ecclesiasticam arrestabitur et arrestatum custodietur, ut de illo capitali fiat quod per ecclesiam fuerit legitime judicatum[3]. Quod si tali hora fuerint scolares arrestati a preposito nostro, quod non possit ecclesiastica justicia inveniri vel statim haberi, faciet prepositus noster in aliqua scolaris domo eosdem sine omni injuria sicut supra dictum est[4] custodiri, donec justicie ecclesiastice tradantur. De servientibus laicis scolarium qui non debent burgensiam nobis vel residentiam, nec vivunt de mercaturis et unde scolares non faciant injuriam alii, sic erit, quod in eis manum non mittemus nec justicia nostra, nisi forifactum apparens fecerint, propter quod in eos debeamus manum mittere vel justicia nostra. Pro tenore siquidem privilegii, quod scolaribus Parisiensibus contulimus, nolumus ut canonici Parisienses et eorum servientes in hoc privilegio contineantur, sed volumus ut servientes canonicorum Parisiensium et ejusdem ville canonici eamdem libertatem habeant, quam eis predecessores nostri observare debuerunt, et nos eisdem observare debemus. Occasione autem predictarum conventionum vel occasione hujus carte in causam trahi non poterimus nisi in curiam nostram.

Ut autem hec cautius custodiantur et stabili imperpetuum jure firmentur statuimus, ut prepositus nunc noster et populus Parisiensis omnia que predicta sunt in conspectu scolarium se bona fide servaturos juramento confirment. Et de cetero semper quicumque officium prepositure Parisiensis administrandum a nobis acceperit, inter ipsa prepositure sue initia, dominica scilicet prima vel seconda, in una ecclesiarum Parisiensium, postquam exinde summonitus fuerit, coram scolaribus predicta omnia se bona fide servaturum publice juramento confirmabit. Que ut perpetuam obtineant stabilitatem presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato precepimus confirmari.

Actum apud Bestisiacum, anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo, regni nostri

anno vicesimo primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. S. Mathei camerarii. Signum Droconis constabularii.

Data vacante (*monogr.*) cancellaria.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66A, nº 1. Deest sigillum. Supersunt fila sericea rubei coloris. A Denifle ed. in *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 247. Pertinebat ad Archiv. Universitatis. — Biblioth. Phillipps in Cheltenham ms. 876, fol. 51. Bulaeus, III, 2. Jourdain, nº 1, ubi variae editiones, et Delisle, *Catalogue des actes de Philippe Auguste*, nº 629, ubi etiam diversi mss. referuntur. — Cum hoc celeberrimo documento incipiunt monumenta Universitatis Paris. Verum est, Guillelmum Armoricum scribere, jam patrem Philippi, Ludovicum VII, « libertatem et specialem prerogativam defensionis ipsis scolaribus impendisse » (*Œuvres de Rigord et de Guillaume le Breton*, éd. Delaborde, I, 230). At frustra quaeris documentum (quod referatur ad scolares Parisienses) in actis Ludovici VII (vide Luchaire, *Études sur les Actes de Louis VII*. Paris, 1885). Jam saec. XVII auctor operis *Universitatis Paris. ejusque facultatum quatuor Origo vera* scripsit: « Sive in decretalibus sive in libris manuscriptis Universitatis, sive in ejus tabulario nihil est, quod excedat aetatem Innocentii tertii et Philippi Augusti. » Bibl. Univers. Paris. ms. u. I, 1, p. 498. — Qua occasione privilegium Philippi Augusti concessum sit vide *Chron. magistri Rogeri de Houedene*, ed. Stubbs, IV, 120. Evenit sub cancellario Paris. Petro Pictavensi, qui successit Hulduino (vide supra part. introd. ad nº 8), et anno 1193 primum ut cancellarius nominatur (cf. Guérard, *Cart. de Notre-Dame* II, 468), ultimo vero anno 1204 (*ibid.*, p. 513). Albrico Trium Fontium teste obiit anno 1205 et per annos 38 theologiam legit Parisiis. Ipsi successit Bernardus Chabert, cujus mentionem facit Obituarium eccl. Paris. (vide Guérard, IV, 62, et infra ad nº 6). Theobaldus, quem Hemeraeus, *De acad. Paris.*, p. 115, ad an. 1200 ut cancellarium refert, non fuit cancellarius eccl. Paris., sed cancellarius comitis Blesensis. Vide Guérard, *Cart. de Notre-Dame* I, 296.

1 et 2. Primo erat scriptum « dei », quod fuit correctum in « aque ». — 3. Legitur « judicatum legitime »; per liniolas indicatur legendum esse ut supra. — 4. In orig.: « sicut supra dictum est sine omni injuria custodiri ». Liniolae indicant positionem verborum ut supra.

---

2. *Matthaeus de Monte-Morenciaco et Mathildis uxor ejus dant vineam, quae dicebatur clausus Mali vicini, hospitibus ad hostisias faciendas, et componunt cum conventu S. Genovefae.*

1202, [Parisiis].

Ego Matheus de Monte-Morenciaco, dominus Marliaci, et Maltildis uxor mea notum facimus tam futuris quam presentibus, quod vineam nostram, que dicebatur clausus Mali vicini, quem tenemus ab ecclesia Sancte Genovefe, sub annuo censu trium solidorum et VIII denariorum, dedimus hospitibus ad hostisias faciendas de assensu et voluntate abbatis et canonicorum Sancte Genovefe, quorum erant fundus terre illius et decima et omnis justicia. Statutum est autem, quod ille census capitalis semper erit canonicorum Sancte Genovefe, et hospites qui ibi erunt mansionarii, sui erunt parrochiani, et omnes decimas tam magnas quam minutas capellano de Monte persolvent, et cetera jura parrochialia secundum consuetudinem parrochie sue. Nobis autem abbas et conventus concesserunt totum augmentum census hostisiarum que ibi fient, quod vulgo dicitur Croiscens et medietatem venditionum, thelonei, rotagii, foragii et omnium proventuum tam justiciarum quam aliorum reddituum qui pertinent ad justiciam, et medietatem ripagii quantum clausus comportat. Quotienscumque ventum fuerit ad vadia duelli, ducetur duellum in curiam canonicorum in Monte et ibi finietur, salva tamen medietate nostra de emenda duelli. Omnis alia justicia tenebitur super predictum clausum usque ad vadium duelli.

Serviens ibi constituetur ex consensu utriusque partis, qui tam nobis et heredibus nostris, quam supradictis canonicis faciet fidelitatem de omni jure conservando et faciendo ad utramque partem pertinente. Si autem forte aliqua querela emerserit inter nos et canonicos vel eos, qui in loco nostro in hiis redditibus cum eis participationem habebunt, vel etiam communem servientem illius terre, quia sibi dominium illius terre canonici retinuerunt : causa illa in curiam eorum in Monte referetur terminanda. Preterea sciendum est, quod nos et heredes nostri predictos redditus ab ecclesia beate Genovefe omni tempore tenebimus nec poterimus alii ecclesie sine assensu abbatis et canonicorum vel dare vel vendere, seu commutare, et singulis annis predictum capitalem censum trium solidorum et VIII denariorum eis in festo sancti Remigii persolvemus. Insuper sciendum est, quod in strata illa, qua de Monte itur ad Sequanam, et in strata illa, qua itur per vicum Garlande usque ad gressum Sancti Juliani, qui est meta burgi Sancte Genovefe, que strate in viaria sunt canonicorum, nos vel heredes nostri nichil penitus poterimus reclamare, sed tantummodo infra metas clausi predicti participationem cum eis habebimus secundum quod superius est diffinitum. Quod ne valeat oblivione deleri, presentem cartam sigillorum nostrorum munimine fecimus confirmari. Cujus etiam rei testes sunt Magister Gilebertus presbyter Sancte Marie de Marliaco, Milo de Vicinis, Willelmus de Vicinis, Odo de sancto Mederico. Actum anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo secundo.

Chartularium Sanctae Genovefae in Bibl. Sanctae Genovefae Paris. ms. E. l. 25, Fol. pag. 190-191, ubi superscriptio : « De clauso mali vicini ». — *Gallia christ.* VII, instrum. p. 225, nº 10. — Jaillot, *Recherches critiques sur la ville de Paris*, Quartier S. Benoît, p. 65, bene observat, post istam donationem et compositionem esse factam viam *du Fouare*, ubi postea scholas artistarum invenimus. Vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 667. Ex documento 28 Augusti 1225 (*Chart. S. Genovefae*, p. 249 sq.) discimus, illo anno jam viam publicam (« que via descendit a platea, que vocatur platea Mauberti directe versus Sequanam », ex quo apparet, ubi fuerit iste clausus Mali vicini) et domos in clauso Mali vicini extitisse.

---

3. *Innocentius III ad magistros et scholares Parisienses, ut invitante Graecorum imperatore Constantinopolim eos migrare non pigeat ad reformandum illic litterarum studium.*

1205, Maii 25, Romae apud S. Petrum.

Universis magistris et scolaribus Parisiensibus. Multifarie multisque modis clementia divina nos excitat, ut de sopmno mortis evigilemus ad vitam, et de lacu miserie in spem eterne glorie respiremus. Exultamus siquidem et merito exultare debet omnis sanctorum ecclesia, quod visitans visitavit nos oriens ex alto, ut magna pars orientalis ecclesie, Grecia videlicet pene tota, que a longissimis retro temporibus matris sue sancte Romane ecclesie contempserat imitari vestigia, nostris temporibus facta sit de inobediente obediens, et de contemptrice devota. Ad majorem etiam accedit affluentiam gaudiorum quod vir christianissimus carissimus in Christo filius noster B.[1] Imperator Constantinopolitanus illustris ad ea totis viribus satagit et intendit, per que possit et debet christiana religio propagari, et ut edificium jam ex magna parte constructum non corruat, ardenti laborat

studio et sollicitudine diligenti. Nuper siquidem devotionem suo plantatam in pectore in ramos bone operationis diffundens nobis humiliter supplicavit, ut vos inducere ac monere apostolicis litteris dignaremur, quatinus in Greciam accedentes ibi studeatis litterarum studium reformare, unde noscitur exordium habuisse. Volentes igitur imperatorem eundem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto majorem in majoribus frequenter sumus ejus fidei sinceritatem experti, universitatem vestram rogamus attente et hortamur per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus diligentius attendentes, quanta majores vestri difficultates et gravamina sunt perpessi, ut adolescentie sue primitias imbuerent litteralibus disciplinis, non tedeat plerosque vestrum ad terram argento et auro gemmisque refertam, frumento, vino et oleo stabilitam et bonorum omnium copiis affluentem accedere, ut ad illius honorem et gloriam a quo est omnis scientie donum sibi et aliis ibidem proficiant preter temporales divitias et honores eterne glorie premia recepturi. Dat. viij kal. Junii.

Reg. Vat. Innocentii III, an. 8, fol. 23b. — *Rec. des Histor. des Gaul.* XIX, 475.

1. Balduinus I (1204-1237).

---

4. *Decretum Odonis episcopi Parisiensis de residentia canonicorum S. Marcelli, et licentia danda canonicis qui studere voluerint.*

1205, [Parisiis].

Odo Dei gratia Parisiensis episcopus omnibus presentes litteras inspecturis eternam in Domino salutem. Noverint universi, quod nos ecclesiam beati Marcelli considerantes ex canonicorum absentia suo pene servitio et potissimum consilio destitutam, et tam mortuis quam vivis ipsius ecclesie benefactoribus in posterum providentes de speciali voluntate summi pontificis et utriusque capituli Parisiensis videlicet et beati Marcelli assensu cum prudentibus viris habita deliberatione statuimus, ut quicumque de cetero in eadem ecclesia canonicus instituetur, per VIII menses scilicet vel XXXII^as septimanas, continue vel per partes, ibidem residere et in propria persona tenebitur ecclesie deservire, ita quod dies illa, qua canonicum villam ingredi vel exire contigerit, nisi alicui horarum interfuerit, in residentia minime computabitur. Quolibet autem aliorum dierum residentie sue alicui trium, matutinis videlicet aut majori misse seu vesperis, tenebitur interesse, nisi egritudine vel minutione impediatur, alioquin dies illa non debebit sub tempore residentie comprehendi. Si vero residentiam VIII mensium, ut distinctum est, non fecerit, de prebenda sua nichil ultra summam XX solidorum accipiet preter distributiones cotidianas, quibus presens affuerit. Postquam autem canonicus semel per VIII menses residentie tempus expleverit, si peregrinari vel studere voluerit, canonici residentes vel major pars ipsorum eidem dare licentiam debebunt, et ipsum a scolis aut peregrinatione prohibere non poterunt[1], sed de mora peregrinationis aut studii, prout videbitur competens, ordina-

bitur. Scolarem tamen bona fide, quando viderint expedire capitulo aut majori parti canonicorum residentium, revocare licebit, et si revocatus infra tempus competens assignatum redire noluerit, ex tunc eum foraneum reputabunt, nisi eis de rationabili impedimento constiterit. Licentia autem manendi in scolis nulli concedatur, nisi resideat vel pro residenti habeatur. Si vero capitulum in danda seu deneganda studiorum licentia vel in revocatione studentium excederet, ad Parisiensem episcopum excessus hujus correctio pertineret. Verum tam nos quam successores nostri Parisienses episcopi duos de canonicis ejusdem ecclesie ad obsequium nostrum, si voluerimus, poterimus evocare, qui licet in propria persona ecclesie non serviant, suarum tamen integre fructus percipient prebendarum, quamdiu nostro vel successorum nostrorum obsequio fuerint mancipati, exceptis cotidianis distributionibus, quas nec ipsi, neque peregrinantes, neque scolares canonici percipient. Qui de mandato ecclesie erit in negotio ecclesie, pro residenti habebitur, et nichilominus percipiet distributiones cotidianas. Obsequium autem intelligimus episcopale : equitare cum episcopo, esse officialem ejus, vel ad servitium episcopi morari in domibus suis Parisiensibus, vel mitti ad sedem apostolicam. Cum vero causa studiorum, peregrinationis, aut episcopalis obsequii aliquem de canonicis absentem esse contigerit, canonicus providebit ecclesie ydoneum vicarium sine mora, cui dabit xx solidos ad minus per annum preter distributionem, que fiet vicariis. Verum de foraneorum prebendis, vicario primitus a canonicis residentibus instituto, quicquid de fructibus illarum prebendarum residuum fuerit, canonicis sacerdotibus et vicariis et aliis clericis de choro, qui, secundum quod ordinabitur a canonicis, servitio interfuerint, distribuetur in hunc modum, quod canonici et sacerdos majoris altaris ebdomadarius, sive sit canonicus sive non canonicus, duplam portionem, reliqui vero sacerdotes et reliqui vicarii simplam accipient, clerici autem de choro dimidiam simple. Hanc itaque institutionem se firmiter servaturos singuli canonicorum instituendorum in institutione sua juramenti religione firmabunt, et quod eam nec per se nec per alium infringere procurabunt. Institutus etiam canonicus non prius in choro seu capitulo recipietur ab aliis, aut fructus percipiet prebendales, donec in capitulo juraverit hec omnia se firmiter servaturum. Preterea decanus beati Marcelli et capitulum hoc se juraverunt bona fide similiter servaturos. In hujus itaque rei perpetuam firmitatem presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari, et preterea, in hujus facti testimonium et consensum Hugo decanus et capitulum Parisiense suum sigillum, et capitulum beati Marcelli similiter suum sigillum huic fecerunt apponi. Actum anno incarnati Verbi m°cc°v°, pontificatus nostri anno viij°.

Chartul. episcopi Paris. in Biblioth. nat. Paris. ms. lat. 5526, fol. 53b. *Parvum Chartul.*, in Arch. nat. Paris. LL. 184, p. 90. — Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, I, 75, n° 77.

1. Jam saec. praecedenti idem multo largius fiebat a quibusdam capitulis. Sic Alexander III 19 Decemb. (1170-1180) scribit decano et capitulo Ambianensi : « Addidistis insuper, quod qui fratrum vestrorum de licentia vestra causa studii vel peregrinationis absentes fuerint, prebendam suam nihilominus debeant cum integritate percipere ». Arch. dép. de la Somme (Amiens). *Chartul. I.* G. 339, fol. 45b. Cf. Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.* I, 248.

5. *Innocentius III in litteris ad Odonem episcopum Paris. directis numerum magistrorum in theologia Parisiis ad octonarium reducit.*

1207, Novembris 14, Sutrii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut expedire credimus ut apud civitatem Parisiensem, ad quam pro sacre pagine disciplina celebris recursus habetur theologorum, sit copia magistrorum, qui parvulis petentibus panem frangant et esurientes animas reficiant pabulo verbi Dei : sic etiam decens est, ut ipsorum numerositas refrenetur[1], ne forsitan propter honerosam multitudinem, que nichil habet honesti, vel vilescat eorum officium, vel minus composite impleatur, cum Deus omnia fecerit in numero, pondere ac mensura. Hac igitur[2] consideratione prudenter inducti auctoritate presentium firmiter inhibemus, ut Parisius magistrorum theologie numerus octonarium non transcendat, nisi forte multa necessitas vel utilitas[3] hoc exposcat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Sutrii xviij kal. Decembris, pontificatus nostri anno x.

Reg. Vat. Innocenti III an. 10, fol. 31b. *Chartul. episcopi* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5526, fol. 49b. *Magnum Chartul. eccl. Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 181b. — Bulaeus, III, 36.

1. Tempore Innocentii III numerum theologorum Parisiis fuisse magnum scimus inter alia ex vita Johannis de Montmirail, qui ante an. 1184 Parisios adiit ad consultandos Parisienses theologos : « Cumque Parisiensem urbem fuisset ingressus, peritorum theologorum conventu maximo in unum congregato primum quidem ad eos salutationis verba praemisit ». *AA. SS.* Septemb. VIII, 221, nº 16. In hac narratione sicut in vita Johannis I abbatis S. Albani (1195-1214) insuper nobis est conservata prima notitia de consortio magistrorum Parisiensium. Vide *Gesta abbatum monasterii S. Albani*, ed. Riley, I, 217. — 2. « Igitur » deest in Chartul. episcopi. — 3. Ib. « Multa utilitas et necessitas ».

---

6. *Decretum Odonis episcopi et capituli Parisiensis circa residentiam cancellarii.*

1207, [Parisiis].

Odo Dei gratia Parisiensis episcopus, Hugo decanus et universum capitulum Parisiense omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Notum facimus universis quod nos residentiam cancellarii Parisiensis attendentes necessariam esse nostre Parisiensi ecclesie et cummunitati (*sic*) scolarium, de bonorum virorum consilio et cummuni assensu statuimus in capitulo Parisiensi ut quicumque de cetero cancellarius Parisiensis fuerit, teneatur in persona propria bona fide Parisius residere, et post institutionem suam teneatur juramentum in capitulo exhibere, se facturum residentiam bona fide in ecclesia Parisiensi, quamdiu cancellariam tenuerit, et quod per se vel per alium nullatenus procurabit, quod relaxetur a juramento predicto. Statuimus etiam quod nichil de fructibus cancellarie percipere possit, donec pretaxatum exhibuerit in Parisiensi capitulo juramentum. Postquam autem magister Prepositinus[1] factus est cancellarius, rogavimus eum ut dictum

faceret juramentum, et ad necessitatem residentie faciende se astringeret. Qui libenter et benigne suum ad hoc inclinavit assensum, et primus juravit in forma predicta, in qua successores sui cancellarii de cetero jurare similiter tenebuntur. Quod ut ratum et firmum permaneat, presentem cartam sigillorum nostrorum fecimus impressione muniri. Actum anno Domini M° CC° septimo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 257c, n° 2. Desunt duo sigilla, quae olim exstabant. — *Parvum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 176, p. 203. *Magnum Pastorale*, ibid. LL. 175, p. 600. *Livre noir*, ibid. LL. 177, p. 276. Bulaeus, III, 36.

1. Magister Praepositinus seu Praepositivus electus est cancellarius Parisiensis circa annum 1206, postquam antecessor ejus Bernardus Chabert (vide supra ad n° 1) ad sedem episcopalem Gebennensem evectus erat. Iste ultimus est idem ipse, de quo habetur apud Albricum Trium Fontium (*Mon. Germ.* XXIII, 887) : « Bertrannus, qui erat cancellarius Parisiensis post Pictavinum, factus est archiepiscopus Ebredunensis », nam de sede Gebennensi circa annum 1212 translatus est ad sedem Ebredunensem. Vide *Gallia christ.* XVI, 405. In Obituario S. Victoris legitur ad pridie kal. Decemb. : « Obiit dom. Bernardus Gembennensis (*sic*) episcopus, quondam cancellarius Paris. ». Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14673, fol. 258. In ecclesia Parisiensi ejus anniversarium celebrabatur 2 non. Maii. Vide Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, IV, 62. — Praepositinus Cremonensis (ut legitur in mss. Oxoniae, Coll. univers., n° 61, fol. 201; Bibl. imperial. Vindobon., n° 1501) erat celebris theologus, cujus *Summa* cum initio : « Qui producit ventos » in multis mss. conservatur.

---

7. *Constitutiones Gualae Bichieri S. Mariae in Porticu diaconi cardinalis et apostol. sedis legati circa magistros et scholares Parisienses.*

1208, [Parisiis].

Volentes autem, quantum cum Deo et honeste possumus, magistris et scolaribus deferre, eatenus erga ipsos rigorem, si quis est, nostre constitutionis duximus temperandum, ut, antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per magistros et comminatio excommunicationis in transgressores. Quibus premissis, si qui forte contumaces et rebelles extiterent, iterum et nominatim sub eadem comminatione et in scolis moneantur, indulta nihilominus ad satisfaciendum dilatione competenti. Quod si forte nec taliter resipiscere voluerint, ex tunc per cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuncientur, et tamdiu ab omnibus evitentur, donec satisfecerint competenter, et ab episcopo, si fuerit presens, vel eo absente ab abbate S. Victoris cum forma ecclesie fuerint absoluti. Precipimus autem magistris in virtute Spiritus Sancti ut predicta omnia, excepto tamen necessitatis excusabilis articulo, diligentius exequantur, ne per negligentiam vel malitiam aliquorum nostre constitutionis auctoritas contemnatur.

Mansi, *Ampl. concil. coll.* XXII, 763, nos 8-10. — Bulaeus, III, 44. Constitutiones septem priores tractant : 1. ne cum clericis et sacerdotibus mulieres commorentur; 2. ne pro sacris aliquid exigatur; 3. de vestibus sacerdotum; 4. de vestibus archipresbyterorum, archidiaconorum, prepositorum; 5. de vestibus monachorum; 6. ne clerici et monachi foenus et negotiationem inhonestam exerceant; 7. ut prelati supradicta observent et faciant observari; quod capitulum sequentis tenoris est : « Ut autem ab omnibus in tonsura et habitu et conversatione honestas ecclesiastica conservetur, districte precipimus prelatis universis sub attestatione divini judicii firmiter injungentes ut omnia supradicta observent et quantum in ipsis erit faciant a subditis monitione premissa per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari ». Deinde sequitur 8 capitulum : Ut cum magistris et scolaribus agatur indulgentius, ut supra. In Bibl. Arsenalis Paris. ms. 769 (saec. XIII ineunt.) vero, ubi, fol. 113b, constitutio Gualae cum hac superscriptione : « Incipit constitutio Galo », occurrit, et in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 4653, fol. 120 (saec. XIV-XV), desunt capitula supra edita ad magistros et scholares Parisienses spectantia; post relata in nota verba « inviolabiliter observari » legitur in Arsen. : « Explicit ». In Bibl. Laudunensi ms. 157, fol. 44 (saec. XIII.), invenitur tantummodo principium constitutionis a « Gala » editae.

8. *Innocentius III ad doctores sacrae paginae, decretorum liberaliumque artium Parisiis commorantes de magistro G. communioni magistrorum restituendo.*

1208-1209.

Universis doctoribus sacre pagine, decretorum et liberalium artium Parisius commorantibus. Ex litteris vestre devotionis accepimus, quod cum quidam moderni doctores liberalium artium a majorum suorum vestigiis in tribus presertim articulis deviarent, habitu videlicet inhonesto, in lectionum et disputationum ordine non servato, et pio usu in celebrandis exequiis decedentium clericorum jam quasi penitus negligenter omisso, vos cupientes vestre consulere honestati octo ex vobis juratos ad hoc unanimiter elegistis, ut super dictis articulis de prudentum virorum consilio bona fide statuerent, quod foret expediens et honestum ad illud imposterum observandum vos juramento interposito communiter astringendo, excepto dumtaxat magistro G., qui jurare renuens et formidans fidejussoriam pro se tantum optulit cautionem. Fuit insuper ad cautelam a vobis fide prestita protinus constitutum, ut si quisquam magistrorum adversus alios duceret resistendum et primo, secundo tertiove commonitus infra triduum universitati parere contempneret magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur et quidem hoc ultimum quidam ex vobis simpliciter, quidam vero nisi satisfaceret, et nonnulli nisi per nos se admitti ab aliis optineret se intellexisse fatentur. Cum autem supradictus magister G. infra triduum universitati non paruerit, requisitus juxta condictum vestrum, ex tunc a vobis habitus est exclusus, qui cum satisfactioni condigne se postmodum optulisset, in quatuor vestrum juramento interposito compromisit illorum dictum pro bono pacis se gratum et ratum pariter habiturum. Illi vero usi consilio sapientum dictum suum communiter promulgarunt, memorato magistro in virtute juramenti prestiti prohibentes, ne deinceps in licitis universitati resisteret magistrorum et injungentes eidem, ut tandiu in eo statu persisteret, quo tunc erat, donec per se vel procuratorem suum se posse ab aliis magistris admitti per sedem apostolicam optineret, salva in omnibus honestate. Unde nobis humiliter supplicastis, ut eundem magistrum virum utique providum et honestum, qui tamquam obedientie filius quod sibi predicti quatuor injunxerunt suscepit humiliter et patienter observat, ex benignitate apostolica faceremus communioni restitui magistrorum. Nos igitur ex premissis intelligentes eidem magistro fuisse mandatum, ut tandiu in eo statu persisteret quo tunc erat, donec magistrorum communioni de mandato sedis apostolice redderetur, et paratus sit super premissis satisfactionem congruam exhibere, licet fuerit constitutum, ut si quis magistrorum adversus alios duceret resistendum et primo, secundo tertiove commonitus infra triduum universitati parere contempneret magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur, et ob hoc ipse fuit eorum communione privatus : quia tamen constitutum non fuit ut in perpetuum hujusmodi privatio perduraret, et tam juris canonici quam nostri moris existat,

ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem optineat, universitati vestre presentium auctoritate mandamus, quatinus supradictum magistrum statutis vestris humiliter parere curantem ad communionis vestre consortium in magistralibus admittatis.

Reg. Vat. Innocentii III anni 11, ep. 274 (inter epistolas data carentes annum 11 sequentes et annum 12 praecedentes), fol. 93b. — *Compil. III* de jurejurando, c. 12 (2, 15), et abbreviata X De constitut. 1, 2. 11. Hic invenitur titulus : « universis doctoribus Parisius commorantibus », et sic etiam in pluribus codd. *Compil. III*; in aliis vero : « rectoribus universis sacre pagine, decretorum et liberalium artium Parisius commorantibus ». Vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters* I, 107 sq. — Bulaeus, III, 60. — Nominantur supra tantummodo sacra pagina, decreta ac liberales artes. Isto tempore tamen etiam jus civile et medicinam Parisiis esse traditam narrat Guillelmus Armoricus. Vide *Œuvres de Rigord et de Guillaume le Breton*, ed. Delaborde, I, 230. Cf. insuper poema Agydii Parisiensis in *Rec. des hist. des Gaul.* XVII, 289. Physicae facultatis seu medicinae mentio fit etiam in litteris Gregorii IX, Maii 5 anni 1231, infra nº 91. Giraldus Cambrensis praeterea affert sententiam Rogeri Normanni : « Non est sub sole scientia, si fuerit Parisius forte delata, quae incomparabiliter ibi et longe excellentius quam usquam alibi proculdubio non praevaleat ». *De rebus a se gestis* in *Opp. omn.*, ed. Brewer, I, 46. Alexander Neckam, *De laudibus divinae sapientiae*, opp. ed. Wright, p. 453.

---

9. *Litterae Petri episcopi, decani capitulique S. Germani Autisiodorensis Parisiensis de fundatione collegii pauperum scholarium S. Honorati.*

1209, mense Februario, [Parisiis].

Petrus Dei gratia Parisiensis episcopus[1] et Sancti Germani decanus totumque capitulum Sancti Germani Antisiodorensis Parisiensis omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et pacem. Notum fieri volumus quod Stephanus Berot bone memorie legavit quandam portionem de bonis suis, ut post suum obitum inde prebenda fieret in honorem Domini nostri J. C. et S. Marie Virginis, sancti Martini omniumque sanctorum ad opus cujusdam sacerdotis ac canonici in ecclesia B. Honorati pro remedio anime sue omniumque amicorum suorum. Quod si predictum canonicum mori contingeret vel prebendam resignaverit, Ada uxor relicta predicti Stephani et magister Stephanus filius ejus vel alter eorum, qui superstes erit, habebit potestatem quandiu vixerit loco illius alium presentandi; sed post eorum obitum donatio et investitura predicte ad decanum S. Germani Antisiodorensis et ad capitulum pertinebit. Adjunxit etiam, quod de bonis predictis quedam domus fieret, que lectis tredecim ad opus pauperum scolarium muniretur, ita quod nullo modo predicta domus in alios usus verteretur, et que ab uno predicte ecclesie S. Honorati canonico custodiretur tali conditione manente, quodsi predictus canonicus injuriosus velit existere pauperibus clericis ibi manentibus, ita quod inde a predictis scolaribus querela juste perveniat, predicta Ada et magister Stephanus predictus, vel alter eorum, qui fuerunt superstites, potestatem habeant, quandiu vixerint, dictum canonicum a provisione domus revocandi, et loco ejus alium canonicum sacerdotem substituendi et Parisiensi episcopo presentandi, vel canonicum non sacerdotem, si sacerdos idoneus inventus non fuerit. Si vero nullus ecclesie predicte canonicus curam

recipere voluerit vel ibi idoneus inventus fuerit, predicta Ada et magister Stephanus predictus vel alter eorum, qui tunc fuerit superstes, potestatem habebunt quandiu vixerint ad predicte domus provisionem personam aliam idoneam ac sibi placitam Parisiensi episcopo presentandi et se intromittendi; sed post eorum obitum tota provisio et justitia domus ipsius ad Parisiensem episcopum in perpetuum pertinebit. Preterea Renoaldus Cherin et Sybilla uxor ejus et omnes dicti canonici S. Honorati pro remedio animarum suarum ad conservationem domus predicte et sustentationem pauperum scolarium ibidem manentium unum arpentum terre, qui est juxta cemiterium predicte ecclesie S. Honorati, dederunt et concesserunt. Hoc autem factum fuit publice de concensu canonicorum omnium S. Honorati et totius capituli S. Germani Antisiodorensis. Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat, presentem paginam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno gratie MCCVIII, mense Februario.

Apographum saec. XVII in Arch. nat. Paris. L. 569, nº 35 ex antiquo *Chartul. S. Honorati* (fol. 75b-76b), ex quo, ut videtur, Bulaeus, III, 45, suum textum mendosum desumpsit. In Arch. nat. LL. 66-68 superest tantummodo *Chart.* saec. XVIII, ubi nostrum documentum non integre neque ad verbum refertur. In praedicto apographo (sicut etiam apud Bulaeum) haec charta inserta est litteris vulgo *Vidimus* dictis cum hoc prooemio : « Universis presentes litteras inspecturis Stephanus archidiaconus (et) Odo cancellarius [et] Parisiensis officialis salutem in Domino. Notum facimus, nos litteras sigillatas sigillo bone memorie Petri quondam episcopi Parisiensis et decani totiusque capituli S. Germani Antisiodorensis Parisiensis non cancellatas, non oblitas nec in aliqua parte sui viciatas inspexisse verbo ad verbum sub hac forma ». In fine legitur : « Datum anno Domini MCC quadragesimo octavo mense Julio ». Apud Bulaeum : anno 1245. Lector vero monendus est nec annum 1248, nec 1245 convenire cum tempore, quo Odo cancellarius fuit, nam anno 1244 jam ad cardinalatus honorem promotus erat.

1. Petrus de Nemours, 1208-1219.

---

10. *Innocentius III Petro Parisiensi episcopo mandat ut Thomae provisori et fratribus religiosae domus pauperum scholarium S. Thomae de Lupara Paris. licentiam tribuat construendi capellam, ac coemeterium eis benedicat salvo jure parochiali.*

1210, Februarii 12, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Thome provisoris et fratrum religiose domus pauperum scolarium S. Thome martyris Parisiensis nobis est humiliter supplicatum ut, cum eis per bone memorie Urbanum papam predecessorem nostrum concessum sit, quod per diocesanum episcopum ipsis debeat cimiterium benedici, super hoc tibi scribere dignaremur, propriam sibi construendi capellam nichilominus concedentes potestatem. Nos ergo fraternitati tue, cum loci diocesanus existas, deferre volentes per apostolica tibi scripta precipiendo mandamus, quatinus secundum memorati predecessoris nostri concessionem cimiterium eis hujusmodi benedicas, et, salvo jure parochiali, licentiam eis tribuas propriam construendi capellam[1], super quo, si contentio aliqua mota fuerit et vocatis qui fuerint evocandi, eorum appellatione remota justitia

mediante decidas; [nos enim] faciemus, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Dat. Laterani ij id. Febr., pontificatus nostri anno duodecimo.

Bulaeus, II, 465, sed imperfecte. — Vide notam ad litteras Urbani III supra parte introd. nº 16. Idem pontifex 31 Dec. 1209 provisori et fratribus religiosae domus pauperum scholarium S. Thomae de Lupara significat se prohibere, ne ullus fratrum absque licentia rectoris sui e domo praedicta, nisi arctioris religionis obtentu, discedat. Praeterea duos obolos aureos apostolicae sedi solvant. Bulaeus, II, 465.

1. Executioni mandavit episcopus Paris. hoc praeceptum anno 1217 et certos limites tam canonicis quam provisori domus praescripsit. Arch. nat. Par. L. 549, nº 8. Sic tam canonici, quam rector et fratres hospitalis S. Thomae de Lupara possidebant proprium coemeterium et propriam ecclesiam. Jam mense Novembris 1212 idem episcopus Parisiensis pronuntiavit sententiam arbitrum, pratum ab episcopo Belvacensi donatum et circa ecclesiam S. Thomae situm, pro parte ad canonicos, pro parte ad hospitale pertinere. Dubois, *Hist. eccl. Paris.*, II, 184. An. 1218, Maii 26, Honorius III decanum, cantorem et cancellarium Paris. constituit conservatores privilegii in epistola supra edita expressi. Originale in Arch. nat. Paris. L. 549, nº 14.

---

11. *Decreta magistri Petri de Corbolio Senonensis archiepiscopi, Parisiensis episcopi*[1] *atque aliorum episcoporum Parisiis congregatorum super haereticis comburendis et super libris Aristotelis aliorumque.*

1210, Parisiis.

Corpus magistri Amaurici[2] extrahatur a cimeterio et projiciatur in terram non benedictam, et idem excommunicetur per omnes ecclesias totius provincie[3]. Bernardus[4], Guillelmus de Arria aurifaber, Stephanus presbyter de Veteri Corbolio, Stephanus presbyter de Cella[5], Johannes presbyter de Occines, magister Willelmus Pictaviensis[6], Dudo[7] sacerdos, Dominicus de Triangulo, Odo[8] et Elinans[9] clerici de S. Clodoaldo, isti degradentur penitus seculari curie relinquendi. Urricus presbyter de Lauriaco[10] et Petrus de S. Clodoaldo[11], modo monachus S. Dionysii, Guarinus[12] presbyter de Corbolio, Stephanus[13] clericus degradentur perpetuo carceri mancipandi. Quaternuli magistri David de Dinant infra natale episcopo Parisiensi afferantur et comburantur, nec libri Aristotelis de naturali philosophia[14] nec commenta[15] legantur Parisius publice vel secreto, et hoc sub penae xcommunicationis inhibemus[16]. Apud quem invenientur quaternuli magistri David[17] a natali Domini in antea pro heretico habebitur. De libris theologicis scriptis in Romano precipimus, quod episcopis diocesanis tradantur et *Credo in Deum*, et *Pater noster* in Romano preter vitas sanctorum, et hoc infra purificationem, quia apud quem invenientur pro heretico habebitur.

Martène, *Thes. nov. anecd.* IV, 165.

1. Petri de Nemours. — 2. Clerici Amalrici de Bena, « qui (Parisiis) cum in arte logica peritus esset et scholas de arte illa et de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam ». *Œuvres de Rigord et de Guillaume le Breton*, ed. Delaborde, I, 230. — 3. Rationem afferunt Guillelmus Armoricus apud Delaborde l. c. p. 233, et Caesarius Heisterbac. *Dialogus miraculorum* dist. 5, c. 22, ed. Strange, I, 307. — 4. Caesarius l. c. p. 304 vocat eum subdiaconum. — 5. Caesarius dicit de istis duobus et de sequenti, qui apud eum Johannes de Uncinis vocatur, ac de Guillelmo aurifabro : « isti omnes in theologia studuerant ». — 6. Caes. : « subdiaconus, qui legerat Parisius de artibus et tribus annis studuerat in theologia ». — 7. Caes. : « specialis clericus magistri Almerici sacerdotis, qui fere decem annis in theologia studuerat ». — 8. Caes. : diaconus. — 9. Apud Caes. vocatur rectius Elinandus (Strange perperam : Elmandus). Erat acolythus. — 10. Caes. : « Ulricus sacerdos de Lueri (Lauri), qui sexagenarius studuerat in theologia tempore multo ». — 11. Caes. : « Petrus de S. Clodowaldo sacerdos et sexagenarius, qui etiam audierat theologiam ». — 12. Caes. : « magister

Garinus, qui conventaverat Parisius de artibus, et hic sacerdos audierat theologiam a magistro Stephano, archiepiscopo Cantuariensi » (i. e. a Stephano de Langton, quando adhuc rexerat Parisiis). — 13. Caes. : diaconus de Veteri Curbuelo (Corbolio). — 14. Concilium non distinxit, ut quinque post annos Robertus de Courçon et alii post illum, inter Aristotelis Metaphysicam ac libros de naturali philosophia. Apud auctores ante Concilium mortuos inveni citatos libros de *Metaphysica* (Petrus Pictav. Glossae in Sent. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14423, fol. 65ª : « asserunt quidam, hoc Aristotelem dixisse in *Metaphi.*, sed qui diligenter inspexerunt, hoc negant ». Circa idem tempus Symon Tornacensis, ms. lat. 14886, fol. 35, de *Anima* (abbas Absalon, Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14525, fol. 132). Absque dubio erant etiam noti libri *Physicorum* et forsan de *Coelo et mundo*. Robertus Antisiodor., *Chron.* in *Mon. Germ.* XXVI, 276, dicit libros Aristotelis, qui de naturali philosophia inscripti sunt, ante paucos annos (ante an. 1210) Parisiis coepisse lectitari. — 15. Utique Averrois. — 16. « Ne legerentur amplius *in scolis* sunt prohibiti », ait Giraldus Cambrensis (*Opp.* ed. Brewer, IV, 10), sive publice, sive privatim, et quidem tantummodo Parisiis. Guillelmus Armoricus (ed. Delaborde, I, 233) hic in narratione penitus a veritate declinat dicens : « jussi sunt omnes (libelli Aristotelis) comburi ». — 17. De David de Dinant refert *Compilatio de novo spiritu*, quae in Bibl. civit. Magunt., nº 331, fol. 62ª, Alberto Magno ascribitur, in 76 errore : « Dicere, quod omnis creatura sit deus, heresis Alexandri est, qui dixit, materiam primam et deum et noym hoc est mentem in substantia (*l.* unam substantiam), quem postea quidam David de Dynant secutus est, qui temporibus nostris pro hac heresi de Francia fugatus est et punitus fuisset, si fuisset deprehensus ». Bibl. Monacens. ms. lat. 311, fol. 92ᵇ.

---

12. *Hae sunt haereses, pro quibus quidam sacerdotes et clerici, sectatores Amalrici, Parisius igne examinati et consumpti sunt.*

Ad an. 1210.

In hunc modum detrahebant creatori, qui creatura erant. Auctoritas sancta sic loquitur : Opera Trinitatis inseparabilia. Hi e contra : Pater a principio operatus est sine Filio et Spiritu sancto usque ad ejusdem Filii incarnationem.

Item auctoritas : Solus Filius incarnatus. Hi e contra : Pater in Abraham incarnatus, Filius in Maria, Spiritus sanctus in nobis quotidie incarnatur.

Item auctoritas : Omnia sub sole vanitas. Hi e contra : Omnia unum, quia quicquid est, est Deus. Unde quidam eorum, nomine Bernardus[1], ausus est affirmare, se nec posse cremari incendio, nec alio torqueri supplicio, in quantum erat, quia in eo quod erat, se Deum dicebat.

Tum : Deus visibilibus erat indutus instrumentis, quibus videri poterat a creaturis et accidentibus corrumpi poterat extrinsecis. Hoc siquidem errore decepti, corpus Christi ante verborum prolationem visibilibus panis accidentibus subesse conati sunt affirmare, cum e contra dicat auctoritas : Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Quod sic exposuerunt : Id quod ibi fuerat prius formis visibilibus, prolatione verborum subesse ostenditur.

Item : Filius incarnatus, id est visibili forme subjectus; nec aliter illum hominem esse Deum, quam unum ex eis cognoscere voluerunt.

Item : Spiritus sanctus in eis incarnatus, ut dixerunt, eis omnia revelabat; et hec revelatio nihil aliud erat, quam mortuorum resurrectio. Inde semetipsos jam resuscitatos asserebant; fidem et spem ab eorum cordibus excludebant, se soli scientie mentientes subjacere.

Item : de meritis presumentes, gratie derogantes, mentiti sunt bonorum baptismatis

non egere parvulos ex eorum sanguinibus propagatos, si sue conditionis mulieribus carnali possent copula commisceri.

Item : Filius usque nunc operatus est, sed Spiritus Sanctus ex hoc nunc usque ad mundi consummationem inchoat operari.

Hujus opinionis omnino quatuor sacerdotes, duo diaconi, tres subdiaconi comprobantur extitisse, qui xviij kalendas Decembris, juxta sancti Honorati basilicam degradati, xij kalendas mensis nominati infelici martyrio a seculo migraverunt[2]. Horum causa quosdam libros etiam ipsis sapientibus cognovimus interdictos[3].

Martène, *Thes. nov. anecd.* IV, 163. — In Bibl. Trecensi ms. 1301 (ante med. saec. XIII), fol. 141-154, occurrit Tractatus « contra Amaurianos » cujus initium : « Incipit prologus in opere sequenti. In novissimis diebus erunt homines seipsos amantes ». In ipso refelluntur duodecim sectatorum Amalrici errores, qui pro magna parte cum suprascriptis concordant et eos mirifice explicant, quorum tituli hic appositi sunt. « Dicunt enim : Deus est ubique. Nemo est qui hoc negare audeat. Sed *inferunt : ergo est in omni loco. Ad hoc respondet Augustinus* : Sicut Deus est sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, ita est sine loco ubique totus... (fol. 142b) Secundam eorum heresim sumunt ex auctoritate apostoli dicentis : Deus operatur omnia in omnibus (fol. 143). Unde inferunt : ergo tam bona quam mala. Ergo qui cognoscit Deum in se omnia operari, peccare non potest. Et sic Deo et non sibi attribuunt quod peccant et sic neminem penitentia indigere mentiuntur... (fol. 144) Contra iij (heresim) qua dicunt, quod infernus nichil aliud est quam ignorantia... Contra iiij, dicunt quod paradisus nil est aliud quam cognitio veritatis, quam se *dicunt* habere... Contra v, qua dicunt, quod si judeus habet cognitionem veritatis quam habemus, non oportet ut baptizetur... (fol. 145) Contra vj, qua dicunt, quod si quis a sacerdote longam suscepisset penitentiam, si haberet eorum (i. e. veritatum ipsis notarum) cognitionem, non oporteret ut ageret penitentiam... Qui cognoscit, *inquiunt*, Deum esse in se, *lugere* non debet, sed ridere... Contra vij, qua dicunt fabulosum esse, quicquid *magistri Parisienses* de resurrectione asseverant, quia, ut aiunt, cognitio hec (i. e. veritatum eorum sectae revelatarum) plena est resurrectio, nec alia est exspectanda... (fol. 146). Contra viij, qua dicunt, quod nemo potest esse salvus, nisi credat se esse membrum Christi... (fol. 147) Contra ix, quod Deus est omnia in omnibus. Sic enim procedunt : Deus erit omnia in omnibus; sed quicquid erit, est, quia mutatio non cadit in Deum : ergo Deus est omnia in omnibus. Quid est absurdius, quam quod Deus est lapis in lapide, Godinus (novissimus Amalricorum) in Godino? Adoretur ergo Godinus non solum dulia, sed latria, quia Deus est... (fol. 148) Contra x, quod Pater incarnatus fuit in Abraham et in aliis veteris testamenti patribus; Filius Dei in *Christo* et in *aliis christianis*; Spiritus Sanctus in *illis*, quos vocant *spiritales*. Ecce hucusque credidimus Filium incarnatum; jam isti Christum predicant ingodinatum... (fol. 151) Contra xj, quod affirmant, quod corpus Domini est ubique... (fol. 152) Contra xij, quod inquiunt : sicut corpus Domini adoratur in pane consecrato in altari, ita adoratur in pane simplici apposito comedenti. Hec heresis ab illa descendit, qua dicunt, corpus Domini esse ubique ». Aliqui istorum errorum enumerantur etiam a Guillelmo Armorico (ed. Delaborde, I, 231 sq.) et Caesario Heisterbac. *l. c.* I, 304 sqq., ut de posterioribus scriptoribus sileamus.

1. Qui primus in decreto nº 11 allato nominatur. — 2. Guill. Armoricus dicit : « cremati sunt Parisius extra portam in loco qui nuncupatur Campellus ». Ed. Delaborde, I, 233. — 3. Vide decretum Concilii in documento priori.

---

13. *Praecepta Philippi regis Francorum ad laicas potestates super modo captionis et retentionis clericorum.*

1210, mense Maio, Compendii.

Philippus Dei gratia Francorum rex dilectis suis universis majoribus, juratis conmuniarum ad quos presentes littere pervenerint, salutem et dilectionem. Quoniam molestum est nobis et graviter sustinemus quod vos dampna et gravamina sepius incurritis, clericos eo modo quo non debetis capiendo, vobis mandantes precipimus et firmiter inhibemus, ne de cetero aliquem clericum, de quo manifestum sit quod sit clericus, capiatis vel arrestetis, neque incarceretis, nisi eum inveneritis ad presens forisfactum multri, homi-

cidii, adulterii, raptus vel alicujus magni criminis hujusmodi vel sanguinis effusi per baculum vel lapidem vel per arma moluta, vel nisi eum deprehenderitis extra horam in domo alicujus, qui eum domum suam prohibuerit coram bonis testibus. Si autem ad aliquod hujusmodi forisfactorum presencialiter et de die captus fuerit aliquis, de quo certum sit quod sit clericus, statim reddatis eum judici ecclesiastico sub quo erit, ad faciendum de eo id quod secundum quantitatem et qualitatem forisfacti fuerit faciendum. Si vero de nocte captus fuerit et eadem nocte a judice ecclesiastico requiratur, si hora est qua possit reddi, eum reddatis per bonum testimonium; si autem eadem nocte non reddideritis, quia erit forsitan extra horam, ipsum non mittatis cum latronibus vel aliis malefactoribus, sed per se in custodia honesta usque in crastinum servetis, et mane antequam requiratur eum reddatis ecclesiastico judici sub quo erit. Cum vero aliquis capietur, de quo non erit certum quod sit clericus, quando requisitus fuerit et constiterit eum esse clericum, reddatur ut predictum est. Idem per omnia de omnibus religiosis personis volumus et precipimus observari. Has litteras transcribi faciatis et transcriptum bene custodiatis. Actum Compendii anno Domini M° CC° X°, mense Maio.

Arch. départ. de l'Oise (Beauvais): *Cartul. du chapitre de Noyon*, G. 1984, fol. 303. — Le Vasseur, *Ann. de l'église de Noyon*, p. 927, offert tantummodo excerptum. Martène, *Thes. nov. anecd.* IV, 163. Cf. Delisle, *Catalogue des actes de Philippe Auguste*, n° 1209.

---

14. *Innocentius III ad Hervaeum episcopum, ad decanum et archidiaconum Trecenses, ut Johannem cancellarium Parisiensem censura ecclesiastica compescant, nisi ad meliorem mentem erga scholares redierit.*

1212, Januarii 20, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. decano et .. archidiacono Trecen.[1] salutem et apostolicam benedictionem. Miramur non modicum et movemur quod, sicut ex dilectorum filiorum scolarium Parisiensium querela didicimus, a volentibus scolas regere, quos etiam magistrorum assertio idoneos asserit ad regendum, juramentum fidelitatis vel obedientie ac interdum pecunie precium dilectus filius .. cancellarius Parisiensis[2] nititur extorquere, pro motu proprio incarcerans delinquentes, ubi etiam non presumitur, quod pro enormitate delicti examen judicis debeant fuge presidio declinare, ac exigens pecuniam ab eisdem (cum in personam, non in facultates, vindicari requirat excessus), in usus proprios convertit eandem, ut videatur vindictam cupiditatis ardore potius quam zelo justicie exercere. Cum igitur tempore, quo vacavimus Parisius studio litterarum, nunquam scolares viderimus sic tractari, eidem cancellario nostris litteris dedimus in preceptis, ut sic hujusmodi corrigat per seipsum, quod eum per alium ad id compelli minime faciamus. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus cancellarius mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos eum a presumptione hujusmodi sublato appellationis obstaculo censura

ecclesiastica compescatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Laterani xiij kal. Februarii, pontificatus nostri anno xiiij.

Ex instrumento mense Novembri 1213 ab episcopo Hervaeo Trecensi confecto, infra nº 18. — Apud Jourdain nº 13 et 15 perperam anno 1210 ascribitur.

1. Sic in litteris a Petro episcopo (infra nº 16) relatis; in exscriptis vero ab Hervaeo sic legitur : . . venerabili fratri episcopo et dilectis filiis N. decano et . . archidiacono Trecen. » — 2. Johannes de Candelis, de quo Albricus Trium Fontium (*Mon. Germ.* XXIII, 891) sub anno 1209 : « Post cancellarium Parisiensem magistrum Prepositinum, virum venerabilem, natione Lombardum, qui fecit optimos sermones et quasdam postillas sententiarum (vide supra parte introd. ad nº 10), fuit cancellarius quidam magister Johannes de Candelis, et post eum magister Stephanus decanus Remensis. »

---

15. *Innocentius III ad Johannem[1] abbatem S. Victoris Parisiensis ne scholares Parisienses, qui alibi quam Parisiis manus injecerint violentas in clericos, absolvere praesumat.*

1212, Januarii 23, Laterani.

Abbati S. Victoris Parisiensis. Sicut ex litteris tuis nuper accepimus, cum olim ex parte dilectorum filiorum scolarium Parisiensium nobis fuerit humiliter supplicatum, ut cum interdum eorum aliqui ex mutua injectione manuum in canonem incidant sententie promulgate, pro qua sine gravi dispendio et presertim sine scolastici studii detrimento non possent ad apostolicam sedem accedere, super hoc dignaremur eisdem misericorditer providere : nos tibi dedimus in mandatis, ut cum esses a talibus requisitus, auctoritate nostra suffultus juxta formam ecclesie absolutionis eis munus impenderes, et injungeres ipsis, quod hujusmodi consuevit injungi, nisi forsan tam gravis esset et enormis excessus, quod merito propter eum deberent ad sedem apostolicam laborare. Tu vero quorumdam consilio asserentium beneficia principum latissime fore interpretanda, scolaribus Parisiensibus, qui inciderant in hujusmodi canonem, quocumque loco injiciendo temere manus in clericos violentas, juxta formam prescriptam absolutionis beneficium impendisti. Nos igitur hiis auditis de tua non potuimus prudentia non mirari, quod ad sic intelligendum litteras nostras tuum animum inclinasti, cum in eisdem litteris non dicatur *inciderint* sed *incidant* in canonem sententie promulgate : ut de illis solis intelligatur scolaribus, qui Parisius existentes hujusmodi committunt excessum. Quocirca presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus scolares illos absolvere de cetero non presumas, qui alibi quam Parisius taliter deliquerunt, sciens quod illi pro absolutis haberi non debent, quos[2] alibi delinquentes quam Parisius absolvisti, cum de talibus nullam acceperis potestatem. Dat. Laterani x kal. Februarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Reg. Vat. Innocentii III an. 14, ep. 150, fol. 79b. — Bulaeus, III, 63. Apud Jourdain nº 14 falso anno 1210 ascribitur.

1. Cognomento Theutonicum (1203-1229), qui non confundatur cum celebri canonista et glossatore decret. coaevo Johanne Theutonico. — 2. Reg. : « quod ».

16. *Petrus Parisiensis episcopus refert, quomodo ex apostolico mandato sit factum concordamentum inter magistros et scholares Parisienses ex una, et Johannem cancellarium Parisiensem ex alia parte, et puncta singula compositionis enumerat.*

1213, mense Augusto.

Petrus Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus quod, cum contentio verteretur inter J. cancellarium Parisiensem ex una parte, et magistros et scolares Parisienses ex alia super diversis querelis, ipsi magistri et scolares ad judices delegatos litteras impetrarunt apostolicas sub hac forma : Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. decano et .. archidiacono Trecen. salutem et apostolicam benedictionem. Miramur non modicum[1], *etc. ut supra* n° 14. Tandem autem idem cancellarius et magistri et scolares Parisienses mediantibus bonis viris venerunt in concordiam in hunc modum, videlicet, quia commiserunt se arbitrio et ordinationi sex discretorum virorum, scilicet P. succentoris, R. capellani, et domini Alebrandini, canonicorum Parisiensium ex parte cancellarii, et .. decani Saresburiensis, et magistri G. de La Mare, et magistri W. de Sancto Melano ex parte magistrorum et scolarium : ipsi vero longa deliberatione habita et tractatu pensata utilitate scolarium et scolarum prudentum freti consilio pro bono pacis ordinaverunt super hiis in hunc modum. Videlicet, quod cancellarius sacramenta fidelitatis vel obedientie vel aliam obligationem aliquam pro licentia legendi danda non exiget ab aliquo lecturo Parisius, et etiam relaxabuntur prestita juramenta. Item pecuniam non exiget cancellarius nec aliquam aliam rem loco pecunie aliquo modo pro licentia danda. Preterea clericos non incarcerabit, ubi non presumitur, quod pro enormitate delicti examen judicis fuge presidio debeant declinare, vel nisi pro alia justa et evidenti causa; et si dubium sit, utrum sit justa vel evidens, statim recurratur ad nos vel officialem nostrum ad determinandum utrum sit justa et evidens. Et si circa sufficientiam cautionis questio oriatur, per nos vel officialem nostrum determinetur, sicut et alio casu superius est expressum; et si incarceratus fuerit, per sufficientem cautionem prestitam a carcere liberetur, nec clericos citandos nec capiendos capi vel citari faciet per publicos ministros, dum sui ad hoc sufficiant. Cancellarius etiam in causa, in qua ratione cancellarie judex est, non exiget nec recipiet pecuniariam emendam pro injuria facta uni scolari ab alio, vel clerico vel laico; nec etiam, si ipsi cancellario fiat injuria, emendam pecuniariam poterit exigere, nisi auctoritate episcopi vel superioris; sed injuriantem poterit condempnare in pecuniam leso prestandam. Hec autem ordinaverunt perpetuo observanda. Alia vero que sequuntur ad tempus tenebunt, quamdiu videlicet predictus cancellarius cancellariam tenebit. Porro petenti licentiam de theologia non poterit cancellarius denegare licentiam, si major pars theologorum legentium perhibuerit ei testimonium et asseruerit pro vero, quod idoneus sit ad hoc, salvo hoc ipsi

cancellario, quod ipse possit dare licentiam cui viderit esse dandam etiam non habito testimonio aliquorum magistrorum vel alicujus magistri. Et iste articulus maneat, quamdiu non erit taxatus numerus theologorum; et si forte fuerit taxatus, sit de hoc articulo sicut erat ante compromissum. Quod si forte denegaverit, ex tunc quandocumque voluerit auctoritate nostra habeat legendi licentiam. Petenti quidem licentiam legendi de decretis vel legibus non possit cancellarius denegare, si major pars legentium de decretis vel legibus dicant in verbo veritatis, quod idoneus sit ad hoc, et hoc sive taxetur numerus sive non. Aliis etiam quibus voluerit dare poterit licentiam sine testimonio illorum vel alicujus magistri. Et idem fiat de phisicis, excepto hoc quod de idoneitate ejus quem presentabunt de phisica lecturum dabunt fidem; quod si forte denegaverit cancellarius, ex tunc quandocumque voluerit auctoritate nostra habeat legendi licentiam. De magistris quoque artium sex eligentur, tres ab ipsis magistris et tres a cancellario; et ille cui isti sex vel major pars perhibebunt testimonium fide corporaliter prestita quod idoneus sit, cancellarius non poterit ei denegare licentiam. Quod si forte denegaverit cancellarius, ex tunc quandocumque voluerit auctoritate nostra habeat legendi licentiam; aliis tamen quibus voluerit dare poterit licentiam sine testimonio illorum. Singulis autem sex mensibus removebuntur isti sex, et alii ad id sex similiter eligentur. Hoc autem dictum et compromissum ita est utrinque receptum, quod omnia supra dicta quantum ad cancellarium firma permaneant, salva in omnibus supradictis jurisdictione nostra et auctoritate Parisiensis ecclesie. Superiori autem ordinationi assensum prebuerunt partes supradicte. Nos vero hanc compositionem ratam et gratam habentes, has litteras fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Domini M°CC° tertio decimo, mense Augusto, pontificatus nostri anno quinto.

Ex instrumento confecto mense Novembri 1213 infra n° 18. — Jourdain, n° 15.

1. Integrae litterae Innocentii afferuntur.

---

17. *Johannes de Candelis, cancellarius Parisiensis, ratam habet et promittit servare compositionem factam inter se ex una parte, et magistros et scholares Parisienses ex altera parte.*

1213, mense Augusto, [Parisiis].

J. cancellarius Parisiensis omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus quod compositionem illam quam venerabilis pater P. Parisiensis episcopus inter nos ex una parte, et magistros et scolares Parisienses ex alia fieri procuravit, quantum ad nos pertinet, ratam habemus et servabimus inconcussam, sicut in litteris ipsius episcopi super hoc factis plenius continetur. Et ut hoc firmum et ratum habeatur, sigilli nostri munimine duximus roborandum. Actum anno Domini M°CC° tertio decimo, mense Augusto.

Ex instrumento confecto mense Novembri 1213 infra n° 18. — Jourdain, n° 15.

18. *Hervaeus episcopus et decanus Trecenses promulgant documenta, quae concordamentum inter universitatem magistrorum et scholarium ex una, et cancellarium Parisiensem ex alia parte respiciunt.*

1213, mense Novembri.

Herveus Dei gratia episcopus, et N. decanus Trecenses omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum questio verteretur inter magistros et scolares Parisienses ex una parte, et J. cancellarium ex altera coram nobis ex mandato domini pape sub hac forma : Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo et dilectis filiis N. decano et .. archidiacono Trecen.[1], *etc. sicut supra* nº 14, tandem idem cancellarius et magistri et scolares Parisienses mediantibus bonis viris venerunt in concordiam, sicut in litteris venerabilis patris Petri episcopi Parisiensis expressum vidimus in hunc modum : Petrus Dei gratia Parisiensis episcopus[2], *etc. sicut supra* nº 16. Hanc eandem concordiam predictus cancellarius approbavit et ratam habuit, sicut in litteris ejus vidimus sub hiis verbis : J. cancellarius Parisiensis omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino[3], *etc. sicut supra* nº 17. Nos etiam predictam compositionem ratam et gratam habentes has litteras fieri fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum anno Domini MCCºXIII, mense Novembri.

Archiv. Universitatis Paris. theca V, B. 6. B, charta munita duobus sigillis cereis viridis coloris (quorum tantummodo unum, episcopi scilicet, integrum est conservatum) quae filis seric. caerulei et rubei coloris appendent. — Jourdain, nº 15.

1. Integrae litterae Innocentii afferuntur. — 2. Exscribitur documentum. — 3. Affertur confirmatio cancellarii.

---

19. *Ordinationes Concilii provincialis Parisiensis sub legato apostolicae sedis magistro Roberto de Courçon celebrati circa studia.*

1213, Parisiis.

(I, 23) Statuimus, ut nulli habenti curam parochialem liceat seculares scientias addiscere, ex quibus nullatenus possit subditorum suorum saluti prodesse. Immo si a prelato suo licentiam adeundi scolas obtinuerit, nihil nisi veram litteram aut sacram paginam ad informationem parochianorum suorum addiscat; si enim de scolis suis omnibus quisquilias secularis scientie attulerit, et nullos flores de pratis celestis philosophie, secundum evangelium tanquam infatuatus rejiciatur et ab omnibus conculcetur.

(II, 19) Cum quidam regularium, ut verbis Concilii Lateranensis[1] utamur, sub optentu languentium fratrum consulendi corporibus et ecclesiastica negotia fidelius pertractandi ad leges mundanas legendas et confectiones phisicas ponderandas[2] de claustris suis exire non formident, et ex eo ipso deficiant in interioribus, quo se putant aliis in exterioribus providere : ipsius Concilii vestigiis inherentes precipimus, ut nisi infra duorum mensium spatium ad claustrum suum redierint, non obstante abbatis sui licentia, quam dare non

potuit, sint excommunicati et ab omnibus evitentur, et in nulla causa, si patrocinium prestare voluerint, audiantur[3].

(III, 20) Prohibemus etiam, ne quis, postquam intrat claustrum causa religionis, exeat causa exeundi ad scolas, sed in claustro si voluerit addiscat. Et qui modo sunt in scolis, intra duos menses ad claustrum redeant.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 769, fol. 117b, ubi ex supra publicatis tantummodo II, 19, et III, 20. — Mansi, *Ampl. concil. coll.* XXII, 845; 831-838. — Hoc Concilium non anno 1212 sed anno 1213 celebratum esse eruit La Porte du Theil in *Notices et extraits des mss.* VI, 192 sqq., ubi p. 186 etiam demonstratur magistrum Robertum de Courçon, regentem in theologia Parisiis, non ante 11 Decemb. 1211 neque post 11 Jun. 1212 ad cardinalatus honorem promotum esse. Legatus S. sedis primo nominatur circa finem Aprilis anni 1213. Ib. p. 188. Auctor p. 181 sqq. etiam contra communem opinionem optime probavit, Robertum nunquam fuisse cancellarium Parisiensem.

1. Verba relata non inveniuntur in actis Concilii Lateranensis III, sed in illis Concilii Turonensis. Vide supra parte introd. nº 1. Ast quia exscribuntur in Appendice ad Concil. Lateranense III, quae Appendix jam tempore Concilii Parisiensis exstabat, patres Concilii opinabantur, citatam Decretalem esse sumptam ex actis Concilii Lateranensis III. Ex hac falsa suppositione provenit etiam opinio quorumdam recentiorum, v. g. Savigny, *Geschichte des Rœm. Rechts* III, 364, Decretalem Turonensem repetitam fuisse anno 1180 (i. e. 1179). — 2. In edd. additur : « ut jurisprudentiae et medicinae dent operam », quod non solum in memorato ms. (saec. XIII ineunt.), sed et in actis Conc. Turon. desideratur. — 3. In edd. perperam « admittantur ».

---

20. *Robertus cardinalis legatus praescribit modum legendi in artibus et in theologia, indicat quos libros magistri artium non debeant legere, ordinat disciplinam scholarium et generaliter statum Universitatis.*

1215, mense Augusto, [Parisiis].

R. servus crucis Christi divina miseratione tituli Sancti Stephani in Celio Monte presbyter cardinalis apostolice sedis legatus, universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod cum domini pape speciale habuissemus mandatum, ut statui Parisiensium scolarium in melius reformando impenderemus operam efficacem, nos de bonorum virorum consilio scolarum tranquillitati volentes in posterum providere, ordinavimus et statuimus in hunc modum :

Nullus legat Parisius de artibus citra vicesimum primum etatis sue annum, et quod sex annis audierit de artibus ad minus, antequam ad legendum accedat, et quod protestetur se lecturum duobus annis ad minus, nisi rationabilis causa intervenerit, quam publice vel coram examinatoribus debebit probare, et quod non sit respersus aliqua infamia, et quod cum legere disposuerit, examinetur quilibet secundum formam, que continetur in scripto domini P. Parisiensis episcopi, ubi continetur pax confirmata inter cancellarium et scolares a judicibus delegatis a domino papa, scilicet ab episcopo et decano Trecensibus, et a P. episcopo et J. cancellario Parisien. approbata et confirmata[1]. Et quod legant libros Aristotelis de dialectica tam de veteri quam de nova in scolis ordinarie et non ad cursum. Legant etiam in scolis ordinarie duos Priscianos[2] vel alterum ad minus. Non legant in festivis diebus nisi philosophos et rhetoricas, et quadruvialia, et *barbarismum*[3], et *ethicam,* si placet, et quartum *topichorum.* Non legantur libri Aristo-

telis de *methafisica* et de *naturali philosophia*, nec *summe* de eisdem, aut de doctrina magistri David de Dinant, aut Amalrici heretici, aut Mauricii hyspani [4].

In principiis et conventibus magistrorum, et in responsionibus vel oppositionibus puerorum vel juvenum nulla fiant convivia. Possunt tamen vocare aliquos familiares vel socios, set paucos. Donaria autem vel vestium vel aliorum, sicut solet fieri, vel amplius fieri monemus et precipue pauperibus. Nullus magistrorum legentium in artibus habeat capam nisi rotundam, nigram et talarem, saltem dum nova est. Pallio autem bene potest uti. Sotulares non habeat sub capa rotunda laqueatos, nunquam liripipiatos. Si quis obierit scolarium in artibus vel in theologia, medietas magistrorum artium eat ad sepulturam una vice, et altera medietas alia, et non recedat donec completa fuerit sepultura, nisi rationabilem habuerit causam. Si quis obierit magister in artibus vel in theologia, omnes magistri intersint vigiliis, quilibet legat vel legi faciat psalterium, quilibet moram faciat in ecclesia, ubi celebratur vigilia usque ad mediam noctem vel majorem partem noctis, nisi rationabilis causa obstiterit. Die quo tumulatur magister, nullus legat vel disputet.

Pratum Sancti Germani in eo statu in quo fuit eis adjudicatum [5] eis plene confirmamus.

Quilibet magister forum sui scolaris habeat [6]. Nullus irrequisito consensu inquilini vel scolas accipiat vel domum, dum facultatem habeat requirendi. Nullus incipiat licenciatus a cancellario vel ab alio data ei pecunia vel fide prestita, vel alia conventione habita. Item facere possunt magistri et scolares tam per se quam cum aliis obligationes et constitutiones fide vel pena vel juramento vallatas in hiis casibus, scilicet in interfectione vel mutilatione scolaris, vel in atroci injuria illata scolari, si defuerit justicia, pro taxandis pretiis hospitiorum, de habitu, de sepultura, de lectionibus et disputationibus; ita tamen, quod propter hec studium non dissolvatur aut destruatur.

Circa statum theologorum statuimus, quod nullus Parisius legat citra tricesimum quintum etatis sue annum, et nisi studuerit per octo annos ad minus, et libros fideliter et in scolis audierit, et quinque annis audiat theologiam, antequam privatas lectiones legat publice, et illorum nullus legat ante tertiam in diebus, quando magistri legunt. Nullus recipiatur Parisius ad lectiones sollempnes vel ad predicationes, nisi probate vite fuerit et scientie. Nullus sit scolaris Parisius, qui certum magistrum non habeat.

Ut autem ista inviolabiliter observentur, omnes qui contumaciter contra hec statuta nostra venire presumpserint, nisi infra quindecim dies a die transgressionis coram universitate magistrorum et scolarium, vel coram aliquibus ab Universitate constitutis presumptionem suam curaverint emendare, legationis qua fungimur auctoritate vinculo excommunicationis innodavimus. Actum anno gratie M° CC° quintodecimo, mense Augusto.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 10. b. Fragmentum sigilli cerei vir. col. filis seric. appendet. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 23, et Bibl. Phillipps in Cheltenham ms. 876, fol. 29b, offerunt hunc titulum: « Privilegium cujusdam cardi-

nalis de statutis magistrorum et scolarium Paris. ». Bulaeus, III, 82, adjunxit in fine, utique per imprudentiam, verba ex *Vidimus* Simonis cardinalis anni 1265, Martii 23 (vide infra) : « In quorum testimonium », etc.

1. Vide supra nº 16. — 2. Id est, majorem et minorem. Cf. infra nº 201. — 3. Donati. Cf. ibid. — 4. Cf. supra nº 11. Renan, *Averroès et l'Averroïsme* (3ᵉ éd.), p. 222, astruere nititur nomen « Mauritius » ex corruptione nominis « Averroes » oriri potuisse et supra « Averrois hispani » legendum. Sed Albertus Magnus, 2, *Sent.* dist. 26 a. 5, p. 251b (ed. Jammy, tom. XV), citat revera Mauritium diversum ab Averroe : « Et haec est sententia philosophi secundum tres commentatores, scilicet Averrois, Mauritii et Rabbi Moysen ». Non habemus tamen aliam notitiam de isto Mauritio. — 5. Vide supra parte introd. nº 47. — 6. Cf. supra parte introd. nº 5.

---

21. *Compositio facta inter capitulum Parisiense et cancellarium super sigillo.*

1215, mense Octobri, [Parisiis].

Petrus Dei gratia Parisiensis episcopus, et Hugo decanus totumque capitulum, etc. Ad universitatis vestre notitiam volumus pervenire quod, cum de redditibus pro sigillo Parisiensis capituli proventuris nichil esset certitudinis diffinitum, et super hiis contentio aliquando mota fuisset, nos ad sopiendam totius contentionis materiam et pacem inter capitulum et cancellarium Parisiensem perpetuis temporibus firma stabilitate servandam, pari consensu et communi voluntate, sollempniter in capitulo Parisiensi duximus statuendum, quod super nullo contractu, quem faciet capitulum cum aliquo canonico vel aliquo alio, sive canonicus cum capitulo vel aliquo alio, seu aliquis alius cum capitulo vel canonico, pro litteris super hoc conficiendis, vel pro sigillo habendo nichil recipiet vel exiget cancellarius Parisiensis, quicumque fuerit pro tempore substitutus. Idem etiam statuimus pro ecclesiis specialiter ecclesie Parisiensi subjectis, videlicet pro ecclesia Sancti Johannis Rotundi, Sancti Stephani, Sancti Dyonisii de Passu, Sancti Benedicti, Sancti Mederici, Sancti Cristofori, et pro canonicis earumdem ecclesiarum, et pro hospitali Beate Marie, ut similiter de nullo contractu quem aliqua istarum ecclesiarum vel aliquis canonicus earumdem faciet cum aliquo, vel aliquis cum eis, aliquid inde recipiet cancellarius pro privilegio, vel pro carta, vel litteris, vel etiam pro sigillo. Si vero extranea persona aliqua super rebus que ad aliquam personarum vel ecclesiarum predictarum pertineant, litteras seu cartam vel aliud instrumentum petierit, quatuor tantummodo denarios inde habebit cancellarius, tam pro scriptura quam pro cera et sigillo. Similiter autem de nullo contractu quem clericus beneficiatus in ecclesia Parisiensi faciet cum aliquo, super rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, cancellarius nichil habebit. Si vero capitulum Parisiense aliquem de servis suis gratis manumiserit, et littere inde fiant, cancellarius nichil inde exigere poterit, nisi tantummodo duos solidos; si autem pro precio, pro qualibet libra precii duodecim denarios inde percipiet, donec summa precii pervenerit usque ad summam xl librarum; si tamen pretium manumissionis quadraginta libras excesserit, nichil inde ultra xl solidos habere poterit cancellarius. Ceterum pro singulis litteris obolatam cere, et pro cartis denariatam recipiet cancellarius a capicerio

Beate Marie. Libros quidem Parisiensis ecclesie sine cantu corrigere, ligare et in bono statu tenebitur conservare, et talem instituere magistrum in claustro, qui sufficiens sit ad scolarum regimen, et ad officium quod debet facere in ecclesia, et ad litteras capituli, si opus fuerit, faciendas. Profecto omnia ista se bona fide facturum et servaturum cancellarius, quicumque fuerit, in institutione jurabit. Nichilominus etiam sub eodem juramento faciet fidelitatem capitulo de sigillo ipsius capituli fideliter observando. Magister vero Stephanus[1] Parisiensis cancellarius in sua institutione omnia supradicta benigne concessit, et propria voluntate fideliter observanda juravit, et in majorem sue concessionis noticiam hiis litteris suum fecit sigillum apponi. Nos autem hanc ordinationem volentes semper stabilitate perpetua firmiter observari, presentes litteras fecimus sigillorum nostrorum auctoritate muniri. Actum anno Domini MCC quinto decimo, mense Octobri[2].

Magn. Pastorale in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 604. *Parv. Pastorale*, ibid. LL. 176, p. 217. — Guérard, *Cart. de l'église Notre-Dame*, I, 355. — Sapientissime observat ad hoc documentum auctor operis *Universitatis Parisiensis ejusque facultatum quatuor origo vera* contra Bulaeum, qui ex eodem III, 79 concludit, cancellarium Parisiensem fuisse tunc solum scribam Universitatis chartarumque custodem : « Quis nescit, alia fuisse cancellarii in ecclesia, alia in Universitate munia? Itaque si capituli commentaria confecerit, cartasque ejus et instrumenta publica conscripserit, sigilli capitularis custodiam habuerit, bibliothecam curaverit, magistrum idoneum scholae claustrali praefecerit, qui sufficiens esset ad scholarum regimen et ad officium, quod debebat facere in ecclesia, et ad litteras capituli si opus esset faciendas, nil ad rem nostram. Illud sit aut non, nihil ad academiam, neque pariter opus fuit tot ad illa munia observationes (a Bulaeo) addere, nisi quis vellet longius evagari. » Bibl. Univers. ms. u. I, 1, p. 525.

1. Stephanus Remensis, qui subsignavit litteras Hugonis decani eccl. Paris. anno 1216 (*Magn. Pastor.*, p. 623; *Parv. Pastor.*, p. 269). Hemeraeus, *De acad. Paris.*, p. 117, 122, perperam duos Stephanos inter cancellarios Paris. saeculi XIII ineuntis enumerat, cum tamen nonnisi iste Stephanus, qui Johanni de Candelis successit (vide supra ad nº 14), officio cancellarii fungebatur. Ac non habuit canonicum R. de Remis successorem, ut idem Hemeraeus asserit, sed Philippum de Grève. — 2. In *Parv. Pastor.* deest « mense Octobri ».

---

22. *Innocentius III reprobat in Concilio Lateranensi IV dogma Amalrici. Statuit inter alia, in qualibet cathedrali ecclesia, vel alia, quarum sufficere poterunt facultates, a praelato vel capitulo unum magistrum eligendum, cui redditus unius praebendae assignentur; in metropolitana vero ecclesia eligendum theologum.*

1215, Novembris 30, Laterani.

(§ 2) Reprobamus[1] etiam et dampnamus perversissimum dogma[2] Almerici, cujus mentem sic pater mendacii excecavit, ut ejus doctrina non tam heretica censenda sit quam insana.

(§ 11) Quia nonnullis propter inopiam et legendi studium et opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio[3] pia fuit constitutione provisum, ut per unamquamque kathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem ecclesie aliosque scolares pauperes gratis instrueret, aliquod beneficium competens preberetur, quo et docentis relevaretur necessitas, et via pateret discentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesiis id minime observatur, nos predictum roborantes statutum, adicimus, ut non solum in kathedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur

magister ydoneus a prelato cum capitulo, seu majori ac saniori parte capituli eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum ac aliorum gratis in grammatica facultate ac aliis instruat juxta pro posse. Sane metropolitana ecclesia nichilominus theologum habeat, qui sacerdotes et alios in sacra pagina doceat, et in hiis presertim informet, que ad curam animarum spectare noscuntur. Assignentur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius prebende proventus, et [pro theologo] a metropolitano tantundem; non quod per hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu redditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quod si forte de duobus ecclesia metropolitana gravetur, theologo juxta modum predictum ipsa provideat. Grammatico vero in alia ecclesia sue civitatis vel dyocesis, que sufficere valeat, faciat provideri.

Cod. Vat. lat. 2692, fol. 76; 79b. Bibl. capitul. Tolet. 15. 26 (codices pene coaevi). — Mansi, *Ampl. Concil. coll.* XXII, 986, 999. — Dies primus Concilii erat 11, secundus 20, tertius et ultimus 30 Novemb. Cf. Potthast post nº 5006.

1. In parte priore capitis 2 reprobatur et damnatur tractatus abbatis Joachim contra magistrum Petrum Lombardum, cujus doctrinam circa trinitatem personarum in divinis Concilium sequitur. Vide l. c. et in X, cap. 2, de summa trin. (1, 1). — 2. Card. Hostiensis in sua *Lectura in Decret. Greg.* (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3995, fol. 3b. Bibl. Romensis ms. 548/541, fol. 3b, ubi vero textus mutilus) ad hunc paragr. quaerit, quare dogma istud non fuerit designatum in hoc Concilio. Et respondet : « quod Almaricus iste habuit quosdam discipulos tempore hujus Concilii adhuc superstites, ob quorum reverentiam suppressum extitit dogma istud, quorum etiam nomina adhuc honestius est supprimere quam specialiter nominare ». Quod probabilitate caret. Potius dicendum est, dogma Amalrici tempore Concilii notissimum et adhuc in memoria fuisse illa decreta Concilii Paris. anno 1210 celebrati, quae discipulos Amalrici respiciunt, et Hostiensem non habuisse notitiam istorum decretorum. — 3. Cf. supra parte introd. nº 12.

---

23. ***Petrus episcopus et Johannes abbas S. Victoris Parisienses testantur se vidisse decretum Odonis episcopi et capituli Parisiensis de residentia cancellarii factum.***

1208-1216.

Sanctissimo patri et domino karissimo Innocentio Dei gratia summo pontifici devoti ejus filii P. ejusdem miseratione episcopus et J. abbas Sancti Victoris Parisien. salutem et tam debitam quam devotam obedientiam et omnimodam subjectionem. Sanctitati vestre notum fieri volumus, quod nos inspeximus et legimus autenticum Odonis bone memorie quondam Parisiensis episcopi et capituli Parisiensis sigillis eorum sigillatum, in hec verba : Odo Dei gratia Parisiensis episcopus, *etc. sicut supra* nº 6.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 257c, nº 3. Charta erat munita duobus sigillis. — *Magn. Pastor.* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 607. — Hemeraeus, *De acad. Paris.*, p. 100.

---

24. ***Innocentius III concedit scholaribus Parisiensibus, ut possint ad agendum et defendendum procuratorem constituere.***

1210-1216.

Scolaribus Parisiensibus. Quia in causis, que contra vos et pro vobis moventur, interdum vestra universitas ad agendum et respondendum commode interesse non potest, postulastis a nobis, ut procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione

liceret. Licet igitur de jure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen procuratorem super his auctoritate presentium vobis concedimus facultatem.

Compil. IV, de procuratoribus, c. 2 (1, 16), et X s. h. t. 1, 38, 7. — Bulaeus, III, 23, sicut paene omnes ad an. 1203. Sed *Compil. IV*, in qua haec Decretalis exstat, continet paucis exceptis Decretales Innocentii annorum 1210-1216. Vide Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Litteratur des canon. Rechts* I, 89. Viollet, *Précis de l'histoire du droit français. Sources. Droit privé*, p. 59. Non caret probabilitate, Decretales *Compil. quartae* esse sicut illas *Compil. tertiae* saltem pro magna parte desumptas ex registris Innocentii III. Haec vero Decretalis non continetur in Registris annorum 1-2, 5-16 pontificatus Innocentii, nec in Rubricellis annorum 3 et 4. Forsan desumpta est ex Registris annorum 17-19, quae nunc desiderantur et quorum Rubricellae imperfectae ad nos pervenerunt. Hoc casu Decretalis caderet infra annos 1214-1216. Pro certo nihil affirmari potest, cum Regesta Vaticana Innocentii III non sint originalia et in ipsis aliquae Decretales *Compil. tertiae* desiderentur, quas tamen Innocentius III ex Registris sumpsit, ut ipse dicit in epistola praefixa.

---

25. *Honorius III magistros et scholares Parisienses hortatur, ut aliqui ex ipsis ad partes Tolosanas accedant, ut ibidem lectione et praedicatione et exhortatione populum acceptabilem Domino reddant.*

1217, Januarii 19, Laterani.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus Parisius commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Olim in partibus Tolosanis terra velut deserta et invia luxit et languit spinis eam replentibus et urticis, factaque cubile draconum et pascua strutionum in tenebris et umbra mortis fere totaliter versabatur, dum pene omnes divino abjecto timore post concupiscentias suas ibant et, facta in oblivione justitia, qui recessit a malo, prede patuit perversorum, qui letabantur cum male fecissent et in rebus pessimis exultabant variisque involuti erroribus veritatis lumen nullatenus requirebant. Nunc autem Dominus, cujus miserationes super omnia opera sunt ejusdem, per ministerium servorum suorum, qui fidei celo succensi ad emundandam terram illam indefessa sollicitudine laborarunt, videtur in deserto viam et in invio flumina posuisse, ut eum agri bestia structiones glorificent et dracones, quia gentes regionis illius redire ad Dominum cupientes a viis suis pessimis convertuntur et profugatis hereticis vel correptis salutis monita concupiscunt. Verum ne si terra illa quasi novale novata culta non fuerit novis cultoribus et colonis radices in ea pullulent extirpate illucque confugiant reptilia venenata, et sic fiant novissima ejus prioribus graviora, nos attendentes multos per Dei gratiam inter vos esse, quibus in lege Domini est voluntas et qui tanquam lignum secus decursus aquarum plantatum jam diu secus frumenta doctrine sedentes melius amodo fructificare valeant transplantati, universitatem vestram rogamus attentius et monemus per apostolica scripta mandantes, quatinus illuc aliqui ex vobis accedant, qui causam Dei agentes ex animo lectioni, predicationi et exhortationi vigilanter insistant, et sicut boni dispensatores multiformes gratie Dei illam in alterutrum amministrent, ita quod exterminato exinde veteri gebuseo populum acceptabilem Domino reddant. Nos enim cuilibet illuc divini amoris intuitu accedenti secundum fervorem devotionis peccatorum suorum veniam de divina confisi misericordia pollicemur, quam indubitanter quisque sperare

potest etiam nemine pollicente, quia ille, de cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis laudabiliter serviatur, dat virtutes et premia elargitur, et in pauca fideles constituit supra multa. Dat. Laterani xiiij kal. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 239, nº 20. Restant fila cannab. — Reg. Vat. Honorii III an. 1, ep. 190. Apud Raynaldum, *Ann. eccl.*, ad an. 1217, nº 49, fragmentum.

---

26. *Honorius III Robertum episcopum Atrebatensem, archidiaconum de Ostrevant et praepositum Atrebatensem, judices constituit in causa inter partem archidiaconi Ambianensis et partem cancellarii Ambianensis quae magistrum Johannem de Abbatisvilla regentem in theologia Parisiis in decanum Ambianensem elegerat.*

1217, Martii 10, Laterani.

Episcopo et archidiacono in Hostrevan et preposito Atrebatensi. Dilectus filius N. cancellarius Ambianensis transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ad eligendum decanum in Ambianensi ecclesia dies esset sibi et suis concanonicis assignata, ipse ac multi alii concanonici sui magistrum Johannem de Abbatisvilla[1] regentem in theologia Parisius elegerunt concorditer in decanum, archidiaconus autem Ambianensis et quidam alii concanonici ejus in Evrardum de Roia Ambianensem canonicum consenserunt. Cum autem coram venerabili fratre nostro Ambianensi episcopo super hoc esset exorta controversia inter partes, pars archidiaconi ad metropolitanum frustratorie vocem appellationis emisit, dictus vero cancellarius ex eo reputans se gravari, quod dictus episcopus frustratorie appellationi archidiaconi memorati deferre volebat, pro se ac suis sedem apostolicam appellavit, appellationi cujus dictus episcopus detulit reverenter. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita partibus convocatis, *etc.*, facientes, *etc.*, alioquin partes ad prioris judicis remittatis examen, appellantem in expensis legitimis condempnantes. Testes autem, *etc.* Quod si non omnes, *etc.*, tu frater episcope, *etc.* Dat. Laterani vj id. Martii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Vat. Honorii III an. 1, ep. 315, fol. 82.

1. Johannem Halgrin de Abbatisvilla, cujus exstant multi sermones (vide Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen âge*, 2ᵉ éd., p. 516), qui nihilominus factus est decanus: Vide Hauréau in *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 166 sqq., ubi tamen deest epistola supra edita. Anno 1225 Johannes electus est in archiepiscopum Bisuntinum; 26. Decemb. anni sequentis Honorius III ipsum transferre voluit ad sedem patriarchalem Constantinopolitanam, sed defuncto Honorio III translatio effectum non habuit. At Gregorius IX eum 18 Sept. anno 1227 creavit cardinalem et postea legatum apostolicae sedis. De ipso in *Obituario* eccles. Ambianensis (Arch. dép. de la Somme (Amiens), *Cartul. VI.* G. 344, fol. 141ᵇ) ad ix kal. Octob. : « Obitus felicis memorie Johannis de Abbatisvilla quondam decani nostri, postea archiepiscopi Bisuntini et vocati postmodum per dominum Honorium tunc summum pontificem ad patriarchatum Constantinopolitanum, sed pro sue probitatis et scientie reverencia a dom. Gregorio nono detenti apud sedem apostolicam, in qua factus est episcopus Sabinensis. Pro cujus memoria, quoniam ecclesiam nostram multipliciter honoravit in Sanctorum reliquiis et ornamentis ecclesiasticis multis, et in sui regimine decanatus, in ejus anniversario in vesperis dividentur xl sol. » etc.

---

27. *Honorius III doctoribus Petro de Capua, Willelmo de Ponte Arche, Riccardo praecipit, moneant cancellarium Parisiensem ut magistro Mattheo de Scotia licentiam docendi in theologica facultate concedat non obstante privilegio impetrato (ab Innocentio III) de certo numero doctorum theologiae habendorum Parisiis.*

1218, Novembris 16, Laterani.

Petro de Capua[1], Willermo de Ponte Arce[2] et Riccardo Anglico doctoribus Parisiensibus. Si abscondens talentum creditum sibi a Domino redarguitur, prohibens volentem illud proferre in medium et ad utilitatem publicam exercere arguendus pari ratione videtur. Sane nostris fuit auribus intimatum, quod cum divina benignitas dilecto filio magistro Matheo de Scotia scientie talentum sic larga manu concesserit, ut in theologia docere valeat atque velit, dilectus filius .. cancellarius Parisiensis[3] occasione cujusdam privilegii de certo numero doctorum theologie habendorum Parisius olim a sede apostolica impetrati[4] eum cathedram magistralem ascendere non permittit, licet privilegium ipsum non fuerit hactenus sicut asseritur continue observatum. Ne igitur idem magister creditum sibi talentum occultare compellatur invitus, quod in communi deductum multis potest cum incremento proprio erogari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus magistrum diligenter examinetis eundem, et si eum idoneum reppereritis ad docendum in facultate predicta, moneatis cancellarium memoratum, ut id faciendi licentiam benigne concedat eidem. Quod si facere non curaverit, vos ei auctoritate nostra eandem licentiam tribuatis, presertim si alias factum fuit contra privilegium memoratum. Quod si non omnes, duo vestrum, *etc*. Dat. Laterani xvj kal. Decembris, anno tertio.

Reg. Vat. Honor. III an. 3, ep. 113, fol. 25. — *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 174.

1. Iste magister Petrus de Capua, qui in Reg. Vat. non hic solum nominatur, videtur esse idem cum auctore *Summae* super libro sententiarum mag. Petri Lombardi (Monte Casino mss. 354 et 475. Montpellier, Bibl. de l'école de médecine, nº 340). Post dedicationem factam dom. Gualtero Panormitano archiepiscopo (an. 1201-1202) incipit : « Vetustissima veterum comederitis, et novis supervenientibus vetera abicietis ». 7 kal. Maii an. 3. (25 April. 1219) creatus est Petrus de Capua patriarcha Antiochenus. Reg. Vat. Honorii III an. 3, ep. 417. — 2. Isto anno in episcopum Lexoviensem electus est. — 3. Philippus de Grève, qui in testamento Petri episcopi Parisiensis anno 1218 mense Junio confecto inter sex elcemosynarios nominatur. Cf. Dubois, *Hist. eccl. Paris.* II, 265. Ejus exstant *Summa quaest. theol.*, cujus initium : « Vadam in agrum et colligam spicas » (Bibl. S. Antonii Paduani mss. 156, 214; Bibl. nat. Paris. 15749, etc.), Sermones, Poemata, etc. Vide Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen âge*, 2e éd., p. 96, 524. Paul Meyer, in *Arch. des Missions*, 1866, B, III, 253 sqq. *Romania*, 1872, I, 193. Philippum laudibus extollit Gregorius IX. Vide infra nos 96, 97. Obiit 23 Dec. 1236. Vide Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 34, nº 2. — 4. Cf. litteras Innocentii III supra nº 5.

---

28. *Radulphus paenitentiarius papae Honorii sex dubia Menendi S. Victoris canonici et paenitentiarii in foro paenitentiae, specialiter quoad facultatem ab Innocentio III datam absolvendi Parisienses magistros et scholares propter injectionem manuum in clericos, solvit.*

Circa an. 1218.

Discreto viro in Christo sibi carissimo fratri Menendo[1] Sancti Victoris Parisiensis canonico et penitentiario frater Radulphus[2] domini pape penitentiarius salutem in Domino.

Cum ex lectione divina quotiens occurrunt dubia ad patres et seniores occurrere debeamus, sane multum et utiliter providistis, quod super ambiguis per nos summum pontificem consulere postulastis, cupientes ambiguitatis tenebras a vobis penitus amoveri, veritatis radio lucescente. His vero evidentius declarandis quantam adhibuerimus diligentiam et laborem vobis subsequentia declarabunt. Noveritis igitur quod consultatio vestra sex questionibus contexta lecta est in auditorio summi pontificis cardinalium examine ventilata, quibus a domino papa de consilio cardinalium singulariter est responsum. *Prime* questioni, videlicet si subdiaconi ad decantandas horas canonicas ex debito teneantur, responsum est, quod tenentur. Ad hoc autem quod in *secunda* questione quesistis : Cum dominus papa[3] in sua indulgentia, quam facit scolaribus Parisius absolvendis per abbatem Sancti Victoris de violenta manuum injectione in clericos, dicat : « nisi tam grave vulnus fuerit vel enorme, quod merito propter hoc ad sedem apostolicam debeat recurrere[4] », pro quanto grave vulnus et enorme[5] debeat judicari, — taliter est responsum, quod hoc quis ad plenum interpretari non potest; dicitur tamen vulnus grave vel enorme alicujus gravis vel honeste persone lesio, licet parva, vel in aliis personis minimis membrorum lesio vel mutilatio gravis. *Tertie* questioni, videlicet utrum possitis absolvere scolares Parisienses auctoritate jam dicti mandati, si se ad invicem percusserint, cum ad Sanctum Dyonisium vel ad Beatam Mariam vel ad alios Sanctos peregre gradiuntur, responsum est, quod potestis, dummodo ipsi injectores Parisius faciant mansionem. Ad *quartam* vero questionem, scilicet quod magistri Parisienses dicant, quod bidellos et scolarium famulos a violenta manuum injectione supradicti auctoritate mandati possitis absolvere, cum vivere nequeant sine ipsis, recepimus hoc responsum, quod vobis est nullatenus concessum, nec eadem auctoritate potestis aliquem solvere vel ligare. *Quinte* siquidem questioni, videlicet utrum auctoritate predicta possitis absolvere Parisienses scolares, qui clericos percutiunt non scolares, responsum est, quod potestis, sed non econverso, cum nolit dominus papa clericos non scolares in hac parte scolarium privilegio gaudere. Super eo vero, quod in *sexta* questione quesivistis, utrum videlicet Parisienses scolares, qui tempore domini Innocentii pape sive medio tempore ante datum privilegium scolaribus in promulgatione sententie canonem inciderint et excommunicati de civitate recesserint, auctoritate hujus mandati possint absolvi, cum postea mansionarii scolares ad Parisiensem redeunt civitatem, vel hac sola causa redeunt[6], ut absolvantur, statim post absolutionem recessuri, recepimus hoc responsum, quod tales absolvere non debetis, cum ipsa indulgentia ad tempus preteritum non se extendat.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14938, fol. 266^b. Joannis Tolosani *Annales S. Victoris* ad an. 1216 ibid., ms. lat. 14370, fol. 57^b. — Martène-Durand, *Ampl. coll.*, VI, 260, ubi hic titulus : « Determinatio subsequentium questionum a domino Honorio papa de consilio cardinalium prolata ». Abbreviatum apud Bulaeum, III, 701. Lebeuf, *Hist. de la ville et de tout le diocèse de Paris*, ed. Cocheris, III, 579, meminit ms. S. Victoris nº 1109, in quo mentio fit epistolae Menendi ad paenitentiarium papae Honorii III directae. Utique ms. lat. supra primo nominatus.

1. Ms. Paris. 14938 « Menando ». — 2. Iste Radulphus non occurrit in documentis hujus temporis. In *Mon. Francis-*

cana, ed. Brewer, p. 549, nominatur Radulphus de Rosa Ord. Min. paenitentiarius Gregorii IX. — 3. Scil. Innocentius III. Vide supra n° 15. — 4. Verba Innocentii non omnino ad verbum referuntur. — 5. « Pro » et « enorme » desunt in ms. Paris. 14370. — 6. « Vel... redeunt » desunt apud Martène.

---

29. *Honorius III concedit scholaribus Parisiensibus, ut is, qui regendi licentiam assecutus fuerit, concedentis cessione vel obitu non obstante libere in ea, de qua licentiam obtinuit, facultate regere possit.*

1219, Februarii 18, Laterani.

.. Scolaribus Parisiensibus. Dignum est, ut illorum militie libertatis ecclesiastice suffragia porrigantur, qui ad hoc scientie studiis dinoscuntur intendere, ut per eam Christi possint ecclesiam decorare. Oblata siquidem nobis ex parte vestra petitio reseravit, quod cum quidam vestrum regendi sollicitudinem assumpturi legendi licentiam ab eo ad quem ipsius collatio pertinere dinoscitur fuerint assecuti, quia is ad quem collationis dignitas supradicte pertinet decessit interdum seu cessit etiam dignitati impetrante cathedram magisterii non adepto, propositum regere volentium extitit aliquando impeditum, causas difficultatis eo qui successerit ingerente. Unde ne possitis super hiis ulterius pregravari, provideri vobis de benignitate sedis apostolice postulastis. Nos autem postulationibus vestris in quibus cum Deo possumus annuere cupientes, auctoritate vobis presentium duximus concedendum ut is, qui cupit ascendere cathedram magistralem, postquam regendi licentiam ab eo, ad quem ipsius collatio pertinet, fuerit assecutus, concedentis cessione vel obitu non obstante libere possit in ea, de qua licentiam obtinuit, regere facultate, nisi a successore forte aliquid objectum fuerit et probatum, propter quod a regendi regimine sit merito repellendus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis infringere ..... Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani xij kal. Martii, anno tertio.

Reg. Vat. Honor. III, an 3, ep. 308, fol. 64.

---

30. *Honorius III ad Robertum archiepiscopum, Rogerium decanum et cantorem Rothomagenses sententiam excommunicationis de scholarium conjurationibus ab Odone episcopo et Octaviano apost. sedis legato latam et nuperrime a Petro episcopo Paris. innovatam, irritam declarat.*

1219, Martii 30, Laterani.

.. Archiepiscopo, .. decano et .. cantori Rothomagensibus. Dilecti filii magistri et scolares Parisienses nobis graviter sunt conquesti, quod venerabilis frater noster .. Parisiensis episcopus excommunicationis sententiam ab O. bone memorie predecessore suo et O. Hostiensi episcopo quondam apostolice sedis legato latam de conspirationibus et conjurationibus scolarium minime faciendis[1] jam dudum innovans eos, qui circa statum scolarium sine consensu ipsius vel capituli seu cancellarii Parisiensis conspirationem, conjurationem, constitutionem seu aliquam obligationem juramento, fide vel pena vallatam facere attemptarent, pro sue voluntatis arbitrio simili vinculo innodavit et ipsorum insuper

pedibus laqueos excommunicationis expandens in illos qui noverint scolares arma portantes ac de nocte incedentes, nisi eos infra certum tempus ipsi vel ejus officiali seu cancellario nuntiarent, similem sententiam fulminavit, eosdem multiplici hujusmodi anathematis mucrone feriens minus caute. Nuper autem, cum procuratores prefati episcopi vellent contra dictos magistros et scolares eandem sententiam recitare in ipsius episcopi litteris exaratam, iidem se gravari timentes ad sedem apostolicam provocarunt. Set dicti procuratores nichilominus per diversa fecerunt loca in gravamen scolarium predictas litteras publicari. Unde predicti magistri et scolares nobis humiliter supplicarunt, ut super hujusmodi sententiis et gravaminibus, que ab episcopo et suis ac cancellario pretaxatis eisdem sepius[2] inferuntur, dignaremur sibi misericorditer providere. Cum igitur scolares ipsos tanquam filios speciales sincere caritatis brachiis amplexemur et velimus ab ipsorum conscientia hujusmodi scandalorum materiam penitus resecari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus predictas sententias et alias consimiles, si quas inveneritis promulgatas, revocantes protinus ad cautelam dicto episcopo et suis firmiter inhibere curetis, ne ipsi seu quisquam eorum aliquas consimiles sententias generales in magistros aut scolares Parisienses audeant decetero sine Romani pontificis conscientia promulgare. Quod si non omnes, tu frater archiepiscope cum eorum altero, *etc.* Dat. Laterani iij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Vat. Honor. III, an. 3, ep. 357, fol. 76. — *Rec. des Histor. des Gaules*, XIX, 679.

1. Hoc decretum non habemus et forsitan nunquam exstitit, sicut ex litteris subsequentibus concludi potest. — 2. In Reg. : septus.

---

31. *Honorius III scribit Hervaeo episcopo, Stephano decano et cantori Trecensibus circa eandem causam, declarans litteras Octaviani episcopi Hostiensis ab episcopo Paris. non potuisse in medium proferri. Mandat insuper ut sententia contra magistros et scholares Parisienses a cancellario lata habeatur irrita. Reprehendit rigorem injustum cancellarii, et injungit ut ad curiam veniat se ipsum si possit excusaturus.*

1219, Maii 11, Romae ap. S. Petrum.

.. Episcopo, .. decano et .. cantori Trecensibus. Si doctorum et discipulorum Parisiensium universitas perspicue sic graviter excessisset, ut eorum culpa nec palliari posset nec impunita relinqui : tante tamen et tam venerabili multitudini decuisset in hoc saltem deferri, ut ad penam non procederetur ipsorum nisi apostolice sedis sententia requisita. Set vicarii seu procuratores venerabilis fratris nostri .. Parisiensis episcopi ac specialiter .. cancellarius Parisiensis, qui unus illorum existit, hoc nequaquam ut decuit attendentes nec verentes studium Parisiense, quod doctrine sue fluenta usquequaque diffundens universalis ecclesie terram irrigat et fecundat, in montes Gelboe, super quos nec ros cadit nec pluvia, commutare, impetum fluminis, qui civitatem Dei letificat, cursum doctrine videlicet, sistere presumpserunt. Sicut enim gravis nobis eorundem doctorum querimonia

patefecit, cum procuratores predicti eis ipsius episcopi litteras obtulissent continentes, quod idem episcopus innovans id, quod a bone memorie Octaviano Hostiensi episcopo apostolice sedis legato et predecessore jam dicti Parisiensis episcopi factum erat, excommunicabat omnes illos, qui decetero sine consensu et auctoritate ipsius vel Parisiensis ecclesie circa statum scolarium vel magistrorum facerent aliquam conspirationem seu constitutionem aut obligationem quamlibet juramento vel fide seu alia quacumque pena vallatam, ipsi doctores attendentes, quod ejusdem episcopi factum innitebatur facto supra dicti episcopi Hostiensis, ejus super hoc litteras sibi exhiberi petierunt humiliter et instanter, nec potuerunt ullatenus obtinere. Deinde cum eadem instantia quesierunt interpretationem illorum verborum *constitutionem aut obligationem quamlibet,* utrum videlicet intelligerent generaliter tam de constitutione licita utili et honesta, quam de illicita erronea et injusta, quibus respondentibus, quod intelligebant generaliter de omni licita vel illicita, bona vel mala, ipsi gravamen non dubium attendentes se ad appellationis refugium converterunt. Porro cum ad prosecutionem appellationis predicte foret nuntius ad sedem apostolicam destinandus et sine collecta Universitas non haberet expensas, magistri liberalium artium fide interposita se ac suos discipulos astrincxerunt ad servandum quod super hoc a suis procuratoribus contingeret ordinari. Cumque dicti procuratores injuncxissent eisdem, ut ad expensas nuntii destinandi contingentem tribuerent portionem et ipsis quod injunctum fuerat adimplentibus nuntius ipse iter ad nos veniendi jamdudum esset aggressus, predicti cancellarius et complices ejus contempto, quod ipsi doctores non solum verbo sed facto quoque nostram audientiam appellarant suum ad nos ut dictum est nuntium destinando, prima dominica Quadragesime tam magistros quam scolares qui fecerant collectam vel solverant ad prosequendam appellationem predictam excommunicatos fecerunt publice nuntiari; unde nec ad confessionis remedium sunt admissi. Sane ipsi doctores super sui ruina studii anxiantes ipsi cancellario et sociis ejus, nunc universis, nunc singulis, supplicarunt humiliter et instanter, ut rigorem hujusmodi temperarent. Sed nec suis nec venerabilis fratris nostri .. Silvanectensis episcopi[1] et dilectorum filiorum .. decani et capituli Parisiensis, qui pro eis intercessores humiles accesserunt, potuerunt precibus obtinere, ut prefati magistri et scolares artium reciperentur ad penitentiam non obstante denuntiatione predicta, cum eam appellatio legitima processisset. Unde pre confusione faciei et mentis angustia defecit in ipsis doctoribus spiritus ad legendum, et quod valde dolentes audivimus, in omni facultate silet Parisius vox doctrine, et negata desiderantibus penitentia perceptio dominici corporis eisdem in ipso dominico Resurrectionis die fuit per consequens denegata. Ceterum cancellarius ipse super dolorem eorum addere non desistens contemptis statutis, que super hiis facta fuerunt per judices a sede apostolica delegatos, magistros ab officio suo suspendere ac scolares mancipare carceri non veretur. Nolentes igitur tantum doctorum et scolarium sepe dictorum gravamen tantamve ipsius cancellarii ac prefatorum sociorum ejus inso-

lentiam ulterius sub dissimulatione transire per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus magistros et scolares ipsos sublato appellationis obstaculo auctoritate nostra publice nuntiantes hujusmodi sententia non ligatos, ac inibentes districte, ne quis decetero sine speciali apostolice sedis mandato in ipsorum universitatem tales audeat sententias promulgare, injungatis sepe dictis cancellario et sociis ejus, ut ipse cancellarius personaliter, complices vero ejus per procuratores idoneos, in octavis beati Michaelis proximis, quas eis peremptorium assignamus, apostolico se conspectui representent, ut super predicte temeritatis excessu si poterunt se excusent, aut meritam sentiant ultionem, ipseque cancellarius famam suam, que apud nos multipliciter est gravata, tueatur si poterit, aut iniquitatis sue vinculis constringatur. Ad hec injungatis universitati doctorum, ut et ipsi procuratores suos propter hoc ad nos mittant termino suprascripto. Quod si non omnes, *etc*. Dat. Rome apud Sanctum Petrum v id. Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Vat. Honorii III an. 3, ep. 345, fol. 93b. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 4b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 5b. *Rec. des Histor. des Gaules*, XIX, 685. Fragmentum apud Bulaeum, III, 93.

1. Garini. Episcopus Silvanectensis hoc loco in documentis, quae respiciunt Universitatem Paris., primo nominatur. Revera per longum tempus munere conservatoris privilegiorum Universitatis fungebatur.

---

32. *Honorius III innovat statutum Concilii Lateranensis IV de theologis per singulas metropoles statuendis; praecipit ut ab ecclesiarum praelatis et capitulis ad theologicae professionis studium aliqui docibiles destinentur, concedit studentibus in eadem facultate per quinque annos fructus beneficiorum suorum. Innovat decretum Concilii Turonensis, ne regulares exeant ad audiendum leges vel physicam, et extendit illud ad omnes clericos personatus habentes et ad presbyteros. Insuper statuit ne Parisiis sive in civitate sive aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile praesumat sub paena excommunicationis, et Parisios declarat locum, ubi theologia debeat doceri.*

1219, Novembris 16, Viterbii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo Parisiensi et ceteris ecclesiarum prelatis et capitulis in civitate ac diocesi Parisiensi constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Super speculam Domini licet immeriti constituti, dum diligenter multo intuitu contemplamur statum ecclesiae generalis, dolemus plurimum et tristamur quod, cum albe sint regiones ad messem plurimam et operarii sint perpauci, plerique vigiles, qui tenentur custodire Domini vineam, dormiunt sompnum suum nec zizania nimium excrescentia in manipulos ad comburendum colligunt, quamvis ea jugiter superseminet inimicus, cumque lactens et parvulus deficiat in plateis, vix est qui frangat panem parvulis, aut propinet sitientibus aquam sapientie salutaris, eo quod modica est in terra scientia Domini; quia plures velut illusores filii accepta non modica portione substantie Jesu Christi comparant sibi de ipsa siliquas vacuas et sonoras, que non satiant, et aquam auriunt cum situla Samaritane de puteo vel torrente aquarum infidelium, que sitim idropici non relevant, set irritant. Tales equidem ortum conclusum, cui non

communicat alienus, ubi fons est et puteus aquarum viventium, deserentes ac fodientes sibi cisternas, que aquam non prevalent continere, quasi non invenientes pascua, fastidito manna, dum suspirant ad Egypti allia et pepones, currunt ad scientias lucrativas, statuentes in terram suos oculos declinare. Ut igitur per increpationes validas, tamquam per patris verbera, filii aberrantes ad matris ubera revocati, velut pulli aquilarum queant expeditius advolare, ac inoffense atque libentius velint et valeant currere in odorem flagrantis gratie Jesu Christi, ad auriendum aquas vivas in gaudio de fontibus Salvatoris, quosdam obices amovere cupimus huic itineri obsistentes, et necessaria quedam annectere hiis, que ab antecessoribus nostris edita sunt ab olim ad propagationem propaginis vitis vere. Cum itaque de singulis provinciis puelle speciose ac virgines pro rege Assuero, qui beatitudo dicitur, per ancillas queri debeant et adduci ad arcem et menia civitatis, et per manum Aggei mundum muliebrem accipere, necessariorum videlicet fulcimenta, volumus et mandamus ut statutum in Concilio generali de magistris theologis per singulas metropoles statuendis inviolabiliter observetur, decernentes insuper de consilio fratrum nostrorum ac districte precipiendo mandantes, ut quia super hoc propter rarifatem magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab ecclesiarum prelatis et capitulis ad theologice professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cum docti fuerint, in Dei ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stelle in perpetuas eternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire; quibus si proprii proventus ecclesiastici non sufficiunt, predicti necessaria subministrent; docentes vero in theologica facultate, dum in scolis docuerint, et studentes in ipsa integre per annos quinque percipiant de licentia sedis apostolice proventus prebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcusse volumus observari, firmiter disponentes, quod feriamus pena debita transgressores. Sane licet fallax sit gratia ceterarum scientiarum et vana etiam pulchritudo, cum frumentum electorum et vinum germinans virgines juxta prophetam sit bonum super omnia, et sit pulchrum, quia tamen regulares quidam claustrale silentium et legem Domini animas convertentem et sapientiam dantem parvulis, quam super aurum et topation amare debuerant, respuentes, abeunt post vestigia gregum et illicite se convertunt ad pedissequas amplectendas, que plausum desiderant populorum, contra hujusmodi presumptores, exeuntes ad audiendum leges vel physicam, felicis memorie A.[1] predecessor noster olim statuit in Concilio Turonensi, « ut nisi infra duorum mensium spatium ad claustrum redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur et in nulla causa, si patrocinium prestare voluerint, audiantur. Reversi autem in choro, capitulo, mensa et ceteris ultimi fratrum existant, et nisi forte ex misericordia sedis apostolice, totius spem promotionis amittant ». Verum quia nonnulli ex talibus propter quorumdam opiniones diversas excusationis aliquid assumebant, nos volentes ut tales decetero ipso facto sententiam excom-

municationis incurrant, districte precipiendo mandamus, quatinus tam a diocesanis et capitulis ipsorum quam etiam a ceteris episcopis, in quorum diocesibus in hujusmodi student tales, sublato appellationis obstaculo, excommunicati et predictis penis obnoxii publice nuntientur. Quia vero theologie cupimus studium ampliari, ut dilatato tentorii sui loco funiculos suos faciat longiores, et sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, ad archidiaconos, decanos, prepositos, plebanos, cantores et alios clericos personatus habentes, nec non et presbyteros, nisi ab hiis infra spatium prescriptum destiterint, hec extendi volumus, et appellatione postposita inviolabiliter observari[2]. Nam cum sint multi caupones aquam vino miscentes, qui non solum involvere falsa veris, set etiam diem in noctem vertere moliuntur, in firmamento celi plantare luminaria dividentia diem a nocte valide affectamus, summopere satagentes, ut ad capiendum vulpes parvulas que demoliuntur vineas bonorum habeamus copiam venatorum, qui manum mittentes ad fortia contra perversos fidei sint potentes opere ac sermone, hic vestiti duplicibus, ut mereantur duplicia possidere, cum ridebunt in die novissimo, ad judicandum cum terre senatoribus consessuri. Porro cum argentum alibi habeat venarum suarum principia quam unde ferrum tollitur, et auro locus in quo confletur sit jamdudum Parisius deputatus, ubi turris David cum suis propugnaculis construi consuevit, ex qua dependent non solum mille clypei, set omnis fere armatura fortium, dum indesinenter exinde fortes ex fortissimis prodeunt, tenentes gladios et ad bella doctissimi, qui ambiunt per orbem undique lectulum Salomonis, quidam suis divitiis invidentes dicere videntur patri : quid generas ? et matri; quid parturis ? dum secus altare plantare lucum et ancillam heredem sue domine gestiunt subrogare, quanquam ancille filius cum filio libere non debeat heres esse. Currunt enim illuc quidam improbi cum traditionibus secularium principum, quasi rarefacere velint ibi fabrum ferrarium, acuentem gladium aut lanceam, vomerem vel ligonem; et cum in locis plurimis plures habeant sui studii professores, ultro ingerunt filiorum oculis merces suas, ut ipsarum allecti phaleris et dulcedine provocati, a matris pulchritudine ac sapidis uberibus abstrahantur, non attendentes quod coangustatum est illic stratum et fere artus est locus ibidem filiis prophetarum. Sane licet sancta ecclesia legum secularium non respuat famulatum, que satis equitatis et justitie vestigia imitantur[3], quia tamen in Francia et nonnullis provinciis laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt raro ecclesiastice cause tales, que non possent statutis canonicis expediri, ut plenius sacre pagine insistatur, et discipuli Elysei liberius juxta fluenta plenissima resideant ut columbe, dum in januis scolas non invenerint, ad quas divaricare valeant pedes suos, firmiter interdicimus et districtius inhibemus, ne Parisius vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile presumat, et qui contra fecerit, non solum a causarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per episcopum loci appellatione postposita excommunicationis vinculo innodetur. Vos autem, fratres et filii, sic diligentius prescripta servetis

et faciatis studiosius ab aliis observari : quod veri amici sponsi possitis merito comprobari, dum paranimphos suos erudiendos ad epythalamica carmina curaveritis promovere. Dat. Viterbii xvj kal. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Bibl. nat. Olisippon. divis. Alcobaça, nº 263, fol. 221. In Reg. Vat. Hon. III an. 4, ep. 610, fol. 142ᵇ scribitur epistola « Ven. fratr. Patriarche Antiocheno et universis archiepiscopis et episcopis ac dil. fil. ceteris ecclesiarum prelatis in patriarchatu Antiocheno constitutis » (x kal. Decemb.), noviter edita a Card. Pitra in *Analecta novissima Spicilegii Solesmens. altera continuatio*, I, 570. Veteres edd. apud Potthast, nº 6165. In tres partes divisa *primo in Collect. decret.* Honorii III. (*Compil. V.*), V, 2, 1; III, 27, 1; V, 12, 3. In X vero V, 5, c. 5; III, 50, c. 10; V, 33, c. 28.

1. Alexander III in Concilio Turonensi an. 1163. Vide supra parte introd. nº 1. — 2. *Clemens papa IV* « *habito cum* fratribus nostris consilio » declaravit, illos, qui habent simplices curas animarum, illa Constitutione non teneri. Bibl. capitul. Poson. ms. 13, fol. 228ᵇ (sine nomine papae); haec decretalis est 26 inter illas, quae ibidem ut extravagantes a Gregorio IX *usque ad Clementem IV afferuntur*. In Bibl. Mus. bohem. ms. I. B. 4, obtinet 49 locum et ascribitur Gregorio IX, utique per errorem, cum etiam in VI, c. 1, ne cler. vel mon. (3, 24), papa Clemens ut auctor nominetur, et in isto ultimo ms. nonnullae decretales non veris auctoribus ascribantur. — 3. In glossa ignoti saec. XIII, quae legitur in Bibl. cap. Posonii ms. 13 (fol. 191ᵇ) ad c. 28, X, de privil. (5, 33), dicitur : « Hoc dicit propter quasdam leges, videlicet illas, que admittunt exerceri usuras et similes, que non videntur inniti equitati. »

---

33. *Honorius III Philippum cancellarium Parisiensem propter gravia quaedam accusatum et ad suam praesentiam constitutum Parisios remittit, quia nullus accusator comparuit.*

1219, Novembris 30, Viterbii.

.. Decano et capitulo Parisiensi. Cum ad aures nostras de dilecto filio Ph. cancellario vestro quedam gravia provenissent, et ob hoc eum ad nostram presentiam vocassemus[1], quia ipso coram nobis postmodum comparente nullus contra eundem comparuit accusator : nos in hoc et aliis vos honorare volentes, quos nobis novimus et apostolice sedi devotos, et qui ex affectu sinceritatis, quem ad Romanam habetis ecclesiam, dari nuper ecclesie vestre dilectum filium nostrum A[2]. tituli Sancte Susanne presbyterum cardinalem in episcopum postulastis, cancellarium ipsum ad vos cum gratia nostra duximus remittendum. Dat. Viterbii ij kal. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Vat. Honorii III an 4, ep. 615, fol. 145ᵇ. « In eundem modum scriptum est.. Archiepiscopo Senonensi ». — *Notices et extraits des mss.* XXI, 2, p. 185, ubi perperam scribitur : « ij non. Decemb ». Idem error apud Potthast, nº 6173.

1. Cf. supra nº 31. — 2. Aldobrandinum Caietan; at non fuit approbatus. Successor Petri de Nemours, hoc anno in Oriente defuncti, fuit Guillelmus de Seignelay, anno quidem 1220.

---

34. *Honorius III concedit fratribus Praedicatoribus Parisiensibus, ut in ecclesia ipsis a magistris Parisiensibus concessa divina celebrare possint.*

1219, Decembris 1, Viterbii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis fratribus ordinis Predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Vestris postulationibus inclinati auctoritate presentium indulgemus ut in ecclesia, quam dilecti magistri Parisienses vobis apud Parisius

contulerunt, divina officia celebretis. Dat. Viterbii kal. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 240, nº 59. Supersunt fila cannab. — Fratres Praedicatores 12 Septembris an. 1217 Parisios venerunt et primo « domum juxta hospitale B. Mariae virginis ante fores Parisiensis episcopi » conduxerunt. « Anno Domini Mccxviij data est fratribus domus S. Jacobi, quamvis nondum absolute, a magistro Johanne decano S. Quintini et ab Universitate Parisiensi ad instantiam domini papae Honorii, quam intraverunt ad habitandum octavo id. Augusti »: Jordanus, *Liber principii Ord. FF. Praed.* in *AA. SS.* Aug. I, 545, nº 40. Absolute receperunt locum S. Jacobi anno 1221. Cf. documenta infra nis 42 et 43 edita. Ut « in sacra pagina studentes apud Parisius » jam nominantur in doc. infra nº 36 relato. Primam vero cathedram in theologica facultate receperunt an. 1229 post 15 Maii, fuitque Rolandus primus magister et primus Sententiarius ex ord. Praed., cujus exstant *Questiones super quatuor lib. Sent.* multum extensae in Bibl. Mazarine, nº 439. Secundam cathedram acquisierunt post 13 April. 1231. Fratres Praedicatores primi ante omnes religiosos in Universitate Parisiensi theologiam docuerunt.

---

35. *Honorius III praecipit prioribus S. Dionysii et S. Germani de Pratis Parisiensibus ac cancellario Mediolanensi Parisiis commoranti, ut novellam plantationem fratrum Praedicatorum Parisiis contra capitulum Parisiense et alios protegant.*

1219, Decembris 11, Viterbii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. Sancti Dionisii et .. Sancti Germani de Pratis prioribus Parisiensis diocesis, et .. cancellario Mediolanensi Parisius commoranti salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum duxerimus indulgendum ut in quadam ecclesia in beati Jacobi honore constructa quam habent Parisius liceat eis officia celebrare divina, capitulum Parisiense, sicut accepimus, quominus id faciant impedire præsumunt[1]. Unde cum ipsos non deceat priorem et fratres super hoc presertim contra sedis apostolice indulgentiam impedire, quibus potius deberent impendere subsidium et favorem, cum non causa temporalis lucri, set pro divini nominis cultu desiderent in capella celebrare predicta, ipsos rogandos duximus attentius et monendos, nostris dantes sibi litteris in mandatis, ut jam dictos priorem et fratres in ecclesia ipsa, in qua nondum extitit quibusdam prohibentibus celebratum, juxta sibi concessam indulgentiam libere celebrare permittant, alias habentes eos taliter commendatos, quod eorum novella plantatio, que speratur fructum multiplicem allatura, rore sue beneficentie irrigata citius coalescat, idque ipsis ad cumulum proficiat premiorum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus super hiis et indempnitate ipsius capituli et circumadjacentium ecclesiarum provideatis prudenter, sicut videritis expedire, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Viterbii iij id. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 240, nº 60. Supersunt fila cannab.

1. Ecclesia S. Jacobi erat constructa in territorio parochiae Sancti Benedicti, quae una ex quatuor filiabus capituli Parisiensis dicebatur et ab ipso capitulo dependebat. Proindeque capitulum Parisiense defendebat jura parochiae S. Benedicti, quae se laesam putabat, si fratres Praedicatores in propria ecclesia celebrarent.

36. *Honorius III laudat magistros et scholares Parisienses ob eorum affectum erga fratres Praedicatores Parisiis in sacra pagina studentes, eisque praedictos fratres iterum commendat.*

1220, Februarii 27, Viterbii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisius commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Gratum gerimus et acceptum, quod sicut accepimus dilectos filios fratres ordinis Predicatorum in sacra pagina studentes apud Parisius habentes in visceribus caritatis eos vestre pietatis officiis laudabiliter confovetis, per quod gratum Deo vos prestare obsequium arbitramur, quia cum bona ecclesiastica soli Domino sint ascripta, vix unquam possunt officiosius dispensari, quam cum eis exinde misericorditer subvenitur, qui salutem hominum sitientes ad hoc aurire gestiunt aquam in gaudio de fontibus Salvatoris, ut eam dividant in plateis non solum ad refectionem sitientium animarum, verum etiam ad mentium infirmantium antidotum salutare. Ut igitur sincerum affectum, quem ad predictos fratres habemus, plenius cognoscatis, universitatem vestram rogandam duximus et monendam per apostolica scripta mandantes, quatinus sicut laudabiliter inchoastis, eos ob reverentiam apostolice sedis et nostram habentes propensius commendatos, ipsis beneficentie vestre dexteram porrigatis, ita quod Deum propitium et nos vobis exinde magis ac magis reddatis favorabiles et benignos. Dat. Viterbii iiij kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto[1].

Originale in Arch. nat. Paris. L. 240, nº 65. Supersunt fila cannab.

1. L. 240, nº 66, exstant litterae papae scriptae priori et conventui S. Mariae de Vineis ejusdem tenoris et sub eadem temporis nota atque iisdem verbis conceptae. Restant fila cannab. Apud Ripoll, *Bull. ord. Praed.* VII, 2, nº 35, tantummodo fragmentum.

---

37. *Honorius III commendat Garino archiepiscopo Senonensi et Guillelmo episcopo Parisiensi fratres ord. Minorum, atque eis scrupulum de ipso ordine adimit.*

1220, Maii 29, Viterbii.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Senonensi et suffraganeis suis salutem et apostolicam benedictionem. Pro dilectis filiis fratribus de ordine fratrum Minorum direxisse vobis recolimus nostra scripta, ut eos haberetis divini amoris intuitu commendatos[1]. Sed sicut intelleximus quidam vestrum quasi habeant de ipso ordine conscientiam scrupulosam, cum nichil in eis suspicionis dignum invenerint, sicut ab aliis intelleximus, quibus adhibere possumus plenam fidem, ipsos in suis manere diocesibus non permittunt, licet ex eo solo, quod litteras nostras eisdem concessimus, nihil sinistri de ipsis debuerint opinari. Unde universitati vestre volumus esse notum, quod nos ordinem talium de approbatis habemus[2], et fratres ordinis ipsius viros recognoscimus catholicos et devotos. Quare monendos vos duximus et hor-

tandos per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatinus ipsos tanquam vere fideles et religiosos in vestris diocesibus admittatis habentes eosdem pro divina et nostra reverentia propensius commendatos. Dat. Viterbii iiij kal. Junii, pontificatus nostri anno quarto[3].

Firmamenta trium ord., parte 2, tr. 1, fol. X. — Wadding. *Ann. Min.* ad an. 1220, nº 59, citat originale olim in Arch. Minorum Parisiis conservatum continens litteras archiepiscopo Senonensi et episcopo Parisiensi scriptas; nº 58 edit sub eadem temporis nota et ejusdem tenoris litteras directas ad archiepiscopos, episcopos, etc., per regnum Franciae constitutos. — Quo anno fratres Minores Parisios pervenerint, in monumentis non aperte dicitur, sed ex ipsis facile erui potest. Auctor coaevus fr. Jordanus de Jano Ord. Min. dicit in sua *Chronica*, S. Franciscum anno Dom. 1219 in capitulo apud Sanctam Mariam de Portiuncula fratres misisse in Franciam, et fratres missos ibidem haereticos fuisse reputatos. « Episcopus vero et *magistri* tandem eorum regulam perlegentes et evangelicam et catholicam videntes super hoc dominum papam Honorium consuluerunt. Qui eorum regulam authenticam utpote a sede firmatam et fratres speciales filios Romane ecclesie et vere catholicos suis litteris declaravit, et sic eos a suspicione heresis liberavit ». *Analecta Franciscana* ed. a patribus colleg. S. Bonaventurae, I, 2 sq. Litterae Honorii III, quae hic citantur, sunt proprie superius relatae. In ipsis autem fit mentio aliarum litterarum Honorii, quas portaverunt fratres secum, quando in Franciam et in alias regiones iverunt. Nobis notae sunt, fuerunt enim 11 Junii 1219 ad archiepiscopos, episcopos, etc., directae, quibus eis papa injunxit, « quatenus latores presentium recipiant sicut catholicos et fideles ». Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 2, nº 2. Fratres Minores venerunt igitur in Franciam post 11 Junii 1219 et ante 29 Maii 1220. Eos vero eodem tempore Parisios venisse eruitur ex verbis allatis Jordani, episcopum *et magistros* perlegisse eorum regulam, nam innuitur hic urbs Parisiensis, quod et confirmatur ex litteris ipsis Honorii III, quae directae sunt ad episcopum Parisiensem et ejus metropolitam Senonensem. Fratres Minores primo apud S. Dionysium in territorio Parisiensi habitasse ex aliis monumentis certe demonstrari potest. Vide infra ad nº 76.

1. Litteras scilicet Honorii III datas 11 Junii 1219 ad archiepiscopos, episcopos, abbates, decanos, archidiaconos et alios ecclesiarum praelatos et jam supra ex Sbaralea citatas. — 2. Jordanus minus accurate dicit, Honorium declarasse « regulam authenticam utpote a sede firmatam », nam hoc proprie evenit 29 Nov. 1223, ut ipse notat inferius. Cf. *Anal. Francisc.*, p. 11. In bulla 11 Junii 1219 legitur, fratres elegisse « vite viam a Romana ecclesia merito approbatam ». — 3. v kal. Sept. an. X (28 Aug. 1225), Honorius III injunxit Bartholomaeo episc. Paris., ne differat licentiam ab apost. sede fratribus Minoribus datam cum altari viatico celebrandi publicare. Reg. Vat. an. 10, ep. 31, fol. 80[b]. Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 21, nº 19.

---

38. *Honorius III capitulum Parisiense laudibus commendat, eo quod fratribus Praedicatoribus in capella S. Jacobi Paris. divina celebrare et cimeterium habere permiserit.*

1220, Julii 29, apud Urbem Veterem.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Gaudemus in Domino et in vestris laudibus gloriamur, quod vos et ad obediencie bonum pronos et ad pietatis studia promptos, sicut decet devotos filios, invenimus, per quod Deo gratos, nobis acceptos et hominibus vos redditis merito commendandos. Cum enim vobis nuper preces direxerimus et mandata, et quibusdam vestrum in nostra presencia constitutis injunxerimus viva voce ut dilectos filios fratres ordinis Predicatorum habentes in visceribus caritatis eis in capella Sancti Jacobi, quam habent Parisius, celebrare divina et cimiterium permitteretis habere, vos, sicut ex eorum leta relacione didicimus, mandatum nostrum et eorum desiderium implestis liberaliter et libenter, ita quod ex ipso affectu videmini multum effectui gracie adjecisse. Super quo devocionem vestram dignis in Domino laudibus commendantes universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus continuantes vestram graciam erga eos, ipsos favorabiliter foveatis, ab eo digne

vicissitudinis premia recepturi, qui eos ad profectum ecclesie generalis in ministerium evangelii segregans, quod uni ex ipsis fit sibi reputat esse factum, ac nos, qui eosdem sincera complectimur in Domino caritate, habituri magis ac magis favorabiles et benignos. Dat. apud Urbem Veterem iiij kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Magnum Pastorale in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 568. — Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, II, 392. — Cf. supra n° 35. Mense Decembri ejusdem anni facta est perfecta compositio inter capitulum Parisiense et fratres Praedicatores S. Jacobi circa jura parochiae S. Benedicti. Cf. textum latinum apud Le Maire, *Paris ancien et nouveau*, II, 4, translationem gallicam apud Sauval, *Histoire et antiquités de la ville de Paris*, I, 635. Apographum instrumenti in Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 8.

---

39. *Honorius III priori et fratribus ordinis Praed. S. Jacobi Paris. fratrem Guillelmum commendat, qui cum eis Parisiis studendi causa habitare elegit.*

1220, Decembris 30, Laterani.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori et fratribus ordinis Predicatorum Sancti Jacobi Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum Lie importunitas desiderabiles Rachelis amplexus fere continue nobis invideat, religionem vestram rogamus attentius et instantius postulamus, quatinus vos, qui sedetis ad pedes Domini cum Maria ipsum humiliter exoretis, ut gressus nostros dirigat in suorum semitas mandatorum, quatinus que sibi sunt placita facientes dignam sibi possimus de commissa nobis sollicitudine reddere rationem. Ad hec dilectum filium fratrem Guilielmum latorem presentium, qui licet nobis ejus presentia grata esset, esse tamen vobiscum Parisius studendi desiderio preelegit, caritati vestre propensius commendamus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ei, ad cujus preces vobis et toti ordini vestro concessimus, ut pro ipsius ordinis litteris nichil pro bulla nostra tempore nostro solvatur, opportunitatem studendi quantum permittet vestri ordinis institutio tribuatis. Dat. Laterani iij kal. Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 240, n° 81. Restant tantummodo fila cannab.

---

40. *Honorius III fratres Praedicatores S. Jacobi Paris. et fratrem Guillelmum familiarem suum magistris et scholaribus Paris. commendat.*

1221, Januarii 2, Laterani.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisius commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Iterate preces precantis affectum exprimunt pleniorem, cum crescant regulariter omnia geminata. Licet igitur pro dilectis filiis.. priore et fratribus ordinis Predicatorum Sancti Jacobi Parisiensis pluries vobis direxerimus preces nostras quas prona devotione ac prompta obedientia, sicut eorum leta relatione didicimus, suscepistis, gratum Deo et nobis in hoc obsequium exibendo, adhuc tamen preces per dilectum filium fratrem Willermum familiarem nostrum ejusdem ordinis eo affectuosius et fiducialius iterantes, quo placida et placita conversa-

tione sua nobis meruit complacere, universitatem vestram rogamus et monemus attente, quatinus prædictos magistrum[1] et fratres et specialiter hunc habentes ob reverentiam divinam et nostram propensius commendatos, eos defendatis presidiis, attollatis favoribus et beneficiis foveatis, ita quod exinde vestrorum crescat cumulus meritorum, et nos qui ordinem totum sinceritatis brachiis amplexantes eorumdem profectum in Domino affectamus, caritatem vestram possimus magis ac magis merito commendare. Dat. Laterani iiij non. Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 240, nº 84. Supersunt fila cannab.

1. L. 240, nº 80, legitur rectius « priorem ». — 2. L. 240, nº 80, exstant litterae papae ejusdem tenoris ad abbatem et conventum S. Maglorii Paris. directae « vj. kal. Januarii » (1220, 27 Decemb.). Restant fila cannab.

---

41. *Honorius III Stephano archiepiscopo Cantuariensi et Hervaeo Trecensi ac Guillelmo Lexoviensi episcopis mandat ut Parisios accedant et inquirant super querelis episcopi Parisiensis, quas ad apostolicam sedem contra magistros et scholares Parisienses detulit, statuantque quod statui studii et utilitati studentium viderint expedire.*

1221, Aprilis 2, Laterani.

.. Archiepiscopo Cantuariensi sancte Romane ecclesie cardinali[1] et .. Trecensi et .. Lexoviensi episcopis. Venerabilis frater noster .. Parisiensis episcopus[2] nobis insinuare curavit, quod magistri et scolares Parisienses fecerunt et frequenter faciunt constitutiones quasdam, que colligationes seu etiam conspirationes possunt merito appellari, juramentum non solum super observatione factarum sed etiam faciendarum decetero exigentes penis gravibus constitutis in illos, qui earumdem constitutionum fuerint transgressores. Abutuntur etiam quodam sigillo nomine universitatis magistrorum et scolarium nuper facto, et taxantes domorum pretium contra ordinationem auctoritate regia olim factam et ab eo, qui tunc presidebat Parisiensi ecclesie necnon a magistris et scolaribus acceptatam, et in ipsius episcopi et Parisiensis cancellarii prejudicium constituentes sibi pro sue voluntatis arbitrio judices, qui causas eorum audiant et decidant. Hiis et aliis modis coram vobis plenius exprimendis ipsorum episcopi et cancellarii jurisdictionem usurpent multipliciter et enervant, ac adeo inceperunt omnia pro arbitrio facere, quod nisi principiis obsistatur, gravia per hoc poterunt scandala suboriri, et dissolutionis Parisiensis studii periculum imminere. Quare idem episcopus nobis humiliter supplicavit ut super hiis curaremus salubriter providere. Tranquillitatem ergo et statum ipsorum magistrorum et scolarium sollicite affectantes, ac volentes nichilominus ut honores et jura Parisiensis ecclesie illibata serventur, vobis, de quorum prudentia indubitatam fiduciam obtinemus, negotium hujusmodi duximus committendum. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad locum personaliter accedatis, et vocatis quos propter hoc videritis convocandos juramentorum extorsionem hujusmodi et usum sigilli predicti auctoritate nostra inhibeatis omnino, sigillum ipsum penitus confringentes. Super aliis vero inqui-

ratis sine contentione judicii, que videritis inquirenda, et partes ad amicabilem compositionem inducere studeatis. Que si per studium vestrum nequiverit provenire, statuatis appellatione remota quod videritis statuendum. Specialiter autem super eo, quod ad docendum non solum in aliis facultatibus set etiam in theologia interdum repulsis dignis admittuntur indigni et adeo excrescit numerus magistrorum, ut tum pro numerositate tum pro insufficientia eorumdem vilescat auctoritas magistralis, volumus, quod super hiis omnibus sublato appellationis obstaculo statuatis, quod statui studii et utilitati studentium videritis expedire, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, *etc.*, duo vestrum, *etc.* Dat. Laterani iiij non. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. Honorii III an. 5, ep. 505, fol. 101^b.

1. Stephano Langton, qui antequam ad cardinalatus honorem evectus esset (22 Junii 1206) in Universitate Parisiensi theologiam docebat et praeter alia *Summam theol.* scripsit, quae in diversa forma ad nos pervenit, v. g. in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16385, 14556, Erlangen, nº 353, Arras, nº 394, etc. Ipse etiam verisimiliter *Bibliam* in capita divisit, ut nunc moris est. Cf. S. Berger, *De l'histoire de la Vulgate en France*, p. 11. Ejus « eminentem litteraturam et profundioris prerogativam doctrine » laudibus extollit Honorius III infra nº 48. — 2. Episcopus Paris. tunc temporis erat Guillelmus de Seignelay (28 April. 1220 usque 23 Novemb. 1223). Continuator Guillelmi Armorici in ms. Cotton. dicit de eo : « Odiosus Philippo regi et universitati scolarium, cujus improbitate actum est, ut omnes magistri theologie et aliarum facultatum, qui Parisius docebant, suspenderent a legendo a media Quadragesima usque ad medium Augusti; propter quod tam a clero quam a populo et militibus odio habebatur ». *Œuvres de Rigord et de Guillaume le Breton*, ed. Delaborde, I, 330. Suspensio lectionum fieri non potuit ante annum 1221.

---

42. *Universitas magistrorum et scholarium Parisiens., quidquid juris habet in loco S. Jacobi coram ecclesia S. Stephani, fratri Matthaeo priori ejusque fratribus ordinis Praed. et ipsi ordini sponte ac libere confert et donat.*

1221, [Parisiis].

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ad honorem Dei, beatissime virginis Marie, beati Jacobi apostoli et omnium sanctorum nos universitas magistrorum et scolarium Parisiensium pro salute animarum nostrarum quicquid juris habemus vel habuimus in loco Sancti Jacobi, qui est coram ecclesia Sancti Stephani in exitu civitatis Parisiensis, fratri Matheo priori suisque fratribus ordinis Predicatorum et ipsi ordini sponte ac libere conferimus et donamus. Et in signum reverentie et recognitionis, quod locum ipsum teneant a nostra Universitate tanquam a domina et patrona, ipsi nos recolligunt nostrosque successores in participationem generalem et perpetuam omnium orationum et beneficiorum suorum tanquam confratres suos. Insuper singulis annis in crastino festivitatis beati Nicholai missam solempnem in majori altari presente conventu pro vivis magistris et scolaribus necnon et conservatione studii Parisiensis, in crastino vero purificationis beate Mariae virginis cum eadem solempnitate missam pro illis, qui de Universitate nostra Parisius decesserint, celebrabunt. Preterea pro quolibet magistro, cujuscumque facultatis fuerit de nostris, qui in officio regendi Parisius decesserit, tantum

facient solempniter, quantum facerent pro uno de fratribus suis defunctis. Et quilibet sacerdos de eis celebrabit missam pro eo, et prior eorum faciet legi tria psalteria pro eodem. Si vero ibi elegerit sepulturam, si fuerit theologus, sepelient eum in capitulo suo; si autem alterius facultatis, in claustro. In cujus rei perpetuam firmitatem presentem paginam sigillis magistrorum theologie fecimus roborari. Actum anno gratie M° ducentesimo vicesimo primo.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VI. C. 1, a. Erat triplici sigillo munitum. Restant duo fragmenta et tria taeniola membranacea. C. 1. a[bis] continet *Vidimus* ejusdem donationis prioris fratrum Praed. Paris. anni « milles. ducent. septuages. quinti, die sabbati post Letare Jerusalem ». Concordat omnino cum originali. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 61. Bibl. Phillipps in Cheltenham ms. 876, fol. 63[b], ubi haec Rubrica : « De missis magistrorum apud predicatores ». Bulaeus, III, 105.

---

43. *Magister Johannes decanus S. Quintini Noviomensis dioecesis donat fratribus Praedicatoribus Paris. quidquid juris habet Parisiis in loco suo coram S. Stephano.*

1221, Maii 3, Parisiis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ad honorem Dei et beatissime virginis Marie, beati Jacobi apostoli et omnium sanctorum ego Johannes, decanus S. Quintini, notum facimus omnibus presentem paginam inspecturis, quod pro salute anime nostre quicquid juris habemus vel habere videmur in loco nostro, qui est Parisius coram Sancto Stephano ad manum dextram, inter duas portas proximas in exitu civitatis, sicut vie communes ambiunt, tam in terris quam in edificiis omnibus, dilectissimis nostris Matheo priori et fratribus ordinis Predicatorum et eorum ordini, quorum Deo gratam religionem et fructuosam, ac necessarium ministerium apud homines pro posse intendimus promovere, prona et spontanea voluntate libere conferimus et donamus, ut ipsi tam libere et quiete, ut nos possedimus vel usi sumus hactenus, possidere libere et quiete teneant et possideant, nec possint de cetero in aliquo a nobis vel ab alio molestari, ita tamen, quod jus, honorem et reverentiam, que debentur de communi jure patronis et fundatoribus locorum religiosorum, nobis personaliter tantum, ita quod alius nobis non succedere possit, teneantur secundum tempora et loca convenientia exhibere. Inter que hec duximus amplius declaranda : locum in choro, in refectorio, in capitulo, quod nobis inclinent advenientibus, sepulturam in ecclesia, exequias et memorias per omne tempus sicut uni fratrum, et singulis annis anniversarium diem nostri transitus celebrabunt, et quod in diebus solempnibus possimus et horas in choro, et missam in majori altari, si voluerimus, celebrare, aliis vero diebus, vel unus de fratribus nobis missam celebrabit si poterit, aut nobis assistens vel capitulo nostro in nostra presentia hora competenti celebrare volentibus ministrabit. Si vero predicti fratres vel eorum successores locum ipsum, nisi causa studii vel interdicti generalis, reliquerint, habitationem et statum suum ad locum alium penitus transferentes, volumus quod locus ipse ad nos si vixerimus, aut ad fratres conversos, qui locum prius inhabitarant, si pauperum hospitalitatem tenuerint,

revertatur, ita tamen quod pro hiis, que in eo ipsi fratres Predicatores posuerint tam pro edificiis quam pro terris, secundum estimationem domini episcopi Parisiensis et nostram et aliorum bonorum virorum a nobis vel ab ipsis fratribus conversis recipiant. Quod si nos vel predicti fratres hospitales non potuerimus vel non voluerimus juxta estimationem predictam prenominatis fratribus Predicatoribus reddere de omnibus suis missionibus, si aliquam tamen partem predictorum retinere voluerimus, illam juxta predictorum virorum estimationem retinebimus : de ceteris autem secundum quod predicti viri ordinaverint, maneat ordinatum. Et quia materiam nostre turbationis et eorum ingratitudinis volumus quantum possumus a nobis et eis penitus extirpare, adicimus, quod si ipsi vel eorum successores tam in predictis quam in aliis nos presumerent molestare et requisiti a nobis post dies octo illud emendare contemnerent, secundum arbitrium domini episcopi Parisiensis, pecuniaria pena vel alia prout sibi videbitur nobis satisfacere non omittant. Hanc autem donationem istam inter vivos facere profitentes ita firma et irrevocabilis nullis litteris obstantibus aut pactionibus factis aut faciendis, que contra ea ubicunque vel quandocunque eas repetere contigerit, volumus permanere, quod nec nos possimus in eis aliud nobis ab hiis, que sunt expressa superius, vendicare, nec jus aliquod post nos ad alium transferatur. Ad cujus rei memoriam et perpetuam in posterum firmitatem presentem paginam tam venerabilium patrum domini episcopi, decani et cantoris Parisiensis sigillis, quam nostro fecimus roborari. Actum in eodem loco in capella Sancti Jacobi anno incarnationis dominice MCCXXI v° non. Maii.

Apographum authent. in Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 1. Apud Quétif-Echard, *SS. Ord. Praed.*, I, 17, n° 1, tantummodo excerptum. — De magistro Johanne de Barastre, decano S. Quintini, vide Colliette, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique, civile et militaire de la province de Vermandois*, II, 577 sqq. Sicut ex documentis infra relatis apparet, ex donatione Johannis post ejus mortem controversia orta est inter capitulum S. Quintini, quod aliquod jus habebat super locum istum, et fratres Praedicatores. Vide praesertim infra n° 129.

---

44. *Honorius III cantori, archidiacono majoris ecclesiae et decano S. Germani Autissiodorensis Parisiensibus mandat ut Johanni decano S. Quintini, qui fratres de ord. Praed. Parisiis in theol. facultate docet, redditus et vicario ejus distributiones a capitulo exhiberi faciant.*

1221, Maii 4, Laterani.

.. Cantori .., archidiacono majoris ecclesie, et .. decano Sancti Germani Autisiodorensi Parisiensibus. Dilecto filio .. decano Sancti Quintini[1] nobis innotuit referente, quod cum de mandato nostro Parisius doceat fratres de ordine Predicatorum in theologica facultate, nosque pro eo vobis scripserimus, ut integre faceretis eidem suos redditus ecclesiasticos juxta constitutionem a nobis editam[2] exhiberi, posito de licentia nostra in ecclesia Sancti Quintini aliquo loco sui, qui distributiones cotidianas suarum percipiat prebendarum, contradictores per censuras ecclesiasticas compescendo, nichilominus capitulum ejusdem ecclesie redditus eidem decano et cotidianas distributiones ipsius vicario ex eorum

provenientes ecclesia sibi subtrahunt pretendentes, in sua et Gallicana ecclesia juramento esse firmatum, quod residentibus tantum beneficia persolvantur[3]. Nos autem nolentes decanum eundem a tam pio cessare vel tepere proposito, set specialem ei potius facere gratiam cupientes discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus non obstante hujusmodi juramento, exhiberi a prenominato capitulo ipsi decano redditus et vicario suo distributiones hujusmodi faciatis, contradictores juxta formam in prioribus litteris vobis traditam compescendo. Quod si non omnes, *etc.* Dat. Laterani iiij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. Honorii III an. 5, ep. 603, fol. 120[b]. — *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 179.

1. Est idem cum magistro Johanne de Barastre, documenti praecedentis auctore. Non fuit tantummodo magister quidam privatus, sed revera « regens in theologia Parisius », ut dicit Johannes de Navarra in « Processu canonizationis » S. Dominici apud *AA. SS.* mense Aug. I, 638, nº 29, quod etiam ex documentis supra n[is] 36, 40 editis apparet. — 2. Supra nº 32. — 3. Cf. Supra nº 4.

45. *Honorius III archidiaconis Remensi ac Senonensi et mag. Petro de Collemedio ut exsecutoribus scribit, quae pendente lite inter Guillelmum episcopum, Philippum cancellarium et officialem Paris. ex una, et magistros et scholares ex alia parte, observari debeant prohibetque ne episcopus nec aliquis alius ejus nomine in Universitatem sententiam excommunicationis proferre possit. Interim etiam usus sigilli scholarium suspendatur, nec scholares secundum nationes suas sibi quemquam ad ulciscendas injurias praeficiant.*

1222, Maii 31, Alatri.

.. Remensi et .. Senonensi archidiaconis et magistro P. de Collemedio capellano nostro Parisius commoranti. Inimico homine, qui incentor malorum est et quem odia et scissure delectant, dissensionum superseminante zizania inter venerabilem fratrem nostrum .. episcopum et .. officialem ipsius et .. cancellarium Parisienses ex parte una, et universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium ex altera, gravis jam dudum discordia est suborta[1]. Nos vero detrimentis ex hujusmodi turbatione paratis occurrere cupientes causam super certis articulis ad petitionem ejusdem episcopi venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Cantuariensi et .. Trecensi et .. Lexoviensi episcopis sub certa forma duximus committendam[2], inter alia injungentes eisdem, ut laborarent ad reformandam inter partes concordiam, qua magis quam judiciorum strepitu expediret negotium terminari. Set hec faciente illo, qui que caritatis et pacis sunt odit, non potuit pervenisse. Iidem quoque judices propter quasdam exceptiones ab adversa parte propositas, licet inhibuerint, ne lite pendente aliquid innovari deberet, in nullo super principali negotio processerunt, ex quo factum est, quod exaggerate sunt postmodum questiones, et lites etiam instaurate, studiumque concussum, ut jam videatur dissolutionis periculo subjacere. Cum autem quidam ex predictis magistris cum multitudine scolarium pro se ac aliis nec non et procurator ipsius episcopi ad nostram presentiam accessissent, et idem episcopus revocaverit ab eodem procuratore mandatum, nobis insinuans, quod prosequi causam

ipsam in propria persona volebat : tandem expectatus diutius non accessit, cui nos deferre volentes noluimus ipso absente in negotio habere processum, ipsum sub certa forma venerabili fratri nostro .. Cenomanensi episcopo et suis conjudicibus committentes. Verum quia in universitatem magistrorum et scolarium generales, in quosdam vero ipsorum occasione hujus discidii speciales, excommunicationis prolate sententie dicebantur, nos in predicto negotio de providentia quam exigit procedentes eas omnes relaxavimus ad cautelam et revocavimus in irritum, quicquid, postquam prefati magistri et scolares iter arripuerunt ad sedem apostolicam veniendi, est ab episcopo, cancellario et officiali predictis vel a quoquam ipsorum nomine innovatum, volentes ut interim magistri in sua plenaria possessione vel quasi serventur, nec innovetur aliquid ab eisdem. Non capiantur occasione delinquentium innocentes, set si contra aliquem suspicio habeatur probabilis, honeste detentus cautione prestita dimittatur, nec episcopus aut officialis ipsius medio tempore ad defuncti scolaris bona manus extendat, neque predicti episcopus et officialis ac cancellarius a licentiandis juramentum aut obedientiam exigant vel aliam cautionem, donec per nos negotium terminetur. Demoliatur precise carcer a cancellario ipso constructus, nec aliquem incarcerabit cancellarius memoratus, set episcopus si incarceratione opus est culpabilem honeste in carcere detinebit. Interim quoque nec episcopus nec officialis nec cancellarius pecuniariam penam a magistris vel scolaribus exiget pro excommunicationis emenda, nec episcopus et officialis ac cancellarius memorati licentiatos ab .. abbate Sancte Genovefe quin ubi consueverint libere incipere valeant interim molestabunt. Cancellarius preterea medio tempore ad regendum in aliqua facultate aliquem non admittet, nisi a magistro proprio cum magistrorum ad hoc a magistris electorum testimonio, qui presentari soleat, presentatum, et taliter presentato (nisi examinatus, si examinari soleat per cancellarium, insufficiens repertus fuerit) ab eodem cancellario licentia concedetur, nec episcopus nec aliquis ex parte ipsius ullo modo in universitatem ipsorum set nec in eorum quempiam interim nisi pro ejus proprio crimine vel contumacia manifesta et in alia causa, que hujusmodi negotium non contingat, excommunicationis sententiam proferat, que nulla si secus prolata fuerit habeatur. Ad hec, donec idem episcopus ad presentiam nostram veniat vel sufficientem pro se procuratorem transmittat in termino sibi et alteri parti a judicibus assignando, usus sigilli scolarium preterquam in hiis, que ad officium procurationis in hac causa pertinent, suspendatur. Non indicantur medio tempore cessationes publice contra episcopum aut cancellarium, quamdiu coram vobis juri erunt stare parati, nisi ab episcopo aut cancellario vel officiali fuerit contra prohibita manifeste presumptum. Magistri etiam a magistro vel scolari penam pecuniariam per tempus non exigent supradictum, nec scolares interim secundum nationes suas sibi quemquam preficient ad injurias ulciscendas, qui etiam arma non portent, nisi ob tutelam sui ex causa necessaria compellantur, nec prohibeant magistri scolaribus, ne accedant apud Sanctum Victorem ad confessionem vel exequias mortuorum, et ab eis si facta fuerit hujusmodi prohibitio revocetur.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus quod a nobis super hiis provisum est, faciatis inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, duo vestrum, *etc.* Dat. Alatri ij kal. Junii, anno sexto[3].

Reg. Vat. Honorii III an. 6, ep. 411, fol. 245. — *Rec. des Hist. des Gaules*, XIX, 724.

1. Cf. supra n°s 30 et 44. — 2. Vide supra n° 41. — 3. Absque dubio subsecuta est compositio amica inter magistros et scholares ex parte una, atque episcopum et cancellarium ex parte altera, nam compositionis mentio fit in litteris Gregorii IX 3 Junii anni 1228, et quod facta fuerit mediante Romano S. Angeli diacono cardinali (infra n° 58). At ne unum quidem documentum occurrit, quod nobis referat de ista compositione. Notum est tantummodo ex *Chron. Turonensi* (apud Martène-Durand, *Ampl. coll.*, V, 1067) et *Ann. Dunstapl.* (ed. Luard, p. 68), legatum Parisiis anno 1225 sigillum scholarium coram omnibus fregisse et postea in Concilio provinciali Brugis habito fere octoginta magistros, qui propter rebellionem contra legatum in sententiam excommunicationis inciderant, absolvisse. Non caret maxima probabilitate, compositionem anno 1225 vel anno sequenti sub episcopo Bartholomaeo (1223-1227) esse factam, praesertim cum ex anonyma Historia episcoporum Autissiodorens. (*Rec. des Histor. des Gaules*, XVIII, 740) discamus, episcopum Guillelmum mortuum esse, antequam pax inter ipsum, sive capitulum cum cancellario, et Universitatem esset conclusa.

---

46. *Honorius III Galonem abbatem et priorem S. Genovefae et magistrum S. canonicum S. Benedicti Paris. monet ne mag. Riccardo Ebroicensi archidiacono in sacra pagina (Parisiis) studenti quotidianae distributiones exhibeantur.*

1222, Novembris 25, Laterani.

.. Abbati et .. priori Sancte Genovefe et magistro S. canonico Sancti Benedicti Parisiensibus. Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut dilecto filio magistro Riccardo Ebroicensi archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos ecclesiasticos faceretis integre ministrari, non tamen volumus, quia nec nostre intentionis extitit, ut cotidianas illas distributiones, que tantum residentibus in ecclesiis et hiis qui horis intersunt canonicis exhibentur, ei tribui faciatis. Dat. Laterani vij kal. Decembris [anno vij].

Reg. Vat. Honorii III an. 7, ep. 36, fol. 10, quo emendatur textus in *Compil. V*, c. 1, tit. de praebendis (3, 4) et cap. *Licet* in X, 3, 5.— Riccardus fuit postea nuntius et procurator Universitatis. Cf. infra n° 330.

---

47. *Jordanus magister generalis fratrum Praedicatorum scribit sorori Dianae Bononiam, oret pro scholaribus Parisiensibus, ut ordinem Praed. intrent.*

Circa finem an. 1223, Parisiis.

Frater Jordanis ord. Predicatorum servus inutilis karissime in Christo sorori Dyane deliciari jugiter in gaudio et deliciis paradisi. Ecce karissima previa Dei gratia comitantibus et nichilominus prosequentibus suis ac filiarum mearum orationibus prospere veni Parisius sanus et incolumis competenter, et nunc presentes tibi curavi destinare litteras, ut saltem ex litterarum salutatione aliquale tibi generetur solatium, cui sublata est ad tempus corporalis presentia et allocutio personalis, et ex his duobus consollatio qualiscunque.... Valete. Ora pro me. Saluta sorores, filias in Domino dilectas, et orare moneas pro scolaribus Parisiensibus, ut Dominus adaperiat corda ipsorum, ut ad conversionem

efficiantur faciles, et hii, qui bone voluntatis propositum conceperunt, inveniantur in opera efficaces et ad vitam perseveranter proficiant sempiternam. Valete. Salutant te frater Erch. (?) et frater Johannes. Saluta etiam conversas sancte Agnetis, familiares illas dico dominas et amicas. Vale.

Cod. epistol. magistri Jordani pertinens ad Ord. Praed. (saec. XV-XVI), nº 35. Originale, olim conservatum in monasterio S. Agnetis Bonon., non exstat amplius. In nostro ms. epistolae sumunt initium a p. 5, ubi legitur : « Iste sunt epistole, quas misit magister Jordanis ord. fratrum Praedicatorum sorori Dyane fundatrici illius monasterii et aliis sororibus omnibus ». Omnes epistolae carent nota temporis. Hae et sequentes litterae Jordani quo tempore datae sint indagavit P. Ceslas Bayonne. — Bibl. Casanat. D. IV, 24, nº 35. *Lettres du B. Jourdain de Saxe*, par C. Bayonne, p. 22, nº 7. — Quantopere magister Jordanus ad Universitatem Parisiensem attineat vide Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.*, I, 97. Magistros et scholares Parisienses ad suscipiendum habitum non solum Praedicatorum sed etiam Minorum induxisse, scimus e Thoma de Eccleston, *De Adventu Minorum in Angliam*, ed. Brewer, p. 22.

---

48. *Honorius III Stephano archiepiscopo Cantuariensi mandat ut magistro Michaeli Scotto, qui inter litteratos dono viget scientiae singulari, in provincia sua ecclesiasticum beneficium conferat.*

1224, Januarii 16, Laterani.

.. Archiepiscopo Cantuariensi sancte Romane ecclesie cardinali. De provisione dilecti filii magistri Michaelis Scoti[1], cujus eminentis scientie titulus de ipso testimonium perhibet, quod inter litteratos alios dono vigeat scientie singulari, patris intimo cogitantes affectu, pro eo tibi, qui inter ceteros per orbem scientia preditos eminenti litteratura et profundioris prerogativa doctrine coruscas, fiducialiter affectione plena dirigimus scripta nostra firmam spem fiduciamque tenentes, quod probos clericos diligas et delecteris in illis, ac per hoc ad providendum tante scientie clerico promptus et facilis inveniri debeas per teipsum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus tam liberaliter quam libenter predicto magistro infra provinciam tuam auctoritate nostra provideas in beneficio, quod recipienti congruat et deceat providentem, ita quod ex hoc devotionem et diligentiam tuam in Domino commendare possimus, et nos illud habeamus acceptum, qui nollemus omnino, quod dictus magister, qui majoribus dignus esset, gratie nostre que reputatur ei debitum frustraretur effectu. Contradictores autem per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Dat. Laterani xvij kal. Februarii, anno octavo.

Reg. Vat. Honorii III an. 8, ep. 170, fol. 135b.

1. Magistro Michaeli Scotto, qui in Anglia, Parisiis, Toleti studiis operam dabat, plurium librorum, praesertim Aristotelis, ex hebraico et arabico translationes debentur, quae in usu doctorum illius temporis erant. Cf. Jourdain, *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote*, nouv. éd., p. 124. Wuestenfeld, *Die Uebersetzungen arabischer Werke in das Lateinische seit dem XI Jh.*, p. 99. Leclerc, *Hist. de la médec. arabe*, II, 451.

---

49. *Jordanus magister gen. fratrum Praedicatorum scribit Dianae multos scholarium Parisiensium Ordinem intrasse.*

1224, post April. 14, Parisiis.

Frater Jordanis ord. Predicatorum servus inutilis dilecte filie in Christo sorori Dyane apud sanctam Agnetem salutem eternam. Quia michi modo nuntii facultas occurrit et te meas puto desiderare litteras, ideo differre nolui, quin ad presens scriberem tibi quidquam. Scias igitur, quod postquam veni Parisius satis continue sanus fui in corpore, excepto quod in Quadragesima media habui simplicem tertianam. Circa autem scolares satis prospere per Dei gratiam michi successit, quia ab Adventu Domini usque ad Pasca circiter XL novicii ordinem intraverunt[1], quorum plures fuerunt magistri, et alii convenienter litterati, et de multis aliis spem bonam habemus[2]. Redde Deo gratias pro receptis, et ora Deum pro recipiendis, ut in eis velle et proficere per suam gratiam operetur. Tibi ipsi et etiam filiabus meis et tuis sicut spero, quod facis, attende, ut in patientia solidemini, in humilitate radicemini, in karitate dilatemini, et studeatis semper, ut in omni virtute crescatis euntes de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Syon, id est in superna et eterna Jerusalem, ubi videbimus eum sicuti est, et videntes letabimur leticia inenarrabili, et gaudium illud nostrum nemo tollet a nobis. Valete in Christo. Saluta omnes filias. Salutat te frater Johannes.

Cod. epistol. mag. Jordani ad Ord. Praed. pertinens, nº 40. — Bibl. Casanat. D. IV. 24, nº 40. Ed. Bayonne, p. 26, nº 8.

1. Isto anno in domo S. Jacobi jam plus quam centum viginti fratres morabantur, ut Honorius III 15 Sept. ejusdem anni refert. Reg. Vat. an. 8, ep. 48, fol. 103. Vide *Arch. für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*, I, 189, nota 4. — 2. Non caret probabilitate, Jordanum elapso aliquo tempore Dianae illam epistolam scripsisse, quam Bayonne, p. 180, refert ad an. 1235, et in qua dicit : « Per istam hiemem ab Adventu Domini fui Parisius et per Dei gratiam multi boni et magni litterati, nobiles et magistri postmodum intraverunt. Illo die, quando litteras tibi scripsi, dicebant fratres, quod jam fuissent recepti septuaginta duo ». Cod. epistol., nº 43. Ad mensem Decemb. anni 1227 Bayonne refert aliam epistolam, in qua Jordanus Dianam admonet, sit in oratione assidua, « ut numerum nostrum Deus benignus adaugeat et Parisiensium scolarium pie et efficaciter corda tangat ». Ibid., p. 82, Cod. epistol., nº 39. Sed optime concordat cum superius allata.

---

50. *Honorius III opus περὶ φύσεως Johannis Scoti referente Bartholomaeo, episcopo Parisiensi nuper repertum et a nonnullis claustralibus et viris scholasticis lectum damnat et describit.*

1225, Januarii 23, Laterani.

Archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste pervenerint. Inimicus homo zizania bono semini superseminare non cessat studens salutiferum semen si valeat suffocare. Quare nobis et vobis, qui positi sumus cultores in agro dominico, tota est diligentia satagendum, ut hujusmodi zizania a radice intereant et moriantur in erba, ne, si nostra negligentia coaluerint, eorum pestifero fructu triticum vitietur. Nuper siquidem, sicut nobis significavit venerabilis frater noster .. Parisiensis episcopus, est quidam liber, qui *perifisis* titulatur, inventus totus scatens vermibus heretice pravi-

tatis. Unde a venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus in provinciali concilio congregatis justo est judicio reprobatus[1]. Quia igitur idem liber, sicut accepimus, in nonnullis monasteriis et aliis locis habetur, et nonnulli claustrales et viri scolastici novitatum forte plus quam expediat amatores, se studiosius occupant dicti libri, gloriosum reputantes ignotas proferre sententias, cum apostolus profanas novitates doceat evitare: nos juxta pastoralis sollicitudinis debitum corruptele quam posset ingerere liber hujusmodi occurrere satagentes vobis universis et singulis in virtute Spiritus Sancti districte precipiendo mandamus quatinus librum ipsum sollicite perquiratis, et ubicunque ipsum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos, si secure fieri poterit, sine dilatione mittatis solempniter comburendum, alioquin vos ipsi publice comburatis eundem, subditis vestris singuli expressius injungentes ut quicumque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri, ea vobis non differant resignare, in omnes qui ultra quindecim dies postquam hujusmodi mandatum seu denuntiatio ad notitiam eorum pervenerit librum ipsum totum aut partem scienter retinere presumpserint, excommunicationis sententiam proferendo, ac denuntiando eisdem, quod si aliquo tempore convicti legitime fuerint hujusmodi sententiam incurrisse, notam quoque pravitatis heretice non evadent. Ut autem ab hiis quibus occurrerit possit liber supradictus agnosci, principia et fines partitionum ipsius libri, cum sit per libros quinque distinctus, presenti pagine fecimus annotari. Primus itaque liber sic incipit: « Sepe mihi cogitanti diligentius quia quantum vires suppetunt inquirenti », *etc.* Explicit autem sic: « Fige limitem libri, sat enim est in eo complexum ». Secundus sic incipit: « Quoniam in superiori libro », *etc.* Explicit autem sic: « Et jam huic libro finis est imponendus, ut arbitror, atque ita fiat ». Tertius sic incipit: « In secundo libro », *etc.* Explicit autem sic: « terminum postulaverat ». Quartus sic incipit: « Prima nostre phisiologie intentio », *etc.* Explicit autem sic : « Videtur plane et jamdudum finem postulat ». Quintus sic incipit: « Nunc ergo ». Explicit autem sic: « Et tenebras recte cognoscentium convertit in lucem ». Dat. Laterani x kal. Februarii, anno nono.

Reg. Vat. Honorii III an. 9, ep. 222, fol. 39. « In eundem modum scriptum est archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis per regnum Anglie constitutis. » — Card. Pitra, *Analecta novissima Spicilegii Solesmensis. Altera continuatio*, I, 590, ubi etiam referuntur aliae edd. mancae.

1. Non caret probabilitate, damnationi in Concilio Senonensi vel Parisiensi praecessisse condemnationem magistrorum Parisiens. Sic Hostiensis in Lectura seu *Apparatu in Decret. Gregorii*, I, 1. 2 ad verb. « Reprobamus » : « Iste paragraphus non fuit expositus neque tactus ab aliquo magistrorum. Tu vero dic, ut in sequenti glossa « impii Amalrici ». Dogma istud colligitur in libro magistri Johannis Scoti, qui dicitur periphision, id est, de natura, quem secutus est iste Amalricus, de quo hic loquitur. Sed et dictus Johannes in eodem libro auctoritates cujusdam magistri greci nomine Maximi introduxit. In quo libro, qui et per magistros dampnatus fuit Parisius, multe hereses continentur, de quibus causa exempli sufficiat tangere tres. Primus et summus error est, quod omnia sunt Deus... Secundus est, quod primordiales cause, que vocantur ydee, id est forma sive exemplar, creant et creantur... Tertius est, quod post consummationem seculi erit adunatio sexuum sive non erit distinctio sexus... Dictum autem librum exposuit, errores singulos condempnando, venerabilis pater dominus Odo episcopus Tusculanus, a quo et habuimus hanc doctrinam ». Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3995, 1. c., fol. 3b; ms. lat. 3996, fol. 4. Bibl. Remensis ms. 548/541, fol. 3b.

51. *G. prior fratrum et sororum S. Lazari Paris. et totum capitulum fratribus Praedicatoribus quamdam terram extra portam S. Jacobi concedunt.*

1226, mense Januario, [Parisiis].

Notum sit omnibus presentibus et futuris presentes litteras inspicientibus, quod ego G. humilis prior fratrum et sororum Sancti Lazari Paris. et totum capitulum nostrum concedimus domui Sancti Jacobi que est ante S. Stephanum et fratribus Predicatoribus ejusdem loci terram quam habemus extra portam[1], que ducit ad Sanctam Mariam de Campis inter murum regis et vineam cancellarii Carnotensis inter turnellas regis. Concedimus etiam predicte domui et fratribus ejusdem domus terram, quam habemus infra murum regis, scilicet a domo decani Sancti Quintini rectam lineam tendendo ad turnellam regis, ita quod domus predicti decani magna tota sit inclusa et sit meta et terminus illius terre a nobis concesse pro viginti libris Parisiensium, ita quod censivam et censum et dominium terrarum predictarum intus et extra in omnibus que ad nos pertinent libere et quiete ipsi et successores sui possideant. Quod ut ratum et inconcussum permaneat, sigillo capituli nostri et nostro dictam concessionem duximus roborari. Actum anno gratie millesimo ducentesimo vicesimo v°, mense Januario, presentibus istis: Hugone de Bruerolиis canonico Parisiensi, Guillelmo Pointlasne, magistro Guidone de Montefora, Nicholao clerico dicti Hugonis, et pluribus aliis[2].

Originale in Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 56. Supersunt duo taeniola membranacea, cui appensa erant duo sigilla. Circa eandem rem exstat originale litterarum ejusdem conventus ibid. n° 45, anni 1235 mense Augusti.

1. Erat porta S. Jacobi, quae isto tempore etiam sub nomine portae Aurelianensis nota erat, ut apparet ex Processu canonizationis S. Dominici in *AA. SS.* Augusti I, 638, n° 29. Minus correcte confundit Lincy, *Paris et ses historiens*, p. 223, n° 6, portam Aurelianensem cum porta Buci. — 2. *Alias* donationes a diversis receperunt fratres Praedicatores April. 1228 (Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 39); Martio 1231 (ibid. n°s 42 et 43), *etc.*

---

52. *Magister Jordanus sorori Dianae Bononiam circa receptionem scholarium Parisiensium in Ordine scribit et bonum statum conventus Parisiensis laudat.*

1226, in fine Martii, Parisiis.

Frater Jordanis ord. Predicatorum servus inutilis dilecte filie sue Dyane salutem in eo qui est Salvator omnium. Tribulationes et angustias civitatis Bononie et per consequens tuas et sororum tuarum nuper audivimus et contristor eo vehementius, quo scio me vobis in hac parte nullum posse dare consilium vel levamen, nisi quantum prodesse poterunt orationes mei peccatoris et fratrum nostrorum, quas spero in conspectu Dei fore efficaces... Nolo etiam te ignorare, karissima, gratiam, quam facit Dominus ordini, quomodo fratres nostri crescunt numero et merito. Post introitum enim nostrum Parisius infra quatuor septimanas xxi fratres intraverunt, intra quos erant sex magistri artium, et alii erant diotelarii et habiles ad ordinem et competentes. Dominus episcopus[1] etiam Parisiensis tanto ad fratres movetur affectu, quod ipse personaliter ad sermonem nostrum

accessit et cum fratribus in refectorio comedit. Similiter dominus legatus Francie[2] in Annunciatione beate Virginis cum fratribus in refectorio comedit, et ipsa regina[3] tenerrime diligit fratres, que mecum de negociis suis ore proprio satis familiariter loquebatur. Hec ideo tibi scribo, filia, ut Dominum nostrum pro hiis et pro aliis bonis laudes et glorifices, et sibi a sororibus tuis facias agi sicut justum est gratias incessanter. Valete. Facias orari pro me et fratribus. Salutat te frater Conradus Theutonicus, qui mecum fuit Bononie, et rogat orari pro se. Vale.

Cod. epistol. magistri Jordani ad Ord. Praed. pertinens, nº 33. — Bibl. Casanat. D. IV, 24, nº 32. Ed. Bayonne, p. 62, nº 17.

1. Bartholomaeus. — 2. Romanus tit. S. Angeli diac. card. — 3. Blanca.

---

53. *Odo abbas S. Germani de Pratis Paris. et conventus concedunt abbati Radulfo et conventui Cisterciensium Claraevallis, ut domum Paris., quam eis dedit Mathildis de Garlanda, sub certis conditionibus possideant.*

1227, mense Januario, [Parisiis].

Universis presentibus pariter et futuris ad quos presentes littere pervenerint Odo divina miseratione Sancti Germani de Pratis Parisien. humilis abbas et totus ejusdem loci conventus eternam in Domino salutem. Notum facimus universitati vestre, quod cum Mathildis de Guarlanda condam civis Parisiensis quandam domum sitam Parisius in vico Sancti Landerici in censiva thesaurarie ecclesie nostre viris religiosis abbati et conventui Clarevallis in puram et perpetuam elemosinam contulisset, nos dictis viris religiosis unanimi voluntate concessimus, ut sibi predictam domum liceat pacifice tenere et in perpetuum possidere, tali tamen modo, quod quandiu ipsi seu quicunque alius nomine ipsorum prefatam domum tenuerint, singulis annis in festo Sancti Remigii apud Sanctum Germanum de Pratis ad manum thesaurarii ecclesie nostre decem solidos paris. provide[1] reddere tenebuntur, salvis nobis nichilominus duobus denariis de censiva capitali et salva justitia nostra et salvo omni alio jure nostro. Si vero dicti Clarevallenses proprietatem sepedicte domus extra manum suam posuerint, domus ipsa cessante solutione dictorum decem solidorum solum censum capitalem duorum denariorum predictum nobis debebit, salvo etiam nobis omni alio jure nostro. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas eisdem duximus concedendas. Dat. anno Domini Mº ducentesimo XXº sexto, mense Januario.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes) 3 H—157. Desunt duo sigilla; restat fragmentum taenioli membran. — In hoc documento prima fit mentio domus a Cisterciensibus Claraevallis Parisiis habitatae, ubi remanserunt, usquedum aedificia in loco, qui Cardinetum dicebatur, an. 1246 inchoata, perfecta fuerunt, quod anno 1250 evenit. Vide infra nos 166, 102. Anno 1254 mense Octobri fr. Stephanus abbas et conventus Claraevall. domum supra nominatam « sitam juxta Secanam prope ecclesiam S. Landerici » sub certa conditione « concesserunt et tradiderunt ... magistro Petro dicto Regier clerico suo fideli et jurato quoad vixerit habendam et tenendam », ut legitur in documento duplici sigillo munito et in eodem Arch. Trecensi et in eadem theca conservato.

1. Orig. : « proinde ».

54. *Gregorius IX Stephanum archiepiscopum Cantuariensem rogat ut monitum Honorii papae III exsequens magistro Michaeli Scotto, non solum in latina sed etiam in hebraica et arabica lingua bene instructo, in provincia sua ecclesiasticum beneficium conferat.*

1227, Aprilis 28, Laterani.

.. Archiepiscopo Cantuariensi sancte Romane ecclesie cardinali. Qui scientie thesaurum incomparabilem sine fictione querentes quesitum sine invidia communicare desiderant tanquam publicis insudantes utilitatibus, merito sunt gratis et gratuitis beneficiis refovendi, ne, si pro rerum defectu a tam utili proposito compellantur averti, non tam eis quam hiis, qui eos beneficiare quodam tenentur jure gratuito, merito valeat imputari delictum, set potius cum thesauro tali divitias et gloriam sibi advenisse gaudentes ad dispertiendum illum fideliter et utiliter se cognoscant ex suscepto munere debitores. Nosti siquidem, quod dilectus filius magister Michael Scotus a puero inardescens amore scientie litteralis postpositis omnibus illam studio continuato quesivit, et in fundamento artium gloriosas superedificans facultates decora se structura munivit, nec contentus littera tantum erudiri latina, ut in ea melius formaretur, hebraice ac arabice insudavit laudabiliter et profecit, et sic doctus in singulis grata diversorum varietate nitescit. Verum quia ejus provisio nulli potuit committi fiducialius quam tibi, qui perfectus scientia non potes non amare scientes, pie memorie H. papa predecessor noster ad preces nostras et aliorum fratrum suorum tibi preces et mandata direxit[1], ut eidem magistro in provincia tua in ecclesiastico beneficio, quod danti et accipienti congrueret, provideres, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ceterum licet, sicut idem nobis exposuit, mandatum apostolicum ilariter exequens quandam ecclesiam sibi contuleris, nequaquam tamen ei de ipsa congrue noscitur esse provisum. Quare condigne gratie premio diminuto videtur meritorum ejus laudibus derogari, cum sicut in penis misericorditer mitigata justitia, ita in beneficiis gratia commendari soleat dilatata. Ut igitur eo sicut convenit honorato commissa tibi sue provisionis auctoritas appareat efficacior, et tue liberalitatis gratiis clarescat affectus, fraternitatem tuam rogamus et monemus attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus precedens predecessoris nostri mandatum auctoritate nostra plenius exequens primo beneficio provisionem adicias congruentem, ita, quod idem providentie tue gaudeat se commissum et nos sinceritatem tuam debeamus in domino merito commendare. Dat. Laterani iiij. kal. Maij [pontificatus nostri anno primo].

Reg. Vat. Gregorii IX an. 1, ep. 61, fol. 9b. — Hauréau in *Bulletin des comités historiques* (Histoire, Sciences, Lettres), II (1850), 255.

1. Vide litteras Honorii III, supra nº 48.

55. *Gregorius IX Philippo cancellario Parisiensi injungit ut doctores theologiae ac decretorum, quos abbas S. Genovefae idoneos ad docendum reputaverit, libere regere sicut magistros artium in parochia et terra ipsorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta permittat, si hoc ad jus praedicti monasterii pertineat.*

1227, Novembris 22, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. abbas[1] et conventus Sancte Genovefe Parisiensis nobis insinuare curarunt, quod cum ad jus eorum pertineat, ut doctores theologie, decretorum ac liberalium artium de ipsorum licentia libere regere valeant in parrochia et terra eorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta, tu theologie decretorumque doctores ad regendum inter duos pontes astringis vinculo juramenti. Propter quod et si doctores artium de licentia ipsorum regant in predicta parrochia, theologie tamen et decretorum doctores non audent regere in eadem, unde non solum honori, sed etiam utilitati monasterii sui plurimum derogatur[2]. Volentes igitur ejusdem monasterii honores et jura illibata servari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si premissis veritas suffragatur, illos qui predictas scientias in parrochia et terra ipsa docere voluerint, et ipsi ad id reputaverint esse idoneos, id facere sine contradictione permittas, alioquin dilectis filiis .. abbati et .. priori Sancti Joannis in Vineis et Radulpho de Coudun[3] archidiacono Suessionensibus nostris damus litteris in mandatis, ut partibus convocatis audiant hinc inde proposita, et causam hujusmodi, si partes consenserint, debito fine decidant, facientes quod decreverint per censuram ecclesiasticam firmiter observari, alioquin eandem ad nos remittant sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos propter hoc nostro se conspectui representent. Dat. Laterani x kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Biblioth. S. Genovefae Paris. Cod. Q. l. 2, in-8°, fol. 14b. — Bulaeus, I, 274; III, 124.

1. Herbertus. — 2. Vide ad hoc epist. Honorii III supra n° 45. — 3. In ms. legitur : Condun; Bulaeus : Coudun. Idem ille in Reg. Vat. Honorii III an. 3, ep. 107, nominatur : R. de Codun. Certe ipse est, qui anno 1244 ad sedem episcopalem Suessionensem est evectus, et qui Radulphus de Coudun vocatur. Cf. *Gallia christiana*, IX, 369.

---

56. *Gregorius IX Radulphum abbatem et priorem S. Johannis in Vineis ac Radulphum de Coudun, archidiaconum Suessionenses judices in causa inter Philippum cancellarium et conventum S. Genovefae pendente constituit.*

1227, Decembris 3, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati et .. priori Sancti Joannis in Vineis et R. de Coudun archidiacono Suessionensibus salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. abbas et conventus Sancte Genovefe Parisiensis sua nobis insinuatione monstrare curarunt, quod cum ad jus eorum pertineat, ut doctores theologie et decretorum ac liberalium artium de ipsorum licencia libere regere valeant in parrochia

et terra eorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta, .. cancellarius Parisiensis theologie decretorumque doctores ad regendum inter duos pontes astringit vinculo juramenti. Propter quod etsi doctores artium de licencia ipsorum regant in predicta parrochia, theologie tamen vel decretorum doctores non audent regere in eadem, unde non solum honori, sed etiam utilitati monasterii sui plurimum derogatur. Volentes igitur ejusdem monasterii honores et jura illibata servari, dicto cancellario nostris dedimus litteris in mandatis, ut si premissis veritas suffragatur, illos qui predictas scientias in parrochia et terra ipsa docere voluerint et ipsi ad id reputaverint esse idoneos, id facere sine contradictione permittat. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus cancellarius mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos partibus convocatis audiatis hinc inde proposita, et causam hujusmodi, si partes consenserint, fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructam prefigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos propter hoc nostro se conspectui representent. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Laterani iij non. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Biblioth. S. Genovefae Paris. Cod. Q. l. 2, in-8°, fol. 13ª. — Bulaeus, III, 125, ubi legitur « x. kal. Decembris ».

---

57. *Constitutio Ord. Praed. in capitulo generalissimo sub magistro Jordano Parisiis edita de studiis in Ordine.*

1228, mense Maio, Parisiis.

Curet prior provincialis vel regnorum, ut si habuerit aliquos utiles ad docendum, qui possint in brevi esse apti ad regendum, mittere ad studendum ad locum, ubi viget studium, et in aliis illi, ad quos mittuntur, eos non audeant occupare nec ad provinciam remittere, nisi fuerint revocati.

Quoniam circa studentes diligens est adhibenda cautela, aliquem fratrem specialem habeant, sine cujus licentia non scribant quaternos nec audiant lectiones, et que circa eos in studio corrigenda viderit corrigat. Et si vires [ejus] excedant, prelato proponat.

In libris gentilium et philosophorum non studeant, etsi ad horam inspiciant. Seculares scientias non addiscant, nec etiam artes quas liberales vocant, nisi aliquando circa aliquos magister ordinis vel capitulum generale voluerit aliter dispensare, sed tantum libros theologicos tam juvenes quam alii legant. Statuimus autem, ut quelibet provincia fratribus suis missis ad studium ad minus in tribus libris theologie providere teneatur, et fratres missi ad studium in ystoriis et sententiis et textu et glosis[1] precipue studeant et intendant.

Circa eos qui student taliter dispensetur a prelato, ne propter officium vel aliud de facili a studio retrahantur vel impediantur. Et secundum quod magistro studencium videbitur, locus proprius statuatur, in quo post disputationes vel vesperas vel alio etiam tempore si vacaverint ad dubitationes vel questiones proponendas ipso presente conveniant, et uno querente vel proponente alii taceant, ne loquentem impediant. Et si aliquis inhoneste vel confuse vel clamose vel proterve querens vel opponens vel respondens offenderit, statim ab illo, qui tunc inter eos preest, corripiatur...

Nullus fiat publicus doctor, nisi per iiij annos ad minus theologiam audierit.

Cod. Rutenens. Constitutiones Ord. Praed. anni 1228 continens (saec. XIII-XIV) et ad ipsum Ordinem pertinens, p. 87. — *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*, I, 218, nº 16; 222 seq., nºs 28-30. Tantummodo superius relata cohaerent cum ordinationibus Universitatis Paris., in qua fratres Praed. anno sequenti cathedram receperunt. Cf. supra nº 34.

1. In Constitut. secundae perscriptionis a mag. Raymundo factae legitur sic : « ... teneatur providere, videlicet in in bibliotheca (biblia), hystoriis et sententiis, et ipsi in hiis tam in textu quam in glossis precipue studeant et intendant ». Cod. Liturg. Ord. Praed. an. 1256 ad Ordinem pertinens.

---

58. *Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo Silvanectensi, Johanni decano S. Quintini mandat ut compositionem inter magistros et scholares ex una, et episcopum, cancellarium et capitulum Parisiense ex altera parte, interveniente Romano S. Angeli diacono cardinale et apost. sedis legato, factam curent firmiter observandam.*

1228, Junii 3, Asisii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi et .. episcopo Silvanectensi et dilecto filio .. decano S. Quintini[1] Noviomensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii magistri et universitas scolarium Parisiensium nobis humiliter supplicarunt, ut compositionem, que inter ipsos ex parte una, et bone memorie .. episcopum et dilectos filios .. cancellarium et capitulum Parisiense ex altera super danda licentia ab eodem cancellario magistris volentibus incipere in singulis facultatibus, et faciendis constitutionibus de ordinandis lectionibus et disputationibus, ac puniendis rebellibus per subtractionem societatis, et taxandis hospitiis ac quibusdam aliis articulis mediante dilecto filio nostro R. Sancti Angeli diacono cardinali tunc apostolice sedis legato amicabiliter intercessit[2], apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus compositionem eandem sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Asisii iij non. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 48. Bulla plumbea filis cannab. appensa est. Pertinebat ad Arch. Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 6b; Biblioth. Phillipps in Cheltenham ms. 876, fol. 8, ubi, sicut apud Bulaeum, III, 130, hae litterae

perperam ad « non. Junii » referuntur. — In Arch. Univers. Paris. theca V. B. 3. g; theca IV. A, 19, h, sunt duo apographa harum litterarum annorum 1228 et 1244.

1. Jourdain conjicit decanum S. Quintini tunc temporis fuisse Thomam. At adhuc inter vivos erat magister Johannes de Barastre, qui decanus S. Quintini nominatur infra in documento nº 61 ejusdem anni 3 Augusti. — 2. Vide de ista compositione facta interveniente legato Romano verisimiliter sub episcopo Bartholomaeo supra ad nº 45.

---

59. *Gregorius IX magistros in theologia Parisiis regentes monet, ne ad mundanam scientiam declinent nec verbum Dei philosophorum figmentis adulterent.*

1228, Julii 7, Perusii.

Magistris in theologia Parisius regentibus. Ab Egyptiis argentea vasa et aurea sic accipienda sunt mutuo, quod spoliatis eisdem ditentur Ebrei, non ut iidem in servitutem illorum quasi ad participium pretii venundati redigantur, quoniam et si doctrina celestis eloquii de sapientia et eloquentia philosophici dogmatis quasi mutuum ad sui ornatum assumat, interdum ei tamen deservire non debet nec intellectus ipsius ad illius intellectum ullatenus inclinari. Puella etiam de hostibus capta, que pilis rasis et ungulis circumcisis viro Israelitico jungitur, dominari non debet eidem, set obsequi potius ut subjecta. Et quidem theologicus intellectus quasi vir habet preesse cuilibet facultati, et quasi spiritus in carnem dominium exercere, ac eam in viam dirigere rectitudinis ne aberret. Denique qui verba celestis oraculi adulterina philosophorum doctrine commixtione a sui sensus molitur inflatus et nichil sciens puritate divertere inclinans eadem ad philosophicum intellectum et quasi de corde suo prophanans viro adultero adherere cum muliere Samaritana videtur, cui aquam vivam poscenti que in vitam salit eternam precipitur, ut virum suum dimisso adultero advocet, purum videlicet et simplicem intellectum, nullo terreni eloquii fermento corruptum, sine quo qui ambulant in circuitu sequendo insipientiam sui cordis, et se scire aliquid extimando pervenire ad centrum nequeunt veritatis. Fabricatores enim argenti eloquentie videlicet naturalis et solliciti circa eam juxta verbum propheticum exterminati sunt et ad inferos descenderunt, eo quod viam celestis ignoraverint discipline, ac ipsius semitas non comprehenderint intellectu. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam que de terra est, et negotiatores terre et Theman fabellatores et exquisitores intelligentie mundane videlicet viam sapientie nescierunt, quoniam cum Deum ex creaturarum magnitudine cognovissent, ei gloriam non dederunt, nec egerunt gratias tamquam Deo, et dicentes « linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster est Dominus » evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum, et sapientes estimantes seipsos facti sunt stulti in reprobum sensum dati, abhominabiles et corrupti, agentes linguis suis dolose, ac sub labiis venenum aspidum deferentes. Sane tacti dolore cordis intrinsecus, amaritudine repleti sumus abscinthii, quod sicut nostris est auribus intimatum, quidam apud vos spiritu vanitatis ut uter distenti positos a patribus terminos prophana transferre satagunt novitate, celestis pagine intel-

lectum sanctorum patrum studiis certis expositionum terminis limitate, quos transgredi non solum est temerarium, sed prophanum, ad doctrinam philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientie, non profectum aliquem auditorum; ut sic videantur non theodocti, sed theologi, set potius theophanti. Cum enim theologiam secundum approbatas traditiones sanctorum exponere debeant, et non carnalibus armis, set Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei et captivum in obsequium Christi omnem reducere intellectum, ipsi doctrinis variis et peregrinis abducti redigunt caput in caudam et ancille cogunt famulari reginam, videlicet documentis terrenis celeste, quod est gratie tribuendo nature. Profecto scientie naturalium plus debito insistentes ad infirma et egena elementa mundi, quibus, dum essent parvuli, servierunt reversi, et eis denuo[1] servientes tanquam imbecilles in Christo, lacte non solido cibo vescuntur, et videntur cor nequaquam gratia stabilisse, propter quod spoliati gratuitis et in suis naturalibus vulnerati, ad memoriam non reducunt illud apostoli, quod ipsos legisse credimus jam frequenter: « Prophanas vocum novitates et falsi nominis scientie oppositiones devita, quam quidam appetentes exciderunt a fide ». O improvidi et tardi corde in omnibus que divine gratie assertores, prophete, videlicet, evangeliste ac apostoli sunt locuti, cum natura per se quicquam ad salutem non possit, nisi gratia sit adjuta. Dicant presumptores hujusmodi, qui doctrinam naturalium amplexantes verborum folia et non fructus auditoribus suis apponunt, quorum mentes quasi siliquis paste vacue remanent et inanes, et eorum anima non potest in crassitudine delectari, eo quod sitibunda et arida aquis Syloe currentibus cum silentio non potatur, set eis potius que de torrentibus philosophicis auriuntur, de quibus dicitur: « Quo plus sunt pote, plus sitiuntur aque, quia satietatem non afferunt, set anxietatem potius et laborem ». Nonne dum ad sensum doctrine philosophorum ignorantium Deum sacra eloquia divinitus inspirata extortis expositionibus, immo distortis inflectunt, juxta Dagon arcam federis collocant, et adorandam in templo Domini statuunt ymaginem Antiochi? Et dum fidem conantur plus debito ratione astruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem et inanem, quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum? Credit denique intellecta natura, set fides ex sui virtute gratuita intelligentia credita comprehendit que audax et improba penetrat, quo naturalis nequit attingere intellectus. Dicant hujusmodi naturalium sectatores, ante quorum oculos gratia videtur proscripta, quod Verbum quod erat in principio apud Deum, factum est caro, et habitavit in nobis: est ne gratie an nature? Absit decetero, ut pulcherrima mulierum a presumptoribus stibio peruncta oculos coloribus adulterinis fucetur, et que a suo sponso circumamicta varietatibus et ornata monilibus procedit splendida ut regina, consutis philosophorum semicinciis, veste sordida induatur. Absit ut boves fede ac confecte macie, que nullum dant saturitatis vestigium, speciosas devorent crassasque consumant. Ne igitur hujusmodi dogma temerarium et perversum ut cancer serpat et inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem, presentium vobis auctoritate

mandamus et districte precipimus, quatinus predicta vesania penitus abdicata sine fermento mundane scientie doceatis theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei philosophorum figmentis, ne circa altare Dei videamini lucrum velle contra preceptum divine plantare, et mellis commixtione sacrificium fermentare doctrine, in sinceritatis et veritatis azimis exhibendo, set contempti terminis a patribus institutis, mentes auditorum vestrorum fructu celestis eloquii saginetis, ut foliis verborum semotis limpidas aquas et puras tendentes ad hoc principaliter, ut vel fidem astruant vel mores informent, auriant de fontibus Salvatoris, quibus refecti interna crassitudine delectentur. Dat. Perusii non. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 2, ep. 20, fol. 74[b]. — Apud Bulaeum, III, 129, et in omnibus edd. deest initium litterarum usque « tacti dolore cordis ».

1. In Reg. : deuo.

---

60. *Litterae Guillelmi episcopi Parisiensis, in quibus contra scholares S. Thomae de Lupara invehitur, et inhonestam eorum vivendi rationem corrigendam esse declarat.*

1228, mense Julio, [Parisiis].

Wuillermus[1] Dei permissione episcopus Parisiensis omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos ad domum pauperum scolarium Sancti Thome de Lupara venientes, ut in ea auctoritate diocesana corrigeremus et reformaremus que correctione et reformatione videremus indigere, inter alia invenimus quosdam scolares, qui longis retro temporibus de bonis ejusdem domus vixerant, in tantam se insolentiam extulisse, quod de nocte nisi sunt hostia domus fratrum frangere et violenter intrare; alii, quasi de cibo securi, plusquam expediret longis temporibus studentibus collata comedentes, minus proficientes et studere nolentes, studentibus onerosi, quietem et studium aliorum multifarie molestabant. Sunt et alie cause, quas presentibus inserere nolumus, ne certas personas notare vel tangere videremur. Propter quas de bonorum virorum consilio auctoritate predicta statuimus ut qui ibi modo sunt ab instanti festo beati Remigii per annum tantum ibi consuetas distributiones habeant, in fine anni domum exituri et sibi aliunde provisuri, nisi post octo dies ab egressu suo laudabili sua conversatione et evidenti profectu in studio comendandi ab hiis, quibus nos vel successores nostri hoc specialiter duxerimus committendum, fuerint revocati. Statuimus preterea, quod nullus scolaris decetero ibi recipiatur facturus moram ibi ultra annum a die receptionis sue, qui predicto modo in fine anni dictam domum egrediatur, non reversurus, nisi prescripta forma ab hiis quibus nos vel successores nostri hoc specialiter duxerimus committendum fuerit revocatus. Hec autem ad conservationem humilitatis et quietis studere volentium, et ad vitanda multa inconvenientia et onera dicte domus que non

expedit presentibus inserere, habito bonorum virorum consilio, duximus statuenda. Actum anno Domini MCC vicesimo VIII, mense Julio.

Livre noir in Arch. nat. Paris. LL. 177, p. 323. In *Parvo Pastorali*, LL. 176, p. 211, tantummodo breviter indicatur. — Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, I, 350.

1. Bartholomaeo 19 Oct. 1227 mortuo Gregorius IX celebrem magistrum Guillelmum Arvernum, « virum eminentis scientie, vite ac conversationis honeste ac opinionis preclare », 10 April. 1228, ecclesiae Parisiensi in antistitem providit, et in sacerdotem ordinatum atque in episcopum consecratum Parisios misit. Reg. Vat. Greg. IX an. 2, ep. 8. *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 206.

---

61. *Henricus archiepiscopus Remensis, Adam episcopus Silvanectensis, magister Johannes decanus S. Quintini transmittunt magistris Ardengo, Jacobo de Dinant, Johanni de Cadumo Parisiis commorantibus litteras Gregorii IX tractantes compositionem inter magistros et episcopum ac cancellarium factam, ipsosque exsecutores constituunt.*

1228, Augusti 3, Sancti Quintini.

Henricus Dei gratia Remensis archiepiscopus et A. ejusdem permissione Silvanectensis episcopus et magister J. decanus Sancti Quintini Noviomensis dyocesis viris discretis et in Christo karissimis magistris Ardenc.[1] Legiensi, et Jacobo de Dinant Laudunensi[2] et Johanni de Cadumo Belvacensi canonicis Parisius commorantibus salutem et sincere dilectionis affectum. Mandatum domini pape recepimus sub hac forma: Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Remensi et episcopo Silvanectensi et dilecto filio decano Sancti Quintini Noviomensis dyocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii et universitas scolarum (*sic*) Parisiensium, *etc. sicut supra* nº 58. Dat. Asisii iij non. Junii pontificatus nostri anno secundo. Hujus igitur auctoritate mandati vobis mandamus, quatinus si super aliquibus articulis in predicta compositione expressis vel etiam exprimendis aliquid difficultatis vel questionis inter partes emerserit, vice nostra veritatem super hiis inquiratis, nobisque diffinitionem super hiis reservantes, quam et nobis duximus retinendam, inquisitionem ipsam cum eam feceritis nobis fideliter referatis, compositionem illam quantum ad alios articulos in eadem contentos, de quibus nulla fuerit questio inter partes, facientes vice nostra per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur. Datum Sancto Quintino anno Domini Mº CCº XXVIII, mense Augusto, in festo sancti Stephani.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca V, B. 3. g.

1. Duo magistri Ardengi debent distingui, qui circa idem tempus Parisiis studiis operam dabant, Ardengus canonicus Leodiensis, qui etiam in documento mensis Martii anni 1226 in *Magno Pastorali* (Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 638) nominatur, et Ardengus canonicus Papiensis, postea episcopus Florentinus, de quo infra nº 83, cujus exstant « Extractiones summe magistri Guillelmi Autissiodorensis a magistro Ardenco, Papiensi, compilate » (*Hist. litt. de la France*, XVIII, 121). — 2. Ad istum David atque etiam ad Ardengum Papiensem directae sunt litterae Gregorii IX, 16 kal. Nov. an. 2 (Archiv. nat. Paris. L. 242, nº 55). Anno 1243 adhuc Parisiis morabatur (Reg. Vat. Innoc. IV, an. 1, ep. 169, fol. 29ᵇ. Berger, *Les registres d'Innocent IV*, nº 169). In *Chartul. S. Genovefae* magister Jacobus de Dynant vocatur regens Parisiis in theologia (Bibl.

S. Genovefae, E. l. 25 fol., p. 62). Erat canonicus Laudunensis et archidiaconus Morinensis (ibid. ad an. 1231, p. 138. Cf. adhuc ad an. 1246, p. 165), et 4 Oct. 1247 ecclesiae Atrebatensi ab Innocentio in episcopum praefectus est. Berger, l. c., nos 3280, 3281. De ejus scripto vide Hauréau in *Notices et extraits des mss.*, XXIV, 2, p. 198.

---

62. *Decretum unius et viginti provisorum ab Universitate Paris. datorum, quo nulli liceat morari in civitate vel dioecesi Paris. infra sex annos causa studii, nisi infra mensem a die Paschae universitati magistrorum et scholarium fuerit satisfactum.*

1229, Martii 27, [Parisiis].

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nos dati provisores ab Universitate communi assensu et voluntate ita ordinamus et ordinando decernimus, quod nisi infra mensem a die Pasche[1] competenter fuerit satisfactum universitati magistrorum et scolarium secundum nostrum arbitrium super atrocissimis injuriis a preposito Parisiensi et complicibus suis et quibusdam aliis eis illatis, extunc nulli liceat morari in civitate vel diocesi Parisiensi causa studii, scilicet audiendi vel docendi, infra sex annos a fine predicti mensis numerandos : et pendente termino emende nullus leget publice vel privatim. Nec etiam post sex annos poterit quisquam reverti, nisi super predictis injuriis competenter fuerit satisfactum. Et ut istud firmum permaneat, presentem cartam sigillorum nostrorum appositione fecimus communiri. Actum anno Domini M° CC° vicesimo octavo, mense Martio, die martis post Annuntiationem Domini.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca, IV. A. 22. a. Olim appendebant 21 sigilla cerea; restant adhuc 13 taeniola membranacea et fragmenta duorum sigillorum. — Jourdain, n° 30. — Causam illius gravissimae dissensionis, quae initium sumpsit diebus 26 et 27 Februarii et quidem in vico S. Marcelli, videas apud Matthaeum Paris., *Chron. maj.*, ed. Luard, III, 166. De magistris, qui tunc recesserunt, nominat famosos Anglicos Alanum de Beccles, Nicolaum de Farnham, Johannem Blundum, Radulfum de Maidenstone, Willelmum de Dunelmo. Postea in Angliam reversi sunt. Nicolaus de Farnham, olim Bononiae etiam medicinae studens, an. 1241 fit episc. Dunelmensis (ibid. IV, 86); Johannes Blundus, Oxoniae theologiam legens, an. 1232 in archiepisc. Cantuar. electus est (ibid. III, 223), sed non confirmatus (p. 243; cf. V, 41); Radulphus an. 1234 in episcopum Hereford. consecratus (III, 305), an. 1239 Ord. Minorum intravit (*Mon. Francisc.*, ed. Brewer, p. 58).

1. 15 Aprilis.

---

63. *Guillelmus episcopus Parisiensis fratribus S. Trinitatis hospitale S. Mathurini Paris. cum capella tradit.*

1229, mense Martio, [Parisiis].

Guillermus divina permissione Parisiensis ecclesie minister indignus universis presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Cupientes ex debito pastoralis officii divini cultus ampliare servicium operumque pietatis multiplicare fructum necnon et fratrum ordinis S. Trinitatis et captivorum sanctum et laudabile implere desiderium, quo siciebant ad sacre lectionis fontem vivum, videntes etiam ipsum hospitale Sancti Maturini Parisiense propter multiplices defectus inhabitancium pene colapsum, ipsum cum capella aliisque omnibus ejusdem pertinenciis eisdem fratribus de assensu et voluntate nostri capituli Parisiensis concessimus et contulimus[1].... Actum anno Domini M°CC°XX° VIII, mense Marcio.

Chartul. S. Mathurini in Arch. nat. Paris. LL. 1544, fol. 1. — Cum ista charta convenit epistola fratris Michaelis Ord.

S. Trinit. anni 1230 apud Dubois, *Hist. eccles. Paris.*, II, 327, et confirmatio Gregorii IX, ij id. Febr. an. sexto (*Chart.*, l. c.), sicut etiam in *Necrologio* conventus S. Mathurini legitur : « obitus bone mem. Guillermi quondam episcopi Paris., qui dedit nobis primum locum, in quo cepimus habitare et edificare ecclesiam nostram ». Bibl. Mazarine ms. 1347a. Usque adhuc historici, inter alios Du Breul, Lebeuf et Jaillot, asseruerunt Ordinem S. Trinit. jam ante an. 1209 Parisiis hospitium S. Mathurini tenuisse, et Du Breul (*Le theatre des antiquitez de Paris*, p. 491) revera instrumentum illius anni publici juris fecit, in quo « ecclesie S. Maturini Paris. ord. S. Trinit. » mentio fit. At non animadvertit in notam temporis errorem irrepsisse. Sumpsit enim chartam memoratam ex *Chartul.* citato fol. 73b, in qua prior S. Germani in Laya ait Guernerum dictum « quocum » in sua presentia personaliter constitutum esse, *etc.* Sed in documento praecedenti (fol. 73a) officialis curiae Paris. affirmat eundem Guernerum cum uxore in sua praesentia fuisse, atque ista charta data est « anno Domini MCCL° sexto ». Quisque nunc concedet, temporis notam non istius sed alterius documenti esse falsam, quippe quod contradicat etiam chartae supra publicatae. Non tamen negari potest, fratres S. Trinitatis jam ante annum 1229 Parisiis fuisse, ut ex *Chartul.* apparet. — Apud. S. Mathurinum Universitas Paris. tempore subsequenti paene constanter comitia sua habuit, et Mathurinos jam ante an. 1254, sed post 1231 in Universitate sacras litteras didicisse scimus ex Epistola Univers. anni 1254, Febr. 4.

1. Hic in Charta quinque lineae abrasae sunt. Hospitium fratribus sub ea conditione concessum est, ut episcopo et archidiacono loci subjicerentur. Sic legitur in *Inventaire*, LL. 1545, p. 268.

---

64. *Henricus III rex Angliae invitat magistros et scholares Parisienses, ut studii gratia in Angliam veniant.*

1229, Julii 16, apud Radingum.

Rex magistris et universitati scolarium Parisius salutem. Tribulationibus et angustiis non modicis, quas sub iniqua lege Parisius estis perpessi, humiliter compatientes ob reverentiam Dei et sancte ecclesie vobis pie subveniendo statum vestrum cupimus ad debitam reduci libertatem. Unde vestre duximus universitati significandum, quod si vobis placeat ad regnum nostrum Anglie vos transferre et in eo causa studii moram facere, civitates, burgos vel villas quascunque velitis eligere vobis ad hoc assignabimus, et omnimodo sicut decet libertate et tranquillitate que Deo placere et vobis plene sufficere debeat vos gaudere faciemus. In cujus, *etc.* Teste rege apud Radingum xvj die Julii.

Public Records (Londini), Patent Roll, 13, Henr. III, m. 6. In margine : De scolaribus Parisius. — Bulaeus, III, 133. — Data est haec charta anno 13 regni Henrici III.

---

65. *Gregorius IX possessiones Ordinis Vallis Scholarium, specialiter autem domum ab eo Parisiis possessam, sub sua protectione suscipit.*

1229, Julii 25, Perusii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori et conventui monasterii Sancte Marie in Insula Trecen. ordinis Vallis Scolarium salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem domum, quam habetis Parisius, terras, possessiones, redditus et alia bona vestra

sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, *etc.* nostre protectionis et confirmationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii viij kal. Augusti, pontificatus nostri anno tercio.

Litterae insertae chartae officialis curiae Trecens. anni 1280 in Arch. nat. Paris. S. 1013^{b}, nº 6. Ibid. nº 10 occurrit epistola ejusdem papae ad Guillelmum episcopum Parisiensem 17 Augusti 1229, in qua ei injungit ut fratribus concedat oratorium in ipsorum domo Parisiensi. Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 338, nº 14. — Fratres Vallis Scholarium non ad Cisterciensium (sicut Jourdain nº 22 scribit) sed ad S. Augustini Ordinem pertinebant. — Primus magister actu regens in Univers. Paris. nominatur in litteris Alexandri IV anni 1259, Junii 24, et fuit Evrardus. Vide infra ad nºs 77, 340.

---

66. *Ludovicus IX rex Francorum privilegium a rege Philippo Augusto avo suo scholaribus Parisiensibus datum confirmat.*

1229, mense Augusto, apud Fontem Blaudi.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, nos cartam inclite recordationis Philippi avi nostri, quondam Francorum regis illustris, inspexisse in hec verba[1]: In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod propter illud enorme flagicium, quo Parisius clerici et laici quinque numero a quibusdam maleficis interfecti sunt, talem justiciam faciemus: quod Th. illum tunc prepositum, de quo super alios clerici sunt conquesti, quia factum negat, in perpetuis detinebimus vinculis, in arcta custodia et paupere victu, quandiu vixerit, nisi forte ipse elegerit subire judicium aque Parisius publice; in quo si ceciderit, dampnatus erit; si liberatus fuerit, nunquam Parisius deinceps vel alibi in terra nostra propria erit prepositus noster vel ballivus noster, nec etiam alibi, dum id vetare possimus per rationem, nec Parisius intrabit de cetero. Et si per bonam et legitimam inquisitionem, quam commisimus duobus fidelibus nostris, G. camerario et Ph. de Leuiis, sine omni personarum acceptione facienda sub adjuratione fidei, qua christiani sunt, quamque nobis debent domino suo ligio, et per juramentum quod nobis fecerunt de honore et consilio nostro, intelligere poterimus, quod amplius inde facere possimus aut debeamus, sine ullo arrestamento faciemus, salvo honore Dei et nostro. De aliis autem, qui in captione sunt pro eodem forisfacto, hoc faciemus, quod in captione perpetua eos detinebimus, nisi judicio aque innocentiam suam purgaverint, Deo teste; in quo si qui ceciderint, eos habebimus pro dampnatis, nisi forte aliqui ex eis per bonam inquisitionem scolarium a captione per nos fuerint liberati. Eos autem qui fugerunt, eo ipso pro dampnatis habemus; et omnes prepositos terre nostre jurare faciemus, quod diligenter inquirent eos, et si quem ex eis capere potuerint, capient et nobis mittent Parisius. De securitate autem scolarium clericorum Parisiensium in posterum consilio hominum nostrorum hoc ordinavimus, quod omnes cives Parisienses jurare faciemus, quod si aliquis alicui scolari ab aliquo

laico injuriam fieri viderit, super eo testimonium perhibebit veritati; nec se subtrahet aliquis ne videat. Et si contigerit quod aliquis alicui scolari ab aliquo laico injuriam fieri viderit, si scolaris maxime armis percutiatur, aut fuste, aut lapide, omnes laici qui viderint bona fide comprehendent malefactorem illum vel malefactores et tradent justicie nostre, nec se subtrahent ne videant vel comprehendant vel testimonium perhibeant veritati. Sive autem malefactor captus sit super ipsum malefactum, sive non, nos legitimam inquisitionem faciemus sive per clericos, sive per laicos, sive per quascumque personas; et prepositus noster et justicie nostre idem facient. Et si intelligere poterimus per legitimam inquisitionem, vel justicie nostre intelligere potuerint, quod ille cui imponitur fecerit illud forisfactum, statim inde faciemus justiciam vel justicie nostre facient secundum modum forisfacti, non obstante eo, quod malefactor factum negabit vel quod dicet se esse paratum deffendere per monomachiam, vel purgare per judicium aque. Preterea prepositus noster vel justicie nostre pro nullo forisfacto in scolarem manum mittent, nec in captionem nostram mittent, nisi forisfactum scolaris tale visum fuerit, ut debeat arrestari; et tunc justicia nostra arrestabit eum in eodem loco sine omni percussione, nisi se deffenderit, et reddet eum ecclesiastice justicie, que eum custodire debet pro satisfaciendo nobis et injuriam passo. Et si forisfactum grande visum fuerit, ibit vel mittet justicia nostra ut videat, quid de scolari fiet. Si vero se scolaris in arrestatione illa non deffenderit et injuriam passus fuerit, nos secundum supra dictam inquisitionem et per juramentum predictum inde ultionem faciemus. Ad hec in capitale scolarium Parisiensium pro nullo forisfacto justicia nostra manum mittet; sed si visum fuerit illum esse arrestandum, per justiciam ecclesiasticam arrestabitur, et arrestatum custodietur, ut de illo capitali fiat, quod per ecclesiam fuerit legitime judicatum. Quod si tali hora fuerint arrestati scolares a preposito nostro, quod non possit justicia ecclesiastica inveniri vel statim inveniri, faciet prepositus noster in aliqua scolaris domo eosdem sine omni injuria, sicut supra dictum est, custodiri, donec ecclesiastice justicie reddantur. De servientibus laicis clericorum scolarium, qui non debent burgensiam nobis vel residentiam, nec vivunt de mercaturis, et unde scolares non faciant injuriam aliis, sic erit, quod in eos manum non mittemus, nec justicia nostra, nisi forisfactum apparens fuerit, pro quo debeamus in eis manum mittere, aut justicia nostra. Pro tenore siquidem privilegii, quod Parisiensibus scolaribus contulimus, nolumus ut canonici Parisienses et eorum servientes in hoc privilegio contineantur; sed volumus, ut servientes canonicorum Parisiensium et ejusdem ville canonici eamdem libertatem habeant, quam eis predecessores nostri observare debuerunt. Occasione autem predictarum conventionum vel occasione hujus carte in causam trahi non poterimus nisi in curiam nostram.

Ut autem hec cautius custodiantur et stabili in perpetuum jure firmentur, statuimus ut prepositus noster et Parisiensis populus omnia que predicta sunt in conspectu scolarium tantum se bona fide servaturos in juramento confirment. Et decetero semper, qui-

cumque officium preposituire Parisiensis administrandum a nobis acceperit, inter ipsa prepositure sue inicia, dominica videlicet prima vel secunda, in una ecclesiarum Parisiensium coram scolaribus predicta omnia se bona fide servaturum juramento publice confirmabit. Nos autem predicta omnia approbamus et volumus et sigilli nostri auctoritate regii nominis karactere inferius annotato precepimus confirmari. Actum apud Fontem Blaudi anno dominice incarnationis M° CC° vicesimo nono, mense Augusto, regni vero nostri anno tercio, astantibus in palacio nostro quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. S. Roberti buticularii. S. Bartholomei camerarii. S. Mathei constabularii.

Data vacante (*monogr.*) cancellaria.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66ᵃ, nº 2. Fragmentum sigilli cerei viridi coloris filis seric. rubei et viridi coloris appensi superest. Exstabat olim in Arch. Universitatis. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 43. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 53, cum lectionibus variantibus ex docum. supra nº 1 relato desumptis. Bulaeus, III, 131, qui hanc chartam perperam ad. an. 1228 refert. De differentia inter textum hujus documenti a Ludovico emanantis et illius a Philippo Augusto editi vide *Mém. de la société de l'Hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 243 sqq.

1. Vido supra nº 1.

67. *Juramentum quod praepositus Parisiensis juxta mandatum regis Universitati Parisiensi praestare debebat.*

Premierement vous jurrés que vous ferés jurer les bourgois de Paris que s'il voient a aucun escolier de Paris mal faire d'aucun lai, que seur ce il porteront loial tesmoing, ne il ne se trairont ariere malicieusement pour ce qu'il ne le voient. Et s'il avenoit chose que aucun lais eust feru escolier, se n'estoit seur lui defendant, meesmement se l'escolier estoit ferus d'armes, de fust ou de pierre, vous ferés jurer que tous le let qui ce auroient veu en bone foi, prendroient ce maufeiteur ou ces maufeiteurs, et le balleroient a nostre justice, ne il ne se trairoient ariere malicieusement que il n'eussent ce veu, ne qu'il ne preissent le maufeiteur ou les maufeiteurs, ne que seur ce fet ne portassent loial tesmoing. Se le maufeiteur soit pris seur le forfet ou non, nostre sire li rois promet a faire loial enqueste soit par clers soit par lais ou par autres loiaus persones; et vous jurrés que vous ce meismes ferés et ferés faire. Et se vous povés trouver par vous ou par vos jurés par loial enqueste, que chil a cui l'en meit seur le forfet l'ait fait, tantost vous ferés droit selonc la qualité et le maniere du forfet, ja soit ce chose que le maufaiteur le noie et se veille purgier.

Après vous jurrés que pour nul forfet vous ne metrés main ne ne ferés meitre a escolier de Paris, ne vous ne le metrés ne ne ferés mener en prison, se le fourfet de l'escolier ne semble tel que l'en le doie arester. Et adonc vous l'aresterés ou ferés arester en ce meisme lieu sans ferir et sans vilanie faire, s'il ne se deffent. Et adonc vous le rendrés ou ferés rendre a la justice de saint eglyse, laquele le doit garder pour faire satisfaction au roi et au blecié. Et se le fourfet de l'escolier semble grant, vous irés ou envoierés a la justice de l'iglise pour voir que l'en fera a l'escolier. Et se le escolier ne se

defent en ce arest et il ait soufert injure et vilanie, vous par vostre serement, selonc l'enqueste devant dite, de ce prendrés venjance du maufeiteur.

Après vous jurrés que en le chevetaine des escoliers de Paris pour nul forfait vous ne mettrés main, ne ne ferés mettre[1], mais s'il vous semble qu'il doie estre arestés, il sera arestés par la justice de saint eglise et gardés pour faire ce que sainte eglise en jugera.

Après vous jurrés que, s'aucun escolier soit arestés de vous ou de vostre gent a tel eure que le justice de sainte eglise ne puisse estre trouvée ou tost eue, vous le ferés garder en aucune meison d'escoliers sans li faire injure et vilanie jusques a tant qu'il soit balliés a la justice de saint eglise.

Après vous jurrés que es serjans lais des escoliers de Paris qui ne doivent a nostre seigneur le roi bourjoisie ne residence, ne ne vivent de marchandise, des ques les escoliers ne facent mie injure a autrui, ne metrés main ne ne ferés mettre, se le fourfet n'apert tel que vous le doiés faire.

Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 54[b]. Textus quem supra dedimus desumptus est ex isto codice. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 44, cum rubrica : « Le serment ke li provos jure a le Université », in quo codice plurimae formae, v. g. « cose, che, chu, liu, blechié, saule », dialecto Picardo accommodatae occurrunt. — Du Boulay, *Recueil des privilèges de l'Université de Paris*, p. 277. — Haec formula sumpta est ex privilegio Philippi Augusti et Ludovici; ubique invenitur sine temporis nota. Eam in lingua gallica fuisse compositam tempore quo Ludovicus privilegium sui avi renovavit (i. e. 1229), putat Bulaeus. Forsitan originem sumpsit occasione litterarum Gregorii IX diei 14 April. 1231 (post dispersam Universitatem), quibus papa Ludovicum regem monet, ut privilegium sui avi innovet et ab aliis curet observandum (vide infra nº 82), licet probabilitate non careat, textum gallicum factum esse tempore Philippi IV, quando ad documentum anni 1251, Jun. 19-24 (vide ibid. nota 7) apposita est nova Constitutio in lingua gallica et Philippus IV (anno 1286) de novo praepositis praecepit in eorum institutione solitum juramentum non exspectato alio mandato Universitati praestare. Nos supra secuti sumus ordinem Codd. Vat. et Cheltenh.

1. Sic in codice Bibl. Cheltenham. Cod. Vat. Reg. vero scribit : « Après vous juerrés qu'en l'enqueste des escoliers ne ferés mettre main, ne ne mettrés, mais », *etc.* Textus apud Bulaeum sic offertur : « Après vous jurerez, qu'en chastel des escoliers ne ferez mettre main, ne ne mettrez, mais s'il vous semble », *etc.* Translatio regii diplomatis in cod. Phillipps magis ad verbum est expressa.

---

68. *Guillelmus episcopus Parisiensis fratribus Vallis Scholarium, postquam eis plenam et liberam potestatem construendi domum et ecclesiam Parisiis in parochia Sancti Pauli concessit, praescribit certam vivendi regulam, ut jura ecclesiae S. Pauli vel ecclesiae B. Mariae virginis intacta remaneant.*

1229, mense Septembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis Willermus permissione divina Parisiensis ecclesie minister indignus salutem in Domino. Universitati vestre notum fieri volumus quod nos, dilectorum in Domino fratrum et filiorum de ordine Vallis Scolarium piis et devotis peticionibus annuentes, eisdem divine pietatis intuitu plenam et liberam concessimus potestatem construendi domum et ecclesiam Parisius in parrochia Sancti Pauli, ecclesie Fossatensis et presbiteri Sancti Pauli voluntate concurrente pariter et consensu; nolentes tamen, ut per istam concessionem et ordinationem nostram, que in presentibus continetur fratribus predictis factam, ecclesie sancti Pauli in jure parrochiali gravamen aliquod sive prejudicium generetur, sed ipsum per integrum secundum consuetudinem

Parisiensis ecclesie habeat et percipiat, sicut hactenus consuevit ab omnibus, qui in sua morantur parrochia vel sunt in posterum moraturi. Potestate ordinaria statuentes, ut fratres jam dicti ibidem Domino famulantes ad instar et similitudinem ecclesie sancti Victoris in celebratione divinorum et receptione causa audiendi divina ad suam ecclesiam venientium se habeant: in hoc scilicet, quod altare exterius non habeant et chori clausis januis divina celebrent, nec aperiantur nisi pro casu aliquo licito et honesto, ita quod statim claudantur, vel si corpus alicujus defuncti extranei ibidem tradendum fuerit sepulture; tunc etenim, si in choro eorum corpus defuncti fuerit, aperte esse poterunt, donec missa de Requiem sit pro mortuo decantata. Duas campanas mediocres in ecclesia habere poterunt et non plures, ita quod eis insimul uti pulsando poterunt in vesperis, matutinis, processionibus, magna missa et exequiis tantummodo mortuorum. Nulli parrochianorum ecclesie sancti Pauli sacramentum aliquod ministrabunt vel ministrare poterunt, excluso necessitatis articulo, sine episcopi vel sacerdotis licentia speciali. Hoc idem ordinamus de sacramentalibus, scilicet pane benedicto, purificatione mulierum, aqua benedicta, quam tamen extra chorum habere poterunt, visitatione sollempni infirmorum et similibus, que per sacerdotes curatos consueverunt solummodo exerceri. Sed quoniam sepultura mortuorum in sacramentalium numero continetur, per istam ordinationem nostram statuimus ut fratres sepedicti ad opus fratrum suorum et conversorum habeant cymiterium, et insuper ad opus clericorum et scolarium quorumcunque et aliorum omnium, qui non sunt vel erunt de parrochia Sancti Pauli, qui apud eos elegerint sepulturam. Truncum vel ymaginem per septennium subsequens et continuum occasione sui operis non habebunt, ut opus ecclesie sancti Pauli jam inceptum perduci valeat ad effectum. Si fratrum aliquis vel alius quicumque ibidem verbum Dei voluerit predicare, hoc facere poterit fratribus et clericis, sicut fratres Sancti Jacobi in sua domo faciunt, et eciam laycis de licentia episcopi speciali vel sacerdotis Sancti Pauli. Fratrum famuli et totaliter familia eorumdem, nisi forte essent conversi et in habitu regulari, divina omnia percipient in ecclesia beati Pauli, et ei secundum suam possibilitatem jura solvent parrochialia tanquam veri filii et devoti. Hoc eciam intelligimus et statuimus de personis secularibus, quas morari contigerit apud fratres. Statuimus insuper, ut fratres propter loci vicinitatem in diebus dominicis et festivis, qui a populo communiter observantur, excepto festo beate Katerine[1], ecclesie sue januas clausas teneant usque ad pulsationem grosse campane in ecclesia gloriose Virginis hore prime, ut parrochiani Sancti Pauli ad suam matrem ecclesiam accedentes audiant quid eis agendum sit et qualiter conversandum. In omnibus vero diebus sollempnibus et non sollempnibus quoscunque extraneos non parrochianos ecclesie sancti Pauli graves et bonos per ostia privata infra cancellum recipere poterunt, et eis, si voluerint, private divina celebrare. A mulieribus eciam de foris adventantibus, dummodo non sint de parrochia Sancti Pauli, oblationes extra chori januam fratres recipere poterunt antedicti. Pro qualibet domo, que modo inhabitatur, quam fratres acquisierunt vel acquirent amodo in

parrochia Sancti Pauli, reddent ecclesie sancti Pauli duos solidos annis singulis in crastino apostolorum Petri et Pauli in recompensationem juris parrochialis, quod in locis taliter acquisitis sacerdos perciperet vel percipere posset, si res in statu solito permaneret, nisi forte in illis domibus habitatores qui jura solverent parrochialia morarentur, vel nisi fratres tempore procedente eas in suas converterent officinas. Quia vero non est in hominis potestate omnia dampna et pericula per integrum previdere, que ex nostra concessione possunt ecclesie sancti Pauli accidere in futuro, fratres de ordine Vallis Scolarium in manu nostra centum quadraginta libras parisien. posuerunt ad emendum redditus ad opus presbyterii ecclesie sancti Pauli, ut per hoc ob omni dampno valeat relevari. Hec autem ordinata sunt a nobis salva subjectione, obedientia et reverentia nobis et successoribus nostris et ecclesie Parisiensi debita, quam fratres promiserunt se nobis in perpetuum impensuros salva sui ordinis disciplina, nec umquam facto vel dicto per se vel per alium contraventuros, renunciantes quantum ad hoc omni privilegio non solum impetrato, sed eciam impetrando. De hiis insuper fideliter et immutabiliter observandis major prior tocius ordinis litteras dabit sigillo proprio consignatas. In cujus rei testimonio presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono, mense Septembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 1013b, nº 5. Deest sigillum. — Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 339, nº 15. Mense Octobri ejusdem anni episcopus iterum declarat se licentiam dedisse domum et ecclesiam construendi. Arch. nat. Paris. l. c., nº 9. Valois, p. 342, nº 16.

1. Quia ecclesia conventus sacrata erat sanctae Catherinae.

---

69. *Gregorius IX agendi modum Guillelmi episcopi Parisiensis erga Universitatem Parisiensem reprehendit, cum in dissensione suborta inter regem et reginam ex una, et magistros et scholares ex altera parte non solum se medium ponere non curaverit, sed etiam ne pactiones ab utraque parte initae servarentur consilium tribuerit.*

1229, Novembris 23, Perusii.

.. Episcopo Parisiensi. Virum secundum cor nostrum invenisse credentes, et exultare ac letari posse in te tamquam a rectis dilecto super caput tuum sacre unctionis effudimus oleum, ut nitorem conscientie retinens in teipso emitteres sincere ad proximos opinionis odorem, et in partem sollicitudinis evocatus sic traditum tibi ministerium adimpleres, quod a supremo patre familias : « Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui », mereeris audire, offerendo eidem talenta tibi credita duplicata, et nos ipsi qui auditu aurium potius quam experientia excitati te notis pretulimus et expertis, committendo tibi Parisiensem ecclesiam, que quidem abscondi non potest, utpote civitas posita supra montem, gloriari possemus vinee Domini Sabaoth cultorem utilem perfecisse. Sed ecce quod dolentes referimus vulnus ab hoste non expectato ferentes et spe concepta frustrati, sic de tuis confundimur actibus, quod de te compellimur dicere vel inviti : « Penitet hunc

hominem nos fecisse ». Çum enim a fossis ab Abrahe pueris puteis ingestam ab allophilis terram eruere debuisses pro grege dominico adaquando et irriganda etiam vinea tue deputata culture, et ut vir sacris litteris eruditus quasi stella matutina in medio nebule radiando, illuminares patriam splendore sanctorum et pacificares discordes, tu non solum id efficere neglexisti, verum etiam, sicut pro certo a multis fidedignis asseritur, te machinante fluvius, studium videlicet litterarum, quo irrigatur et fecundatur post Spiritus Sancti gratiam generalis ecclesie paradisus, a suo alveo, civitate Parisiensi videlicet, in qua viguisse dinoscitur hactenus, est distortus, per quod ad nichilum redigi poterit per plura loca divisum, quemadmodum flumen arescit extractum ab alveo et in plures rivulos derivatum, et lucernam illuminantem existentes in domo de candelabro deici et recludi sub modio diceris procurasse, ut eam videre non possis, donec extinguatur, quod absit, quia tunc forsan ipsius amisse incomodum lucis cognosceres, si lucerna predicta de Parisiensis civitatis candelabro prorsus removeretur extincta, et ex hoc quam plures contingeret in tenebris ambulare. Quanto autem nos credis posse rubore perfundi ex eo, quod nonnulli possunt nobis dicere insultando : Ecce homo, quem Parisiensi ecclesie prefecistis, murum se pro domo Domini non opponit ascendentibus ex adverso, nec satagit capere vulpes, que nituntur Domini Sabaoth vineam demoliri. Set et Danielem destruentem Bel et interficientem draconem in lacum mitti leonum non prohibet set procurat, et celum claudi scripture, ut sic nubes contineant ymbrem suum et terra universalis ecclesie remaneat imcompluta, ac sol et luna in tenebris convertantur, stelleque caligine involvantur earum. Intellecto sane, quod inter carissimum in Christo filium nostrum .. regem Francorum et .. reginam matrem ejus illustres ex parte una, et dilectos filios magistros et scolares Parisienses ex altera dissensione suborta iidem magistri cum scolaribus dampnis et injuriis lacesciti a Parisius discesserunt, studium alibi transferendo, in quo tu non solum te medium ponere non curasti, verumetiam ne pactiones ab utraque parte inite servarentur, consilium et operam sicut dicitur tribuisti, nos utilitatibus proventuris ex studii revocatione Parisius aspirantes et volentes incomoditatibus, que possunt ex discessu emergere, obviare, venerabilibus fratribus nostris .. Cenomanensi et .. Silvanectensi episcopis, et dilecto filio magistro Johanni archidiacono Cathalaunensi nostris damus litteris in mandatis, ut inter regem et reginam ac magistros et scolares prefatos interponentes sollicite partes suas impendant sollicitudinem diligentem et operam efficacem, ut magistris et scolaribus antedictis de datis dampnis et irrogatis injuriis satisfiat restituta ipsis solita libertate a clare memorie Ph. rege Francorum concessa[1], studium Parisius revocetur. Ut igitur vulnus Achillejo que quondam fecerat hosti vulneris auxilium Pelias asta ferat, fraternitatem tuam rogamus et exhortamur in Domino per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus sollicite ac efficaciter satagas, prudenter insistens, ut de ablatis et illatis injuriis congrue satisfiat magistris et scolaribus antedictis et studium Parisius revocetur, eisdem restituta solita libertate, in qua illos sic studeas

confovere ut videaris prioris offense seu negligentie maculam expiasse ac in te confundi minime nos contingat, qui nequaquam possemus hec conniventibus oculis pertransire. Alioquin non tam negligentiam quam malitiam in te dante Domino curabimus taliter castigare, quod in pena cognosces, quantum in culpa improvide commisisti. Dat. Perusii viiij kal. Decembris, pontificatus nostri anno tercio.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 3, ep. 88, fol. 144. — Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 343, nº 18.

1. Supra nº 1.

70. *Gregorius IX Mauritium Cenomanensem et Guarinum Silvanectensem episcopos ac magistrum Johannem Catalaunensem archidiaconum judices in causa inter Ludovicum regem Francorum et magistros ac scholares Parisienses vertente constituit.*

1229, Novembris 24, Perusii.

.. Cenomanensi et .. Silvanectensi episcopis et magistro Johanni archidiacono Cathalaunensi. Ad custodiendum et operandum illum paradisum[1] deliciarum nostre sollicitudini deputatum magno nobis est opere precavendum, ne fluvius deliciarum irrigans loci terram divertatur ab alveo et divisus in rivos arescat, ac irrigatione subtracta paradisus squalescens et versus in salsilaginem producat spinas et tribulos et vites Sorech in eodem plantate prohibitis nubibus imbrem effundere super eas degenerent in lambruscas. Estque nichilominus valde verendum, ne irruente hujusmodi siccitate ab Ysaac putei servis fossi calumpnie videlicet ex causarum strepitu venientis et inimicitie ex pugna verborum a disputatione liberalium artium descendente ac latitudinis sacre pagine vias mandatorum Domini facientis corde currere dilatato ab allophilis Ysaach veri contrariis obstruantur et periclitentur pecora ejus siti. Fluvius profecto[2] est litterarum studium, quo irrigatur et fecundatur post Spiritus Sancti gratiam paradisus generalis ecclesie, cujus alveus Parisiensis civitas ex eo, quod idem studium Parisius viguit hactenus, noscitur extitisse. Unde quod nostris temporibus illud alibi transferatur non debemus equanimiter tolerare, ne forsan ex hujusmodi translatione per plura loca divisum ad nichilum redigatur, et claudatur celum scripture, ac nubes contineant ymbrem suum, et terra universalis ecclesie remaneat imcompluta, necnon sol et luna in tenebras convertantur stelleque caligine involvantur earum. Sane ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum inter carissimum in Christo filium nostrum .. regem Francorum et .. reginam matrem ejus illustres ex parte una et dilectos filios magistros et scolares Parisienses ex altera dissentione suborta iidem magistri cum scolaribus dampnis et injuriis lacesciti a Parisius discesserunt, studium alibi transferendo, per quod videntur clavem tulisse scientie, ac ante homines celorum claudere velle regnum, et ipsi non intrantes volentes intrare nolle sinere introire. Utilitatibus igitur proventuris ex predicti fluminis ad alveum reditu aspirantes et volentes incomoditatibus, que possunt ex discessu emergere, obviare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inter regem et reginam ac magistros et

scolares prefatos interponentes sollicite partes vestras impendatis sollicitudinem diligentem et operam efficacem, ut magistris et scolaribus antedictis de datis dampnis et irrogatis injuriis congrue satisfiat[3] restituta ipsis solita libertate ac a clare memorie Ph. rege Francorum concessa, studium Parisius revocetur, non obstante alicujus vinculo juramenti, cui ex tribus comitibus, quos debet habere, duo videntur deesse, justitia videlicet et judicium, e quibus videtur minime processisse prestare hujusmodi juramentum. Quod si forsan aliqui eorum hujusmodi obstaculo se duxerint excusandos, auctore Domino sic super hoc apostolice sedis curabit circumspectio providere, quod nulla ex hoc infamie macula respergentur. Et quoniam mora videtur ad se perhiculum trahere, sine dilatione qualibet exequamini quod mandamus, et quod super hiis inveneritis, nobis quantocius vestris litteris intimetis, ut per vestram relationem instructi super hoc auctore Domino procedamus. Quod si non omnes duo vestrum, *etc*. Dat. Perusii viij kal. Decembris, anno tertio.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 3, ep. 89, fol. 145. — Raynaldus, *Ann. eccl.*, ad an. 1229, nº 55, offert has litteras sed mutilas. — *Cf.* litteras supra nº 69 positas.

1. Reg. Vat. « paradiso ... deputato ». — 2. Reg. Vat. « prefecto ». — 3. Reg. Vat. « satisfaciat ».

---

71. *Gregorius IX Ludovicum regem Francorum et Blancam matrem ejus de necessitate sapientiae et studii litterarum edocet hortaturque satagant ut studium Parisios revocetur ac magistris et scholaribus Parisiensibus de irrogatis injuriis congrue satisfiat.*

1229, Novembris 26, Perusii.

.. Regi Francorum et B. matri ejus regine illustribus. In tribus, que appropriatione nominis tribus in Sancta Trinitate personis attributa noscuntur, potentia, sapientia et benignitate videlicet, regnum Francorum ejusdem sancte Trinitatis imitando vestigium patet pre regnis aliis a longis retro temporibus claruisse, in strenuitate militum potens, in clero litterarum scientia predito sapiens, et in clementi principum bonitate benignum, quorum medio si duo destituantur extrema in vitia convertentur. Quoniam potentia nisi fuerit sapientia temperata, in presumptionem luxuriat se in arrogantiam extollendo : benignitas vero si eadem suffulta non fuerit, in dissolutionem degenerat et efficitur fatuitati cognata. Igitur sapientia necessaria est utrique, sine qua neutra illarum nomen virtutis obtinet vel effectum. Sapientia vero nutritur studio litterarum, quo quasi fluvio de loco deliciarum egresso non solum regnum predictum irrigatur et fecundatur post Spiritus Sancti gratiam, verum etiam paradisus ecclesie generalis, cujus alveus Parisiensis civitas ex eo, quod idem studium Parisius viguit hactenus, noscitur extitisse. Unde vestra credimus interesse sollicita diligentia et sollicitudine satagere diligenti, ut studium diebus vestris translatum alibi a Parisius, illuc quasi flumen ad alveum revocetur, ne forsan ex translatione hujusmodi ad nichilum redigatur per plura loca divisum, velut fluvius distortus ab alveo et in rivos divisus arescit, et per hoc celum claudi scripture, ac ymbrem suum nubes continere contingat, et imcomplutam terram universalis ecclesie remanere, necnon in tenebras solem

et lunam converti, stellasque involvi caligine hujusmodi tenebrarum, ac sic de predicto regno deleri Trinitatis vestigium prelibatum, quoniam in vestram ignominiam redundaret, si diebus vestris idem regnum hujusmodi privatum gloria redderetur, nec expedire quod in ipso regnantibus tanti honoris ascriberetur ammissio, quam suis servare temporibus reges incliti ex innata sibi clementia propensius studuerunt, ex diversis mundi nationibus in supradicta civitate collectam multitudinem ad aquas sapientie auriendas benignius confoventes, ac provide supportantes, si quando excedebat. Sane ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod inter vos ex parte una et dilectos filios magistros et scolares Parisienses ex altera dissensione suborta iidem magistri cum scolaribus dampnis et injuriis lacessiti a Parisius discesserunt studium alibi transferendo. Nos ergo utilitatibus proventuris ex predicti fluminis ad alveum reditu aspirantes et volentes incomoditatibus, que possunt ex discessu emergere, obviare, venerabilibus fratribus nostris .. Cenomanensi et .. Silvanectensi episcopis, et magistro Joanni archidiacono Cathalaunensi nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi vice nostra inter vos ac magistros et scolares prefatos interponant sollicite partes suas ac impendant sollicitudinem diligentem et operam efficacem, ut magistris et scolaribus antedictis de datis dampnis et irrogatis injuriis congrue satisfiat, restituta ipsis solita libertate ac a clare[1] memorie Ph. rege Francorum concessa, studium Parisius revocetur. Quocirca excellentiam vestram rogamus attentius et monemus ac exhortamur in Domino, quatinus benignitatis predecessorum vestrorum inherentes vestigiis ob reverentiam apostolice sedis et nostram ipsos plenius admittatis in gratiam regiam et favorem acquiescendo monitis et exhortationibus predictorum, ea executione celeri sicut decet clementia solita exequentes, ne si secus egeritis, quod non credimus, sapientiam et benignitatem, sine quibus vix potentie unitas potest persistere, videamini abjecisse, ac nos, qui regnum ipsum hactenus celitus benedictum ut dedecoretur a decore hujusmodi non possumus equanimiter tolerare, super hoc providere aliter compellamur. Dat. Perusii vj kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 3, ep. 95, fol. 147^b. — Bulaeus, III, 135.

1. Reg. Vat. « clere ».

72. *Epistola transmissa a magistris Tolosanis ad universalia studia alibi florentia.*

Circa finem anni 1229, Tolosae.

Universis Christi fidelibus et precipue magistris et scolaribus ubicumque terrarum studentibus presentes litteras inspecturis universitas magistrorum et scolarium Tholose studium in nova radice statuentium, vite bone perseverantiam exitu cum beato. Stabile fundamentum non invenit operatio, que non est in Christo, sancte matris ecclesie fundamento, firmiter collocata. Nos igitur hec attendentes summo conamine nostro conati sumus in Christo Tholose studii philosophici fundamentum durabile collocare, super quod

edificent nobiscum ceteri, quorum bona voluntas sit ad hoc Spiritus Sancti luminosis radiis illustrata. Dicit enim beatus Augustinus : « Deus voluntatem bonam preparat adjuvandam et adjuvat preparatam. Ipse quidem nolentem prevenit ut velit, volentem vero subsequitur ne frustra velit. » Unde, dilectissimi, velitis et vos nobiscum bonam voluntatem Domino preparare, quam, cum ipse preparatam inveniat, ad opera sancta perducat, ut ubi pridem gladii viam vobis fecere, pugnetis acumine lingue; ubi bellica strages inhorruit, pacifica militetis doctrina; ubi pravitatis heretice silvestris spinetum excrevit, cedrus fidei catholice per vos ad sidera sublimetur. Et ne vos absterreat tanti laboris aggressio, viam vobis preparavimus, prima tedia sustinuimus, vexillum securitatis vobis pretendimus, ut nobis vestris armigeris precedentibus valeatis vos philosophie milites, arte Mercurii, telis Phœbi, lancea Minerve, tutius militare; ut iterum spem habeatis de incepti studii stabilitate, nobis onus injunctum auctoritate suscepimus ecclesie. Erat enim Moyses noster dominus cardinalis et legatus in regno Francie[1] dux et protector et auctor post Deum et dominum papam tam ardue inchoationis, qui statuit quod omnes Tholose studentes, et magistri et discipuli, omnium peccaminum suorum plenariam indulgentiam consequantur. Ob hanc igitur causam et propter continuitatem legendi disputandique, quam magistri diligentius et crebrius exercent quam exercuerunt Parisius, multi scolares confluunt Tholosam, videntes quod flores jam apparuerunt in terra nostra et tempus putationis advenit. Et iccirco nostrum Achillem novum philosophie militantem nulla detineat Deidamia, quin alteram adeat Trojam, de qua sic iterum posset dicere Statius Tholosanus[2]:

Omnis honos illic, illic ingentia certant
Nomina; vix timide matres aut agmina cessant
Virginea; hic multum steriles damnatus in annos
Invisusque Deo, si quem hec nova gloria segnem
Preterit.

Induat igitur quilibet probus animosum Achillem, ne meticulosus Thersites occupet laurum promissam Ajaci magnanimo, ut saltem bello finito studium militantium et studium philosophantium admiretur. Et ut libentius Tholose gloriam simul cum studio studiosi dinoscant, sciant hanc alteram esse terram promissionis fluentem lac et mel, ubi fetose pascue virent, ubi arbores pomifere frondent, ubi Bacchus regnat in vineis, ubi Ceres imperat in arvis, ubi temperatus aer antiquis philosophis fuerat consideratis terre stadiis preelectus. O quam incomprehensibilia sunt omnipotentis Dei magnalia!

Hic est pax, alibi toto Mars sevit in orbe,
Sed Martem prius et mortem locus iste recepit.

Preterea ne ligones ad steriles et incultos deferatis agros, vobis magistri Tholose legentes tribulos plebee ruditatis et spinas aspere sterilitatis ceteraque removerunt obstacula. Hic enim theologi discipulos in pulpitis et populos in compitis informant, logici liberalibus in artibus tyrones Aristotilis eruderant, grammatici balbutientium linguas in

analogiam effigiant, organiste populares aures melliti gutturis organo demulcent, decretiste Justinianum extollunt, et a latere medici predicant Galienum. Libros naturales, qui fuerant Parisius prohibiti[3], poterunt illic audire qui volunt nature sinum medullitus perscrutari. Quid deerit vobis igitur? Libertas scolastica? Nequaquam, quia nullius habenis dediti propria gaudebitis libertate. An timetis malitiam populi sevientis vel tyrannidem principis injuriosi? Ne timeatis, quia comitis Tholosani liberalitas nobis sufficientem fecit securitatem et de salario nostro et de servientibus nostris Tholosam venientibus et redeuntibus. Quod si detrimentum rerum suarum patiantur per manus predonum in dominio comitis, malefactores nostros ad satisfactionem tanquam pro Tholosanis civibus per vires Tholosani capitolii persequetur. Predictis adhuc adicimus, quod sicut speramus veraciter dominus legatus theologos et decretistas alios adhuc advocabit ad augmentationem studii, tempusque determinabit, per quod oporteat scolares Tholose propter indulgentiam commorari, si moram illorum non impediat, quod Deus avertat, ille prevaricator invidus humani generis, ut consequenter locum et gentem tollant Romani per crucis salutifere triomphale mysterium dimicantes. De foro rerum venalium fugata caristia per predictam percipere poteritis certitudinem, et super hec tam fame quam nuncio credatis, et hiis versibus:

Pro parvo vinum, pro parvo panis habetur,
Pro parvo carnes, pro parvo piscis emetur.

De curialitate populi non est pretermittendum. Videtur enim hic facetia curialis cum militia simul et cum clero federa pepigisse. Si volueritis igitur bona plura quam prediximus admirari, paterna postponatis hospitia, collis manticas maritando, illud morale Senece complectendo: « Terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium, sic quod vivam quasi sciam aliis me notum esse; est enim alta temptare et mente majora concipere res homini generosa ».

Johannis de Garlandia, *De triumphis ecclesiae libri octo*, Lib. 5 in fine. Ed. from the unique manuscript in the British Museum Th. Wright, London, 1856, p. 96-98. Bibl. nat. Paris. nouv. acquis. ms. lat. 1225, p. 75.

1. Romanus. Vide de istius merito erga Universitatem Tolosanam Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 325 sqq. — 2. *Achilleid.*, 2, 124. — 3. Cf. supra n[os] 11, 20.

---

73. *Magister Jordanus Ord. Praed. scribit fr. Stephano provinciali Lombardiae de fructu praedicationis suae Vercellis habitae, ubi intraverunt Ordinem multi magistri, inter quos Walterus Theutonicus, unus ex optimis magistris Parisiensibus.*

Anno 1229.

Frater Jordanis Ord. Predicatorum servus inutilis dilecto in Christo filio fratri Stephano priori provinciali Lombardie salutem eternam. Quasi ad sonitum folii vestram ad presens conscientiam intueor expavisse, dum constitutionem illam, qua mulieres tonderi, indui vel ad professionem recipi fratribus prohibetur, in prejudicium sororum Sancte Agnetis creditis esse factam, credentes quorundam spiritui, qui in hac parte ex

Deo non sunt, et vobismetipsis suscitantes inutilem questionem..... Ceterum sanus de Janua vobis scripsi paratus ad Montempessulanum navigio me transferre. Priori Bononiensi nuper scripsi ut arbitror de fructu, quem aput Vercellas nobis Dominus dedit. Vobis repetam hoc ipsum sicuti postulastis. Primo scolares Vercellis inveni durissimos et quasi accepta licentia jam in procinctu fueram recedendi. Tum ecce subito secundum manum Dei bonam nobiscum primus intravit magister Walterus Theutonicus, regens in logica, peritissimus artis sue, qui etiam inter majores magistros Parisius habebatur. Secuti sunt eum duo bacellarii probissimi, quos habebat, parati ambo, si voluissem, protinus ad regendum, unus Provincialis, alter Lombardus. Secutus est item quidam probus studens in jure canonico Theutonicus, Spirensis canonicus, qui rector erat Theutonicorum scolarium in Vercellis. Secutus est item quidam optimus et probus Theutonicus, magister Godescalcus, canonicus Trajectensis. Secuti sunt item duo Provinciales probissimi, quorum alter in decretis, alter in legibus legebant in cathedra pro magistris, ita ut predictas personas videremur quasi ex omnibus scolaribus ellegisse. Secuti sunt et alii plures utique bene probi, ita ut numero sint XII vel XIII universi, qui in tempore brevissimo intraverunt. Fere omnes Januam mecum duxi, et duo statim usque ad Montempessulanum sunt ulterius processi. Reliqui adhuc per tempus Janue expectabunt, quinque in eorum numero sunt Lombardi. Pro hujusmodi gratie Domino sunt agende, cujus benedictio tam jugiter super nos et super filios nostros. Valete in Domino et orate pro me. Salutate fratres et alios amicos nostros, eorum me orationibus commendantes. Inter novitios, qui Janue remanserunt, est quidam Cremonensis bene probus, in logica satis versatus, homo nobilis, ut dicitur, et ad proficiendum bene dispositus, nomine Peregrinus, quem postquam aliquandiu steterit alias transferre poteritis, ubi studium melius in provincia scitis. Vale.

Cod. epistol. mag. Jordani ad Ord. Praed. pertinens, nº 50. — Bibl. Casanat. D. IV, 24, nº 49. Ed. Bayonne, p. 108, nº 29.

---

74. *Gregorius IX Ludovico regi Francorum scribit, se magistrum Guillelmum et Stephanum Baatel nuntios cum litteris regiis recepisse, sed petitiones ejus singulas ad praesens non posse exaudire.*

1230, Aprilis 2, Laterani.

.. Illustri regi Francorum. Dilectos filios magistrum Willermum[1] et Stephanum Baatel nuntios tuos cum litteris regiis ad nostram presentiam accedentes solita benignitate recepimus et que proponenda duxerunt intelleximus diligenter. Ceterum cum sicut scire te credimus incunctanter personam tuam sincero diligentes affectu statum et profectum tuum et regni tui prospere dirigi cupiamus, petitiones tuas libenter quantum cum Deo possumus exaudimus, qui etiam irrequisiti profutura tibi sollicite cogitamus et cogitata studiose producimus ad effectum. Verum cum ex officii nostri debito teneamur justitiam custodire, regia celsitudo egre ferre non debet, si petitiones tuas singulas ad presens distulimus

exaudire, cum reputandus sit votivus exauditionis effectus, dum vel petentis votum impleri differtur, ut oportuniori loco et tempore impleatur, vel petitio concessibilis reformetur. Ecce siquidem conservatorias tibi litteras renovantes conservatores concessimus, quos petisti, set adjectionem non duximus admittendam, ne in alterius injuriam tibi gratiam facientes, minus ei possemus pacis consilium suadere, dum nos sibi quasi adversarios reputaret. Super dispensatione vero, quam pro filio comitis Marchie postulasti, ad presens non vidimus annuendum, ne dum reconciliationi pacis intenditur, gravior inde turbationis confusio sequeretur, cum ad pacem inter te ac carissimum in Christo filium nostrum .. regem Anglorum illustrem perpetuo solidandam ancxie aspirantes nichil de contingentibus omittere proponamus, quominus vel per copulam parentele vel alios quoscumque modos inter vos reconciliationis gratia solidetur. Timentes enim animarum pericula, personarum discrimina et rerum dispendia, que de guerra solent inevitabiliter imminere, libenter quieti et saluti consulimus utriusque, ne vos invicem collidatis, qui saltem consanguinitatis proxime ratione vos sincere dilectionis affectibus deberetis invicem amplexari, ut multi, quibus nunc regia sublimitas inclinatur, cogerentur utrumque humiliter revereri. Dat. Laterani iiij non. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 4, ep. 5, fol. 2.

1. Magistrum Guillelmum de Autissiodoro, auctorem *Summae theol.* (Inc. : *Fides est substantia rerum*), quae isto tempore ut nulla alia a magistris legebatur, quod probant quam plurimi mss. in bibliothecis hinc inde conservati. Guillelmi memoria in Universitate non interiit cum ipso; adhuc saec. XIV annotarunt in Calendario Univers. ad iiij non. Novemb. : « in festo defunctorum sunt vigiliae magistri Guillermi Autissiodorensis et in crastino missa per Universitatem ». Bibl. Arsen. Paris. ms. 1123, fol. 46. Vide insuper Hauréau in *Notices et extraits des mss.*, XXXI, 2, p. 288 sqq.

---

75. *Gregorius IX magistris et scholaribus Parisiis et Andegavis commorantibus mandat, ut pro reformatione studii Parisiensis usque ad festum Assumptionis b. Virginis aliquos nomine Universitatis ad curiam destinent, etiamsi magister Guillelmus jam ibi sit; insuper transcripta omnium privilegiorum mittant.*

1230, Maii 10, Laterani.

Magistris et scolaribus Parisius et Andegavis[1] commorantibus. Fluminis impetus Parisiensem dudum letificans civitatem venas aquarum viventium ad diversas et longinquas mundi regiones effudit, que dum valles influentibus rivulis irrigabant, florere faciebant amigdalas et ficus producere grossos suos; hujus namque inundatione fluminis fecundata Parisius par Syon videbatur effecta, et tanquam Jerusalem similis dici poterat urbs beata, quia speculatores ejus in specula Domini constituti pacis videre poterant et ostendere visionem. Quid nempe mirum, si fluminis hujusmodi torrens excreverit, cum neque dubium esse possit ejus emanasse originem de fontibus Salvatoris, illi quidem, qui ex ipso torrente aquas in gaudio auriebant sitientes vocare poterant ad bibendum, sperantes utique, quod qui ex eis biberent, amplius non sitirent. Quia vero humani generis hostis antiquus et pacis insidiator diabolus tante felicitatis augmentum nuper calliditate sua,

quod dolentes referimus, usque adeo minorare sategit, quod inter vos et cives Parisienses exorta discordia in civitate predicta theologice facultatis studia et cujuslibet discipline scolastice dogmata defecerunt : nos qui ejusdem civitatis honorem diligimus et studiorum defectum pati non possumus nec debemus, ad reformationem eorum intendere cupimus, ne quod absit amplius destruantur. Licet autem ordinationes quasdem viderimus et super additiones petitas, quia tamen per ipsas de dicto negotio plenius instrui non potuimus, nec sine vobis, quos specialiter et principaliter tangit negotium, procedere disponamus, presentium vobis auctoritate mandamus et districte precipimus, quatinus aliquos nomine Universitatis usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo futurum ad nostram presentiam destinetis, licet propter hoc magistrum W.[2] duxerimus retinendum. Et ut possimus plenius instrui de libertatibus vestris et negotium vestrum planius expedire, volumus et mandamus, ut transcripta omnium privilegiorum vel indulgentiarum, que habetis sive a nobis sive a regibus, nobis sub aliquibus sigillis autenticis transmittatis. Dat. Laterani vj id. Maii, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Vat. Greg. IX an. 4, ep. 19, fol. 13. Ibidem legitur : « In eundem modum scriptum est .. episcopo et .. cancellario Parisien. ut personaliter veniant ». Episcopus erat Guillelmus Parisiensis, cancellarius vero Philippus de Grève. — Baluze, *Miscell.*, ed. Mansi, III, 392.

1. Vide infra nº 89, n. 2. — 2. Scilicet mag. Guillelmum de Autissiodoro, de quo supra nº 74, n. 1.

---

76. *Guillelmus episcopus Parisiensis notum facit, (Odonem) abbatem et conventum S. Germani de Pratis Paris. dedisse sub certis conditionibus fratribus Minoribus locum cum domibus, ubi ut hospites morari possent.*

1230, mense Maio [Parisiis].

Willermus permissione divina Parisiensis ecclesie minister indignus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod dilecti in Christo .. abbas et conventus Sancti Germani de Pratis Parisiensis quendam locum cum domibus ibidem constructis situm in parrochia Sanctorum Cosme et Damiani infra muros domini regis prope portam de Gibardo[1], cujus fundus et proprietas ad ipsos abbatem et conventum Sancti Germani pertinent, divine caritatis intuitu commodaverunt dilectis in Christo filiis fratribus Ordinis fratrum Minorum, ut ibi maneant tamquam hospites, ita quod nec ibi poterunt habere campanas, nec cimiterium, nec altare sacratum nisi portatile, nec capellam sacratam; sed salvo in omnibus jure parrochiali ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani, cujus patronatus ad monasterium Sancti Germani de Pratis pertinet, habebunt in ipso loco abbas et conventus Sancti Germani temporalem justiciam, sicut habent in alia terra sua infra muros constituta. Si autem futuris temporibus aliquo casu contigerit fratres ordinis predicti a loco recedere memorato, locus ipse cum omnibus edificiis et incremento ibi facto ad jus et proprietatem monasterii Sancti Germani, cujus

juris et dominii esse dinoscitur, integre et absque contradictione aliqua revertetur. In cujus rei testimonium et munimen de consensu eorundem fratrum presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M° CC° tricesimo, mense Maio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 767, layette 3, liasse 4, cote 3. Sigillum cereum taeniolo membranae. appenditur. — Félibien, *Hist. de la Ville de Paris*, III, 115, secundum Dubreul, *Antiquités de Paris* (1612), p. 515, et quidem imperfecte. — Fratres Minores an. 1219-1220 Parisios venisse vidimus supra ad n° 37. Primo domicilium habebant apud S. Dionysium. Id clare apparet ex narratione Thomae de Eccleston, *De adventu Minor. in Angliam.* Circa annum 1224 enim, postquam fratres Minores jam venerant in Angliam (10 Sept. 1224), Haymo de Faversham cum tribus aliis magistris « apud Sanctum Dionysium » et quidem « Parisius » vel potius prope Parisios Ordinem intravit, quando ibi Gregorius de Neapoli minister Franciae exstitit. Cf. *Monumenta Francisc.*, tom. I, ed. Brewer, p. 21, sq., tom. 2, ed. Howlett, p. 23. Ante annum 1224 et forte sub ministro Franciae Gregorio, qui « in Universitate Parisius » celeber erat suis praedicationibus (l. c., I, 23; II, 25), Parisiis seu potius apud S. Dionysium frater Agnellus erat custos, qui anno 1224 fundationem in Anglia incepit (I, 5). « Non habebant adhuc cantariam », sed audiebant in parochia divina (I, 22; II, 24). Hemeraeus, *Sorbonae origines* (Bibl. Arsenal. Paris., ms. 1166, fol. 8), recte igitur elocutus est dicens fratres Minores primum Sandionysii tertio ab urbe lapide aliquandiu substitisse (contra Belleforest et Corrozet, qui asseruerunt Minores habitasse in loco, ubi postea fuit Collegium Navarrae). Dum fratres apud Sanctum Dionysium morabantur, construere coeperunt in loco Vallis Viridis (*Valvert, Vauvert*) « domum longam et altam, quae multis fratribus videbatur esse contra statum paupertatis Ordinis ». Agnellus praecipue supplicabat b. Francisco, ut eam destrueret (*Mon. Francisc.*, I, 36 sq.). Quod etiam evenisse, et quidem anno 1229, refert testis oculatus Johannes de Garlandia in suo libro *De triumphis ecclesiae*, lib. 6, scribit enim :

Annum millenum Domini centum bis et annos
Vigintique novem semita solis agit.
. . . .
Parisius lapsa est fratrum domus alta Minorum
Valle quidem viridi quam statuere sibi.

Ed. Wright, p. 99, Bibl. nat. Paris. nouv. acquis. ms. lat. 1225, p. 77. Post istum eventum fratres Minores anno 1230 se transtulerunt ad S. Germanum, ubi remanserunt primo quidem ut hospites, postea vero jecerunt fundamenta illius conventus, qui appellabatur « le grand couvent des Cordeliers ». Fratres Minores non receperunt cathedram theol. in Univers. Paris. ante an. 1231, nam, ut dicit Roger Baco, Alexander de Hales intravit Ordinem « post reditum Universitatis », i. e. 1230-1231, et quidem jam senex et magister in theologia (*Rogeri Bacon opp. ined.*, ed. Brewer, p. 326; juxta *Mon. Francisc.*, I, 542, an. 1228). Ex ejus ingressu fratres acceperunt unam cathedram in Universitate, et sub ipso incepit fr. Johannes de Rupella. Vide infra n° 108, n. 4. — Plurima documenta referuntur ad fundationem apud S. Germanum, inter quae illud, quod supra dedimus, primum locum obtinet. Aliud invenitur in eodem Arch. nat. Paris. L. 767, layette 3, liasse 4, cote 1, anni 1230, mense Martio (i. e. 1231), in quo Giraudus decanus et capitulum Paris. notificant « quittationem » juris, quod canonici S. Moderici Paris. habebant super fundum terrae et domum, « in qua modo manent fratres Minores infra muros Paris. ».

1. Haec porta nominata est etiam porta Inferni (*d'Enfer*) et a saec. XIV exeunte *porte S. Michel.*

---

77. *Girardus civis Parisiensis et Jaquelina uxor ejus recognoscunt se vendidisse priori et conventui S. Catherinae Vallis Scholarium, quidquid juris super domo et porprisio S. Catherinae habebant.*

1230, mense Novembri, [Parisiis].

Omnibus presentes litteras inspecturis .. officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constituti Girardus Acon. civis Parisiensis et Jaquelina ejus uxor recognoverunt se vendidisse et concessisse .. priori et conventui Sancte Katherine Parisiensis de ordine Vallis Scolarium pro quadraginta libris Paris. jam solutis, sicut ipsi Girardus et Jaquelina confessi sunt coram nobis, quinquaginta solidos censuales, quos habebant super domo et porprisio Beate Katherine predicte, et eciam quicquid juris in dicta domo et porprisio habebant vel habere poterant quoquo modo. Promi-

serunt insuper prefati Girardus et uxor ejus fide data, quod in dicta domo, porprisio et in tota terra, que fuit Nicholai Giboin per se vel per alios nichil inposterum reclamabunt, et quod eidem ecclesie dictos quinquaginta solidos censuales ad usus et consuetudines Francie contra omnes garentizabunt sub prestite fidei religione. Dicta autem Jaquelina specialiter et expresse quitavit coram nobis, quicquid juris in predictis domo, porprisio et terra habebat vel habere poterat ratione dotalicii vel alio modo spontanea non coacta fide prestita corporali. Quod ut ratum permaneat presentes litteras sigillo Parisiensis curie duximus roborandas. Actum anno Domini M° CC° tricesimo, mense Novembri.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 919, fasc. 1. Restat taeniolum membranaceum. Ibidem occurrunt alia documenta originalia quoad fundum et terras conventus Vallis Scholarium, mense Septembri an. 1235; mense Martio 1241; mense Novembri 1242; mense Octobri 1244, *etc.* S. 1013[b], n° 2, mense Julio 1247; n° 3, Junii 1259. In documento mensis Novembris an. 1250 scribitur « ordo Vallium Scolarium » (L. 919). — Fratres Vallis Scholarium jam in epistola Universitatis an. 1254, Febr. 4, ut in Universitate studentes nominantur. De eorum primo doctore Paris. vide supra ad n° 65.

---

78. *Gregorius IX concedit Petro abbati et conventui S. Victoris Paris., ne super rebus, quas habent Parisiis, auctoritate apostolica in causam extra dioecesim ad remotos judices et minus peritos in jure quam sunt in ipsa dioecesi, ubi est copia peritorum, trahantur.*

1231, Februarii 27, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati et conventui Sancti Victoris Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Consuevit interdum apostolice sedis benignitas juris rigorem, cujus executio non habet injuriam si trahatur ad iniquum dispendium, quodam equitatis moderamine temperare. Unde cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, super rebus quas habetis in Parisiensi diocesi, ubi est copia peritorum, quam plures vos trahant auctoritate apostolica in causam ad remotos judices et minus peritos in jure extra diocesim supradictam, ut ipsorum vexationem redimere vos compellant: nos devotionis vestre supplicationibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus, ut super premissis inviti non teneamini extra eandem diocesim per litteras apostolicas, que de hac indulgentia mentionem non fecerint, aliquibus respondere. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani iij kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, n° 73. Bulla plumb. filis seric. flavi et rubei coloris appenditur.

---

79. *Gregorius IX in litteris ad magistros et scholares Parisienses directis statuta praescribit a cancellario et ab ipsis servanda tam in licentia largienda quam in aliis. Assignat libros ab artistis legendos, et normam statuit a studentibus in theologica facultate sequendam.*

1231, Aprilis 13, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius

velut altera Cariath Sepher, civitas litterarum[1], cara claret, magna quidem sed de se majora facit optari docentibus et discentibus gratiosa, in qua utique tamquam in officina sapientie speciali habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo rite conflatur, ex quibus prudentes eloquii mistici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes et fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, immo nulli pretio comparandis sponsam Christi décorant et decórant. Ibi ferrum[2] de terra tollitur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus et cetera inde fit christiane militie armatura, potens adversus aereas potestates. Et lapis calore solutus in es vertitur, quia corda lapidea Sancti Spiritus afflata fervore dum ardent, incendunt et fiunt predicatione sonora preconantia[3] laudes Christi. Quare non est dubium, quin Deo et hominibus graviter displiceret, quisquis in civitate predicta gratiam tam insignem niteretur ullatenus disturbare vel disturbantibus se pro viribus potenter non opponeret et patenter. Unde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta, studium enormiter disturbante, questiones ad nos delatas audiverimus diligenter, eas potius provisionis moderamine quam judiciali sententia de fratrum nostrorum consilio duximus sopiendas. Circa statum itaque scolarium et scolarum hec statuimus observanda, videlicet, quod quilibet cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram episcopo vel de ipsius mandato in capitulo Parisiensi, vocatis ad hoc et presentibus pro Universitate scolarium duobus magistris in sua institutione jurabit, quod ad regimen theologiè ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore secundum statum civitatis et honorem ac honestatem facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, personarum et nationum acceptione summota. Ante vero quam quemquam licentiet, infra tres menses a tempore petite licentie tam ab omnibus magistris theologie in civitate presentibus quam aliis viris honestis et litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia et facundia necnon proposito et spe proficiendi ac aliis, que sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat, et inquisitione sic facta quid deceat et quid expediat bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri vero theologie ac decretorum, quando incipient legere, prestabunt publice juramentum, quod super premissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit, quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit, Parisiensibus canonicis libertate ac jure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate. De phisicis autem et artistis ac aliis cancellarius bona fide promittet examinare magistros, et non nisi dignos admittens repellet indignos. Ceterum quia ubi non est ordo, facile repit horror, constitutiones seu ordinationes providas faciendi de modo et hora legendi et disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis necnon de bachellariis, qui et qua hora et quid legere debeant, ac hospitiorum taxatione seu etiam interdicto, et rebelles ipsis constitutionibus vel ordinationibus per subtractionem societatis congrue castigandi, vobis concedimus facultatem. Et si forte vobis subtrahatur hospitiorum taxatio, aut quod absit vobis vel alicui vestrum

injuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel membri mutilationis, nisi congrua monitione premissa infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione prehabita cesset injuria, statim a lectione cessare, si tamen id videritis[4] expedire. Precipimus autem, ut Parisiensis episcopus sic delinquentium castiget excessus, quod scolarium servetur honestas, et maleficia non remaneant impunita; sed occasione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes, immo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honeste detentus idonea cautione prestita cessantibus carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commiserit, quod incarceratione sit opus, episcopus culpabilem[5] in carcere detinebit, cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. Prohibemus insuper, ne scolaris pro contracto debito decetero capiatur, cum hoc sit canonicis et legitimis sanctionibus interdictum. Sed nec episcopus vel officialis[6] ejus seu cancellarius penam pecuniariam pro excommunicationis emenda vel alia qualibet censura requiret, nec cancellarius a licentiandis magistris juramentum vel obedientiam seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum seu promissionem recipiet pro licentia concedenda juramento superius nominato contentus. Porro vacationes estive non extendantur decetero ultra mensem, sed vacationum tempore bachellarii si voluerint suas continuent lectiones. Inhibemus autem expressius, ut scolares per civitatem armati non vadant, et turbatores pacis et studii Universitas non defendat. Et illi, qui simulant se scolares, nec tamen scolas frequentant nec magistrum aliquem profitentur, nequaquam scolarium gaudeant libertate. Ad hec jubemus, ut magistri artium unam lectionem de Prisciano et unum post alium ordinarie semper legant, et libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali[7] ex certa causa prohibiti fuere, Parisius non utantur, quousque examinati fuerint et ab omni errorum suspitione purgati. Magistri vero et scolares theologie in facultate quam profitentur se studeant laudabiliter exercere, nec philosophos se ostentent, sed satagant fieri theodocti, nec loquantur in lingua populi et populi linguam hebream cum Azotica confundentes, sed de illis tantum in scolis questionibus disputent, que per libros theologicos et sanctorum patrum tractatus valeant terminari. Preterea de bonis scolarium, qui intestati decedunt vel rerum suarum ordinationem aliis non committunt, sic duximus providendum, videlicet ut episcopus et unus de magistris, quem ad hoc Universitas ordinaverit, recipientes omnia bona defuncti et in loco tuto et idoneo deponentes statuent certum diem, quo illius obitus in patria sua valeat nuntiari, et illi ad quos bonorum ejus est successio devoluta possint Parisius accedere vel idoneum nuntium destinare; et si venerint vel miserint, restituentur eis bona cum cautela que fuerit adhibenda. Si vero non comparuerit aliquis, extunc episcopus et magister bona ipsa pro anima defuncti prout expedire viderint erogabunt, nisi forsan ex aliqua justa causa venire nequiverint successores; et tunc erogatio in tempus congruum differatur. Verum quia magistri et scolares, qui dampnis et injuriis

lacessiti juramento invicem sibi prestito a civitate Parisiensi dissipato studio discesserunt, visi sunt causam agere non tam propriam, quam communem : nos generalis ecclesie necessitate ac hutilitate pensata volumus et mandamus, ut postquam a carissimo in Christo filio nostro .. illustri rege Francorum magistris et scolaribus privilegia exhibita fuerint et de ipsorum malefactoribus emende taxate, Parisius licite studeant nulla prorsus de mora vel reditu infamia vel irregularitate notandi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre provisionis, constitutionis, concessionis, prohibitionis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Laterani id. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 76. Bulla plumbea filis seric. flavi et rubei coloris appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. In aversa membrana legitur charactere cancellariae : « G. de Autisiodoro ». Magister Guillelmus de Autissiodoro morabatur tunc temporis in curia (cf. supra nº 74), eique plures epistolae Gregorii IX pro Universitate debentur. De quo vide *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*, III, 629 sqq. — Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 23, fol. 73. Duo apographa in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 77 (anno 1336 confectum), M. 257ᶜ, nº 1. Cod. Vat. Reg., 406, fol. 6ᵇ. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 8ᵇ. *Magn. Pastor.* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 554. Excerptum anno 1343 factum in Arch. Univ. Paris., theca IV. A. 21. a. — Bulaeus, III, 140.

1. Eadem dictio occurrit in epistolis Philippi de Harvengt. Vide supra parte introd. nºˢ 51 et 52, et infra nº 82. — 2. Originale : ferum. — 3. Orig. : preconatia. — 4. Reg. : videbitis. — 5. Reg. : in carcere culpabilem. — 6. Reg. : officiales. — 7. Vide supra nº 11.

---

80. *Gregorius IX de eodem argumento ad decanum et capitulum Parisiense.*

1231, Aprilis 13, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. decano et capitulo Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius, *etc. sicut in praecedentibus litteris*. Dat. Laterani id. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 257ᶜ, nº 5. Deest bulla plumbea. — *Magn. Pastor.* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 546. *Parv. Pastor.*, ibid., LL. 176, p. 369. — Choppinus, *De sacra politia*, p. 713, perperam refert has litteras fuisse directas ad Johannem cancellarium Parisiensem (cf. etiam Potthast, nº 8708). Insuper cancellarius tunc temporis non erat Johannes, sed adhuc Philippus de Grève.

---

81. *Gregorius IX ad Odonem abbatem S. Germani de Pratis, ut homines de burgo S. Germani pro pace ac securitate scholarium ad ea constringat, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti.*

1231, Aprilis 13, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati Sancti Germani de Pratis Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris sed melioris conditionis apud te ac homines tuos, quam apud alios burgenses civitatis Parisiensis, debeant esse scolares, discretionem tuam monemus attente per apostolica scripta districte

precipiendo mandantes, quatinus homines tuos de burgo Sancti Germani pro pace ac securitate scolarium ad illa constringas, ad que cives Parisienses per regale privilegium [1] sunt astricti, mandatum nostrum taliter impleturus, quod eisdem scolaribus non tam necessitate quam voluntate exhibens te favorabilem et benignum divine ac nostre gratie te reddas merito aptiorem. Dat. Laterani id. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 78. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana: « magistri Alexandri ». Certe iste magister fuit unus ex illis, quos juxta mandatum papae 10 Maii anni 1230 Universitas Parisiensis ad sedem apostolicam pro negotiis suis destinavit. Sicut magistro Guillelmo Autissiodorensi, sic et mag. Alexandro aliquae epistolae apostolicae pro Universitate debentur. Vide notam ad documentum nº 79. — In margine a tergo legitur: « Scribatur conservatori nostro, ut compellat justitiarios habentes homines in civitate Parisiensi et in suburbiis civitatis Parisiensis, quod faciant homines suos jurare sicut tenentur jurare homines regis ». Haec scripta sunt nomine Universitatis Parisiensis, in cujus Archivo hae litterae olim exstabant, quas cum ista petitione Universitas sub Innocentio IV ad apostolicam sedem misit, ut ex litteris hujus pontificis anni 1246, Junii 24, concludere debemus. Vide infra ad nº 113. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 10. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 11. — Bulaeus, III, 144.

1. Per privilegium Philippi Augusti a Ludovico IX renovatum.

---

82. *Gregorius IX Ludovicum regem Francorum hortatur, ut progenitorum suorum exemplar secutus se scholaribus Parisiensibus favorabilem ac benignum exhibeat et eis privilegium Philippi Augusti innovet.*

1231, Aprilis 14, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. illustri regi Francorum salutem et apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius velut altera Cariath Sepher, civitas litterarum, cara claret, magna quidem, sed de se majora facit optari docentibus et discentibus gratiosa, in qua utique tamquam in officina sapientie speciali habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo rite conflatur, ex quibus prudentes eloquii mistici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes et fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, immo nulli pretio comparandis sponsam Christi décorant et decórant. Ibi ferrum de terra tollitur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus et cetera inde fit christiane militie armatura, potens adversus aereas potestates. Et lapis calore solutus in es vertitur, quia corda lapidea Sancti Spiritus afflata fervore dum ardent, incendunt et fiunt predicatione sonora, preconantia laudes Christi. Quare non est dubium, quin Deo et hominibus graviter displiceret, quisquis in civitate predicta gratiam tam insignem niteretur ullatenus disturbare vel disturbantibus se pro viribus non opponeret potenter etiam et patenter. Unde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta, studium enormiter disturbante, questiones ad nos delatas audiverimus diligenter, eas potius provisionis moderamine quam judiciali sententia de fratrum nostrorum consilio duximus sopiendas. Quia vero sicut interest regie celsitudinis, ut in civitate ipsa studium in statum pristinum reformetur, ita et honori tuo expedit et saluti, ut que per nos provisa sunt, affectu et effectu benivolo prosequaris, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatinus progenitorum tuorum sequutus

exemplar exhibens te scolaribus favorabilem et benignum, privilegium clare memorie Philippi regis avi tui eis innoves et observes, et facias ab aliis observari[1]. Hospitiorum quoque taxationem per duos magistros et duos burgenses ad hoc de consensu magistrorum electos juramento prestito fideliter faciendam, sive, si burgenses non curaverint interesse, per duos magistros, sicut fieri consuevit, eis sine difficultate concedas, cum alias nimis cara hospitia conducere cogerentur. Et quia honor regis est, ut justitiam diligens injuriis adverseris, emendam que pro injuriis nuper illatis scolaribus dicitur ordinata, facias adimpleri, preces et monita nostra taliter impleturus, quod propitiationem divinam exinde uberius merearis, et nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare. Dat. Laterani xviij kal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 79. Bulla plumb. filis cannab. appenditur. In aversa membrana legitur « magistri Alexandri ». Infra : R. (Script. in Regesto). Cf. *Archiv f. Litteratur- und Kirchengeschichte*, III, 630 sqq. — Reg. Vat. Gregorii IX. an. 5, ep. 34, fol. 81. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 6. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 7b. — Bulaeus, III, 143.

1. Sed jam anno 1229 privilegium Philippi Augusti renovavit. Supra nº 66. Certe non iterum renovavit privilegium, sed forsitan formulam juramenti a praeposito praestandi praescripsit. Vide nº 67.

---

83. *Gregorius IX magistros Jacobum de Dinant archidiaconum Morinensem et Warnacium canonicum Tervisinum Parisiis commorantem hortatur, ut inquisitionem super domo S. Thomae in Lupara, nisi jam fuerit consummata, ad finem perducant.*

1231, Aprilis 18, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris Jacobo archidiacono Morinensi et Warnacio[1] canonico Tervisino[2] Parisius commoranti salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut intelleximus dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinalis Portuensis electus tunc apostolice sedis legatus super domo Sancti Thome in Lupera venerabili fratri nostro Ardengo[3] episcopo Florentino tunc canonico Papiensi Parisius commoranti et dilecto filio Bituricensi archidiacono inquisitionem commiserit faciendam, licet usque ad conclusionem attestationum fuerit in negocio ipso processum, propter varias tamen occupationes ejusdem legati nondum exinde finalis est secutus effectus. Ne igitur inquisitio inutiliter videatur incepta, nisi fuerit sicut convenit consummata, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus attestationibus ipsis si poterunt inveniri receptis aperiatis easdem, et negocio finem debitum imponatis. Quod si forte inveniri non poterunt, vos inquisitionem iterum facientes procedatis exinde prout secundum Deum videritis procedendum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Laterani xiiij kal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Apographum coaevum in Arch. nat. Paris. M. 67A, nº 21. Pertinebat ad Arch. Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 11; Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 11b. Cod. Vat. Reg. et Bulaeus, III, 146, has litteras ad iiij kal. Maii referunt. Idem Jourdain, nº 40, et Potthast, nº 8730.

1. Cod. Cheltenh. « Warnatio ». — 2. In apogr. : « Tervision. » De isto nomine vide ad litteras sequentes. — 3. De ipso et de Jacobo cf. supra ad nº 61.

84. *Gregorius IX mandat magistris Warnacio Tervisino et Simoni de Alteis Ambianensi canonicis, ut super flagitio, quod decanus et alii de villa S. Marcelli Paris. in occisione scholarium perpetrasse dicantur, sollicite veritatem inquirant.*

1231, Aprilis 18, Laterani.

Magistris Warnacio Tervisino[1] Parisius commoranti et Symoni de Alteis[2] Ambianensi canonicis. Cum intersit reipublice, ne crimina remaneant impunita eo quod facilitas venie incentivum tribuit delinquendi, immane flagitium, quod .. decanus et quidam alii de villa Sancti Marcelli Parisiensis in occisione scolarium perpetrasse dicuntur[3], nolentes relinquere indiscussum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquirentes super hoc sollicite veritatem, que inveneritis nobis per vestras litteras fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum. Dat. Laterani xiiij kal. Maii, anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 39, fol. 82b. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 10b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 11b. Bulaeus, III, 144. Ubique perperam xiij kal. Maii ascribitur. Epistola in codd. Vat. et Cheltenh. scripta est sub rubrica : « Littera concessa tempore occisionis scolarium ab illis de Sancto Marcello ».

1. Cod. Cheltenh. « Warnario Tervisino ». Bulaeus : « Wernerio », Jourdain, nos 37, 40 : « Warvatio », amboque sicut et Potthast, no 8715, scribunt « Tenusino ». Ad Warnacium vel Guarnacium Tervisinum canonicum Parisiis commorantem Gregorius IX saepe dirigit suas epistolas. Cf. Reg. Vat. ejusdem pontificis an. 5, epp. 11,115; an. 4, epp. 8, 38; an. 6, epp. 118, 223, 298, 320; an. 7, epp. 13, 93, 217, 222, 225, 453, *etc.* usque ad an. 12. Et sub Innocentio IV, an. 1 et 5. In quadam bulla originali Gregorii IX., Arch. nat. Paris. L. 242, revera scribitur « Wernerius ». — 2. De isto vide infra no 87. — 3. Hoc evenit mense Februario 1229. Vide supra ad no 62. *Chron. Lemovicense* in *Rec. des Hist. des Gaul.*, XXI, 764, hoc factum perperam ad an. 1230 refert.

---

85. *Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, Gaufrido episcopo Ambianensi, Hugoni de Burgundio mandat ut magistros et scholares Parisienses in suis libertatibus contra turbatores conservent.*

1231, Aprilis 18, Laterani.

.. Archiepiscopo Remensi et .. episcopo Ambianensi et Hugoni de Burgundio quondam archidiacono Remensi. Dilectos filios magistros et scolares Parisienses speciali volentes favore fovere, quem iidem mereri videntur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsos in libertatibus, quas eis indulsimus, conservantes, non permittatis eos contra indulgentias nostras temere perturbari, turbatores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, Presentibus litteris post quinquennium minime valituris. Quod si non omnes, *etc.*, duo vestrum, *etc.* Dat. Laterani xiiij kal. Maii, anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 41, fol. 83.

---

86. *Gregorius IX Petro abbati S. Victoris et priori fratrum Praedicatorum Paris. mandat ut magistros et scholares, qui in sententiam latam Parisiis in provinciali Concilio et alias occasione librorum naturalium inciderint, absolvant.*

1231, Aprilis 20, Laterani.

.. Abbati Sancti Victoris et .. priori fratrum Predicatorum Parisien. Cum salutem animarum querere teneamur, occasiones perditionis cupientes quantum Dominus permiserit amovere, discretioni vestre presentium auctoritate mandamus, quatinus magistros et scolares, qui in sententiam latam Parisius in provinciali Concilio[1] seu in sententiam bone memorie R.[2] tituli Sancti Stephani in Celio Monte presbyteri cardinalis occasione librorum naturalium, qui in eodem Concilio fuere prohibiti, inciderunt, juxta formam ecclesie absolvatis[3], et injuncta eis propter hoc penitentia competenti super irregularitatibus hujusmodi occasione contractis provide dispensetis. Quod si non ambo, *etc.*, alter vestrum, *etc.*, Dat. Laterani xij kal. Maii, anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 40, fol. 82b. — Hauréau in *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 228. Per errorem in Lib. A, fol. 309, in Arch. gener. Ord. Praed., ex quo Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 33, nº 43, epistolam publicavit, vij kal. Maii ascribitur. Epistola ibidem mutilata existit, directa tantummodo « priori fratrum Praed. Paris. », quamvis in fine inveniatur formula « Quod si non ambo ... alter vestrum ». Interpretatio Ripolli (ibid. nota 5) hujus formulae falsa, et tota rubrica e Potthast, nº 8725, eliminanda est.

1. Vide supra nº 11. — 2. Roberti. Cf. supra nº 20. — 3. Adi praeterea litteras sequentes et cf. Rogeri Bacon *Compend. stud. theol.*, apud Charles, *Roger Bacon*, p. 412.

---

87. *Gregorius IX magistris Guillelmo archidiacono Belvacensi, Simoni de Alteis Ambianensi, Stephano de Pruvino Remensi canonicis mandat ut libros naturalium Parisiis in Concilio provinciali prohibitos examinent, et quae ibi erronea seu scandali legentibus illativa invenerint, penitus resecent.*

1231, Aprilis 23, Laterani.

Magistris W. archidiacono Belvacensi, Symoni de Alteis[1] Ambianensi et St. de Pruvino[2] Remensi canonicis. Cum sapientie sacre pagine relique scientie debeant famulari, eatenus sunt a fidelibus amplectende, quatenus obsequi dinoscuntur beneplacitis donantis ut si quid in eis fuerit virulentum vel aliter vitiosum, quo derogari possit fidei puritati, eminus respuatur, quia inventa in numero captivorum mulier speciosa non aliter in domum permittitur introduci, nisi rasa superfluitatis cesarie ac unguibus lacerantibus circumcisis, et ut spoliatis Egyptiis ditentur Ebrei, jubentur vasa aurea et argentea pretiosa non eruginosa enea vel lutea mutuari. Ceterum cum sicut intelleximus libri naturalium, qui Parisius in Concilio provinciali fuere prohibiti, quedam utilia et inutilia continere dicantur, ne utile per inutile vitietur, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta sub obtestatione divini judicii firmiter precipiendo mandamus, quatinus libros ipsos examinantes sicut convenit subtiliter et prudenter, que ibi erronea seu scandali vel offendiculi legentibus inveneritis illativa,

penitus resecetis ut que sunt suspecta remotis incunctanter ac inoffense in reliquis studeatur. Dat. Laterani viiij kal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 58, fol. 90^{b}. — Hauréau in *Notices et extraits des mss.*, XXI, 2, p. 222.

1. In Reg. hic legitur « Auteis », cum alibi « Alteis » inveniatur, scil. an. 5, epp. 39 (supra nº 84), 57. In *Obituario* eccles. Ambian. (Arch. dép. de la Somme, Amiens, *Chartul. VI*, G. 344, fol. 147) ad xiiij kal. Dec. : « Obitus magistri Symonis de Alteia viri litteratissimi, canonici hujus ecclesie », *etc.* Prid. kal. Mart. fiebat « commemoratio patris et matris magistri Symonis de Alteia ». Ibid. fol. 122. — 2. Stephano de Pruvino Michael Scottus olim suam translationem librorum Aristotelis *De coelo et mundo* dedicavit, ut v. g. legitur. Cod. Amplon. Fol., ms. 351, fol. 195; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16156, fol. 3 : « Tibi Stephane de Prouvino hoc opus, quod ego Michael Scotus dedi latinitati ex dictis Aristotelis, specialiter commendo ». Cf. A. Jourdain, *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote*, nouv. éd., p. 127. In *Necrologio eccles. Remens.* invenitur ad vj kal. April. : « Obiit magister Stephanus de Pruvino, archidiaconus Paris. ». Varin, *Archives législat. de la ville de Reims*, 2e part., statuts, 1er vol., p. 74, nota, et p. 63. Vide praeterea documentum anni 1241, Varin, *Arch. administr. de la ville de Reims*, I, 645.

---

88. *Gregorius IX ad Guillelmum episcopum Parisiensem, ut suos homines pro pace ac securitate scholarium ad ea constringat, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti.*

1231, Aprilis 24, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris sed melioris conditionis apud te ac homines tuos, quam apud alios burgenses civitatis Parisiensis, debeant esse scolares, fraternitatem tuam monemus attente per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus homines tuos, quos habes in districtu civitatis Parisiensis, pro pace ac securitate scolarium ad illa constringas, ad que cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti, mandatum nostrum taliter impleturus, quod eisdem scolaribus non tam necessitate quam voluntate exhibens te favorabilem et benignum divine ac nostre gratie te reddas merito aptiorem. Dat. Laterani viij kal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 80. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In margine superiori legitur charactere cancellariae curiae Romanae ejusdem temporis : « scribatur secundum istum tenorem abbati Sancti Germani de Pratis Parisien. »; « sancti Germani de Pratis Parisien. » super rasuram. Ex parte sinistra : « Sym. R. ». In aversa membrana legitur : « magistri Alexandri ». Pertinebat ad Archiv. Universitatis. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 10^{b}. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 11. Bulaeus, III, 144.

---

89. *Gregorius IX decano Suessionensi et mag. Simoni de Alteis mandat ut artium et physicae facultatis magistris, qui in Andegavensi et Aurelianensi civitate licentia obtenta rexerunt et ante discessionem Parisiis examinati erant, libere regendi Parisiis dent facultatem.*

1231, Maii 5, Laterani.

.. Decano Suessionensi et magistro Symoni de Alteis canonico Ambianensi. Cum sicut nobis est pro certo relatum magistri artium et phisice[1] facultatis, qui in Andegavensi vel Aurelianensi[2] civitate licentia obtenta rexerunt, prius a dilectis filiis .. cancellario Parisiensi vel .. abbate Sancte Genovefe aut a magistris discessionis tempore juxta formam a dilecto filio nostro R. Sancti Angeli diacono cardinali Portuensi electo, tunc apostolice

sedis legato, traditam examinati fuissent, quia si eos iterum examinari vel licentiari contingeret, ex hoc posset dissensionis occasio suboriri : volumus et mandamus, quatinus eis pro bono pacis hac vice, ut libere legant Parisius, auctoritate nostra largiamini facultatem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Generales quoque sententias in scolares turbationis tempore promulgatas sine difficultate qualibet relaxetis, et constitutionem illam editam in provinciali Concilio Senonensi[3], videlicet, ut scolares, qui pro suo juramento servando Andegavum accesserunt, fructibus beneficiorum suorum biennio privarentur nec aliquod beneficium conferretur eisdem, in irritum revocetis. Dat. Laterani iij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 57, fol. 90. — Bulaeus, III, 146.

1. Scriptum sine compendio. — 2. Post dispersam Universitatem Parisiensem anno 1229 multi magistri et scholares Andegavum, alii Aurelianum, aliqui Tolosam et fortasse Remos petierunt. Vide Matth. Paris, *Chron. maj.*, ed. Luard, III, 168. *Ann. de Dunstapl.*, ed. Luard, p. 117. Albertus Stad. in *Mon. Germ.*, XVI, 360. *Maj. chron. Lemovic.* in *Rec. des Hist. des Gaul.*, XXI, 764. In ep. Universitatis an. 1254, Febr. 4, sicut et supra et n° 75 tantummodo Andegavum nominatur. — 3. Istius Concilii, quod non ante mensem Junii anni 1229 potuit esse celebratum, nihil pervenit ad nos. Raynaldus, *Ann. eccl.*, ad an. 1228, n° 25, nota 2, mentionem facit Concilii anno praecedenti Senonis congregati.

---

90. *Gregorius IX rogat Ludovicum regem Francorum, ut omni gratia et favore prosequatur magistros Gaufridum Pictaviensem et Guillelmum Autissiodorensem redeuntes Parisios ad regendum a curia Romana, ubi ad reformandum studium morati erant, nec detractoribus eorumdem credat.*

1231, Maii 6, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio illustri regi Francorum salutem et apostolicam benedictionem. Cum debeatur gratia gratiosis ita quod nequeat sine nota negari, eo quod virtus sibi vindicat ubique favorem, honor est bene meritos honoranti, quia titulum nanciscitur bonitatis, qui bonos caritatis amplexatus affectu in hiis sibi complacet similitudinis ratione. Hinc est quod dilectos filios magistros Gaufridum Pyctavensem[1] et Willermum Autisiodorensem, qui vita, scientia et doctrina preclari dum erudiunt plurimos ad salutem tanquam stelle micant in ecclesie firmamento, serenitati regie duximus fiducialiter commendandos, quamquam forte apud te non egeant suffragiis alienis, quos sincere diligere crederis proprie meritis probitatis. Ideoque celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatinus eos de mandato nostro redeuntes Parisius ad regendum benigne recipiens et honeste pertractans ita ipsos tua prosequaris gratia et favore, quod apud Deum meritum et laudes apud homines merearis, nosque pro eis tibi grates referre non immerito debeamus. Ceterum cum hiidem magistri pro reformatione studii ad sedem apostolicam personaliter laborantes honorem regis et regni tractarint nec quicquam fuerint contra moliti, si quid, quod non credimus, ad sugestionem malivolam detractorum contra eos vel magistrum Johannem Pagium[2] suspicionis forsitan concepisti, omnino deponens studeas ipsos propensius honorare, ut et

illis sua mentiatur iniquitas et istis proprie puritatis veritas attestetur. Dat. Laterani ij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 9. In Cod. Cheltenh. deest. — Bulaeus, III, 145.

1. Scilicet illum Gaufridum Pictaviensem, cujus exstat *Summa theol.*, quae incipit : « Ego novissimus omnium evigilavi ». Bibl. capituli Toletani, nº 17-5 (saec. XIII); Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15747; Bibl. d'Avranches, nº 121 (cod. paene coaevus). — 2. Istius magistri in documentis saec. XIII vix vestigium reperire potuimus. In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15652, in quo continentur vulgo dicta Reportata commentaria in Sententias et scripturam sacram, nominatur fol. 34 et 97 ut commentator Sententiarum Pagus, certe idem qui supra memoratus. Cum ipso referuntur ibid. multi alii magistri, quorum scripta super Sententias pertinent sine ulla exceptione ad annos anteriores anno 1250. Hauréau in *Hist. litt. de la France*, XXIX, 564, ad opus Pagi *Appellationes* seu *Syncategoremata*, servatum in Bibl. nat. Paris., mss. lat. 11412 et 15170, animadvertit, sed perperam ad saec. XIII exiens vel XIV auctorem remisit.

---

91. *Gregorius IX ad Blancam reginam Francorum, ut praedictos magistros redeuntes benigne recipiat, nec credat detractoribus.*

1231, Maii 6, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei karissime in Christo filie illustri regine Francorum salutem et apostolicam benedictionem. Cum debeatur gratia gratiosis, *etc. sicut in litteris praecedentibus, hoc excepto, quod post* « pertractans » *haec verba inserantur:* necnon et a karissimo in Christo filio nostro rege Francorum illustri filio tuo in gratia recipi faciens ita ipsos, *etc.* Dat. Laterani ij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 9b. In Cod. Cheltenh. deest. — Bulaeus, III, 145.

---

92. *Gregorius IX scribit decano et capitulo S. Marcelli Parisiensis, ut eorum homines ad ea constringant, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti.*

1231, Maii 6, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. decano et capitulo Sancti Marcelli Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris sed melioris conditionis apud vos ac homines vestros quam apud alios burgenses civitatis Parisiensis debeant esse scolares, devotionem vestram monemus attente per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatinus homines vestros de Sancto Marcello pro pace ac securitate scolarium ad illa constringere procuretis, ad que cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti, mandatum nostrum taliter impleturi, quod eisdem scolaribus non tam necessitate quam voluntate exhibentes vos favorabiles et benignos divine ac nostre gratie vos reddatis merito aptiores. Dat. Laterani ij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 83. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana legitur : « W. de Autisiodoro ». — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 8b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 10b. Apud Bulaeum, III, 144, hae litterae sicut istae ad episcopum Paris. quas supra nº 88 edidimus referuntur ad viij kal. Maii.

93. *Gregorius IX ad Guillelmum episcopum Parisiensem de eodem argumento, quoad homines ejus.*

1231, Maii 6, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris, *etc. sicut supra* nº 88. Dat. Laterani ij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 81. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana legitur : « W. de Autisiodoro ». Istud originale atque sequens pertinebant ad Arch. Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 8b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 10b.

---

94. *Gregorius IX ad Odonem abbatem S. Germani de Pratis de eodem argumento, quoad homines de burgo S. Germani.*

1231, Maii 6, Laterani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati S. Germani de Pratis salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris, *etc. sicut supra* nº 81. Dat. Laterani ij non. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 242, nº 82. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana legitur : « W. de Autisiodoro ». — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 9. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 11.

---

95. *Gregorius IX concedit universis magistris et scholaribus Parisiens., ut per septennium nullus in universitatem magistrorum vel scholarium seu rectorum vel procuratorem eorum in certis casibus excommunicationis, etc., sententiam promulget.*

1231, Maii 10, Laterani.

Universis magistris et scolaribus Parisiensibus. Non decet nos vobis apostolicum negare favorem, quem vobis vestris videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientie, que plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptatis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes, ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est, quod quieti vestre paterna volentes diligentia providere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut nullus in universitatem magistrorum vel scolarium seu rectorum (*sic*) vel procuratorem eorum aut quemquam alium pro facto vel occasione Universitatis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias audeat promulgare absque sedis apostolice licentia speciali, et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita et inanis. Presentibus litteris post septennium minime valituris. Dat. Laterani vj id. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 5, ep. 66, fol. 93b. — Hoc privilegium est primum hujus generis Universitati collatum, quod postea saepe renovatum invenimus. Vide infra nº 113, et documenta ab Innocentio IV edita.

---

96. *Gregorius IX scientiam, strenuitatem militiae, devotionem populi in regno Franciae florentes laudibus cumulat, admonetque Ludovicum regem Francorum, ut injuriam a senescallo Viromandensi in Philippum cancellarium Parisiensem, cujus laus etiam apud exteros late patet, commissam vindicet.*

1233, Februarii 27, Anagniae.

.. Illustri regi Francorum. Thesauros incomparabiles divine munificentie larga manus in regno Gallie tanquam in suo gazofilacio collocavit, quibus orbis illectus ad tui regni confluit regionem mittens ad archarios gaze hujus emptores idoneos, qui has opes conquirant non sine multis impendiis et labore. Nec harum habundantia suo minoratur profluvio, set decisa per rivulos ubertim scaturit et copiosius in fonte redundat. Prius equidem juniores, ut fiant docibiles, in conflatorio liberalium cudunt malleis indefessi exercitii et preparant vasa sua, quibus aquas auriant sapientie salutaris de fontibus Salvatoris. Cumque facti fuerint eruditi corde in sapientia, eructant in populis verba vite, fabulas exsufflant errorum, profligant nenias, et stultorum deliramenta confutant. Ex hiis religiosorum caterve prodeunt venerande, que splendidam faciunt faciem regni tui vernantes undique velut ortus floridus voluptatis et quasi Domini paradisus, a quibus clara soboles diffusa per orbem sparsim ornat climata universa. Clerus quoque, harum opum copia fecundatus, sic vita, scientia et doctrina tuum nobilitat principatum, ut quasi gemmis hinc inde rutilantibus clare splendeat fulgore talium illustratus. Hiis accedit strenuitas militie secularis ad defensionem fidei, justitie atque pacis, que frequentius nobili comitiva subsequitur studia litterarum, prout longeva docet antiquitas apud barbaros, Grecos, et Ytalos, et nunc apud modernos ipsa experientia protestatur. Consequenter implet regni ambitum fervens devotio populorum, qui stabiliti orthodoxe fidei firmitate sic omni honorificentia venerantur et colunt Dei ecclesias et ministros, ut vere celicole censeantur. Tot itaque tamque pregrandes divitiarum copias divino munere ac tuorum patrum diligentia usque ad tue celsitudinis tempora conservatas, ad quarum titulum prefulgentem predives quispiam principum non attingit, tua debet serenitas omni vigilantia custodire in pacis gaudio, libertatis habundantia, et honoris amplissimi dignitate, non patiens ut temeraria manus minuat projenitorum sollicitudine cumulata, necnon prudenter advertens quod in annis teneris ut Salomon regni fastigium ascendisti, qui patris ampliavit regnum divitiis et honore. Sane clamores frequenter nostris auribus inculcantur, quod in quadam parte circumferentie regni tui repullulant hereses et increscunt per incuriam dominorum. Tres etiam cunei domini, claustralium, scolarium, clericorum, frequenter ab impiis impune pulsantur molestiis, premuntur dampnis, contumeliis affliguntur, qui sub typo false justitie suam nequitiam palliantes, et suis vestigiis ficti juris caracterem imprimentes, quasi per fas cum sit nephas premunt et opprimunt non subjectos. Et utinam ab aula regali similis oppressio ad aliquos per prava consilia non procedat! Nunquid, bone rex, sustinebis, ut sic maligni diversimode maculam in gloria

tua ponant, et sensim thesauros tam celebres violent, et diripiendos exponant? Ecce quidem, quod dolentes referimus, quendam tue corone lapidem pretiosum contaminare nisus est et avellere quidam miles E. senescallus Viromandensis, dum dilectum filium P. cancellarium Parisiensem, cujus laus etiam apud exteros late patet, prefocare in choro ecclesie manu sacrilega est conatus, in quem bis irruens, scissis vestibus, sic male tractavit eundem, quod tedet plenius exarare, quia nec nostro vel tuo cedit honori, presertim cum te jubente captus idem sacrilegus post modicum fuerit velut innocens absolutus. Serenitatem itaque regiam rogamus attente et hortamur, quatinus pensata diligentius tanta in tantum et talem virum injuria sic regalis censura corrigat hunc excessum et prescripta in sui roboris dignitate conservet, quod justitia et libertas ecclesie tue magnitudinis tempore non vilescant, nec iniquorum malitia insolescat per licentiam, vel decurrat in posteros per exemplum, sed amplitudine gaudii dilatemur, cum te audiverimus que digna sunt principe operari, et sic fore per omnia orthodoxorum regum filium nobilitate animi atque morum, ut esse probaris alti sanguinis claritate. Dat. Anagnie iij kal. Martii, anno sexto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 6, ep. 346, fol. 99b.

---

97. *Gregorius IX laudibus extollit ecclesiam Gallicanam, et Philippum cancellarium Parisiensem, quem magni facit, contra senescallum Viromandensem defendit.*

1233, Februarii 28, Anagniae.

.. Episcopo Noviomensi[1]. Tanquam sponsa decorata fulgentibus virtutum spiritualium margaritis, et ornata monilibus aureis vermiculatis argento, donorum videlicet ubertate, inter ceteras apostolice sedis filias per secula emicuit ecclesia Gallicana. Ipsa namque lactata uberibus regum et principum aliorumque fidelium cura et diligentia educata magnifice habens domesticos vestitos duplicibus, ipsaque ut filia principis calciata jacintho et discoloribus adornata, grata scilicet religionum varietate circumdata, profecit in regnum, quinpotius facta est in regnis inclita, mirabili speciositate refulgens. Multis quidem referta opibus in immensum possessio ejus crevit, habens salutis divitias sapientie ac scientie cum thesauro timoris Domini, turrem etiam David edificatam cum propugnaculis, ex qua mille clipei et omnis fortium armatura dependet, stipata nichilominus catervis militum, ex quibus juratos et electos tyrones habuit paratos, quotiens opus fuit ubique prelia Domini preliari. Super muros etiam vigiles habuit et custodes, ac fortes ex fortissimis tenentes gladios et sue quietis lectulum ambientes, nec permittentes evigilari dilectam vel ipsam tediosa inquietudine molestari. Quare multa colebatur a suis et exteris reverentia et honore sublimata potenter gloria ecclesiastice libertatis secundum magnificentiam principalem. Nunc autem refrigescente caritate multorum, quinpotius interioribus ferventis austri conversis interdum in latera frigidi aquilonis, commotis

alicubi domus Dei custodibus, nutantibus viris fortissimis, dormitantibus pastoribus et dormientibus paranimphis, armamentarium domus saltus aliquando diripitur et scinditur, obsurdescunt filie carminis, dum precones et vigiles flagellantur, ruunt improbi usque ad sponse thalamum, dum non est qui prohibeat, et ejus laniant ornamenta, pelluntur ministri a domibus et a suis aliquando sedibus sacerdotes Domini propelluntur. Frequenter namque hujusmodi querelas audivimus, sed raro eas debita censura insequitur, ne repullulent spuria vitulamina et radices porrigant in profundum, ne condensentur in saltum et roborentur validius per abusum. Nuper siquidem inter alia quoddam horrendum nobis innotuit, super quo, si te ac alios clericos et laicos, ut deberet, zelus comederet domus Dei, prius ad nos vindicte fama perferri debuit, quam querela, quod videlicet ille preco Domini, qui valenter argentea tuba clamat ad populos, qui sedens in cathedra seniorum, cum linguam habeat eruditam, de sapientia inter perfectos disputat, audientes doctos efficiens doctiores, dilectus videlicet filius Ph. cancellarius Parisiensis Noviomensis archidiaconus, dum vellet .. abbatem Sancti Prejecti apud Sanctum Quintinum Noviomensis diocesis in sua sede juxta officii sui debitum installare, Egidius Fontis Somensis[2] senescallus Viromandensis Noviomensis diocesis cum suis complicibus in ipsum bis irruens dilaniatis ejus vestibus sic turpiter tractavit eumdem, quod referre forsan non expedit, ne relatu quodammodo geminetur injuria, priusquam infamiam sceleris fama obruat ultionis. Nos itaque qui talia dolentes audivimus, nec ea volumus coniventibus oculis pertransire, venerabilibus fratribus nostris .. Remensi et .. Senonensi archiepiscopis et eorum suffraganeis nostris damus litteris in mandatis, ut si est ita predictum senescallum ac suos complices singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis excommunicatos publice nuntient, et tamdiu faciant per suas dioceses nuntiari ab omnibus artius evitandos, donec Deo, nobis, et ecclesie ac passo injuriam super hoc congrue satisfecerint, personaliter ad sedem apostolicam accedentes, et meruerint absolutionis beneficium optinere. Quocirca mandamus, quatinus dictum abbatem, qui a laico excommunicato et sacrilego post appellationem ad nos interpositam ab archidiacono memorato se permisit in cathedra pestilentie installari, ab amministratione dejectum et quatuor de senioribus monachis, qui fuerunt tam detestande presumptionis participes, suspensos ab officio mittas ad nostram presentiam puniendos. Alios autem consimiles monachos ponas in aliis monasteriis ad artam penitentiam peragendam, prout merita exigunt eorundem, contradictores, *etc.* Dat. Anagnie ij kal. Martii, anno sexto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 6, ep. 345, fol. 99. In fine legitur : « In eundem modum scriptum est super hoc .. Remensi et .. Senonensi archiepiscopis et eorum suffraganeis usque *obtinere* ». Archiepiscopus Remensis fuit Henricus de Dreux, Senonensis vero Galterus Cornuti.

1. Nicoloo, ad quem sequentes etiam litterae diriguntur. — 2. Fontaine-sur-Somme.

98. *Gregorius IX Nicolao episcopo Noviomensi et aliis ejusdem dioecesis mandat, ne impediant quominus Philippus cancellarius Parisiensis in archidiaconatu Noviomensi per fratres Praedicatores vel Minores visitationis officium exerceat.*

1233, Martii 7, Anagniae.

.. Episcopo Noviomensi, abbatibus, prioribus, decanis et aliis ecclesiarum rectoribus Noviomensis diocesis. Dilecto filio.. cancellario Parisiensi accepimus intimante, quod cum nos sibi, ut eidem Parisius in theologica facultate regenti, liceat in archidiaconatu Noviomensi, quem canonice optinet, per aliquem probum virum de fratribus Predicatoribus vel Minoribus exercere visitationis officium, et recipere procurationes ratione visitationis ei debitas duxerimus concedendum, quidam vestrum ipsum quominus idem archidiaconatus juxta indulgentiam super hoc concessam sibi valeat visitari pro sue voluntatis libito impedire nituntur non absque apostolice sedis injuria et contemptu. Nolentes igitur ut idem cancellarius, quem reddunt sua merita gratiosum, gratie nostre frustretur effectu, mandamus, quatinus, quominus archidiaconatum ipsum per predictos fratres visitari faciat, et procurationes ratione visitationis sibi debitas recipiat, juxta indulgentie prefate tenorem nullum impedimentum prestetis. Alioquin dilectis filiis .. priori Sancti Juliani Pauperis Parisiensis et magistro Guarnacio canonico Tervisino Parisius commoranti damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monicione premissa sublato appellationis obstaculo auctoritate nostra compellant. Dat. Anagnie non. Martii, anno sexto.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 6, ep. 361, fol. 103. In fine legitur : « Scriptum est super hoc eisdem executoribus », id est illis, qui in fine litterarum nominantur. — Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 97, nº 90.

---

99. *Gregorius IX confirmat statutum card. Romani, apost. sedis legati, ut Tolosae studium generale creetur atque magistris et scholaribus ibidem studentibus concedit eandem libertatem, qua Parisienses utuntur.*

1233, Aprilis 27, Laterani.

Universitati magistrorum et scolarium Tolosan. Olim operante illo qui vult omnes homines salvos fieri et neminem vult perire, per ministerium dilecti filii nostri R. Portuensis electi, tunc in illis partibus apostolice sedis legati, inter ecclesiam et nobilem virum comitem Tolosanum pace preeunte divina gratia reformata idem legatus tam provide quam prudenter attendens quod fides catholica, que pene penitus videbatur de illis partibus profligata, inibi reflorere valeret si illic litterarum studium crearetur, duxit provide statuendum ut in Tolosana civitate cujuslibet licite facultatis studia plantarentur, quorum magistris ut liberius possent vacare studiis et doctrinis a jamdicto comite fuit promissum certum salarium et statutum. Nos igitur quod super premissis factum est gratum et ratum habentes, ut eadem libertate, qua gaudent Parisienses scolares, vos et omnes qui vobis successerint in hac parte perpetuo gaudeatis, devotioni vestre duximus concedendum. Nichilominus ut cives Tolosani domos vacantes ad inhabitandum scolaribus locare sub

competenti pretio taxando a duobus clericis et totidem laicis viris discretis catholicis et juratis communiter electis a vobis locare cogantur, et ut scolares theologie studiis insistentes ac universi magistri in civitate commorantes prefata beneficiorum et prebendarum suarum proventus ac si in ecclesiis in quibus eadem optinent residerent cotidianis distributionibus, que illis qui divinis intersunt officiis assignantur dumtaxat exceptis concedantur integre statuentes. Sancimus preterea quod nulli magistri, scolares vel clerici ac servientes eorum, si, quod absit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico judicentur vel etiam puniantur, nisi forsitan judicio ecclesie condempnati seculari curie relinquantur; et ut laici teneantur in causa qualibet studentibus coram ecclesiastico judice respondere secundum consuetudinem ecclesie Gallicane, nec non et ut comes jamdictus, cives Tolosani, balivi ejusdem comitis et barones terre personis et rebus scolarium ac etiam nuntiis eorumdem securitatem et immunitatem sub jurejurando promittere compellantur et a suis subditis fieri faciant illud idem. Et si qui eos vel eorum nuntios in terris ipsorum pecunia vel rebus aliis spoliaverint, ipsi vel emendari faciant vel emendent. Et ut quicumque magister ibi examinatus et approbatus fuerit in qualibet facultate, ubique sine alia examinatione regendi liberam habeat potestatem. Ad hoc cum sepefatus comes in reformatione pacis se obligaverit prestito juramento, ut certum salarium usque ad certum tempus certo numero magistrorum exolvat, statuimus ut illud sine diminutione qualibet persolvat usque ad terminum constitutum et plenarie satisfaciat de subtractis. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis et constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani v kal. Maii, anno septimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 7, ep. 72, fol. 15b. — Bulaeus, III, 149, ubi sicut apud alios auctores hae litterae ad iij kal. Maii referuntur. In *Hist. de Languedoc*, éd. Privat, VII, 434, directae sunt ad archiepiscopum Narbonensem et episcopos Tolosanum et Carcassonensem, iv. kal. Maii. Circa idem argumentum Gregorius papa ij kal. Maii scripsit Raimundo comiti Tolosano. Cf. D'Achery, *Spicil.* (Paris. 1723), III, 605; Bulaeus, III, 150.

---

100. *« Procuration de l'Université pour poursuivre un procès qu'elle avoit à l'encontre des religieux de Saint-Thomas du Louvre devant les juges délégués par sa Sainteté, en date de l'an 1233, la veille de saint Simon et saint Jude. »*

1233, Octobris 27, [Parisiis].

Arch. Univers. Paris. *Registr. Universit.*, nos 97 et 98 (Inventaire des anciens titres qui sont dans les Archives de l'Université), B. 9. b. Documentum ipsum jam desiderabatur tempore quo Reg. 98 confectum est, in margine enim notatur « deest ». — Jourdain, no 46.

---

101. *Gregorius IX Guillelmo episcopo Parisiensi privilegium ab ipso Universitati Tolosanae concessum non derogare statutis Parisiensis Universitatis significat.*

1234, Aprilis 3, Laterani.

.. Episcopo Parisiensi. Licet olim universitati magistrorum et scolarium Tolose studentium duxerimus indulgendum, ut quicumque magister ibidem probatus et exami-

natus fuerit in qualibet facultate, ubique sine alia examinatione regendi liberam habeat potestatem, nolumus tamen per hoc consuetudini et statutis Parisius studentium derogare, mandantes ut sicut hactenus sic decetero circa examinationem magistrorum inviolabiliter Parisius observetur, predicta indulgentia non obstante. Dat. Laterani iij non. Aprilis, anno octavo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 8, ep. 13, fol. 171[b]. — Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 363.

---

102. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Jordano celebrati de mittendis fratribus Parisios ad studendum.*

1234, mense Junio, Parisiis.

Tres fratres tantum mittantur ad studium Parisius de provincia.

Cod. Rutenen. Constitutiones Ord. Praed. continens. (saec. XIII-XIV) et ad ipsum ordinem pertinens. — *Archiv für Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 226, nº 36. — Haec ordinatio exstat in appendice Constitutionum anni 1228, quae appendix facta est 1229-1236. In cap. gener. anni 1236 dicitur : « Item approbamus ordinationem studii factam in penultimo capitulo Parisius celebrato ». Cap. penultimum locum habuit anno 1234; acta hujus capituli mutilata ad nos pervenerunt.

---

103. *Gregorius IX Odoni abbati et conventui S. Germani de Pratis remittit pensionem P. scholari nato Sixti civis Romani persolvendam.*

1234, Augusti 11, Spoleti.

.. Abbati et conventui Sancti Germani[1] de Pratis Parisiensis. Qui suppressa veritate a nobis litteras impetrant, cum veritas patefacta fuerit, cavent commodo earumdem, non nobis sed sibi debent potius imputare. Sicut enim ex parte vestra fuit propositum coram nobis, cum quatuor tam clericis quam laicis ad mandatum nostrum in annuis pensionibus duxeritis providendum, P. scolaris natus dilecti filii Sixti civis Romani nulla de hiis habita mentione nostras ad vos super annua pensione viginti librarum parisiensium donec sibi provisum esset in beneficio litteras impetravit, dilecto filio .. cantore Trecensi sibi super hoc executore concesso. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum monasterium vestrum in provisione pensionum hujusmodi pene importabiliter sit gravatum, providere super hoc vobis misericorditer dignaremur. Vestris igitur supplicationibus inclinati auctoritate presentium vos a provisione ipsa reddimus absolutos optentis super hoc a nobis litteris penitus revocatis. Dat. Spoleti iij id. Augusti, anno octavo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 8, ep. 189, fol. 190[b].

1. Miniator seu rubricator Regesti perperam scripsit : « Abbati et conventui S. Genovefe de Pratis Paris. » In margine Regesti recte ut supra inscriptio indicatur.

---

104. *Gregorius IX doctoribus et scholaribus Parisiensibus nuntiat se edidisse volumen Decretalium a fratre Raimundo redactum, et praecipit ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scholis.*

1234, Septembris 5. Spoleti.

[Gregorius episcopus servus servorum Dei] dilectis filiis doctoribus et scolaribus universis Parisius commorantibus [salutem et apostolicam benedictionem]. Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos[1] et modestos, sed effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis emula, mater litium, materia jurgiorum, tot cotidie nova litigia generat, ut nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret et questiones ipsius implicitas explicaret, jus humani federis litigatorum abusus extingueret, et dato libello repudii concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non ledat, jus suum cuique tribuat, informatur. Sane diversas constitutiones et decretales epistolas predecessorum nostrorum in diversa dispersas volumina, quarum alique propter nimiam similitudinem, et quedam propter contrarietatem, nonnulle etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere videbantur, alique vero vagabantur extra volumina supradicta, que tamquam incerte frequenter in judiciis vacillabant, ad communem et maxime studentium utilitatem per dilectum filium fratrem Raymundum, capellanum et penitentiarium nostrum, in unum volumen resecatis superfluis providimus redigendas, adicientes constitutiones nostras et decretales epistolas, per quas nonnulla, que in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scolis, districtius prohibemus, ne quis presumat aliam facere absque auctoritate sedis apostolice speciali. Dat. Spoleti non. Septembris pontificatus nostri anno octavo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 8, ep. 218, fol. 206 b. In fine : « In eundem modum scriptum est pluribus aliis ». — Litterae praefixae collectioni Decretal. (ubique sine temporis nota) in Bibl. d'Amiens, nº 359 (in nº 358 sicut et in Bibl. d'Arras, nº 793, legitur : « Parisius Bononieque commorantibus »). Bibl. Brug., nº 359. Arch. S. Petri de Urbe, G. 16. Bibl. Trecens., nº 247. Bibl. Remens. ms. 544(538); 539/533, ubi ad « Parisius » adjungitur : « et ubicunque ». Bibl. nat. Paris., mss. lat. 11716, 15405-15407, *etc.* Arch. S. Petri Salisburg., ms. a. XII. 13 (a. XII. 2 « Bononie et Parisius »); Cod. Vat. Palat. 635. Bibl. Duacens., mss. 599, 602, 603. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 69, nº 110. Jourdain, nº 47, notavit ex Bulaeo, III, 153, tantummodo epistolam ad doctores et scholares Bononienses directam et perperam anno 1235 adscriptam.

1. In Reg. « pacifos ».

---

105. *Gregorius IX ad decanum, archidiaconum et officialem Autissiodorenses super assignatione domorum quarundam decani Parisiensis, qui inter caetera judices partis cancellarii Parisiensis suspectos habuit, eo quod, cum Parisienses scholares existerent, ratione jurisdictionis ordinariae, quam obtinet in eisdem, subjecti erant cancellario.*

1234, Novembris 18, Perusii.

.. Decano .. archidiacono et .. officiali Autisiodorensibus. Accedens ad sedem apostolicam dilectus filius .. decanus Parisiensis sua nobis relatione monstravit, quod vacantibus domibus, que fuerunt quondam magistri Philippi Fortis Brachii ecclesie Parisiensis cano-

nici, ipse nostras ad venerabilem fratrem nostrum .. Parisiensem episcopum et ejus collegas impetravit litteras, continentes ut non obstantibus litteris a magistro Jordano Parisiensi canonico super providendo sibi de domibus in eodem claustro a sede apostolica impetratis, cum decanus idem secundum ecclesie jamdicte consuetudinem, de qua non faciebant ipse littere mentionem, foret in assecutione domorum cuilibet canonico preferendus, si domus predicte rite concesse alii non fuissent, easdem eidem decano juxta eandem consuetudinem facerent assignari, et si forsan decanus ipse domos prescriptas obtinere non posset, facerent ei de aliis provideri cum se facultas offerret, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Cum autem judices antedicti Parisiense capitulum super concedendis eidem decano domibus sepefatis moneri fecissent, omnes in hoc, .. cancellario Parisiensi, .. thesaurario Noviomensi et magistro Petro de Papa canonico ecclesie nominate dumtaxat exceptis, liberaliter consenserunt. Cumque postmodum duo premissorum judicum, tertio cum posset interesse nolente, subdelegassent duobus aliis in memorato negotio totaliter vices suas, ac iidem subdelegati contradictores prefatos ad suam presentiam peremptorie citavissent, et illi nec per se nec per procuratorem idoneum prout debuerunt curassent coram eis in prefixo sibi termino comparere, subdelegati predicti decanum eundem, cum totum capitulum predictum, exceptis tribus nominatis superius, consensisset in possessionem predictarum domorum induci fecerunt, in contradictores quoslibet excommunicationis sententiam proferendo. Postmodum vero decanus ipse ad .. magistrum scolarum, et .. capicerium Sancti Aurelii contra dictos adversarios suos et Aubertum de Nemosio concanonicum eorumdem, qui tunc temporis absens illis adhesit postea in hac parte, alias litteras impetravit, per quas mandabatur eisdem, ut eos a contradictione hujusmodi per censuram ecclesiasticam cohercerent, a quibus cum earum auctoritate partes citate fuissent, et ipsius decani adverse parti petitio presentata, sepefatus cancellarius et ejus socii ad supradictum Parisiensem episcopum et ejus conjudices quasdam obtentas a nobis super eodem negotio exhibuerunt litteras, in quibus, tacito quod ipsis exceptis in concedendis ei sepedictis domibus totum dictum capitulum consensisset, suggestum nobis fuit, quod suprascriptus cancellarius et quidam alii ecclesie antedicte canonici defensores pro jure capituli super consuetudinem, quam idem allegabat decanus coram jamdictis subdelegatis, se duxerant presentandos, et quod iidem iniquam contra eos diffinitivam sententiam promulgarant, a qua fuerat ex parte ipsorum ad sedem apostolicam appellatum, nominato quoque Parisiensi episcopo committente officiali suo in prenotato negotio vices suas. Qui et reliqui ejusdem episcopi conjudices, cum partes ad suam presentiam citavissent, et pars decani petitionem partis adverse in scriptis petierit sibi dari, judices ipsi juris ordine non servato illam exhibere noluerunt eidem, nisi primitus acta priorum judicum, a quibus dicebatur appellatum fuisse, in eorum presentia exhiberet, certum ad hoc sibi terminum prefigendo, licet decanus ipse nondum usus fuisset eisdem nec uti proponeret coram eis.

Adjecit insuper decanus idem, quod duos judicum ipsorum habebat ea ratione suspectos, quod, cum Parisienses scolares existerent, ratione jurisdictionis ordinarie quam obtinet in eisdem subjecti erant cancellario memorato, alter quorum etiam ipsius cancellarii scolaris existit, reliquus vero preter hoc, quod magistro Petro de Papa est adeo familiaritate conjunctus, quod merito posset esse suspectus eidem, finibus judicis non contentus advocato ipsius decano de quo si non haberet providere deberet eidem, quod ei cum tempus adesset noceret modis omnibus quibus posset est publice comminatus, propter quod ipse decanus judicum eorumdem tanquam sibi merito suspectorum examen cupiens declinare, arbitros, coram quibus recusationis causas probare valeret, ab eis petiit sibi dari, quos quia iidem ei concedere noluerunt, ipse se sentiens injuste gravari nostram audientiam appellavit. Sed dicti judices legitima ejus appellatione contempta in ipsum post iter arreptum ad sedem apostolicam veniendi, prout fuit significatum eidem, suspensionis sententiam ab officio et beneficio protulerunt. Quare a nobis decanus ipse humiliter postulabat, ut, cum equitati contrarium videatur, quod idem, qui ratione officii sui ad residentiam in Parisiensi ecclesia faciendam juramento tenetur, ad quod canonici ejusdem ecclesie non usque adeo sunt astricti, domibus careat, fere omnibus aliis pro majori parte in claustro domos obtinentibus memorato, providere sibi super hoc de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur sicut convenit attendentes, quod pondus et pondus, mensura et mensura utrumque sit abhominabile apud Deum, necnon et quoniam decanus prefatus carens domibus in ecclesia prout ad officium suum pertinet residere non valeat sepedicta, eidem relaxata dicta suspensionis sententia ad cautelam premissas domos reservata partibus consuetudinis questione concessimus de gratia speciali, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatinus eumdem domorum ipsarum faciatis auctoritate nostra sub cujuslibet appellationis obstaculo pacifica possessione gaudere. Contradictores, *etc.* Nolumus autem quod per occasionem hujusmodi gratie capitulo Parisiensi contra successorem predicti decani vel ipsi successori contra capitulum aliquod prejudicium in posterum generetur. Quod si non omnes, *etc.* Dat. Perusii xiiij kal. Decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 8, ep. 323, fol. 232b. — De Philippo Fortis Brachii cf. Guérard, *Cart. de Notre-Dame*, IV, 135 sq. Decanus tunc fuit Lucas de Lauduno.

---

106. *Gregorius IX scribit Philippo Aurelianensi episcopo, in civitate Aurelianensi posse leges legi et audiri, etiamsi id Parisiis sit prohibitum.*

1235, Januarii 17, Perusii.

.. Aurelianensi episcopo. A nobis tua fraternitas postulavit, ut cum prohibitum sit, ne leges legantur Parisius[1], et in Aurelianensi civitate plures legum doctores et scolares etiam commorentur, utrum id tolerare valeas per nostras te litteras edocere benignius dignaremur. Nos igitur tuam super hoc prudentiam commendantes mandamus, quatinus

scolares prefatos, archidiaconis, decanis, archipresbyteris et aliis personis ecclesiasticis curam animarum habentibus dumtaxat exceptis, libere leges ibidem audire ac docere permittas. Dat. Perusii xvj kal. Februarii, anno octavo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 8, ep. 420, fol. 252b. — De sensu hujus insignis epistolae vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, XXV, 252 sq.

1. Vide supra nº 32, p. 92.

---

107. *Gregorius IX mandat Ranulpho Corisopitensi et Cadioco Venetensi episcopis ut G. archidiaconum Corisopitensem, qui in jure canonico Parisiis docuit et sufficiens est ad docendum in theologia, super irregularitate dispensent.*

1235, Novembris, 28, Viterbii.

.. Corisopitensi et .. Veneteusi episcopis. Etsi lex canonum nonnullos corpore vitiatos interdum ministerio altaris subducat, longe tamen diversum est si se tales volentes absciderint quam si casu aliquo dummodo operi licito curam impenderent abscidantur, ut in illis attendatur voluntas que ausa fuit sibi ferrum inicere, in istis vero casus veniam mereatur. Ex parte siquidem dilecti filii G. archidiaconi Corisopitensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum olim eo in annis puerilibus constituto, quoddam lignum super quartum dextere sue digitum qui medius[1] dicitur fortuito casu cadens, eundem digitum sic contuderit quod partem ipsius amniserit per imperitiam medicorum, et talis deformitas non existat quod ex hoc quin possit promoveri ad sacros ordines vel assumi ad dignitates ecclesiasticas debeat impediri, nec etiam scandalum vel periculum aliquod formidari, providere super hoc sibi misericorditer dignaremur. Nos igitur, attendentes laudabile testimonium, quod ei de vite munditia, honestate morum et litterarum scientia perhibetur, cum sic scientia preditus asseratur, ut in jure canonico Parisius docuerit et sit sufficiens ad docendum in theologica facultate, propter quod dignum se reddidit ad gratiam obtinendam: ipsius devotis supplicationibus inclinati mandamus quatinus si deformitatem seu debilitatem non habet unde scandalum vel periculum generetur consideratis circumstantiis universis agatis super hoc cum eo auctoritate apostolica dispensando prout honori et decori ecclesie videritis expedire. Dat. Viterbii iiij kal. Decembris, anno nono.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 9, ep. 290, fol. 85b.

1. Reg. « medicus ».

---

108. *Disputatio coram Guillelmo episcopo Parisiensi in congregatione magistrorum theologicae facultatis Parisiis habita de pluralitate beneficiorum.*

Ann. 1235-1238.

Volo, ut quicumque hec legerit, sciat, me anno ab incarnatione Domini MCC tricesimo octavo fuisse Parisius, ubi venerabilis Guillelmus episcopus, qui in theologia jam rexerat, convocationem fecerat omnium magistrorum in capitulo fratrum Predicatorum.

Proposita ergo questione de pluralitate beneficiorum, solerti et valde longa disputatione probatum est, duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras parisiens. teneri cum salute anime non posse. Hoc determinavit predictus episcopus; hoc frater Hugo Ord. fratrum Predicatorum[1], postmodum Romane curie cardinalis, hoc frater Guerricus[2] et frater Gaufridus[3] ejusdem Ordinis, frater Johannes de Rupella[4], Ord. fratrum Minorum, et alii quamplurimi magistri theologie determinaverunt in scolis propriis successive. Fuerat autem habita disputatio longa valde et multo solempnior ante annos tres[5], in qua etiam omnes magistri theologie, exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia quod et supra : quorum unus fuit magister Philippus, cancellarius Parisiensis, et alter magister Arnaldus[6], postmodum Ambianensis episcopus.

Thomas Cantimpratanus, *Liber de apibus*, l. 1, c. 20, in Cod. Vat. lat. 4846, fol. 17. Bibl. Univers. Bonon., ms. 1674, fol. 14. Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3585, fol. 14[b]. Bibl. Remensis 582/571, fol. 30[b]. — Ed. Duaci 1627, lib. 1, c. 19, nº 5, p. 67.

1. Hugo de S. Charo fuit c. 1230 Parisiis secundus magister actu regens ex Ord. Praed. (cf. *Arch. f. Litt. u. Kirchengesch. d. Mittelalt.*, II, 173 sq.). Ut taceam de ejus commentariis in S. Scripturam omnibus notis, de Correctorio, Concordantiis aliisque, tantummodo refero, ipsum fuisse unum ex primis commentatoribus Sententiarum, et unum ex ultimis, qui usi sint « materia super librum Sententiarum, quam fecit magister Petrus manducator » (Bibl. acad. hist. nac. Matrit., nº F 208, saec. XII-XIII, fol. ult. De ipso vide supra parte introd. ad nº 8), et Glossis Petri Pictavensis super Sent. (inter alia Bibl. nat. Paris., ms. lat. 14423, fol. 41; Barcelona, Arch. de la Corona de Aragon, Ripoll, nº 76). Hugonis Commentarius incipit : « Juxta sanctorum traditionem quedam que unum sunt » (Bruxellæ, ms. 11422-23; Basileae, B, II, 20; Lipsiae, Bibl. Univers. nº 573, *etc.*). An. 1244 Maii 28 creatus est cardinalis, et est primus ex Ordine. — 2. De isto magistro vide Quétif-Echard, I, 113. Lecoy de la Marche, *La chaire franç. au moyen âge*, 2º éd., p. 508. — 3. Gaufridus de Blevello (qui non debet confundi cum Gaufrido de Bello Loco). Cf. Quétif-Echard, I, 127. Iste magister sicut etiam Guerricus nominatur a Stephano de Salanhac. — 4. Discipulus Alexandri de Hales et primus frater Ord. Min., qui Parisiis recepit licentiam docendi. Cf. supra ad nº 76 et Sbaralea, *Suppl. ad SS. Min.*, p. 458, et infra ad an. 1245, Sept.-Oct. Celebris est ejus *Summa de anima* (ed. a P. Marcellino da Civezza. Prati, 1882). — 5. Id est c. an. 1235. Disputationi anni istius Philippus cancellarius, qui in fine anni 1236 obiit, interfuit. — 6. Potius Arnulphus, qui an. 1236 vel 1237 in episcopum Ambianensem electus est.

---

109. « *Gregorius IX mandat episcopo Silvanectensi*[1] *ut inducat abbatem*[2] *et conventum S. Germani de Pratis, quatinus pro Minoribus vendant de terris suis infra et extra muros ad domum construendam*, etc., *juxta quod ipse papa ab eis requisiverat, et incipit (bulla) :* Circa dilectos filios, *sui pontificatus anno x.* »

An. 1236.

Vide notam ad regestum subsequens.

1. Adamo de Chambly. — 2. Simonem.

---

110. « *Gregorius IX mandat abbati et capitulo Benedictinorum S. Germani de Pratis, quod ad determinationem et judicium episcopi Silvanectensis vendant de suis terris pro constructione conventus Minorum, et incipit (bulla) :* Habetur in approbata consuetudine. *Non bene legitur, ubi fuerit haec bulla concessa, sed iij non. Junii, pontificatus sui anno x.* »

1236, Junii 3, Interamnae.

Haec duo regesta leguntur in libro « *Repertorium seu inventarium eorum, quae in bullis summorum pontificum in favorem totius ordinis et potissimum huius conventus* (Minorum Paris.) *concessis continentur* », quod anno 1637 confectum est a fr. Claudio le Petit. Arch. nat. Paris. L. 941, nº 1. Epistolae ipsae ad nos non pervenerunt. Cf. ad haec Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 299, nºs 4-6.

111. *Gregorius IX permittit Radulpho abbati et conventui monasterii S. Victoris, ad quod pro recipienda poenitentia scholares studentes Parisiis recurrunt, habere magistrum theologum.*

1237, Januarii 26, Interamnae.

.. Abbati et conventui monasterii Sancti Victoris Parisiensis. Animarum lucra querentes et regularis diligentes ordinis honestatem libenter hiis cooperantia providemus maxime requisiti, ut et nos ipsi cooperatores sicut pastorale officium exigit existimamus. Ex parte siquidem vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum animarum vestrarum et aliorum saluti expedire credatur, quod debeatis in divina pagina erudiri quia frequenter per fratres vestros in parrochialibus ecclesiis ad monasterium vestrum spectantibus pabulum verbi Dei oportet necessario ministrari, ad quos pro recipienda penitentia scolares studentes Parisius sepe recurrunt[1] ac nonnulli alii de suorum prelatorum assensu ad ipsos accedunt pro consilio salutari, habendi magistrum theologum in prefato monasterio, qui in theologica doceat facultate, vobis quibus non est tutum per civitates et villas discurrere licentiam concedere deberemus, presertim cum statuta ordinis vestri permittant[2], ac predicti monasterii consuetudo licet aliquandiu extiterit intermissa requirat, ut sacre lectionis doctrine in claustro vacetis. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestre auctoritate presentium concedimus postulata. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Interamne vij kal. Februari, anno decimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 10, ep. 330, fol. 221[b].

1. Vide etiam supra n° 45, p. 103. — 2. Reg. : permittat.

---

112. *Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, episcopo Arnulpho et decano Ambianensibus mandat ut magistros et scholares Parisienses in suis libertatibus contra turbatores conservent.*

1237, Junii 12, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi et .. episcopo et dilecto filio .. decano Ambianensibus salutem et apostolicam benedictionem. Dilectos filios magistros et scolares Parisienses, *etc. sicut supra* n° 85. Dat. Viterbii ij id. Junii, pontificatus nostri anno undecimo.

Litterae insertae instrumento an. 1318 confecto in Arch. Univ. Paris. theca IV. A. 18. a. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 11. Deest in cod. Cheltenham. *Parv. Pastor.* in Arch. Paris. LL. 176, p. 359. Bulaeus, III, 159. Apud Jourdain n° 48 errore typograph. legitur « an. V. »

---

113. *Gregorius IX concedit universis magistris et scholaribus Parisiensibus ut per septennium nullus in universitatem magistrorum vel scholarium seu rectorem vel procuratorem eorum in certis casibus excommunicationis, etc., sententiam promulgare audeat.*

1237, Junii 12, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos vobis apostolicum negare favorem, quem vestris videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientie, quod plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptatis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est, quod nos quieti vestre paterna volentes diligentia providere auctoritate vobis presentium indulgemus, ut nullus in universitatem magistrorum vel scolarium, seu rectorem[1] vel procuratorem eorum, aut quemquam alium pro facto vel occasione Universitatis excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias audeat promulgare absque sedis apostolice licentia speciali, et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita et inanis, presentibus litteris post septennium minime valituris. Dat. Viterbii ij id. Junii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 243, nº 105, olim in Arch. Univers. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. A tergo supra in parte sinistra : « Petatur renovatio cum perpetuitate ». Infra : « Petunt sigillum ad causas, non ad contrahendum mutuum, sed ad tractatus negotiorum suorum. Hec littera est in manu auditoris contradictarum, quam petunt absolvi. Pro hiis duobus scribunt de novo magistri iiij^or^ facultatum ». Postea alia manus coaeva adjunxit : « vel procuratorem eorum seu rectorem cujuscunque aut quarumcunque rector fuerit facultatum, *etc.* » Deinde : « Scribatur Remensi archiepiscopo, episcopo et decano Silvanecten. pro conservatione privilegiorum Universitatis Paris. et aliorum bonorum, que diete Universitati concessa sunt et dicuntur pertinere ». Haec scripta fuerunt anno 1246, antequam Innocentius IV litteras Gregorii IX innovavit et usum sigilli concessit. Universitas misit originale praedictarum litterarum ad Innocentium IV cum petitionibus in parte aversa scriptis. Verba « vel procuratorem ... facultatum » debebant indicare, « seu rectorem vel procuratorem eorum » in litteris Gregorii, utpote expressio tunc minus correcta, mutari debere secundum expressionem a magistris indicatam, sicut Innocentius IV revera anno 1246, Octob. 23, fecit. Vide infra. Sic etiam Innocentius IV sub eadem temporis nota archiepiscopo Remensi, episcopo et decano Silvanectensibus ut conservatoribus privilegiorum scripsit petitionibus Universitatis annuens. Ad haec vide *Arch. für Litterat.- und Kirchengesch. des Mittelalt.*, III, 624 sqq. — Apographum anni 1244 in Arch. Univ. Paris. theca IV. A. 19, h. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 11[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 12. cum rubrica : « Ut nullus in Universitatem, rectorem seu procuratores ejusdem aliquam sententiam audeat promulgare ». Bulaeus, III, 159.

1. Cf. ad hoc supra nº 95.

---

114. *Gregorius IX Galtero archiepiscopo, archidiacono et praecentori Senonensibus mandat ut religiosos illos et clericos, qui domos suas taxari minime patiuntur, ad hoc compellant.*

1237, Junii 15, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis .. archidiacono et .. precentori Senonensibus salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii magistri et scolares Parisienses sua nobis petitione monstrarunt, quod cum olim iidem in solvendis hospitiorum suorum pensionibus intolerabiliter gravarentur, tandem de consensu et voluntate carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie deliberatione provida taxatores ad hoc viros providos deputarunt[1]. Verum quia nonnulli

religiosi et clerici seculares, qui domos habent Parisius, taxari domos ipsas minime patiuntur, propter quod grave scandalum oritur inter cives, provideri super hoc per sedem apostolicam petierunt. Cum igitur indignum sit, ut iidem religiosi et clerici super hoc exhibeant se difficiles, in quo alios, precipue laicos, decet benivole eos prevenire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita, taxatores idoneos in eorundem religiosorum et clericorum domibus auctoritate apostolica deputetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater archiepiscope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Viterbi xvij kal. Julii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 19. a. Restant fila cannab. In aversa membrana legitur : « Petatur renovatio universitatis ». Innocentius IV hoc privilegium revera renovavit an. 1245, Martii 5. — *Parvum Pastorale* in Arch. nat. Paris LL. 176, p. 368. Apographum litterarum anni 1244 in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 19. b. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 11[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 12[b]. Bulaeus, III, 160.

1. Cf. ad hoc litteras Gregorii IX, supra nº 82.

---

115. *Gregorius IX Petro Meldensi et Arnulpho Ambianensi episcopis mandat ut diligenter inquirant super facto Guillelmi episcopi, qui vacante cancellaria licentiam regendi in decretis concessit, et ejus officialis, qui magistros et scholares excommunicavit.*

1237, Augusti 4, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Meldensi et .. Ambianensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Exposita nobis magistrorum et scolarium Parisiensium petitio continebat, quod cum eis a sede apostolica sit indultum, ut nulli scolarium dari debeat licencia Parisius ad regendum in aliqua facultate, nisi prius Parisiensis cancellarius, qui pro tempore fuerit, ad quem licenciare tales pertinere dinoscitur, presentibus duobus magistris regentibus, quod bona fide secundum suam conscientiam licentiam eandem concedat inquisitione primitus habita infra tres menses de vita, scientia, spe ac proposito proficiendi et aliis omnibus, que requirenda sunt circa hujusmodi, prestiterit juramentum, nuper cancellaria Parisiensis vacante[1] venerabilis frater noster .. episcopus Parisiensis premissis omnibus pretermissis et eisdem magistris reclamantibus et invitis, quibusdam scolaribus in decretis regendi concessit licentiam pro sue libito voluntatis in eorum prejudicium et gravamen, propter quod ex parte ipsorum fuit ad nostram audientiam appellatum. Set officialis ejusdem episcopi appellatione hujusmodi contempta in eosdem magistros et quosdam alios, qui principiis licentiatorum a dicto episcopo renuerant interesse, de facto cum de jure non posset excommunicationis sententiam promulgavit. Quare super hoc petierunt sibi salubriter provideri. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si res ita se haberet, ab eisdem

magistris et scolaribus sufficienti et ydonea cautione recepta, quod si constiterit predictam sententiam rationabiliter esse latam, super hiis pro quibus lata extitit dicti episcopi mandato parebunt, relaxantes ipsam juxta formam ecclesie ad cautelam, audiatis, si quid fuerit questionis, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Alioquin sententiam ipsam sicut rationabiliter est prolata faciatis eadem auctoritate usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari nullis litteris veritati et justicie prejudicantibus a sede apostolica impetratis. Dat. Viterbii ij non. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 12. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 12. — Apud Jourdain, nº 51, ex Bulaco, III, 160, « nonas Augusti ».

1. Vide infra nº 121. Cancellarius Philippus de Grève obiit 23 Dec. 1236, cui successit anno 1237 magister Guiardus Laudunensis, ad quem ut cancellarium directae sunt litterae Gregorii IX iij kal. Junii an. 11 (30 Maii 1237; Reg. Vat. Greg. an. 11, ep. 108). Mag. Guiardo anno 1238 ad sedem episcopalem Cameracensem evecto cancellariae munus obtinuit magister Odo de Castro Radulphi, qui 24 Maii 1237 in ep. 70 adhuc una cum cancellario nominatur, mense Junio an. 1238 vero jam cancellarius fuit. Guérard, *Cart. de Notre-Dame*, II, 422. Ad haec vide *Chronique rimée* de Philipp Mousket in *Rec. des Hist. des Gaul.*, XX, 61 sq.; Albricum Trium Fontium in *Mon. Germ.*, XXIII, 940, 942; Valois, *Guillaume d'Auvergne*, p. 36, nº 1.

---

116. *Gregorius IX scholares Parisienses monet ut Joanni de Gualfredo pecuniae summam persolvant, quam procuratoribus eorum mutuo dederat.*

1237, Augusti 8, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis scolaribus Parisius commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Johannes de Gualfredo Romanus et Florentinus civis exposuit coram nobis quod cum ipse olym tempore bone memorie H. pape tertii predecessoris nostri quatuor procuratoribus vestris apud sedem apostolicam constitutis pro quibusdam vestris negotiis procurandis quandam summam pecunie mutuarit, licet quedam pars ipsius ei fuerit persoluta, nondum tamen de alia sibi extitit satisfactio, propter quod dampna gravia et expensas se asserit incurrisse. Cum autem a bone memorie magistro Willermo archidiacono Belvacensi, qui in contractu ipsius mutui presens fuerat apud sedem apostolicam constituto, idem civis sibi de predicta reliqua pecunia satisfieri postularit, dictus magister tandem in bone memorie B.[1] tituli Sancte Pudentiane presbyteri cardinalis presentia recognovit, quod vos eidem civi tam pro sorte quam pro dampnorum et expensarum satisfactione in nundinis Latiniacensibus[2] argenti teneremini exsolvere centum marchas; set eodem elapso termino non fuit ei de dicta pecunia satisfactum. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ei de pecunia ipsa cum justis et moderatis expensis et debita restauratione dampnorum usuris omnino cessantibus satisfacere procuretis, alioquin, cum nolimus civi prefato in suo jure deesse in quo sumus omnibus debitores, dilecto filio magistro Benedicto de Guartino scriptori nostro damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id per cen-

suram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Dat. Viterbii vj id. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 12b. — Jourdain, nº 52. — De isto contractu hic memorato vide infra nº 330. In cod. Cheltenh. deest documentum supra publicatum.

1. Bartholomaei. — 2. La foire de Lagny.

---

117. *Gregorius IX magistris et scholaribus Parisiensibus confirmat statuta ab ipso olim edita circa modum licentiandi in theologia et decretis, inhibetque ne Parisiensis episcopus contra agat.*

1237, Septembris 7, Viterbii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Qui[1] ad hoc potissime vota nostra dirigimus, ut ecclesie filiis quietis opportune gratiam procuremus, olim pro statu vestro pacifico pie statuimus observandum, quod quilibet cancellarius Parisiensis ex tunc creandus coram episcopo vel de ipsius mandato in capitulo Parisiensi, vocatis ad hoc et presentibus pro universitate scolarium duobus magistris, in sua institutione jurabit, quod ad regimen theologie ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore secundum statum civitatis et honorem ac honestatem facultatum ipsarum nonnisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos personarum acceptione summota. Ante vero quam quemquam licentiet infra tres menses a tempore petite licentie tam ab omnibus magistris theologie in civitate presentibus, quam aliis viris honestis et litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia et facundia necnon proposito et spe proficiendi ac aliis, que sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat et inquisitione sic facta quid deceat et quid expediat bona fide det vel neget secundum suam conscientiam petenti licentiam postulatam, prout in apostolicis litteris super hoc concessis plenius continetur[2]. Verum quia statuta edidisse non sufficit, si firma illorum auctoritas non subsistit, ne Parisiensis episcopus, qui pro tempore fuerit, seu quilibet alius contra predictam licentiandi formam aliquo modo venire presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Viterbii vij id. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 11, ep. 248, fol. 327. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 7. Cod. Vat. Reg. 406 fol. 5b. — Bulaeus, III, 161.

1. Cod. Vat. Reg. : Quia. — 2. Supra nº 79.

---

118. *Evrardo abbati Claraevallensi conceditur a Capitulo generali Ord. Cisterc. privilegium circa clericos Parisiis habitantes.*

1237, Septembris 12, [Cistercii].

Petitio domini abbatis Clarevallensis de clericis Parisius habendis in cappis et tunicis albis pro se et pro omnibus aliis, qui eodem modo ibidem clericos habere voluerint, exauditur. Abbati autem Clarevallensi, ut ibi monachum et duos conversos habeat, qui clericis necessaria provideant, indulgetur[1].

Apographum coaevum statutorum Capituli generalis anni praedicti in Biblioth. nat. Matrit. B. 166, fol. 1. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1365, n° 8. — Manuscr. statutorum Capitulorum generalium Cistercii celebratorum exstare in Bibliotheca civitatis Divionensis ille merito conjiciet, cui non ignotum est reliquias manuscriptorum illius monasterii ad praedictam bibliothecam pervenisse. At unus tantummodo Codex, scilicet n° 354, continet « Antiquam collectionem diffinitionum » (saec. XII et XIII ineuntis); sed annum 1221 non supergreditur. In Bibl. Trecensi, ubi pro magna parte conservantur mss. monasterii Cisterciensis, occurrunt solum excerpta Capitulorum antiquorum. Alios codd. infra afferemus.

1. Ut ex *Libello diffinitionum* (anno 1289 edito) dist. 6, cap. 4 et 5, apparet, Capitulum generale Cisterciensium quolibet anno Cistercii ante festum Exaltationis S. Crucis (14 Septembris) celebratum est; cap. 5 praescribitur : « die precedente vigiliam S. Crucis abbates venientes ad Capitulum Cystercium intrent ante terciam » . Bibl. Univers. Lipsiensis, ms. 856 (saec. XIII-XIV), fol. 34. Arch. S. Petri Salisburg., ms. a. V. 1 (s. XIV); cap. 4 vero mentio fit festi beatorum Prothi et Hyacinthi (11 Septembris) ut praecedentis « festum S. Crucis ». Proinde festum S. Crucis mensis Septembris, non mensis Maii, innuitur. — De domo a monachis Claraevall. isto tempore Parisiis habitata vide supra n° 53.

---

119. *Gregorius IX Herberto abbati S. Genovefae Paris., ac magistris Michaeli de S. Dionysio[1] et G. de Briveriis regentibus Parisiis in decretis mandat ut causam inter magistrum Petrum archidiaconum Belvacensem et decanum et capitulum Belvac. agitatam ad finem debitum perducant.*

1237, Octobris 23, Laterani.

.. Abbati Sancte Genovefe, ac magistris M. de Sancto Dionisio et G. de Briveriis regentibus Parisius in decretis. Constitutus in presentia nostra dilectus filius magister Petrus archidiaconus Belvacensis proposuit coram nobis, quod postquam a Belvaco iter arripuit pro negotio Belvacensis ecclesie ad sedem apostolicam veniendi, .. decanus et capitulum Belvacenses in eum suspensionis et excommunicationis sententias fulminantes prohibuerunt decanis et presbyteris archidiaconatus sui, ne sibi tanquam archidiacono responderent fructibus archidiaconatus et quibusdam aliis subtractis eidem, alia sibi gravamina plurima pro sue voluntatis arbitrio inferentes, ut sic saltem lacessitus injuriis ac sententiis involutus a dicti negotii prosecutione cessaret. Unde cum postmodum per dilectum filium nostrum E.[2] Sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem de speciali mandato nostro dicte sententie relaxate fuerint ad cautelam sufficienti ab eo cautione recepta, de satisfaciendo dictis decano et capitulo super hiis, pro quibus dicte sententie late fuerunt, si eas apparuerit juste latas, mandamus, quatinus facientes ab eisdem decanis et presbyteris sibi consuetam et debitam obedientiam exhiberi, quecumque contra ipsum postquam ad nos iter arripuit veniendi temere attemptata inveneritis, in statum pristinum reducendo eundem coram vobis juri parere paratum nequaquam permit-

latis a prefatis decano et capitulo indebite molestari; audientes si quid fuerit questionis, et appellatione remota fine debito decidentes faciatis quod, *etc.*, usque observari. Si vero prefatas sententias inveneritis juste latas, eum ad satisfactionem debitam compellatis. Testes, *etc.* Quod si non omnes, *etc.* Dat. Laterani x kal. Novembris, anno undecimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 11, ep. 271, fol. 332^{b}. Eaedem litterae iisdem verbis ad eosdem directae extant ibid. ep. 420, fol. 362^{b} (vij kal. Martii, id est 1238, Februarii 23).

1. Nominatur etiam apud Guérard, *Cart. de Notre-Dame*, IV, 94, 155. — 2. Aegidium.

---

120. *Gregorius IX magistrum Stephanum decanum S. Germani Autissiodorensis Parisiensis tuetur, qui cognitionem sententiae contra comitem Nivernensem, ut liberius posset regimini theologicae facultatis intendere, magistro Laurentio de Buissi commiserat.*

1238, Maii 28, Laterani.

.. Decano Senonensi. Dilectus filius magister Stephanus decanus Sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis proposuit humiliter coram nobis, quod cum cognitio cujusdam diffinitive sententie per magistrum Guarnacium canonicum Tervisinum pro Stephano Alexii et ejus sociis civibus Romanis contra nobilem virum .. comitem Nivernensem apostolica auctoritate prolate sibi a nobis fuerit delegata, idem postquam processerat aliquantulum in eadem, ut liberius posset regimini theologice facultatis intendere, magistro L. de Buissi canonico Aurelianensi super hoc commisit totaliter vices suas, qui predictam sententiam confirmavit, propter quod idem comes contra ipsum decanum, adversus quem aliam questionis materiam non habebat, indebitam occasionem assumens ac intendens eundem vexationibus reddere fatigatum ipsum per diversas litteras apostolicas coram senescallo Aniciensi, qui se subdelegatum .. abbatis Maceriarum dicebat, ac postmodum coram ipso abbate traxit in causam, super eodem nichilominus contra eum ad alios judices nostras litteras impetrando. Cum igitur ipsum pretextu obedientie nolimus jacturas et injurias sustinere, mandamus quatinus dictis senescallo et abbati districtius inhibens ut contra ipsum auctoritate litterarum hujusmodi ulterius non procedant, processum, si quis habitus est per ipsas vel fuerit, in irritum revocare procures, eundem occasione hujusmodi a dicto comite molestari vel ab ipso ultra duas dietas extra civitatem Parisiensem trahi ad judicium per apostolicas litteras, que plenam de istis mentionem non fecerint, minime permittendo, non obstante, si aliquos ultra duas dietas in causam posse trahere a nobis dicto comiti sit indultum. Contradictores, *etc.* Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Dat. Laterani v kal. Junii, anno XII°.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 12, ep. 155, fol. 31. In fine : « In eundem modum eidem pro magistro Laurentio de Buissi canonico Aurelianensi usque in finem ». Ep. 156 ad eundem decanum Senon. propter decanum Autissiod., qui iter ad sedem apost. arripuit, directa est (vj id. Jun.). In ep. 157 decano Autissiod. conceditur, ne infra triennium de causis sibi a sede apost. committendis cognoscere valeat. In epist. 158 ad Stephanum ipsum directa permittitur ei, « ne extra Parisiensem diocesim super hiis, que ad ipsum in predicta diocesi pertinent, quamdiu in dicta rexerit facultate, per litteras apostolicas in causam trahi valeat ». 3 id. Jun. In ep. 159 abbas S. Genovefae conservator constituitur.

121. *Gregorius IX committit priori S. Victoris inquisitionem de turbatione studii Parisiensis et dissensione inter Universitatem et episcopum Guillelmum.*

1238, Junii 4, Laterani.

.. Priori Sancti Victoris Parisiensis. Transmissa nobis venerabilis fratris nostri .. Parisiensis episcopi conquestio patefecit, quod magistri et scolares Parisienses pretextu cujusdam indulgentie, quam a sede apostolica se obtinuisse proponunt, ut videlicet privare possint beneficio societatis sue eos, qui rationabilibus constitutionibus et ordinationibus suis presumpserint contraire, ipso irrequisito, qui requiri debet de jure, constitutiones quasdam in sue jurisdictionis enervationem facere presumpserunt; et si quando idem utendo jure suo eis se velit opponere in hac parte, ipsi magistros et scolares obedientes eidem supponunt protinus bannis suis. Quidam etiam magistri et scolares propria lucra sectantes, et studentium profectibus invidentes, fieri procurant conventicula insueta, occasione quorum interdicitur studium, et jurisdictioni sue circa magistros et scolares non modicum detrahitur antedictos. Preterea cum idem cancellaria Parisiensi vacante sit in possessione vel quasi licentiandi provectos ad officium magistratus, prefati magistri ei super hoc se indebite opponentes, quosdam scolares rationabiliter licentiatos ab ipso, ad docendum pro sue voluntatis arbitrio non admittunt[1], scolares suos subtrahentes eisdem, ac insuper scolares ipsos et magistros, sub quibus licentiari inceperunt predicti, a societate sua excludunt in ejus prejudicium et gravamen, alias abutendo indulgentia memorata injuriosi existentes ei plurimum et molesti. Ut igitur illius, qui ut pacem inter Deum et homines reformaret carnem sumere et crucem subire voluit, inherere vestigiis videamur, mandamus quatinus episcopo, magistris et scolaribus antedictis ad tuam presentiam evocatis, ipsos de plano absque judiciorum strepitu ad concordiam studeas revocare. Alioquin inspecta indulgentia, si quam habent et auditis utriusque partis rationibus et plenius intellectis, eas fideliter in scriptis redactis sub sigillo tuo nobis destinare procures. Dat. Laterani ij non. Junii, anno duodecimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 12, ep. 137, fol. 27.

1. Ad haec vide supra nº 115.

---

122. *Gregorius IX concedit magistro Guillelmo de S. Amore, rectori ecclesiae de Guervilla, canonico Belvacensi, ut possit recipere aliquem personatum.*

1238, Novembris 27, Laterani.

Magistro Willermo de Sancto Amore, rectori ecclesie de Guervilla, canonico Belvacensi. Te honestatis studio desudantem et per cultum scientie sicut accepimus consecutum, quod in artibus et jure canonico cathedram magistralem Parisius ascendere meruisti, dignum speciali gratia reputantes, ut personatum vel aliud unicum beneficium curam habens animarum annexam, si tibi canonice offeratur, recipere valeas et cum bene-

ficio quod obtines habente curam similem libere retinere, non obstante constitutione Concilii generalis, ita tamen quod in uno ipsorum personaliter deservias et in altero per idoneum vicarium facias deserviri, tecum auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis, *etc.* Dat. Laterani v kal. Decembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Reg. Vat. Gregorii IX an. 12, ep. 344, fol. 64[b]. — Hoc est primum documentum, quod ad Guillelmum de S. Amore, dum lis traheretur inter Universitatem Paris. et Mendicantes ducem et antesignanum Universitatis, spectet.

---

123. *Jacobus Praenestinus episcopus statuit ne ullus magistrorum et scholarium Parisiens. alterius conducat hospitium, quamdiu ipsum inquilinus retinere voluerit.*

1239, Aprilis 1, Senonis.

Frater Jacobus miseratione divina Prenestinus episcopus, apostolice sedis legatus, licet indignus, dilecto filio .. cancellario Parisiensi[1] salutem in Domino. Quia non omnes, qui Parisius ad studendum veniunt, moribus qui scientiam efferunt se exercent, immo unus ad alterius aspirans hospicium ipsum sibi reddit interdum pretii carioris : nos volentes indempnitati eorum consulere ac presumptioni malignantium obviare discretioni tue qua fungimur auctoritate mandamus, quatinus inhibitionem facias generalem in scolis singulis publicandam, ut nullus magistrorum seu scolarium Parisiensium alterius conducat hospicium, quamdiu ipsum absque manifesta malicia retinere voluerit inquilinus. Contradictores autem si qui fuerint vel rebelles ecclesiastica censura compescas. Dat. Senonis kal. Aprilis anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 19. g. Restat taeniolum membranaceum. — Apographum anni 1244 in eodem Arch. theca IV. A. 19. h. Jourdain, n° 55.

1. Odoni de Castro Radulphi. Vide supra ad n° 115, nota 1.

---

124. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub mag. Raymundo Bononiae celebrati de studentibus, qui sunt Parisiis.*

1240, mense Junio ineunte, Bononiae.

Item, fratres studentes Parisius, qui sunt pro lectoribus assignati, in ferialibus diebus ad Completorium tantum venire teneantur; in festis vero novem lectionum in aliis horis, nisi remanserint de licentia speciali, eos volumus interesse, nec ad servitium infirmarie scribantur.

Item, studentes mittantur Parisius a priore provinciali de consilio diffinitorum capituli provincialis.

Codd. Romanus (saec. XIII) et Rutenen. (saec. XIV). Capp. general. Ord. Praed. continentes et ad Ord. Praed. pertinentes. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1681, n[os] 21, 30.

---

125. *Robertus de S. Quintino fratribus Praed. S. Jacobi quidquid juris habet in domo aliqua Parisiis relinquit.*

1240, mense Novembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem. Notum facimus, quod coram nobis constitutus Robertus de S. Quintino clericus quitavit penitus et expresse, quicquid juris habebat vel habere poterat ex jure donationis vel quocunque alio modo in quadam domo sita ut dicitur juxta domum turritam, que fuit quondam Joannis decani quondam Sancti Quintini, priori et fratribus Sancti Jacobi de Ordine Predicatorum Parisius, promittens fide in manu nostra prestita corporali, quod contra quitationem istam per se vel per alium non veniet in futurum et quod in ipsa domo nichil de cetero reclamabit. Et de his tenendis et firmiter observandis coram nobis juramenti vinculo se astrinxit. Dat. anno Domini millesimo CC°XL°, mense Novembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 5. Superest taeniolum membranaceum. — De ista « domo turrita » supra non memorata cf. J. Quicherat, *La rue et le château Hautefeuille à Paris*, p. 29 sq.

---

126. *Robertus minister fratrum Minorum in Francia notum facit, conventum S. Germani de Pratis Paris. permisisse venditionem illius terrae, qua opus erat ad constructionem conventus Minorum.*

1240, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis frater Robertus minister et servus fratrum Minorum administrationis Francie totusque conventus fratrum Parisiensium salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, quod cum dominus papa viris religiosis Symoni Dei gratia Beati Germani de Pratis Parisiensis abbati ejusdemque loci conventui dedisset in mandatis, quatinus de terris positis infra et extra muros civitatis Parisiensis, que sue jurisdictionis existere et ad censum annuum locare perpetuo referuntur, nobis partem ad arbitrium venerabilis patris A.[1] Dei gratia Silvanectensis episcopi nostris usibus oportunam pietatis intuitu vendi libere permitterent, presertim cum possessores illarum ducti spiritu caritatis eas vendere et quidam alii devotione ferventes nobis ipsas emere ad divine laudis obsequium parati existerent, salvo tamen ut iidem abbas et conventus, quod pro terris hactenus perceperunt vel equivalens imposterum percipere valeant, et ex hoc alias ipsis aut ecclesie sue super privilegiis ipsorum vel rebus aliis nullum deinceps prejudicium generetur, dicto venerabili patri Silvanectensi episcopo monitore super hoc deputato, et nos monitione premissa peteremus ab eis, ut duas petias terre prout limitate sunt et divise sitas infra et extra muros civitatis ejusdem partim in dominio partim in censiva monasterii sui nobis habendas ad usum fratrum nostrorum juxta mandati apostolici tenorem, salva tamen indempnitate monasterii, assignarent, prefati abbas et conventus tanquam filii obedientie mandatis apostolicis parere volentes petitas duas petias terre nobis supradicto modo tenendas sicut petitum fuerat assignarunt salvis sibi dominio,

justitia et proprietate locorum sicut habebant antiquitus in eisdem tam spirituali quam temporali et privilegiis eorumdem. Acto etiam inter partes et a nobis promisso, quod in muro secus viam, que ducit a porta civitatis Parisiensis monasterio nostro contigua ad Burgum Sancti Germani, nec aditum nec egressum habebimus vel habere poterimus, tamen si necessitas operandi in illo loco nobis imminuerit, murum frangere poterimus, et cum opus illud impletum fuerit, fracturam muri obstruere tenebimur et sumptibus nostris reficere murum. Nos autem concessionem istam ab ipsis nobis benigniter factam, et quod monasterium nostrum cum edificiis nostris ad nos ibidem spectantibus situm est in fundo beati Germani, corde puro et piis oculis attendentes, ne abbas et conventus beati Germani de Pratis Parisiensis dubitent decetero, quod nos super finibus nostris in terra ipsorum amplius dilatandis seu super aliquo in terra ipsorum nobis habendo ipsos imposterum molestemus, promittimus eis bona fide, quod super finibus nostris in terra ipsorum amplius dilatandis vel super aliquo in terra ipsorum nobis amplius habendo ipsos nullatenus molestabimus, nec per nos nec per alios aliquid impetrabimus, nec utemur aliquatenus impetratis, si fuerit aliquid impetratum, et quod si dominus papa motu proprio nobis super hiis gratiam fecerit, obtenta gratia non utemur. Quod ut ratum permaneat et stabile perseveret, presentes litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 767, layette 3, liasse 4, cotte 3. In uno desunt duo sigilla; in altero supersunt duo taeniola membranacea et fragmentum sigilli cerei. — Félibien, *Histoire de la ville de Paris*, III, 115. Gregorius IX vj id. Decemb. an. 14 (8 Decemb. 1240) confirmabat fratribus Minoribus Parisiens. venditionem illius terrae, quae fratribus Minoribus ad construendum conventum commoda erat. Litteris pontificis inserta est petitio abbatis et conventus S. Germani de Pratis, « quatinus concessionem Minoribus factam dignetur confirmare ». Reg. Vat. Gregorii IX an. 14, ep. 180, fol. 32b. Sbaralea, *Bull. Franc.*, I, 286. Cf. insuper supra nos 109, 110.

1. Adam.

---

127. *Robertus Grosseteste episc. Lincolniensis monet magistros Oxoniae in theologica facultate regentes ut in ordine lectionum magistris Parisiensibus se conforment.*

Circa an. 1240.

Robertus Dei gratia Lincolniensis episcopus dilectis in Christo filiis magistris Oxonie in theologia regentibus, salutem, gratiam et benedictionem. Periti edificiorum constructores omni prospiciunt diligentia, quod lapides omnes in fundamento ponendi vere sint fundamentales, oneris videlicet edificii supererigendi supportationi sua soliditate convenientes et apti. Vos autem estis domus Dei constructores, superedificantes eam super fundamento apostolorum et prophetarum, ipso angulari lapide Christo Jesu. Lapides igitur fundamentales edificii, cujus estis architectonici, preter quos nemo potest alios invenire aut in fundamento ponere, libri sunt prophetarum, inter quos et legislator Moyses non immerito est adnumerandus; libri quoque apostolorum et Evangelium, quos lapides fundamentales vos in fundamento ponitis et disponitis, cum eosdem libros per donum

discretionis spirituum secundum mentem editorum auditoribus exponitis. Omni igitur circumspectione vobis cavendum est, ne inter fundamentales lapides vel pro fundamentalibus non fundamentales ponantur, ne forte minor non fundamentalium soliditas superedificatum prius pariat rimosum, et deinde ruinosum. Tempus autem maxime proprium ponendi et disponendi predictos lapides in fundamento (est enim tempus fundandi, sicut et tempus edificandi) hora est matutina, qua ordinarie legitis. Decet igitur vestras lectiones omnes maxime tali tempore legendas esse de libris novi Testamenti vel veteris, ne, si secus fiat, inter fundamentales vel pro fundamentalibus lapidibus non tales ponantur, tempus quoque unicuique negotio congruum contra scripture doctrinam et rerum naturalem ordinem non tribuatur, et a patrum et majorum vestigiis et conformitate regentium Parisius theologorum manifeste recedatur. Quia igitur totis affectamus caritatis visceribus quod omnia in vobis honeste et secundum ordinem fiant, sicut praecipit apostolus, vestram discretionem omni qua possumus affectione et devotione rogamus, monemus, et exhortamur in Domino Jesu Christo, quatinus omnes lectiones vestre ordinarie hora legendi matutina de novo sint Testamento vel veteri, ut sitis similes patribusfamilias, imo potius ipsi patresfamilias, proferentes de thesauris vestris nova et vetera, non alia quedam velut horum media, aut ab hagiographis patribus superedificata doctrine, quorum est tempus aliud convenientius accommodandum. Valete.

Roberti Grosseteste episcopi quondam Lincolniensis epistolae, ed. Luard, p. 346, nº 123. Epp. 13 et 51 nominantur magistri Parisiis regentes W. de Cerda et Thomas Wallensis.

---

128. *Decem errores contra theologicam veritatem reperti in quibusdam scriptis (frat. Stephani[1]) et proscripti Parisiis a Guillelmo Parisiensi episcopo et Odone cancellario de consilio omnium magistrorum theologicae facultatis.*

1241, Januarii 13, Parisiis.

Isti sunt articuli reprobati contra theologicam veritatem et reprobati a cancellario Parisiensi Odone et magistris theologie Parisius regentibus anno Domini M°CC°XL dominica secunda post octabas Natalis Domini.

Primus [error], quod divina essentia in se nec[2] ab homine nec ab angelo videbitur.

Hunc[3] errorem reprobamus et assertores et defensores auctoritate Wilhermi episcopi excommunicamus. Firmiter autem credimus et asserimus, quod Deus in sua essentia[4] vel substantia videbitur ab angelis et omnibus sanctis et videtur ab animabus glorificatis.

Secundus, quod licet divina essentia una[5] sit in Patre et Filio et Spiritu Sancto, tamen[6] ut in ratione forme una est in Patre et Filio, sed non una in hiis cum Spiritu Sancto, et tamen[7] forma hec idem sit quod divina essentia.

Hunc errorem[8] reprobamus, firmiter enim credimus, quod una est essentia sive substantia[9] in Patre et Filio et Spiritu Sancto et eadem essentia in ratione forme[10].

Tertius, quod Spiritus Sanctus, prout est nexus vel amor, non procedit a Filio, sed tantum a Patre.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod prout est nexus vel amor, procedit ab utroque[11].

Quartus[12], quod anime glorificate non sunt in celo empireo cum angelis, nec corpora glorificata erunt ibi, sed in celo aqueo vel cristallino, quod supra firmamentum est, quod[13] et de beata Virgine presumitur.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod idem locus corporalis, scilicet celum empireum, angelorum et animarum sanctarum erit et corporum glorificatorum[14].

Quintus[15], quod malus angelus in principio sue creationis fuit malus, et[16] nunquam fuit nisi malus.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod[17] bonus creatus sit et post peccando factus sit malus.

Sextus[18], quod angelus in eodem instanti potest esse in diversis locis et esse ubique si voluerit.

Hunc errorem reprobamus, credimus enim, quod angelus est in loco per diffinitionem, ita quod si est hic, non est alibi in eodem instanti; impossibile est enim quod sit ubique, hoc enim proprium est solius Dei.

Septimus[19], quod multe veritates sunt[20] ab eterno, que non sunt Deus.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod una sola veritas sit ab eterno, que est Deus[21].

Octavus[22], quod primum nunc et creatio-passio possit non esse creata.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod utrumque et est creatum et creatura.

Nonus, quod qui habet meliora naturalia, de necessitate plus habebit de gratia et gloria[23].

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod Deus secundum quod preelegit et preordinavit[24], dabit unicuique gratiam et gloriam.

Decimus, quod malus angelus[25] nunquam habuit, unde stare posset, nec etiam Adam in statu innocentie.

Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod uterque habuit[26], unde posset stare, non tamen, unde posset proficere.

Bibl. Arsenalis Paris., ms. 532, fol. 219. — Hi decem errores saepissime occurrunt in mss. et passim apud auctores saec. XIII. In mss. Burghes. 296 (in fine Sententiarum Lombardi), et 361, f. 219b. Bibl. capitul. Valent. in Hispania (in fine primae partis Summae S. Thomae). Bibl. nat. Paris., mss. lat. 15661, fol. 99; 15820, fol. 193; 16533, fol. 54 (tribus mss. a D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 186, adhibitis); 16360, fol. 3; Bibl. d'Auxerre, ms. 206, fol. 78; Cod. Vat. lat. 4847, f. 66b; Oxoniae, Merton Coll., ms. 267, fol. 115b, legitur ista introductio : « Isti sunt errores detestabiles contra catholicam veritatem (Paris. 16360 addit : « quos dogmatizavit fr. Stephanus », et om. « reperti... scriptis ») reperti in quibusdam scriptis, quos quicunque dogmatizaverit vel sustinuerit (defenderit), a ven. patre Guillelmo Parisiensi episcopo convocato consilio omnium magistrorum theologie tunc Parisius regentium vinculo anathematis est innodatus. Et ideo hos errores cavere debent

summopere omnes professores fidei orthodoxe ». In fine errorum (non in Paris. 16360) : « Pax et gratia omnibus asserentibus hanc veritatem. Data fuit hec sententia Parisius anno Domini M°CCXL in octavis Epiphanie ». In cod. Paris. 16533 legitur ante « Pax » : « Hi errores evitandi et penitus detestandi et veritates opposite firmiter credende et nullatenus dubitande. Gratia et pax », *etc.* S. Bonaventura affert in 2 *Sent.* dist. 23 a. 2 qu. 3 hos errores cum isto monito : « Hic est unus de decem articulis reprobatis ab universitate magistrorum Parisiensium tempore episcopi Guillelmi et Odonis cancellarii et fratris Alexandri de Hales patris et magistri nostri, qui ut evitentur subscripti sunt ». In fine eorum notatur in cod. N. VII. C. 12 Bibl. nat. Neapol. : « Hec sententia data fuit Parisius anno M°CC° XL in octava Epiphanie ». Ex S. Bonaventura istud monitum desumptum est in Bibl. Escorial. T. I. 15 (in fine 1 p. S. Thomae); Cod. Vat. lat. 9821, fol. 128; Bibl. de Rouen A.263, fol. 306ᵇ; Bibl. Univers. Lips., n° 416. In duobus ultimis legitur annus MCCXLIII. In Bibl. Colleg. novi Oxoniae ms. 109 nominatur tantummodo cancellarius Odo de Castro Radulphi (in principio cod. Sententias Lombardi continentis). In Capitulo provinciali provinciae Provinciae Ord. Praed. anni 1256 errores afferuntur cum ista introductione : « Isti sunt errores condempnati Parysius ab episcopo Parisiensi et magistris theologie regentibus Parysius anno Domini M° CC° XL ». S. Bonaventura sequitur in relatione errorum ordinem codicis Arsenalis cum quo etiam quoad alia convenit, sed desunt apud ipsum veritates oppositae, quae tamen inveniuntur in Burghes., Vat. 4847 et in tribus codd. Parisiensibus primo loco relatis. In codd. Burghes., Vat. Oxon. Mert. et in Paris. 15661; 15820; 15702, fol. 186, veritates afferuntur simul post omnes errores enumeratos cum isto praeambulo : « Assertiones opposite erroribus. Firmiter credendum est et nullatenus dubitandum, quod Deus », *etc.*, in aliis codd. v. g. Paris. 16360, omnino desunt veritates. Cod. Arsenalis omnibus praeferendus est, videtur enim, licet saec. XIV-XV sit, exhibere primam recensionem, quae concordat cum illa apud Matth. Paris. *Chron. maj.*, ed. Luard, IV, 281 (ad an. 1243), paucis tantum demptis et variatis. — Bulaeus, III, 177, 179.

1. In ms. Paris. 16360, in quo solo auctor nominatur, non exprimitur, cujus ordinis fuerit iste fr. Stephanus. Matth. Paris. l. c. loquitur de « praecipuis Praedicatorum et Minorum lectoribus ». Habet maximam probabilitatem, praedictum fratrem fuisse *fr. Stephanum de Varnesia,* ord. Praed., qui a Stephano de Salanhac inter primos ord. magistros Paris. affertur (vide *Archiv f. Litterat.- und Kirchengesch. d. Mittelalt.*, II, 171, 205) et adhuc anno 1248 Parisiis docebat. Errores supra relatos ab aliquibus ex Ord. Praed. fuisse propugnatos concludere debemus ex eo quod Cap. general. an. 1243 et 1256 et Capitulum provinciale provinciae Provinciae anni 1256 fratres obligavit, errores condemnatos « de quaternis » abradere. — 2. In cod. Paris. 16533 : « nec a sanctis animabus glorificatis nec ab angelis videtur vel videbitur ». In Burghes. 296, et in duobus primis codd. Parisien. etiam « videtur vel videbitur ». — 3. « Hunc errorem ... excommunicamus » deest ubique, praeter Bibl. Arsen. et Matth. Paris. — 4. Codd. Burgh. et Parisienses addunt : « vel natura ». — 5. Cod. Burgh. 296 et tres primi Paris. : « eadem ». — 6. Burgh. Oxon., Vat. et omnes Paris. : « tamen ut hec essentia est in ratione forme ». — 7. Codd. citati : « et in hiis tamen forma idem est quod », *etc.* — 8. « Hunc errorem ... credimus » in citatis codd. hic et postea deest. — 9. Citati codd. addunt « natura ». — 10. Matth. et Paris. addunt : « eadem est in Patre et Filio et Spiritu Sancto ». — 11. Citati codd. et Oxon. addunt : « scilicet a patre et filio ». — 12. Iste error in citatis codd. ponitur septimo, in Capitulo provinciali Ord. Praed. quinto loco. — 13. Deest apud S. Bonaventuram; in citatis codd. et apud Matth. Paris. : « quod dicere etiam presumunt de beata Virgine », in Paris. 15702 « etiam b. Virgo ». — 14. Citati codd. et Matth. Paris. addunt : « et similiter locus idem spiritualis sanctorum angelorum (et beatorum hominum)». Paris. 15702 addit adhuc « scil. Deus ». — 15. Iste error in citatis codd. ponitur sexto, apud Matth. Paris. septimo, in Cap. provinciali octavo loco. — 16. Arsen. « vel ». — 17. Cit. codd. : « quod malus angelus aliquando fuit bonus et non malus », *etc.* — 18. In cit. codd. est octavus, apud Matth. Paris. quintus, in Cap. provinciali septimus, cum differentiis minoris notae. — 19. In cit. codd. et in Cap. provinciali ponitur quarto, apud Matth. Paris., sexto loco. — 20. In mss. citatis : « fuerunt ». — 21. Additur ubique : « et quod nulla veritas fuit ab eterno, que non sit illa veritas ». — 22. In cit codd. ponitur quinto, in Cap. provinciali sexto loco. Ubique praeter Arsen. : « quod primum nunc et creatio-passio non sunt creator vel creatura », et quoad veritatem oppositam : « Quod primum nunc et creatio-passio est creatura ». — 23. « Et gloria » desumptum est ex S. Bonaventura. Cit. codd. : « majorem gratiam et gloriam ». « Naturalia » om. Arsen. — 24. Cod. Paris. 16533 : « secundum preordinationem et predestinationem ». Alii codd. : « secundum quod preordinatum est et predestinatum »; Paris. 15702 « sec. quod Deus preordinavit ». — 25. Codd. cit. : « diabolus ». — 26. Cod. Paris. 16533 solummmodo : « ab initio, unde possent proficere ». Apud Matth. Paris. duo ultimi errores transponuntur.

---

129. ***Decanus et capitulum S. Quintini Noviomensis dioecesis fratribus Praedicatoribus S. Jacobi Parisiensis domos eis a Johanne decano S. Quintini donatas in perpetuum remittunt.***

1241, mense Augusto, [Sancti Quintini].

Decanus et capitulum Sancti Quintini omnibus ad quos presentes littere pervenerint salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum inter viros religiosos .. priorem

et conventum fratrum Predicatorum Sancti Jacobi Parisiensis ex una parte et nos ex altera fuisset controversia super quodam assignamento quod dicebamus nobis factum fuisse a bone memorie Johanne quondam decano ecclesie nostre super domos que fuerunt ejusdem .. decani sitas Parisius in curta dictorum fratrum Predicatorum[1], et tandem pro bono pacis voluntati, petitioni et quieti eorundem fratrum condescendentes, quitavimus in perpetuum dictis .. priori et conventui et quitas clamavimus domos predictas, et quicquid juris ratione cujuscumque obligationis in eisdem habebamus vel alio quocunque modo habere poteramus, promittentes bona fide, quod istam quitationem decetero inviolabiliter obserbabimus, et quod ipsos .. priorem et conventum super dictis domibus nullatenus molestabimus, nec procreabimus aliquo modo deinceps molestari. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno Domini M° ducentesimo quadragesimo primo, mense Augusto.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 4229, n° 7. Superest taeniolum membranaceum.

1. Vide supra n°s 43 et 125.

---

130. *Statutum Capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Johanne Teutonico celebrati de erroribus Parisiis anno 1241 condemnatis.*

1243, Junio ineunte, Parisiis.

Errores condempnatos per magistros Parisienses[1] fratres omnes abradant de quaternis[2].

Ms. Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. ad ipsum Ord. pertinens. — Martène, *Thes. nov. anecdot.*, IV, 1685, n° 13.

1. Vide supra n° 128. — 2. Cum isto statuto fortasse cohaeret aliud an. 1244, « quod lectores novas opiniones non inveniant, sed communiores et magis approbatas sequantur ». Martène, l. c., p. 1686.

---

131. *Innocentius IV ad regem Franciae, ut Judaeorum libros, qui Talmud dicuntur et tempore Gregorii IX per cancellarium et doctores regentes in sacra pagina Parisiis examinati coram clero et populo concremati fuerant, toto regno conquirendos et ignibus delendos curet.*

1244, Maii 9, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ludovico regi Francie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Impia Judeorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum redemptor noster velamen non abstulit, set in cecitate que contigit ex parte in Israel, adhuc manere permittit prout convenit, non attendens quod ex sola misericordia pietas ipsos christiana receptet, et cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, que stupori audientibus et referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino Jesu Christo, qui conversionem eorum ex sue longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam pretendentes verecundiam culpe sue, nec reverentes honorem fidei christiane, omissis seu contemptis lege Mosayca et prophetis quasdam traditiones seniorum suorum sequuntur, super quibus eos in evangelio Dominus

objurgatur dicens : Quare vos transgredimini mandatum Dei et irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas et mandata docentes[1]? In hujusmodi namque traditionibus, que Thalamuth hebraice nuncupantur, et magnus liber est apud eos excedens textum biblie in immensum, in quo sunt blasphemie in Deum et Christum ejus ac beatam Virginem manifeste, intricabiles fabule, abusiones erronee ac stultitie inaudite, filios suos docent ac nutriunt, et a legis et prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos, verentes ne veritate, que in eisdem lege ac prophetis est, intellecta, aperte de unigenito Dei filio venturo in carnem testimonium perhibente, convertantur ad fidem, et ad redemptorem suum humiliter revertantur. Et his non contenti faciunt christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei christiane, cum quibus turpia multa committunt. Propter que fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patientur indigne que fidei nostre confusionem inducunt. Et licet dilectus filius .. cancellarius Parisiensis[2] et doctores regentes Parisius in sacra pagina de mandato felicis recordationis G.[3] pape predecessoris nostri tam predictum abusionis librum quam alios quosdam cum omnibus glosis suis perlectos in parte ac examinatos ad confusionem perfidie Judeorum publice coram clero et populo incendio concremarint[4], prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tanquam catholicus rex et princeps christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum et favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus ac prosequimur actionibus gratiarum : quia tamen nondum Judeorum ipsorum abusio profana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam attente rogamus, monemus et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatinus excessus hujusmodi detestabiles et enormes commissos in contumeliam Creatoris et in injuriam nominis christiani, prout pie incepisti laudabiliter prosequendo faciens debita severitate percelli, tam predictos abusionum libros reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glosis suis, qui per ipsos examinati et reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, ubicumque repperiri poterunt, igne cremari[5], firmiter inhibendo, ne decetero nutrices seu servientes habeant christianos, ne filii libere filiis famulentur ancille, set tanquam servi reprobati a Domino, in cujus mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis servos se recognoscant illorum, quos Christi mors et istos liberos et illos constituit esse servos, ut proinde sinceritatis tue zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare. Dat. Laterani vij id. Maii, pontificatus nostri anno primo[6].

Reg. Vat. Innocentii IV an. 1, ep. 681, fol. 105 b. — Bulaeus, III, 191.

1. Reg. : « dicentes ». Matth., 15, 9 : docentes doctrinas et mandata hominum. Cf. Marc, 7, 7. — 2. Odo de Castro Radulphi. De isto facto supra memorato vide infra n° 173. — 3. Gregorii IX. — 4. Anno 1242. — 5. Ludovicum voluntati papae obtemperasse liquet ex *Ordonnance pour la réformation des mœurs* anni 1254, ubi (cap. 32) legitur : « Ceterum ordinationem *factam in perpetuum* de Judeis observari districte precipimus, que talis est : Judei cessent ab usuris et blasphemiis, sortilegiis et caracteribus, et tam Talmuth quam alii libri, in quibus inveniuntur blasphemie, comburantur, et Judei, qui hoc servare noluerint, expellantur, et transgressores legitimo puniantur ». *Recueil général des anciennes lois françaises*, I, 272 sq. Cf. insuper *Rec. des hist. des Gaules*, XX, 34; XXIII, 164. — 6. Mitior est alia epistola infra n° 172 edita.

132. *Radulphus abbas S. Genovefae Paris. et archidiaconus Augi Rothomagensis et cancellarius Turonensis ex parte Universitatis Parisiensis papae Innocentio IV privilegia et chartas ipsis praesentatas transmittunt.*

1244, Decembris 29, [Parisiis].

Sanctissimo patri ac Domino I. divina providentia summo pontifici, R. abbas Sancte Genovefe Parisiensis, I. archidiaconus Augi ecclesie Rothomagensis et G. cancellarius Turonensis devota pedum oscula beatorum. Privilegia et cartas ex parte universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium nobis presentatas diligenter inspeximus et fideliter verbo ad verbum, non abolita, non cancellata, non ex aliqua parte sui vitiata, et transcripta ipsorum vestre paternitati ad instantiam universitatis magistrorum et scolarium predictorum sub sigillis nostris transmittimus in testimonium veritatis prout infra continetur. Datum anno Domini M°CC°XL quarto, in festo sancti Thome martyris[1].

Sequuntur epistolae, quae inveniuntur supra n[is] 58, 113, 114, 123 *editae*.

Originale in Arch. Univers. Paris. theça IV. A. 19. h. Restant ex tribus sigillis duo taeniola membranae. — Cf. Jourdain, n° 61.

1. Parisiis ejus festum non 29 Decemb., sed 7 Julii celebratum fuisse, fert opinio communis. Cf. *Art de vérifier les dates*, I, 80; de Wailly, *Éléments de Paléographie*, I, 153; Jourdain, n° 41, not. 3. At 7 Julii in quibusdam dioecesibus sicut etiam in Parisiensi (vide inter alia *Obituarium eccl. Paris.* apud Guérard, *Cart. de l'église Notre-Dame*, IV, 105) festum translationis S. Thomae archiepiscopi celebrabatur; festum vero ejus principale Parisiis etiam « iiij kal. Januarii », i. e. 29 Decembris, erat assignatum, ut legitur in *Kalendariis* Breviariis Parisiensibus mss. praefixis, in *Parvo Pastorali*, Arch. nat. Paris. LL. 176, et in ipso *Kalendario Universitatis*.

---

133. *Innocentius IV propositum Stephani de Lexington, abbatis Claraevallis, de mittendis Parisios ad studendum monachis approbat.*

1245, Januarii 5, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati Clarevallensi salutem et apostolicam benedictionem. Virtutum[1] intenta cultui sacra religio Cisterciensis Ordinis, cui Dei sapientia preclarum dedit initium et ammirabile contulit incrementum, gloriosum nomen altissimi studio glorificat vigilanti, generalis honorem exaltat ecclesie, fidelium mentes illuminat, et infideles ad notitiam veritatis informat, placere sollicita universis et singulis per ordinate opera caritatis. Inter hujus etenim religionis angelice professores, cujus orbem terre spatiosa[2] latitudo complectitur, multos decet cunctis inveniri temporibus, qui splendeant thesauro scientie sicut vite rutilant sanctitate, ut ex utriusque concursu luminis tanti dignitas ordinis taliter illustretur, quod et semper sit in lucem gentium et perhempnis glorie mereatur augmentum. Hinc est, quod cum tu fili abbas, ut salus et honor predicti ordinis ad decus et decorem ipsius generalis ecclesie augeatur, duxeris providendum, quod aliqui ex monasterii tui monachis honestis et ad studendum idoneis Parisius vel alibi, ubi melius expedire videbitur, commorentur divine scripture studio sub regulari observantia vacaturi : nos hujusmodi propositum plenis laudibus

prosequentes tibi ac universis abbatibus Cisterciensis Ordinis, ut id libere possitis efficere, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni non. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), *3 H*/257. Bulla plumbea filis seric. flavi et rub. coloris appenditur. In aversa membrana R̸. In Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), ubi exstant chartae monasterii Cisterciensis, ne una quidem epistola super hac re occurrit. — Reg. Vat. Innocentii IV an. 2, ep. 147, fol. 134. Marino de Ebolo *Collectio* in Arch. S. Petri Romae cod. C. 117, fol. 229. Arch. Vat. arm. 31, nº 72, ep. 2270. D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 360. — Iste Stephanus abbas, natione Anglus, tempore quo S. Edmundus adhuc theologiam Parisiis docebat, scholas ejusdem visitavit, et exinde cum sex aliis auditoribus praedicti Edmundi Ordinem Cisterciensium intravit. *Vita S. Edmundi, Cantuar. archiepisc.*, auctore Bertrando Pontiniacensi, apud Martène, *Thes. nov. anecd.*, III, 1789. Cf. Surius, *De probatis Sanctorum historiis* (Colon. 1577), VI, 371.

1. In Reg. post. « virtutum » perperam interponitur « contra ». — 2. In orig. legitur : « spetiosa ».

---

134. *Innocentius IV universis clericis per Lugdunensem provinciam constitutis et in scholis theologicae facultatis fratrum Praedicatorum Divionensium studentibus concedit ut proventus suorum beneficiorum integre percipiant, ac si Parisiis in eodem studio morentur.*

1245, Februarii 6. Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis clericis per Lugdunensem provinciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecte in Christo filie nobilis mulieris .. ducisse Burgundie[1] precibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus, ut quicunque vestrum in scolis fratrum Predicatorum Dyvionensium Lingonensis diocesis studio institerint theologie, beneficiorum suorum proventus integre percipiant, ac si Parisius in eodem studio morarentur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni viij id. Februarii, anno secundo.

Originale in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), H. 932. Deest bulla. — Reg. Vat. Innocentii IV an. 2, ep. 220, fol. 144. — Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 147, nº 81.

1. Alixiae de Vergiaco, conjugis Eudonis III.

---

135. *Innocentius IV magistris et universitati scholarium Paris. compositionem olim inter ipsos atque episcopum, cancellarium capitulumque Paris. factam de licentia danda aliisque confirmat.*

1245, Februarii 13, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et universitati scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod cum olim inter vos ex parte una, et bone memorie .. episcopum et .. cancellarium ac dilectos filios capitulum Parisiense ex altera, super danda licentia ab eodem cancellario magistris volentibus incipere in singulis facultatibus, et

faciendis constitutionibus de ordinandis lectionibus et disputationibus ac puniendis rebellibus per subtractionem societatis, et taxandis hospitiis ac quibusdam aliis articulis suborta fuisset materia questionis, tandem mediante bone memorie R. episcopo Portuensi tunc Sancti Angeli diacono cardinale et in partibus illis apostolice sedis legato amicabilis inter partes compositio intercessit[1], quam compositionem apostolico petivistis munimine roborari. Nos igitur vestris supplicationibus benignum impertientes assensum, compositionem ipsam sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, *etc.*, nostre confirmationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni id. Februari, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 257^{c}, nº 6. Supersunt fila seric. flavi et rubei coloris. In aversa membrana : « Universitas parisiensis ». — Reg. Vat. Innocentii IV an. 2, ep. 581, fol. 190^{b}. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 13. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 13, sub hac rubrica : « Confirmatio compositionis facte inter Universitatem ex parte una et cancellarium et cap. Paris. ex altera super articulis infra scriptis ». Bulaeus, III, 193.

1. Vide ad hoc supra nº 45, n. 3, et nº 58. Confirmationem privilegii vide infra nº 140.

---

136. *De scholis a quibus retinendae sint et qualiter et de aliis articulis infra scriptis.*

1245, mense Februario, [Parisiis].

Anno M CC quadragesimo quarto mense Februario. Noverint universi, magistros Universitatis Paris. in ecclesia S. Maturini Parisiensis in plena congregatione de communi assensu ipsorum instituisse, quod nullus magister per se vel per alium retineat plures scolas; pro bachellario autem qui de novo est incepturus, sive pro alio magistro retinere poterit, ita tamen, quod si opus fuerit, fidem super hoc faciat juramento.

Item nullus nisi actu regens scolas retinere presumat ad opus sui.

Item nullus retineat scolas alterius actu regentis, quandiu ibi legerit et fecerit quod debuerit erga hospitem.

Item nullus super alium conducat pro majori pretio scolas, quas alius conduxit, nec amplius accipiat ab alio si conducat.

Item nullus retineat scolas ultra pretium taxationis impositum.

Item nullus magister retineat scolas aliquas ab aliquo hoc modo, quod locans faciat ibi determinationem quocunque modo locans[1], sive laicus vel sublocans.

Item si aliquis scolaris domum conduxerit aliquam et de quadam parte domus scolas facere voluerit, fiat taxatio secundum estimationem bonorum ad comparationem totalis pretii domus ejusdem.

Item nullus super alium vel alios domum conducat, quandiu manentes in domo eam retinere voluerint, et fecerint quod debuerint secundum consuetudinem totius ville Parisiensis.

Item si hospes non voluerit hospitium suum dare ad pretium taxatum, et scolaris optulerit se daturum pretium taxatum et securitatem obtulerit super hoc facere competentem, eadem domus interdicatur per V annos. Ille autem vel illi scolares, qui domum interdictam receperint vel moram ibi fecerint et recedere noluerint, quam cito moniti fuerint per rectorem vel servientem ab ipso missum, vel per procuratores similiter vel nuncium ab eis missum, beneficiis scolarum[2] et Universitatis priventur.

Item vacationes, que debent fieri ante Natale Domini, incipiant a secundo O usque ad crastinum crastini Epiphanie[3]. Hec autem statuta sunt retenta potestate, ut universitas magistrorum possit addere vel minuere vel mutare secundum quod viderit expedire.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 49, ex quo titulus supra relatus. In Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 56, post vocem « scolis » additur : « artistarum ». — Bulaeus, III, 195.

1. In Cod. Vat. desunt verba : « quod ... modo locans ». — 2. Sic codd. vulgo in tali constructione scribitur « scolarium ». — 3. Id est a 18 Dec. (prima Antiph. *O* est 17 Dec.) usque ad 8 Jan.

---

137. *Quo tempore, quibus diebus, quibus horis lectiones cursoriae in artibus sint legendae.*

1245, [Parisiis].

Anno Domini MCC quadragesimo quarto. Noverint universi, quod pro communi utilitate studii artium et ejusdem reparatione de communi assensu artistarum provide et de consilio proborum provisum et institutum est, quod deinceps a festo beati Remigii usque ad quadragesimam nullus magister sive actu regens, sive non actu regens, sive bachellarius vel quicunque alius aliquo die disputabili aliqua hora diei lectionem cursoriam nec in scolis nec in domo propria vel aliena legere presumat. Die vero non disputabili circa horam tertiam aliquo modo legere similiter lectionem cursoriam nullus presumat. Post tertiam vero quacunque hora illius diei legere possit. A quadragesima vero, postquam bachellarii determinare inceperint, die quo magistri disputant usque ad Pascha lectionem cursoriam usque post completam Completorii pulsationem nullus legere presumat. Die vero quo magistri non disputant in quadragesima circa horam tertiam nulla lectio cursoria legere inchoetur. Post tertiam vero usque ad prandium legant cursores quacunque hora diei illius pro sua voluntate. Post prandium vero si bachellarii disputant, non legant cursorie vel lectionem cursoriam inchoent usque post completam Completorii pulsationem. Si vero bachellarii non disputant post prandium, quacunque hora cursores possunt legere, et similiter die quo disputant magistri in quadragesima, si bachellarii non disputant post prandium, quod contingit licet raro, liceat cursoribus similiter post prandium[1] quacunque hora voluerint lectiones cursorias inchoare. A Pascha vero usque ad festum sancti Remigii in vindemiis die disputabili usque post completam none Beate Marie pulsationem non presumatur legi vel inchoari lectio cursoria ab aliquo. Completa vero none pulsatione sibi legendi cursorie usque ad noctem gratia confertur. Die vero non disputabili circa tertiam

nullus inchoet lectionem cursoriam. Post tertiam vero illius diei quacunque hora illius diei voluerit legere possit. Si quis vero contra predicte institutionis formam aliquo modo venire presumpserit, noverit se incursurum totius societatis et omnium beneficiorum Universitatis privationem, quousque pro qualitate et quantitate delicti vel transgressionis mandati Universitatis rectori et procuratoribus pro Universitate fuerit ad plenum et pro ipsorum voluntate satisfactum.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 53b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 57, ex quo titulus supra relatus. Cod. Arch. Univ. Paris. 94, p. 65. Cod. Harcur., fol. 120. — Bulaeus, III, 194. — Cum hoc documentum careat nota, quo mense fuerit datum, pro certo affirmari nequit, utrum ad an. 1244, an ad an. 1245 sit referendum. Verisimile est tamen confectum esse mense Februario, sicut praecedens quod in Codd. Reg. 406 et Phillipps 876, immo in altero proxime, subsequitur, vel saltem ante Quadragesimam, cum statuta artistarum plerumque isto tempore edita inveniantur.

1. Verba « quod contingit ... similiter post prandium » om. Vat. Reg. 406.

---

138. *Innocentius IV Petro cancellario Parisiensi, ut religiosi et clerici saeculares ad taxationem suarum domorum cogantur et de modo taxationis.*

1245, Martii 5, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi[1] salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii magistri et scolares Parisienses petitione monstrarunt, quod cum olim iidem in solvendis hospitiorum suorum pensionibus intolerabiliter gravarentur, tandem de consensu et voluntate carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francorum[2] deliberatione provida taxatores ad hoc viros providos deputarunt. Verum quia nonnulli religiosi et clerici seculares, qui domos habent Parisius, taxari domos ipsas minime patiuntur, propter quod grave scandalum oritur inter cives, provideri super hoc per sedem apostolicam petierunt. Cum igitur indignum sit, ut iidem religiosi et clerici in hoc exhibeant se difficiles, in quo alios, precipue laicos, decet eos benivole prevenire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, taxatores idoneos sicut in taxatione hospitiorum laicorum in eorundem religiosorum, etiam si Templarii, Hospitalarii, Cistercienses aut Premonstratenses[3] aut cujusque ordinis fuerint, et clericorum domibus auctoritate apostolica deputare procures. Si vero de laicis nequiverint contaxatores haberi, liceat clericis taxare predicta hospitia ad hoc specialiter deputatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni iij non. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 244, nº 68. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. — Epistola invenitur etiam inserta litteris Adami Silvanectensis episcopi an. 1252 in Arch. nat. Paris. M. 66A, nº 3 (infra nº 199). — Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 14. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 13b. (« Privilegium dom. pape super taxatione hospitiorum omnium et singulorum religiosorum et de modo taxationis ».) Bulaeus, III, 195. Vide praeterea supra nº 114. Cf. Jourdain, *La taxe des logements dans l'Université de Paris* (Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris, 1878).

1. Post Odonem de Castro Radulphi, qui 1244, 28 Maii, cum undecim aliis cardinalis creatus est, et 12 Novemb. cardi-

nalatus annulum recepit (Nic. de Curbio, *Vita Innocentii IV*, c. 12, 15), fuit cancellarius mag. Petrus Parvus, ut eruitur ex libro Johannis de Garlandia, *De misteriis ecclesiae* (Bibl. S. Genovefae Paris. Y. l. 5 in-4°. Bibl. Brugensis, ms. 546), quem scripsit in fine mensis Augusti 1245, ubi circa initium loquitur de magistro Petro cancellario « urbis Parisius, qui studii directas ducit habenas ». In margine legitur : « Hic facit autor degressionem ad magistrum Petrum Parvum, qui fuit cancellarius civitatis Parisius, cui recitatus fuit iste liber et sub cujus correptione traditur iste liber », *etc.* Cf. ejusdem auctoris librum *De triumphis ecclesiae*, ed. Wright, p. 127. Petrum mortuum esse 22 Augusti, scimus ex *Obituario eccl. Paris.* (Guérard, *Cart. de Notre-Dame de Paris*, IV, 134). Die vero 21 Septemb. 1245 adhuc inter vivos et cancellarius fuit. Alphonsus III Portugaliae enim tunc comes Boloniensis, Parisiis in domo et in praesentia Petri cancellarii juramento se obligavit (Reg. Vat. Gregorii X an. 4, ep. 49, fol. 234[b]. Instrumentum juramenti apud Sousa, *Provas da historia geneal.*, *etc.*, I, 51). Anno sequenti jam mentio fit cancellarii Galteri; nam Johannes de Garlandia scribit in fine *Commentarii libri curialium personarum et rerum, etc.* : « Hec edita sunt Parisius sub venerabili cancellario Paris. Galtero de Castello Theodorici anno Dom. Mccxl sexto gloriosum et venerabilem partum b. Marie virginis demonstrante » (Bibl. Brugens., ms. 546, fol. 83[b]). Petrus igitur vel 22 Aug. 1246 defunctus est, vel inter 21 Sept. 1245 et an. 1246 officium cancellarii recusavit. — 2. Ludovici IX. Cf. supra n° 82. — 3. Nota tamen, Praemonstratenses vix ante an. 1252 Parisiis habitasse. Vide infra n° 214.

---

139. *Innocentius IV Petro cancellario Parisiensi mandat, ne alter alterius hospitium sive scholas conducat.*

1245, Martii 6, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Quia non omnes, *etc. sicut supra* n° 123 *usque* retinere voluerit inquilinus[1], neque hospitia vel scolas, si forsan plura conduxerit, locet alii pro pretio cariori, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni ij non. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 19. c. Deest bulla plumbea. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 13. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 13[b], ex quo titulus : « Privil. dom. pape, ne », *etc.* Bulaeus, III, 196. Pasquier, *Recherches de la France*, p. 821, perperam epistolam ad ij id. Martii refert.

1. Codd. addunt tantum « aut scolas » post « hospitium ».

---

140. *Epistola Innocentii IV ad Adamum episcopum Silvanectensem, etc., in qua continetur roboratio ac conservatio compositionis factae inter Universitatem ex parte una, et cancellarium et capitulum Paris. ex altera, super articulis infra scriptis.*

1245, Martii 10, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Silvanectensi, et dilectis filiis decano et scolastico Ambianensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii magistri, *etc. sicut supra* n° 58. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus compositionem eandem sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Lugduni vj id. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 13[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 14[b], ex quo titulus « Roboratio », *etc.* — Bulaeus, III, 194. Cf. supra n° 135.

141. *Innocentius IV universitati magistrorum et scholarium Paris. concedit ut servientes ipsorum communes a singulis nationibus concorditer electi iisdem immunitatibus quibus scholares gaudeant.*

1245, Maii 13, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Vestris supplicationibus inclinati presentium auctoritate concedimus ut servientes vestri communes, qui pro utilitate totius studii a singulis nationibus concorditer eliguntur, illis immunitatibus gaudeant quas vobis apostolica sedes noscitur concessisse[1]. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni iij id. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Reg. Vat. Innoc. IV an. 2, ep. 561, fol. 188 b. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 14. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 15, sub hac rubrica : « De libertate servientium communium Universitatis, qui debent gaudere immunitatibus scolarium ». Cod. Vat. Reg. 1283, fol. 101. — Bulaeus, III, 202.

1. Reg. Vat. « incurrisse ».

---

142. *Innocentius IV magistris et scholaribus Parisiensibus privilegium fori concedit.*

1245, Maii 15, Lugduni.

Universis magistris et scolaribus Parisiensibus. Ut eo liberius vacare litterarum studio valeatis, quo minus fueritis negotiis aliis occupati, nos vestris supplicationibus annuentes auctoritate vobis presentium indulgemus, ut extra civitatem Parisiensem super questionibus intra eam exortis trahi per litteras apostolicas non possitis, nisi expressam de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem[1]. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni id. Maii, anno secundo.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 2, ep. 580, fol. 190 b. — Epistola invenitur inserta litteris A. Silvanectensis episcopi an. 1252 in Arch. nat. Paris. M. 66a, n° 3 (infra n° 199). *Recueil des privilèges de l'Université de Paris*, p. 264, ubi tamen perperam « 1 die Maii » scribitur.

1. Sic v. g. Clemens IV, 23 Jun. 1267 scribit in quadam causa archidiacono Meldensi et aliis, evocent et audiant, qui sint vocandi et audiendi « non obstante indulgentia sedis apost., qua scolaribus Parisien. dicitur esse concessum, ut extra civitatem Parisiensem trahi non possint in causam per litteras apost. non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem ». Arch. nat. Paris. L. 261, n° 114.

---

143. *Innocentius IV universos magistros et scholares Parisienses monet, ne quis scholas alterius absque ejus consensu, neque hospitia interdicta retineat.*

1245, Maii 15, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Universitati vestre auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliquis vestrum alterius scolas aut hospitium absque illius consensu vel scolas aut hospitia a magistris vel officiali Parisiensi, qui pro tempore

fuerint, interdicta conducere vel retinere presumat. Dat. Lugduni id. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca IV, A. 19. e. Deest bulla plumbea. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 14. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 14ᵇ. Bulaeus, III, 196, sicut et Jourdain nº 65 hanc epistolam ad ij non. Martii (Martii 6) referunt. Recte Pasquier, *Recherches de la France*, p. 821.

---

144. *Innocentius IV Universitati Parisiensi mandat ut magistri ac alii ad generales congregationes veniant.*

1245, Maii 18, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Studii Parisiensis augmentum et plus ceteris affectare ac procurare vos convenit, quo magis in illo et honestate morum et litterarum scientia profecistis. Hinc est quod universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad generales congregationes, quas pro communi utilitate studii fieri contigerit, nisi legitimo fueritis impedimento detenti, accedere nullatenus omittatis consilium et auxilium ad ejusdem studii commodum impensuri. Dat. Lugduni xv kal. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 15. ex quo titulus : « ut magistri », *etc.* Cod. Vat. Reg. 406, fol. 14ᵇ. Cod. Britannici Musaei Add. 17304, fol. 17. — Jourdain, nº 71.

---

145. *Innocentius IV archiepiscopis per regnum Franciae constitutis mandat ut nulli deinceps in scholis proventus praebendarum recipiant nisi obtenta licentia ad easdem scholas accesserint.*

1244, Junii 28-1245, Junii 28.

Archiepiscopis per regnum Francie constitutis et eorum suffraganeis. In nonnullis ecclesiis obticetur de consuetudine vel statuto, ut earum canonici proventus suarum in scolis percipiant prebendarum. Sane quamplures hujusmodi statuti vel consuetudinis causam minime attendentes, et non scientie lucrum sed ecclesiasticorum proventuum querentes dumtaxat commodum, scolis corporaliter adsunt, a studio mentaliter alieni, nolentes vel modicum de nocturni sompni querere convertere in vigilie studiose laborem, aut vacationem otiosi discursus commutare in exercitium utilis lectionis. Quia igitur non merentibus claudenda est liberalitatis dextera, nec debent beneficiorum suorum fructus scolares qui scientiam non esuriunt manducare, universitati vestre precipiendo mandamus, quatinus singuli in vestris civitatibus et diocesibus sollicite providere curetis, ut nullis deinceps in scolis prebendarum seu beneficiorum suorum proventus nisi qui de vestra et capitulorum ecclesiarum in quibus prebendati vel beneficiati existunt aut a vobis seu capitulis ipsis juxta locorum consuetudinem obtenta licentia ad scolas ipsas accesserint,

sintque dociles et habeant animum ad studendum, ut merito de ipsorum profectu sperari valeat, ministrentur. Circa quos etiam illam volumus adhiberi cautelam, ut si eorum aliquos non competenter secundum temporis quantitatem profecisse constiterit, illis postmodum nonnunquam ex preteritis conjectura sumatur probabilis de futuris hujusmodi licentia minime tribuatur. Contradictores, *etc.*

Reg. Vat. Innocentii IV an. 2, epp. cur. nº 13, fol. 208. — Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, nº 1366. — Litterae temporis nota carent.

---

146. *Innocentius IV abbatibus Ord. Cisterc. in generali capitulo mandat ut studium theologiae Parisiis jam inceptum ferventi desiderio amplecti studeant.*

1245, Septembris 4, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. Cistercii .. de Firmitate .. de Pontigniaco .. de Claravalle .. de Morimundo, ac universis aliis abbatibus Cisterciensis Ordinis in generali capitulo congregatis salutem et apostolicam benedictionem. Diligentie studio contemplantes, quod religionis vestre sinceritas dignis undique laudum preconiis exaltatur, ad ea que vestri ordinis decorem sapiunt et profectum, ex affectu intimo aspiramus. Sane quidam vestrum sedula meditatione pensantes, quod etsi columbe simplicitatem ne videlicet cuiquam dolos machinemini habeatis, quia tamen ne ipsa simplicitas aliorum supplantetur insidiis, serpentis astutiam prudenter convenit vos habere, cum in vitio posse decipere vel decipi parum distare noscatur, Parisius, ubi auro locus est in quo conflatur, ubi turris David cum suis propugnaculis construi consuevit, ex qua non solum mille dependent clipei, sed omnis feré armatura fortium, dum indesinenter exinde fortes ex fortissimis prodeunt tenentes gladios et ad bella doctissimi qui ambiunt per orbem undique lectulum Salomonis, domos idoneas construxerunt in quibus ad hauriendum aquas vivas in gaudio de fontibus Salvatoris ad addiscendum legem immaculatam Domini animas convertentem, nonnulli semper de vestris monachis residebunt, qui cum docti fuerint in ordine vestro velut splendor fulgeant firmamenti, ac alios sic eruditos faciant, ut nec eos astutia prefata decipi supplantatoris laqueis patiatur, immo sicut stellas celi non extinguit nox, sic mentes ipsorum inherentes firmamento sacre scripture mundane iniquitatis umbraculum non obscuret. De quo tanto ampliori gratulatione animi jocundamur, ac spiritus noster in Domino recreatur, quanto ex hujusmodi facti circumstantiis cognoscimus evidentius atque scimus per hoc utilitatem totius ordinis procurari. Ut igitur quod tam sancto et provido est inchoatum principio finis laudabilis exitum sortiatur, universitatem vestram rogamus et monemus attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus considerato prudenter, quod ignorans ignorabitur et qui scientiam repulit, ut non fungatur sacerdotio, repelletur a Domino, cum in culpa existat ignorantia affectata : hujusmodi studium, quod alibi quam in civitate prefata fieri prohibemus, sic amplecti ferventi desiderio studeatis, quod viros litteratos habere possitis, per quos non

solum ordini vestro, sed etiam universali ecclesie fructus proveniat qui non perit, nosque proinde diligentiam vestram dignis in Domino laudibus prosequamur. Dat. Lugduni ij non. Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3 H/257. Restant fila cannab. — D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 361. — Ordinationem capituli generalis cum mandato papae congruentem vide infra nº 148.

---

147. *Innocentius IV magistris et scholaribus Tolosanis eandem libertatem concedit qua gaudent Parisienses.*

1245, Septembris 11, Lugduni.

Universitati magistrorum et scolarium Tholosanorum. Olim operante illo qui vult omnes homines salvos fieri, et neminem vult perire per ministerium bo. me. R. tunc Portuensis electi in illis partibus apostolice sedis legati inter ecclesiam et nobilem virum .. comitem Tholosanum pace preeunte divina gratia reformata idem legatus tam provide quam prudenter attendens quod fides catholica, que pene penitus videbatur de illis partibus profligata, inibi reflorere valeret sic illic litterarum studium crearetur duxit provide statuendum, ut in Tholosana civitate cujuslibet licite facultatis studia plantarentur, quorum magistris, ut liberius possent vacare studiis et doctrinis, a jamdicto comite fuit promissum certum salarium et statutum. Nos igitur ad instar felicis recordationis G. pape predecessoris nostri quod super premissis factum est gratum et ratum habentes, ut eadem libertate, qua gaudent Parisienses scolares, vos et omnes qui vobis successerint in hac parte perpetuo gaudeatis devotioni vestre duximus concedendum .... Dat. Lugduni iij id. Septembris, anno tertio.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 3, ep. 155, fol. 236. Vide apud Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, nº 1515, integram epistolam, qua tantum illa Gregorii IX an. 1233 repetitur. Vide supra nº 99. — Hic annotari debet, magistros Tolosanos « copiam litterarum apostolicarum super concessa Parisiensibus libertate hujusmodi confectarum nunquam habuisse », ut refert Johannes XXII, 13 Nov. 1316, in epistola ad magistros Parisienses directa. Et licet innixi privilegio ab Innocentio IV ipsis concesso pluries Parisiensibus efflagitaverint ut apographa dicta ipsis mitterentur, Parisienses tamen hoc facere respuebant. Reg. Vat. Avenion. Johann. XXII, tom. VI, 154.

---

148. *Ordinatio capituli generalis Ord. Cisterciensium de studiis, praesertim de studio Parisiis jam incepto.*

1245, Septembris 12, [Cistercii].

Ad honorem Dei et ordinis decus et decorem s. universalis ecclesie et ut corda nostra luce divine sapientie plenius illustrentur, presertim cum domini pape mandatum et plurium cardinalium petitionem et admonitionem susceperimus et precipue domini J.[1] tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis: sic statuit capitulum generale, ut in singulis abbatiis ordinis nostri, in quibus abbates habere potuerint et voluerint, habeatur studium, ita quod ad minus in singulis provinciis provideatur abbatia una, in qua

habeatur studium theologie, ita quod monachi ad studium deputati a kalendis Octobris usque ad Pascha statim, postquam missam audierint, extra terminos exeant ad studendum, et studio vacent usque ad collationem. A Pascha autem usque ad dictas kalendas Octobris exeant post Laudes, et usque ad prandium studeant, hoc salvo, quod missas[2] audiant vel celebrent. Iterum post nonam usque ad coenam revertantur in id ipsum. Ad dictas vero abbatias mittere poterunt abbates de monachis suis, quos[3] ad hoc magis idoneos viderint, ita tamen, quod ad id compelli non poterunt, quibus facultas deerit vel voluntas, et abbati loci illius, ad quem mittuntur, respondere teneantur qui mittunt de expensis transmissorum, nec clerici seculares nec alterius ordinis in ipsis scolis admittantur.

Pro reverentia vero domini pape et aliorum cardinalium, qui pro dicto scripserunt negotio[4], et precipue J. tituli S. Laurentii [in Lucina] concedit capitulum generale, ut studium per sollicitudinem abbatis Clarevallis[5] Parisius jam inceptum inviolabiliter perseveret, et illuc nullus mittere compellatur, nisi spontanea voluntate. Qui autem sic miserint, missis provideant in expensis.

Bibl. Trecensis, ms. 1796, fol. 2. Cod. definit. et capitul. gen. Ord. Cist. in Arch. stat. in Luzern, l. 1, pars 1, p. 196. Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1384, nos 3 et 4.

1. Johannis de Tolleto, Ord. Cisterc. — 2. Cod. Luz. « missam ». — 3. Cod. Luz. « quot ». — 4. Trec. « qui predicto negotio prefuerunt, concedit », *etc.* — 5. Vide supra nos 133 et 146.

---

149. *Innocentius IV statuta a Gregorio IX Universitati Parisiensi concessa magistris et scholaribus Tolosanis observanda tradit.*

1245, Septembris 22, Lugduni.

Universis magistris et scolaribus Tholosanis. In civitate Tholosana domui David factus est fons patens et vena vite, scientia salutaris, ad cujus aquas sitientes confugiunt haurientes in gaudio de fontibus Salvatoris, ut cum Rachele camelos gibbosos videlicet peccatores gibbo peccaminum oneratos potu reficiant, ac revelent post labores, ne in via deficiant qui propter ignorantie sue tenebras laborantes continue, tota nocte, nichil nisi quod vanum est et transitorium acceperunt, sed nunc conversi ad fluenta theologice discipline in ipsius lumine vident lumen a quo tanquam a patre luminum omne datum optimum et omne donum perfectum emanat verius et descendit. Ibi lactentes ad ubera pendent matris. Ibi parvulis panis frangitur scripturarum. Ibi exercitatos habentibus sensus in altum retia ducit Petrus ita ut nullus expers munerum inveniatur ipsius qui ad eandem scientiam accesserit puro corde. Vocat hec siquidem ancillas artes videlicet liberales ad sui obsequium ad superne menia civitatis. Et idcirco ibidem floret studium in eisdem ut per ancillas hostiarias ad veram sapientiam hostium pateat, et tanquam per viam compendii adducant ad ipsam velocius studiosos. Volentes igitur quod tam fidelis plantatio apostolice sedis confota muneribus, exculta studiis, defensata digni favoris

auxiliis robur accipiat et profectum, circa statum scolarium et scolarum civitatis ejusdem juxta felicis recordationis G. pape predecessoris nostri ab ipso magistris et scolaribus Parisiensibus statuta concessa hec statuimus observanda. Videlicet quod quilibet cancellarius Tholosanus deinceps creandus coram episcopo vel de ipsius mandato in capitulo Tholosano, vocatis ad hoc et presentibus pro universitate scolarium duobus magistris in sua institutione jurabit, quod ad regimen theologie ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore secundum statum civitatis et honorem ac honestatem facultatum ipsarum, non nisi dignis licentiam largietur, non admittet indignos personarum et nationum acceptione submota..... Dat. Lugduni x kal. Octobris, anno tertio.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 3, ep. 156, fol. 236. *Histoire du Languedoc*, ed. Privat, VIII, 1184. Innocentius IV repetit integram constitutionem Gregorii IX *Parens scientiarum* (vide supra nº 79) eamque Universitati Tolosanae accommodat.

---

150. *Robertus Grosseteste episcopus Lincolniensis ministro frat. Minorum in Anglia de morte in Universitate Parisiensi duorum magistrorum ejusdem Ordinis Alexandri de Hales et Johannis de Rupella.*

1245, Septemb.-Octob.

Robertus Dei gratia Lincolniensis episcopus dilecto sibi in Christo fratri ministro fratrum Minorum in Anglia[1], salutem et sincere in Domino caritatis augmentum. Veros non molestat amicos, sed magis consolatur, quicquid sapienter et salubriter disponit is quem vera amicitia complectimur. Quapropter cum veri sitis amatores et amici Dei, non potest vos quicquam molestare, quod ipso fit ordinante. Ipsius autem providentia, que omnia sapienter disponit et salubriter, frater Johannes, socius fratris Ade, laborat quartana, qua egrotare incepit in reditu nostro apud Belnam[2], quem diebus interpolationis duximus usque ad Nogent, et illinc per aquam Secane usque Parisius fecimus eum nos precedere. Quia autem non videbatur nobis neque fratri Ade securum, quod sequeretur nos inde versus mare, nec quod Parisius moraretur propter aeris illius loci infectionem non salubrem, elegimus, ut per aquam iret Rothomagum fratre Adamo usque illuc eundem comitante, qui nullo modo voluit ab egrotante recedere, donec notis sibi fratribus in loco salubri illum commisisset; et sic ad mare tandem nobis occurreret. Veruntamen cum venissent ad urbem, que vocatur Manta[3], invalescente debilitate dicti fratris Johannis non ausus fuit frater Ada illum ulterius ducere, nec propter ipsius debilitatem ab ipso recedere, ut nobis secundum condictum occurreret. Quia igitur apud dictam urbem Mantam ambo remanserunt, supplicamus omni qua possumus affectione, quatinus fratrem Petrum de Theokebure[4] cum aliquo vel aliquibus fratribus, qui cum fratre Johanne possint commorari, donec statum ipsius Dominus emendaverit, fratre Petro cum fratre Ada rediturо, ad predictam urbem mittere non tardetis; hoc enim utrique fieri desiderant et supplicant. Preterea sciatis, quod non est securum, quod frater Ada prolixius moram trahat in illis partibus, cum plures multum desiderent ipsum Parisius detinere, maxime mortuis

fratribus Alexandro de Hales et J. de Rupellis[5]. Et sic tam vos quam nos maximo nostro solatio essemus destituti, quod absit. Omnino autem provideatur, quod dictus frater Petrus nobis satagat occurrere, antequam transfretet. Erimus autem per Dei gratiam apud Witland die sabbati proxima post festum beati Dionisii[6]. Ceterum noveritis, quod in causa visitationis plane — benedictus Dominus — pro nobis et per consequens pro omnibus episcopis est pronunciatum[7]. Valeat paternitas vestra semper in Domino.

Roberti Grosseteste epistolae, ed. Luard, p. 334. — Robertus episcopus Lincolniensis scripsit hanc epistolam, quando a Concilio Lugdunensi recessit. Socius ejus frater Adam de Marisco fuit celeber theologus fratrum Minorum in Universitate Oxoniensi.

1. Guillelmo de Nottingham (1240-1249). — 2. Beaune. — 3. Mantes. — 4. Petrum de Tewksburia, qui anno 1249 successor fuit Guillelmi de Nottingham in ministerio Angliae fratrum Minorum. Vide Thomam de Eccleston, *De adventu Minorum in Angliam in Mon. Francisc.*, ed. Brewer, p. 71. — 5. Ex hoc odiscimus, quo anno duo celebres doctores Ord. Minorum, Alexander de Hales et Johannes de Rupella, obierint. Johannes de Garlandia, qui isto tempore Parisiis morabatur, notat insuper Alexandrum die 15ª Augusti obiisse et legatum Odonem missam celebrasse pro defuncto astantibus praelatis de Concilio (Lugdunensi) venientibus. *De misteriis ecclesiae.* Bibl. S. Genovefae, Y, l. 5, in-4°, in fine. Bibl. Brug. ms. 546, fol. 52ᵇ. Cf. *Monum. Francisc.*, p. 542. Johannes de Rupella obiit 3 Februarii (Artur. a Monasterio, *Martyrolog. Francisc.*, p. 49, ubi tamen perperam dicitur, Johannem esse mortuum an. 1271). Contra istos, qui usque hodie asseverant, Johannem de Rupella anno 1253 cathedram Bonaventurae reliquisse, notandum est, S. Bonaventuram jam anno 1248 a Johanne de Parma, *suo antecessore in legendo*, annoque 1247 in ministrum generalem electo, fuisse assignatum, ut Parisiis legeret, sicut dicit auctor coaevus Salimbene in suo *Chronico*, Cod. Vat. lat. 7260, fol. 138, ed. Parm., p. 129. Cf. p. 62, 128, 137. *Monum. Francisc.*, ed. Brewer, p. 49. — 6. 14 Octobris. — 7. Has litteras Innocentii IV nobis conservavit Matth. Paris., *Chron. maj.*, ed. Luard, IV, 497. Datae sunt Lugduni viij kal. Sept. an. 3 (25 Aug. 1245), ex quo etiam apparet, epistolam Roberti Lincoln. episc. esse scriptam anno 1245. Cf. Felten, *Robert Grosseteste*, p. 35.

---

151. *Innocentius IV Johanni Teutonico, mag. generali Ord. Praed., mandat ut magistrum theologiae ad domum Cistercii mittat.*

1246, Januarii 8, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. magistro Ordinis fratrum Predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Nostris inducti suasibus dilecti filii .. abbas Cistercii[1] ejusque coabbates Cisterciensis Ordinis pridem in generali capitulo congregati laudabiliter, sicut accepimus, statuerunt ut in abbatiis eorum theologice studium habeatur[2]. Cum itaque dictus abbas pro domo Cistercii magistrum de ordine tuo habere cupiat et scientia preditum et virtutibus insignitum, devotionem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverentia ipsius abbatis desiderium sublato difficultatis obstaculo in hac parte compleas per effectum, ita quod ipse ac ejusdem loci conventus in te religiose sinceritatis affectum invenisse gaudeant, et nos qui preces hujusmodi cum fiducia dirigimus, tibi grates exinde referamus. Dat. Lugduni vj id. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 245, n° 109. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. — Edita *Mém. de la Soc. de l'histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 259.

1. Bonifacius. — 2. Vide supra n° 148.

---

152. *Epistola, qua Innocentius IV Constitutionem* Romana ecclesia *de causa inter Juhellum archiepiscopum Remensem et ejus suffraganeos tractantem Universitati Parisiensi transmittit.*

1246, April. 21, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem[1]. Cum inter venerabiles fratres nostros[2] Remensem archiepiscopum ex una parte et ipsius suffraganeos et dilectos filios tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum capitula necnon abbates et conventus monasteriorum provincie Remensis ex altera super diversis articulis questione pendente nos super hiis diffinitivam duxerimus sententiam proferendam[3], et nonnulla, que determinata per sententiam hujusmodi extiterint, fecerimus postmodum specialiter elici, volentes ea deinceps a ceteris observari : universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus illis in judicio utamini et in scolis, ea sub certis titulis, prout in pagina presenti distinguimus, inseri facientes[4]. Dat. Lugduni xj kal. Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 4295. fol. 206. Epistola est praefixa Constitutioni *Romana ecclesia* in 10 capita divisae, in cujus fine fol. 208 legitur temporis nota supra relata. Titulus : « Constitutiones et decreta Innocentii IV super causa coram ipso agitata inter archiepiscopum Remensem et ejus suffraganeos edite ». — Cod. Vat. Pal. 629 (saec. XIII-XIV). Bibl. reg. Berolin. ms. lat. Fol. nº 7; Bibl. Claustroneoburg. (Can. Reg.), ms. 96 (saec. XIV); Erlangen, ms. 464 (saec. ejusd.); Montispessul. Bibl. de l'école de médec., ms. 9 (saec. XIII-XIV); Bibl. Mellicensis (ord. S. Ben.), ms. C. 27 (saec. XIV); Lipsiae, Bibl. Univers., ms. 973 (saec. XIV). In his mss. epistola supra edita praefixa est primo capiti Const. *Romana ecclesia*, quae in *Constitutionibus novis* Innocentii IV, sine temporis nota, decem capita complectitur (generatim capp. 6, 8, 11, 13, 19, 27, 31, 34, 35, 40). Constitutio integra tamen ac indivisa invenitur in Reg. Vat. Innocentii IV an. 3, ep. 491, fol. 276–280, dataque est Lugduni xvj kal. April. an. 3 (1246, Martii 17). Mense elapso Constitutionem suam contraxit, in decem capita divisit, ac Universitati Paris. assignavit. Diversa temporis nota in ms. Paris. ac in Reg. Vat. sic explicari debet. In Bibl. cap. Poson. ms. 13 (saec. XIII) Const. praefata capp. 23-32 infra Constitutiones Innocentii comprehendit, et per errorem capiti 23 praefixa est epistola Innocentii, qua suas in Concilio Lugdunensi promulgatas Constitutiones Universitati Bononiensi transmittit (vide infra nº 153). — Boehmer, *Corp. jur. can.*, II, App., p. 352, ex cod. Berol. allato, ubi tamen principium Const., id est, cap. 6, deest. Apud Mansi, *Coll. conc.*, XXIII. 651, sicut in multis codd., qui Constitutiones novas Innocentii IV continent, epistola supra publicata non invenitur.

1. In Cod. Paris. deest « episcopus ... benedictionem ». — 2. Aliqui codd. om. « nostros ». — 3. Al. « promulgandam ». — 4. Sequitur : « Hujusmodi vero diffinita (constituta) sunt haec. *De appellationibus*. Romana ecclesia, *et infra* : Cum suffraganeorum », *etc.*

---

153. *Epistola, qua Innocentius IV suas in Concilio Lugdunensi promulgatas Constitutiones Universitati Parisiensi mittit.*

Post 1246, April. 21, [Lugduni].

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper in Concilio Lugdunensi[1] quasdam Constituciones super certis articulis duxerimus[2] promulgandas[3], universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, uti velitis amodo tam in judiciis quam in scolis, ipsas sub suis titulis prout super qualibet earum exprimitur, inseri facientes.

[Innocenz l'apostor le sers de sers Dieu fi mante saluz et beneicon al mestres et al escoliers qui demorent a Paris. Come nos oions novelement unes constitutions fetes et establies sus certeins articles, nos mandons a vostre universite que desor en avant usez des devant dites constitutions en jugemenz et en escoles; nos vos envoions soz nostre bulle et si vos mandons que vos les faciez mestre soz certains tytres si come il est contenuz sus chascune d'iceles.]

Epistola praefixa est *Constitutionibus novis* Innocentii IV (ubique sine temporis nota) Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15450, fol. 271; 15407, fol. 225; 11715, fol. 199; Bibl. Gratianopol. ms. 72; Bibl. Fuldens. ms. D. 24; Bibl. Gebennens. ms. 59; Bibl. Carnot. mss. 263 et 477; Bibl. Univers. Erlangen. ms. 464; Cod. Vat. Pal. 635, et in pluribus aliis mss. In Bibl. Brug. ms. 365; Bibl. univers. Goettingen. ms. jur. 153; Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15406 legitur: « Parisius et Bononie studentium », deest tamen in ms. Paris. epistola ipsa. Innocentium suas Constitutiones, 42 numero, non ante April. 21, an. 1246, in unum corpus redegisse et Parisios (Bononiamque) transmisisse liquido apparet ex hoc, quod Constitutio *Romana ecclesia*, quam in decem capita divisam collectioni inseruit, non prius quam Mart. 17 an. 1246 ab ipso data, et April. 21 ejusdem anni Universitati Paris. missa est (vide notam ad docum. praecedens). — Anno 1253, Sept. 9 Innocentius initia suarum Constit. insertis initiis 12 novarum decretalium una cum nova epistola direxit ad archidiaconum Philippum Bononiensem (Reg. Vat. Innocentii an. 11, epp. Curial. nº 4, fol. 129ᵇ. Bibl. nat. Paris. 11715, fol. 214. Bibl. cap. Poson. ms. 13, fol. 224. Sarti, *De clar. archigymn. Bonon. profess.*, II, 124). — Textus gallicus occurrit in ms. insigni Montispessul. Bibl. de l'école de médecine, ms. 51 (saec. XIII-XIV). Vide Schulte, *Iter gallicum*, in *Sitzungsb. der phil. hist. Cl. der Kais. Acad. d. Wissensch.*, LIX, 404 sq. — Constitutiones Innocentii primus edidit Boehmer, *Corp. jur. can.*, II, App., p. 351-362, ex ms. lat. in Fol. nº 7 Bibl. reg. Berolin. (ubi ep. praefixa directa est, sicut in pluribus codd., Bononiam), deinde Mansi, *Coll. concil.*, XXIII, 650.

1. In tertia et ultima sessione, Jul. 17, an. 1245. — 2. In quibusdam mss. « duximus ». — 3. Ex documento praecedenti ediscimus, Constitutionem *Romana ecclesia* non in Concilio, sed post ipsum celebratum, esse editam. Decretalis insuper *Ad haec*, vel potius *Praesentium* (generatim cap. 20 inter Constitutiones Innocentii) data est a Gregorio IX, Laterani kal. April. anno xij (1238, Apr. 1), ut legitur in Bibl. cap. Poson. ms. 13, fol. 205.

---

154. *Innocentius IV Roberto Grossetete episcopo Lincolniensi mandat ut apud Oxoniam nullum docere permittat, nisi qui secundum morem Parisiensem examinatus fuerit et approbatus.*

1246, Maii 20, Lugduni.

.. Episcopo Lincolniensi. Cum sicut te accepimus intimante apud Oxoniam tue diocesis, ubi studium vigere dinoscitur, nonnulli passim absque examinatione cathedram presumant ascendere magistralem, ex quo periculum imminet et scandalum etiam generatur, nos tuis supplicationibus inclinati presentium tibi auctoritate concedimus, ut nullum ibi docere in aliqua facultate permittas, nisi qui secundum morem Parisiensem a te vel hiis quibus in hac parte tuas vices commiserimus examinatus fuerit, et etiam approbatus. Contradictores, *etc.* Dat. Lugduni xiij kal. Junii, anno tertio.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 3, ep. 520, fol. 284. — Wood, *The history and antiquities of the Univ. of Oxford*, I, 236.

---

155. *Ordinatio capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Johanne Teutonico celebrati de domo Parisiensi.*

1246, in fine Maii, Parisiis.

Cum domus Parisiensis sit multum gravata, rogamus fratres affectuose de omnibus provinciis, ut ipsi de testamentis et aliis elemosynis sint solliciti quantum poterunt aliquod auxilium predicte domui procurare.

Mss. Rom. et Rutenens. capp. general. ad Ord. Praed. pertinentes. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1691, nº 11. — Sic etiam Guillelmus episc. Parisiensis rogavit reginam Blancam, ut fratribus S. Jacobi aere alieno gravatis subveniret. Vide Lecoy de la Marche, *Anecd. historiques ... du recueil inédit d'Étienne de Bourbon*, p. 389, nota. In causa erat concursus fratrum studentium ex omnibus provinciis ordinis.

---

156. *Innocentius IV cantori Remensi concedit, ut Parisiis insistens studio, per quinquennium proventus suos ecclesiasticos percipiat.*

1246, Junii 13, Lugduni.

.. Cantori Remensi Parisiensi canonico, cappellano nostro. Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus ad facultatem theologicam desideres te transferre, nos volentes tibi facere gratiam specialem, auctoritate tibi apostolica concedimus facultatem, ut tu Parisius insistens studio, ubi etiam prebendam obtines, proventus tuos ecclesiasticos per quinquennium percipere valeas, cotidianis distributionibus que consueverunt residentibus exhiberi dumtaxat exceptis, ac si in ecclesia personaliter resideres. Non obstante si est consuetudo quod ubi quis prebendam obtinet non potest facere stagium alterius beneficii vel prebende, aut si in Remensi ecclesia ratione cantorie tenetur residentiam facere personalem. Dat. Lugduni id. Junii, anno tertio.

Reg. Vat. Innocent. IV an. 3, ep. 578, fol. 291. In ep. 574 mandat thesaurario Cathalaunensi et Philippo de Longes, canonico Beati Martini Turon., ne super hoc cantorem Remens. molestari permittant. Cf. Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, nº 1914. Haud raro mandata hujusmodi in Reg. pontif. occurrunt. Sic v. g. idem papa abbati S. Genovefae Paris. mandat 23 Mart. 1249, ut Martino scholari, nepoti Hugonis (de S. Charo) tit. S. Sabinae presb. cardinalis usque ad triennium redditus ministrandos curet. Berger, l. c., nº 4590. Vide praeterea supra nº 46.

---

157. *Innocentius IV studentes Ord. Cisterc. apud S. Bernardum Paris. sub b. Petri protectione suscipit, eisque omnia privilegia Ordini concessa elargitur.*

1246, Junii 19, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monachis de loco qui dicitur Beati Bernardi Parisiensis[1] Cisterciensis Ordinis in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii nos vestris justis postulationibus grato concurrentes

assensu personas vestras et locum, in quo sub observantia regulari degitis theologie studio desudantes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, vobis de speciali gratia concedentes, ut privilegiis, indulgentiis et libertatibus Ordini Cisterciensi ab apostolica sede concessis sicut ceteri fratres ejusdem ordinis gaudeatis. Nulli ergo, *etc.*, nostre protectionis et concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni xiij kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 245, n° 129. Deest bulla plumbea. In aversa membrana legitur bis charactere cancellariae pontif. : « Cardinalis albus pro scolaribus Parisiensibus ». Iste « Cardinalis albus » fuit Johannes de Tolleto, Ord. Cisterc., presb. card. tit. S. Laurentii in Lucina. In Arch. dép. de l'Aube (Troyes) occurrit *vidimus* : « Universis presentes litteras inspecturis Frater Jacobus miseratione divina Humanensis episcopus salutem in Domino. Noveritis, quod nos anno Domini M° CC° quadragesimo sexto xvij kal. Augusti vidimus et diligenter inspeximus apud Claram Vallem indulgenciam monachis de loco qui dicitur Beati Bernardi Parisien. ab apostolica sede concessam serico bullatam de verbo ad verbum fideliter et veraciter per omnia continere, sicut in presenti pagina inferius continetur. Innocentius », *etc.* sicut supra.

1. « Beatus Bernardus » nominabatur isto tempore non collegium in Cardineto, qui adhuc non exsistebat, sed habitatio, de qua supra n° 53.

---

158. *Innocentius IV clericis per Lugdunensem provinciam constitutis et in scholis theologicae facultatis fratrum Minorum Divionensium studentibus indulget ut beneficiorum suorum proventus integre, ac si Parisiis in eodem studio morarentur, percipiant.*

1246, Junii 22, Lugduni.

Universis clericis per Lugdunensem provinciam constitutis. Inclinati precibus dilecti filii nobilis viri .. ducis Burgundie[1] auctoritate vobis presentium indulgemus, ut quicumque vestrum in scolis fratrum Minorum Divionen. Lingonen. diocesis studio institerint theologice facultatis, beneficiorum suorum proventus integre percipiant, ac si Parisius in eodem studio morarentur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis, *etc.* Dat. Lugduni x kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 3, ep. 624, fol. 298[b]. — Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 416, n° 137.

1. Endonis III.

---

159. *Innocentius IV ad Theobaldum abbatem S. Genovefae Paris., ut homines suos pro scholarium pace et securitate ad ea constringat, ad quae per regale privilegium cives Parisienses astringuntur.*

1246, Junii 26, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati sancte Genovefe Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris sed melioris conditionis, *etc. sicut supra* n° 88. Dat. Lugduni vj kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 245, n° 76. Bulla plumbea filis cannab. append. In aversa membrana harum litterarum sicut et proximo sequentium quae olim extabant in Archiv. Univers., charactere antiquo legitur : « Universitas ». — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 14[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 15[b], ubi sicut apud Jourdain, n° 73 « vij. kal. Julii » ascribitur. Apud Jourdain praeterea perperam ad an. 1245 refertur.

160. *Innocentius IV Hugoni abbati S. Germani de Pratis mandat, ut homines ejus astringantur per regale privilegium sicut cives Parisienses.*

1246, Junii 26, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati S. Germani de Pratis Paris. salutem et apostolicam benedictionem. Cum non deterioris, *etc. sicut supra* n° 81. Dat. Lugduni vj kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 245, n° 78. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. — Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 15. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 14b. Apud Jourdain, n° 75, perperam « vj kal. Junii », recte vero Reg. 98 (A. 20. c.) in Arch. Univers.

---

161. *Innocentius IV studentibus Ord. Cisterc. Parisiis constitutis ut novitios ad professionem admittant largitur.*

1246, Octobris 11, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori et monachis constitutis in loco qui dicitur Beati Bernardi Parisien. Cisterciensis Ordinis in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Pridem personas vestras et locum, in quo sub observantia regulari degitis desudantes theologie studio, sub beati Petri et nostra protectione affectu benivolo admittentes vobis prout asseritur de gratia speciali concessimus, ut privilegiis et libertatibus Ordini Cisterciensi ab apostolica sede concessis sicut ceteri fratres ejusdem ordinis gaudeatis[1]. Ut autem hujusmodi vestrum augeatur gaudium, si pro voto vestra sinceritas favorem in nobis inveniat gratiosum : nos vestre precibus devotionis inducti, ut vestros novitios et conversos, post decursum legitimum probationis tempus secundum generalem observantiam ejusdem ordinis, ad professionem recipere valeatis, dummodo dilectis filiis .. abbati Cistercii et capitulo generali non displiceat, vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni v id. Octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Duo originalia in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3 H/257. Deest bulla plumbea. In aversa membrana amborum R. Supra : « Frater Johannes Cardinalis ». — Reg. Vat. Innocentii IV an. 4, ep. 154, fol. 329b. D'Arbois de Jubainville, *Etudes sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 362.

1. Vide supra n° 157.

---

162. *Innocentius IV magistris et scholaribus Paris. ut non liceat eos absque licentia speciali sedis apostolicae excommunicari concedit.*

1246, Octobris 23, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos vobis apostolicum denegare favorem, quem vestris videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientie,

que plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptatis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes[1] ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est quod quieti vestre paterna volentes diligentia providere auctoritate vobis presentium indulgemus ut nullus in universitatem vestram magistrorum et scolarium aut procuratorem eorum vel rectorem cujuscumque aut quarumcumque facultatum seu quemquam alium pro facto vel occasione ipsius Universitatis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias audeat promulgare absque sedis apostolice licentia speciali, et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita et inanis. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Presentibus post septennium minime valituris. Dat. Lugduni x kal. Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 246, nº 135. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Subscriptio : B. pen. In parte aversa legitur charactere cancellariae apost. : « Universitas ». Quoad has litteras vide similes Gregorii IX supra nº 113, et notam ibidem. — In eodem Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 3, epistola inserta est litteris episcopi Silvanectensis 11 Febr. 1252 (infra nº 199). Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 15ᵇ, sub titulo : « Ut nullus in Universitatem, rectorem, procuratores seu quemquam alium pro facto vel occasione Universitatis aliquum sententiam audeat promulgare ». Cod. Vat. Reg. 406, fol. 15. Jourdain, nº 76.

1. Orig. « insundantes ».

---

163. *Innocentius IV Juhello archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo et decano Silvanectensibus, ut molestatores magistrorum et scholarium Parisiensium censura ecclesiastica compescant, hoc privilegio per septennium tantum valituro.*

1246, Octob. 23, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Remensi, episcopo et dilecto filio decano Silvanectensibus salutem et apostolicam benedictionem. Affectum eorum, qui honestatis intendentes cultui in studio proficiunt litterarum, benivolo favore prosequimur, et ut oblatum sue affectionis in hac parte consequantur effectum libenter eis apostolicum, prout expedit, auxilium exhibemus, ac in eo specialiter ipsorum super hoc desideriis fovere proponimus, ut eis contra suorum molestatorum audatiam oportuno curemus remedio subvenire. Cum itaque, sicut ex parte universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium fuit propositum coram nobis, iidem a nonnullis turbationis eorum avidis molestias multiplices paciantur, nos, eorum quieti providere volentes, ut liberius valeant bravium sapientie adipisci, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, prefatis magistris et scolaribus favoris presidio efficaciter assistentes, non permittatis eos contra indulta privilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Presentibus post septennium minime valituris. Dat. Lugduni x kal. Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 3, inserta litteris episcopi Silvanectensis 11 Febr. 1252 infra nº 199. — Jourdain, nº 77, affert ex Archiv. Univers. Paris., Reg. 98. A. 20. a, rubricam tantum in gallica lingua conservatam.

164. *Innocentius IV statuit ne scholares de rebus suis eundo vel redeundo aliquid solvant.*

1246, Octobris 30, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ad quos littere presentes pervenerint salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum universitatis magistrorum et scolarium Parisius nobis extiterat intimatum, ut cum clericos de diversis partibus mundi Parisius causa studii accedentes, cum ad propria redeunt, pannos et res alias, non causa mercimonii, sepius exinde secum deferre contingat, nonnulli ad bona ipsorum manus avidas extendentes ac ipsos indebitis exactionibus agravantes de bonis predictis ab eis pedagia, visnagia indebita sive alias exactiones quocunque nomine censeantur de facto, cum de jure nequeant, exigunt et extorquent in libertatis ecclesiastice non modicum detrimentum. Quare nobis fuit humiliter supplicatum ut providere paterna solicitudine curaremus. Cupientes igitur clericos se ad Parisiense studium transferentes ac recedentes ab ea debita libertate gaudere aut submovere obstacula, per que aliqui possent ab eodem studio revocari, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus singuli in diocesibus vestris in exactores eorumdem excommunicationis sententiam auctoritate nostra, cum de hujusmodi exactionibus vobis constiterit, promulgantes tandiu ipsos excommunicatos faciatis publice nunciari, donec de predictis pedagiis, visnagiis exactionibus sive aliis exactionibus quocunque nomine censeantur, satisfactionem plenariam duxerint exibendam, non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Dat. Lugduni iij kal. Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Transumptum in Arch. nat. Paris. M. 66[a], nº 4, cum ista subscriptione : « Actum per copiam sub sigillo Universitatis anno Domini Mº CCCº XII decima die Februarii ». Sigillum cereum rubeum taeniolo membranaceo est appensum. — Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 25[b], sub titulo : « Conservatio, ne scholares », *etc.* ut supra.

---

165. *Innocentius IV magistris et scholaribus Paris. usum sigilli per septennium permittit.*

1246, Octobris 30, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Dum nostre mentis presentamus oculis, quanta diligentia virtutum cultui desudatis, illis ex vobis, qui sunt adepti honorem magisterii, thesaurum scientie fideliter dispensare studentibus et vigilantibus aliis, ut ipsius thessauri acquisitio eis proveniat cum fame titulo rutilantis, illo circa vos affectu ducimur, ut que digne cupitis non solum auditu percipere, sed in gratiam exauditionis deducere delectemur. Sane bone memorie R. Portuensis episcopus, tunc Sancti Angeli diaconus cardinalis in partibus illis apostolice sedis legatus prout accepimus vestrum fecit confringi sigillum[1], pro cujus defectu sicut asseritis diversa incommoda

sepissime sustinetis, dum privata et ardua vestra negotia cum queritis alieni sigilli remedium veniunt in noticiam aliorum. Nos itaque vestre devotionis precibus annuentes ut sigillum proprium pro negotiis in quibus causa vestre utilitatis vel honoris agitur[1], de quo tamen sine vestre Universitatis aut majoris partis regentium magistrorum assensu nulle littere sigillentur, usque ad septennium habere possitis fratrum nostrorum communicato consilio auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni iij kal. Novembris pontificatus nostri anno quarto.

Arch. nat. Paris. M. 66[a], n[o] 3. Haec epistola cum quibusdam aliis ejusdem papae invenitur inserta litteris episcopi Silvanectensis anni 1252, 11 Februarii (vide infra n[o] 199). — *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 253.

1. Vide supra ad n[o] 45. — 2. Cf. ad hoc supra n[o] 113, nota.

---

166. *Decanus et capitulum Parisiens. fratribus Ord. Cisterciensis Parisiis studentibus quemdam locum juxta muros Parisienses concedunt.*

1246, Novembris 1, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis decanus et capitulum Parisienses salutem in Domino. Notum facimus quod cum nos haberemus et possideremus sex arpenta vinearum octo quarrellis minus in manu mortua sita juxta muros Parisienses prope portam Parisiensem, per quam itur apud Sanctum Victorem; item cum nos decanus racione domus nostre quam habemus in claustro Parisiensi similiter haberemus et possideremus in manu mortua quamdam petiam vinee sitam inter vineas et muros predictos: nos decanus et capitulum predicta sex arpenta octo quarrellis minus et etiam dictam petiam vinee in manu mortua cum omni ea libertate qua eas possidebamus, salva nobis tantummodo justitia, quantum ad censum nostrum repetendum, capiendum et habendum, prout Parisius est consuetum in talibus, si forte deficerent in solutione nostri census, damus et concedimus religiosis viris abbati, conventui et fratribus Clarevallis in loco Beati Bernardi Parisius studentibus ad annuum censum perpetuum pro viginti quinque libris parisiensibus perpetui annui census nobis in claustro Parisiensi in octabis Nativitatis Beati Johannis Baptiste singulis annis in posterum persolvendis. Quam libertatem sic intelligimus, videlicet quod vinee quas eis tradimus libere sint ab omni servitute personali et prediali, hoc excepto quod vinee ille censum debent monachis de Tyron[1], nos tamen illum censum solvemus illis de Tyron, et hoc excepto quod si de vineis illis nos solvebamus vel solvere tenebamur alicui decimas, ipsi fratres solvent eas, si vero non solvebamus vel solvere non tenebamur decimas de vineis illis, nec ipsi fratres ad hoc tenebuntur; si vero de vineis ipsis nobis decima deberetur, si alius quam nos eas teneret, ipsam decimam predicti fratres habebunt, nec eam nobis solvere tenebuntur.

Promittimus etiam stipulatione legittima interjecta quod eisdem .. abbati, conventui et fratribus predicta garantizabimus ad usus et consuetudines civitatis Parisiensis, si quis super predictis in toto vel in parte jus sibi aliquod vindicaret. Promittimus insuper bona

fide nos predicta omnia et singula in perpetuum servaturos. Promittimus etiam quod contra predicta vel aliquod de predictis nunquam aliquo tempore veniemus, vel privilegium apostolicum impetrando vel impetrato utendo, vel locum ipsum alicui vel aliquibus aliis tradendo seu quolibet alio modo. Sciendum vero est quod predicti abbas, conventus et fratres dictas vineas poterunt vendere, commutare vel alio modo extra manum suam ponere, si eis videbitur expedire, ita tamen quod ab eis et a successoribus eorum census predictus nobis in perpetuum persolvatur, sicut superius est expressum, et quod salva sit nobis justitia in dictis vineis tantum pro censu nostro repetendo, capiendo et habendo, sicut est superius dictum, nec poterunt predicti .. abbas, conventus et fratres liberari a solucione census jamdicti, licet locum predictum in quo modo sunt vinee processu temporis non habeant nec possideant. Pro dicto autem censu nobis in perpetuum persolvendo predicti .. abbas, conventus et fratres se et domum Clarevallensem necnon et domum fratrum Parisius[2] studentium, insuper et vineas predictas nobis specialiter obligarunt. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, die jovis in festo omnium Sanctorum.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. S. 3669, nos 11 et 13. Deest sigillum, sed restat in posteriori filum serie. rubei coloris. — Bibl. nat. Paris. 14673, fol. 273b, ubi *vidimus* hujus chartae factum per Guillelmum episcopum Paris. « anno et mense predictis », id est 1246, mense Novembri. — Hoc et sequens documentum respiciunt locum, in quo Collegium S. Bernardi in Cardineto erectum est. Vide infra no 192. Praecipuus fundator fuit Alphonsus comes Pictaviensis. Vide infra nos 218, 219 et 232.

1. Thiron-Gardais (Eure-et-Loir). — 2. Utique domum, cujus mentio fit in doc. no 53 supra relato, ubi fratres saltem aliquo tempore studuerunt, usque dum ad locum in Cardineto transmigrarunt.

---

167. *Stephanus abbas et conventus S. Bernardi Paris. compositionem inter ipsos et Acelinum abbatem et conventum S. Victoris Paris. factam exponunt de loco in Cardineto ipsis a praedicto conventu tradito.*

1246, mense Novembri, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis, frater St. dictus abbas et conventus Claravallis ac monachi ejusdem domus in loco Beati Bernardi Parisius studentes, salutem in Domino. Universitati vestre sit notum quod nos cum religiosis viris venerabili abbate Sancti Victoris et conventu ejusdem loci contractum fecimus in hunc modum : videlicet quod nos dedimus et tradidimus religioso viro fratri A. venerabili abbati Sancti Victoris recipienti nomine suo et ecclesie sue de voluntate et consensu conventus sui sex arpenta vinearum octo quarellis minus, quas vineas a decano et capitulo Parisiensibus ad annuum censum viginti quinque librarum parisiensium recepimus sitas extra muros Paris. supra viam qua itur ad predictam ecclesiam Sancti Victoris, liberas et absolutas ab omni servitute prediali et personali et omni censu, cum omni jure et omni justitia, quibus nos ipsas a predictis decano et capitulo Parisiensibus recepimus, ita ut possit easdem vineas dicta ecclesia Sancti Victoris in manu mortua si voluerit perpetue retinere, de eis et in eis

facere quicquid voluerit libere et absque omni contradictione nostra seu successorum nostrorum; promittentes nos nomine ecclesie nostre eidem abbati nomine suo et ecclesie sue legitime stipulanti predictas vineas garantizare seu defendere ad usus et consuetudines civitatis Parisiensis contra omnem humanam personam, universitatem seu collegium, si dictam ecclesiam Sancti Victoris ratione dictarum vinearum contingeret ab aliquo molestari. Promisimus etiam dicto abbati nomine ecclesie sue legitime stipulanti quod ipsam ecclesiam Sancti Victoris omni tempore tam nos quam successores nostri indempnem servabimus ab omni censu debito de predictis vineis tam monasterio Tironis quam capitulo Parisiensi, ita quod ipsa ecclesia nulli pro censu vel de censu occasione dictarum vinearum in aliquo teneatur, sed eam ab omnibus liberemus, exceptis decimis; ita quod si contingeret aliquo tempore dictam ecclesiam pro censu dictarum vinearum ab aliquo molestari et pro censu a nobis non soluto et ab eis petito per capitulum Parisiense vel per monasterium Tironis dampnum et expensas incurrere, omnia dampna et expensas predicte ecclesie Sancti Victoris restituere teneamur, et de dampnorum et expensarum quantitate credere juramento camerarii ejusdem ecclesie qui pro tempore fuerit debeamus, de quibus dampnis et expensis restituendis eisdem obligavimus predicto abbati nos et domum Claravallensem, necnon et domum fratrum nostrorum Parisius studentium, insuper et locum de Cardoneto quem ab ipsis recepimus, dantes et concedentes dicte ecclesie Sancti Victoris liberam potestatem capiendi pignora in predicto loco de Cardoneto et ea tamdiu retinendi quousque ipsi ecclesie de predictis dampnis et expensis fuerit plenarie satisfactum. Promisimus etiam eidem abbati nomine ecclesie sue legitime stipulanti quod nullo tempore nos vel successores nostri edificabimus ipsis invitis extra muros Parisienses a strata per quam itur a porta Sancte Genovefe ad Sanctum Marcellum, et a Sancto Marcello directe usque ad Secanam, nec ememus nec edificabimus in censive ejusdem ecclesie aliquid absque permissione ipsius ecclesie, excepto in Cardoneto. Que omnia promisimus per nos et successores nostros omni tempore illesa servari et contra in aliquo non venire, impetrantes novum privilegium vel impetrato utentes; et si aliquo tempore contra venerimus nos vel successores nostri, et propter hoc scilicet quod nos vel successores nostri contra veniremus dictam ecclesiam Sancti Victoris oporteat laborem aut dampna cum sumptibus sustinere, nos promittimus omnia dampna et expensas eidem restituere, et nichilominus omnia supradicta cum integritate servare. Pro quibus omnibus dicti abbas et conventus Sancti Victoris dederunt et tradiderunt nobis, ac in corporali possessione nos poni fecerunt, quinque arpenta terre contigua infra muros Parisienses in loco qui dicitur Cardonetum libera ab omni onere, exactione seu censu, retenta ibi tantummodo ab ipsis justitia capiendi pignora et habendi pro dampnis et expensis que et quas sustinerent pro defectu nostro, in predicti census solutione nobis cessantibus, et propter hoc ipsi a monasterio Tironis vel Parisiensi capitulo vexarentur; dantes nobis et successoribus nostris liberam potestatem habendi predicta quinque arpenta libera in manu mortua in

perpetuum, et edificandi ibi et faciendi in eis et de eis quicquid nobis et successoribus nostris placuerit. Dederunt etiam nobis liberam potestatem acquirendi terram magistri Petri de Lambala et aliud arpentum quod est in medio, si justo et rationabili precio habere poterimus, sin autem alibi tria arpenta terre in predicto loco Cardoneto ubicumque voluerimus et poterimus in censiva ipsorum viam competentem, per quam viam in utroque casu, id est sive emerimus terram magistri Petri cum alio arpento medio, sive tria arpenta, possimus intrare et exire cum rebus nostris ad predictum locum ubicumque poterimus, excepto in vico qui est in ponte Sancti Nicolai usque ad portam Sancti Victoris. De quibus nobis cum sigillis eorum patentes litteras concesserunt; in quibus omnibus conditionem ecclesie nostre ac ordinis nostri fieri credimus meliorem, quod etiam per presentes litteras confitemur. Ad ipsius autem rei geste memoriam et predicte ecclesie Sancti Victoris securitatem perpetuam fecimus fieri presentes litteras sigillo nostro munitas. Actum Parisius, anno Domini millesimo CC° quadragesimo sexto, mense Novembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 3669, n° 18. Deest sigillum. — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 14673, fol. 273. — In Arch. nat. Paris. l. c. n^is 22, 23 exstant duo originalia chartae cum eadem temporis nota continentes donationem abbatis Acelini et conventus S. Victoris, sicut in charta supra relata exprimitur. In posteriori restant duo sigilla, in priori superest unum. Idem documentum invenitur in ms. cit. Paris. fol. 272^b; fol. 272^a afferuntur « nomina fratrum (S. Victoris), qui dicto contractui interfuerunt ». Mense Julii anni 1254 Robertus, abbas S. Victoris, enuntiat Cistercienses conventis jam stetisse. Originale cum duobus sigillis in Arch. nat. Paris. l. c. n° 20.

---

168. *Charta donationis factae ab Ansello de Garlanda scholaribus S. Nicolai de Lupara totius decimae quam habebat in territorio de Corcellis.*

1247, mense Februario.

Omnibus presentes litteras inspecturis, ego Ansellus de Gallandia, dominus Turnomii, notum facio quod ego, de assensu et voluntate Ansellini et Johannis filiorum meorum, dedi et concessi ex nunc et imposterum, causa donacionis inter vivos, in puram et perpetuam elemosinam, hospitali pauperum scolarium Sancti Nicholai de Lupara Parisius, meam partem decime quam habeo in territorio de Corcellis. Ita quod Michael de Villanova armiger, primo capiet in dicta decima septem sextarios bladi, medietatem bladi et aliam medietatem avene, ad mensuram de Turnomio; et totum residuum percipiet plenarie predictum hospitale ad opus anniversarii mei et antecessorum meorum, in capella dicti hospitalis annis singulis celebrandi; et promitto quod contra dictam donacionem, per me vel per meos filios supradictos sive per alium, non veniam in futurum, et dicto hospitali idem donum garantizare teneor contra omnes juri parere volentes. Quod ut ratum et firmum constet imperpetuum cartam feci sigilli mei munimine roborari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense Februario.

Charta inserta instrumento 9 Novembris 1255, cum sigillo cereo officialis Parisiensis, in Arch. nat. Paris. J. 165. Valois III, n° 27. — *Layettes du trésor des chartes*, n° 3581. — Urbanus papa IV magistris et fratribus dicti hospitalis concessit, ne usque ad triennium litis causa extra civitatem Paris. traherentur. Bulaeus, III, 370.

169. *Innocentius IV doctoribus et universitati scholarium Parisiensium mandat ut statuta, quae confecerunt viri selecti ab ipsa Universitate, inviolabiliter observent.*

1247, Martii 2, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis doctoribus et universitati scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens pro communi utilitate aliqua statuuntur, per que paci et tranquillitati consulitur ac publice honestatis et honoris procuratur augmentum, conveniens est et decens, ut eadem ab omnibus irrefragabiliter observentur. Cum igitur sicut accepimus quidam ex vobis ad tractanda negotia Universitatis vestre communiter deputati statuta quedam, ordinationes et alia, que utilitati et honori vestro congrue noscuntur, certa pena et juramentis interpositis decreverint observanda, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus si est ita, statuta et ordinationes predicta ac alia provide ordinata studeatis inviolabiliter observare. Dat. Lugduni vj non. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 65ᵃ, nº 1. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Subscriptio « Ja. Nar. ». In aversa membrana : « Universitas » et R̸. Pertinebat ad Arch. Univers. — Reg. Vat. Innocentii IV an. 4, ep. 459, fol. 307ᵇ. Desunt hic verba : « per apostolica vobis scripta ». Cod. Vat. Reg. 406, fol. 15ᵇ. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 16, sub titulo : « Ut statuta Universitatis inviolabiliter observentur, que utilitati ac honori ejusdem congruere noscuntur». Bulaeus, III, 52, perperam Innocentio III attribuit.

---

170. *Johannes S. Benedicti Floriacensis abbas notum facit ex nunc in perpetuum decem ex fratribus monasterii in prioratu S. Gervasii Aurelianensis in sacrae theologiae studio sedere, provectiores vero eorum causa majoris scientiae hauriendae Parisios ad studium dirigendos.*

1247, mense Aprili.

Omnibus litteras presentes inspecturis frater Johannes Dei gratia S. Benedicti Floriacensis abbas salutem in Domino. Egregii predicatoris Pauli disciplinis eruditi didicimus, quod parentes paterna providentia thesauros filiis debeant reservare. Verum et paterfamilias plenus dierum provecte matureque etatis et in proximo universe carnis debitum redditurus frustra laboraret plantationes novellas inserens, si illarum expectandis fructibus solus gaudere speraret, sed prosperitatis sue sollicitus laborat et in labores illius subintrant alii et viscerose pietatis posteris vestigia derelinquens vivit jam mortuus, dum vivacem sue bonitatis memoriam posteris subministrat, et sic interdum contingit, ut jam mense celestis particeps plantationum illarum merito fructus comedat, quas plantavit, que in terris adhuc posite in flores ob juventutis sue teneritudinem minime convalescunt. Callidior cunctis animantibus serpens per esum ligni vetiti primis parentibus callide ignorantie principium ministravit, qui dum inordinate divinam scientiam rapere voluerunt abutentes tradita sibi potestate privati sunt scientia, qua pollebant, et obvoluti ignorantie tenebris comparati sunt jumentis insipientibus et similes facti sunt illis. Ex tunc univer-

sorum oculis filiorum Adam imposita est caligo ignorantie tenebrosa, quod versutia insidiatoris humani generis non ignoratur previsum, ut sic inter ignorantie tenebras palpantes in defectu luminose scientie in via morum lubrice cespitantes ab interioribus tenebris excecatos in exteriores tenebras facilius precipitare possit minime revocandos.

Attendentes igitur[1], dum hec superstes fuerit, impossibilem esse pacem regni nostri negotiis, hanc tamquam divinorum preceptorum ignaram, virtutum novercam, vitiorum speluncam, iniquitatis abissum, universe velamen malitie, Spiritu Sancto edocti et bonorum virorum consiliis informati exterminare volentes, prout Domino nobis placuerit vires ministrare, cujus auxilium jam experimento didicimus, qui nobis docibiles et edoctos fratres per suam gratiam exhibuit copiose : paterna providentia solliciti auxiliante Domino decrevimus ordinare, ut ex hoc nunc et in perpetuum decem e fratribus nostris monachis docibilibus in prioratu nostro S. Gervasii Aurelianensis in sacre theologie studio sedeant, aliqui vero eorum, qui inter ceteros provectiores extiterint, causa majoris scientie hauriende, secundum quod studio expediens visum fuerit de consilio studentibus fratribus presidentis, Parisius ad studium dirigantur subministratis eisdem necessariis ex redditibus, qui studentibus fratribus fuerint specialiter assignati. Cum autem aliqui eorum fuerint scientia theologica sufficienter imbuti, ut talentum sibi commissum multiplicare valeant, erunt a studio revocandi et mittendi, quo pie decreverit pastoralis providentia destinandos, et alii loco eorum docibiles substituantur, sacrarum litterarum apicibus imbuendi, ut super modis omnibus denarius studentium numerus integer observetur, quem minorare nemini liceat, sed cui Dominus inspiraverit liceat augmentare. Igitur cum temporibus succedant tempora et variatis temporibus variatio fiat etiam personarum et in ipsarum moribus fiat etiam aliquando discrepantia peregrina, nam uniuscujusque opinio familiariorem suam sententiam arbitratur : ne inceptum negotium ob honorem Dei et animarum salutem processu temporis variatis moribus prelatorum pro defectu temporalium fallaci versutia diaboli dissipetur precipitare volentis adscendere volentes per scientiam humilem illuc, unde ipse per inflatam superbiam dignoscitur corruisse : studentibus fratribus certos et sufficientes redditus decrevimus assignare, ut sit leva temporalium sub capite eorum, quos in amplexus suos dextera celestis sapientie recipit imbuendos. Assignavimus[2] autem in usus studentium fratrum cum suis pertinentiis prioratum nostrum S. Gervasii superius memoratum; item nostram preposituram S. Benedicti de Regressu sitam intra muros Aurelianensis civitatis cum suis pertinentiis similiter assignamus; item domum nostram S. Benedicti super Sequanam, quam in manu nostra, jam est diu, tenuimus cum suis pertinentiis preassignatis redditibus similiter sociamus : volentes et strictissime statuentes, ut hec omnia, que superius exprimuntur, absque ulla retractatione futurorum in felices usus studentium monachorum penitus integraliter in perpetuum reserventur. Actum anno Domini MCCXLVII, mense Aprili.

Chart. S. Benedicti Floriacensis in Arch. départ. du Loiret (Orléans), p. 99, nº 145. « Collatum cum originali ». Chazal.

Historia coenobii Floriacensis, Cod. 270 bis in Bibl. publ. Aurelianensi, fol. 478, cum titulo : « Decretum abbatis Johannis pro scholaribus », ed. « ex autographo ». — A Denifle ed. in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 580.

1. Chart. « ergo ». — 2. « Assignamus », chart.

---

171. *Odo Tusculanus episcopus et apostolicae sedis legatus testatur se vidisse litteras Johannis abbatis S. Benedicti Floriacensis, et ordinationem ab ipso factam approbat.*

1247, mense Aprili.

Odo divina miseratione Tusculanus episcopus apostolice sedis legatus omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Religiosi viri Johannis abbatis S. Benedicti Floriacensis ab ipso nobis presentatas litteras vidimus sub hac forma : Omnibus presentes litteras inspecturis Frater Johannes, *etc. sicut supra* n° 170. Nos autem hanc ordinationem tanquam discrete provideque factam approbamus et auctoritate qua fungimur confirmamus. In cujus rei testimonium presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus roborandum. Actum anno Domini MCCXLVII, mense Aprili.

Chartul. Laud., p. 86, n° 125. — Vide *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 582.

---

172. *Innocentius IV Ludovicum regem Francorum admonet ut quod Odo apostolicae sedis legatus circa Talmud aliosque libros Judaeorum statuerit, observari curet.*

1247, Augusti 12, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri regi[1] Francie salutem et apostolicam benedictionem. Ad instar animalium, que vidit in Apocalipsi Johannes plena oculis ante et retro, summus pontifex oculatus undique circumspiciens tanquam sapientibus et insipientibus debitor, nulli debet injuste nocere, sed juste quod justum exequendo tenetur reddere cuilibet jura sua. Sane magistris Judeorum regni tui proponentibus nuper coram nobis et fratribus nostris quod sine illo libro, qui hebraice Talamut dicitur, bibliam et alia statuta sue legis secundum fidem ipsorum intelligere nequeunt, nos qui juxta mandatum divinum in eadem lege ipsos tolerare tenemur, dignum eis duximus respondendum quod sicut eos ipsa lege, sic per consequens suis libris nolumus injuste privare. Unde venerabili fratri[2] nostro episcopo Tusculano apostolice sedis legato direximus[3] scripta nostra ut tam ipsum[4] quam alios[5] sibi faciens exhiberi ac eos inspici, et inspiciens diligenter eosdem toleret in his in quibus secundum Deum sine fidei christiane injuria viderit tolerandos, et magistris restituat supradictis[6], contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quocirca serenitatem regiam rogandum duximus attentius et hortandum quatinus[7], quod per eundem legatum

factum fuerit in hac parte, gratum habeas et acceptum ac facias firmiter observari. Dat. Lugduni ij id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Bibl. nat. Paris. Coll. Doat, vol. 37, fol. 124. — *Revue des Études juives*, tom. I (nº 2), p. 295. — Haec epistola necessario hic poni debet ad intelligendas litteras Odonis in sequenti numero editas. Vide notam ibidem. Innocentius IV in hac epistola de Talmud et libris Judaeorum mitius loquitur quam in illa ad eundem regem directa supra nº 131 publicata.

1. *Revue* perperam « illustrissimi regis ». — 2. *Revue* male « filio ». — 3. In coll. Doat legitur perperam : « Unde venerunt sine nostro episcopo Tusculano duximus », *etc.* — 4. I. e. Talmud. — 5. Intellige « libros Judeorum ». — 6. Epistola hic memorata et ad Odonem directa ad nos non pervenit. Odo ejusdem in nº sequenti mentionem facit, et ex illa mandatum papae refert, quod paene ad verbum cum supra exscripto concordat. Epistola Odoni missa sine dubio ejusdem temporis notae erat, sicut illa regi scripta. — 7. *Revue* « propter ».

---

173. *Litterae Odonis Tuscul. episcopi apostol. sedis legati ad Innocentium papam IV, quibus epistolas Gregorii IX super condemnatione Talmud editas inserit, et insuper summum pontificem certiorem facit, Talmud fuisse diligenter examinatum habito consilio omnium magistrorum theologiae et juris canonici et aliorum multorum omnesque libros, qui tunc haberi potuerant, crematos.*

1247, post Aug. 12.

Sanctissimo patri ac domino I. Dei gratia summo pontifici O.[1] divina miseratione Tusculan. episcopus apostolice sedis legatus devota pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre placuit michi dare nuper in mandatis, ut michi facerem exhiberi Talmud et alios libros Judeorum et ipsos inspici, et inspiciens diligenter eosdem tolerarem in hiis, in quibus secundum Deum sine fidei christiane injuria viderem tolerandos, et magistris restituerem Judeorum. Ut autem sanctitatem vestram non lateat processus quondam habitus circa libros predictos et ne contingat aliquem circumveniri in isto negotio astucia et mendaciis Judeorum, noverit sanctitas vestra quod tempore felicis recordationis domini Gregorii pape quidam conversus Nicholaus nomine[2] dicto summo pontifici intimavit, quod Judei lege veteri, quam Dominus per Moysen in scriptis edidit, non contenti immo prorsus eandem pretermittentes affirmant legem aliam, que Talmud, id est doctrina, dicitur, Dominum edidisse ac verbo Moysi traditam et insertam eorum mentibus dicunt tamdiu sine scriptis servatam, donec quidam venerunt, quos sapientes et scribas appellant, qui eam, ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in scripturam, cujus volumen in immensum excedit textum biblie, redegerunt, in qua tot abusiones et tot nepharia continentur, quod pudori referentibus et audientibus sunt horrori, et hanc esse causam precipuam, que Judeos in sua perfidia retinet obstinatos. Hiis auditis placuit summo pontifici scribere universis archiepiscopis per regnum Francie constitutis in hunc modum :

« Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis per regnum Francie constitutis ad quos iste littere pervenerint salutem et apostolicam benedictionem. Si vera sunt que de Judeis in regno Francie et aliis provinciis commorantibus asseruntur, nulla de ipsis esset pena sufficiens sive digna, ipsi enim sicut accepimus lege

veteri, quam Dominus per Moysen in scriptis edidit, non contenti immo penitus pretermittentes eandem affirmant legem aliam que Talmud id est doctrina dicitur et Dominum edidisse ac verbo Moysi traditam et insertam eorum mentibus mentiuntur, tamdiu sine scriptis servatam, donec quidam venerunt, quos sapientes et scribas appellant, qui eam, ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in scripturam cujus volumen in immensum excedit textum biblie redegerunt, in qua tot abusiones et nefaria continentur, quod pudori referentibus et audientibus sunt horrori. Cum igitur hec dicatur esse causa precipua, que Judeos in sua tenet perfidia obstinatos, fraternitatem vestram monendam duximus et hortandam per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus primo sabbato quadragesime proximo venture mane, quando Judei in sinagogis conveniunt, universos libros Judeorum vestre provincie auctoritate nostra capi et apud fratres Predicatores vel Minores faciatis fideliter conservari, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, nichilominus in omnes tam clericos quam laicos vestre jurisdictioni subjectos, qui libros hebraicos si quos habent per vos generaliter in ecclesiis vel specialiter moniti noluerint assignare excommunicationis sententiam promulgando. Dat. Laterani v id. Junii, pontificatus nostri anno xiij[3]. »

In consimili forma scribit universis archiepiscopis in regnis Anglie, Castelle et Legionum. Direxit eciam scripta sua regi Portugallie in hec verba :

« Gregorius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri regi Portugallie salutem et apostolicam benedictionem. Si vera sunt que de Judeis in regno Portugallie ac aliis provinciis commorantibus asseruntur, nulla de ipsis, *et infra :* Cum igitur hec dicatur esse causa precipua, que Judeos in sua perfidia retinet obstinatos, serenitatem regiam monemus attentius et hortamur, quatinus primo sabbato quadragesime proximo venture mane, quando Judei in sinagogis conveniunt, universos libros Judeorum regni tui tam tibi quam nobilibus regni ejusdem tuis fidelibus subjectorum auctoritate nostra capi et apud dilectos filios fratres Predicatores seu Minores faciatis conservari. Dat. Laterani xij kal. Julii, pontificatus nostri anno xiij°[4]. »

In eadem forma scripsit regibus Francie, Anglie, Aragonie, Castelle, Legionum et Navarre.

Direxit etiam predictus summus pontifex mandatum Parisiensi episcopo sub hac forma :

« Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Parisiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus litteras nostras ad negocium super libris Judeorum tibi ac collegis tuis a nobis commissum spectantes tibi ex parte nostra per dilectum filium Nicholaum quondam Judeum latorem presentium presentandas devote recipiens ipsas venerabilibus fratribus archiepiscopis et karissimis filiis nostris Francie, Anglie, Aragonie, Navarre, Castelle ac Legionum et Portugallie regibus illustribus destinatas a nobis transmittas, cum videris expedire. Dat. Laterani v id. Junii, pontificatus nostri anno xiij°. »

Item dedit in mandatis episcopo et priori Predicatorum et ministro Minorum fratrum Parisius, prout inferius continetur :

« Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo et dilectis filiis priori Predicatorum et ministro Minorum fratrum Parisius salutem et apostolicam benedictionem. Si vera sunt que de Judeis in regno Francie, *et infra :* Discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus, universos Judeos in regno Francie, Anglie, Aragonie, Navarre, Castelle et Legionum ac Portugallie commorantes ad exhibendos omnes libros suos facientes compelli brachio seculari, illos quos inveneritis errores hujusmodi continere faciatis incendio concremari, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, nobis quicquid inde feceritis fideliter rescripturi. Quod si non omnes, *etc.* Dat. Laterani xij kal. Julii, pontificatus nostri anno xiij. »

Omnia vero, que interclusa missa fuerunt sub bulla et singula[5] et multo plura inventa fuerunt in predictis libris in presentia bone memorie Galteri archiepiscopi Senonensis[6] et venerabilium patrum, Parisiensis, Silvanectensis episcoporum et fratris Gaufridi de Blevello[7] capellani vestri, tunc Parisius regentis, et aliorum magistrorum theologie et etiam magistrorum Judeorum, qui predicta in libris suis contineri confessi sunt in presentia predictorum. Facta etiam postea diligenti examinatione inventum est, quod dicti libri erroribus erant pleni, et est velamen positum super corda ipsorum in tantum, ut non solum ab intellectu spirituali Judeos avertant, immo etiam a litterali, et ad fabulas et quedam fictitia convertant. Unde manifestum est, magistros Judeorum regni Francie nuper falsitatem sanctitati vestre et venerabilibus patribus dominis cardinalibus suggessisse dicentes, quod sine illis libris, qui hebraice Talmut dicuntur, bibliam et alia instituta sue legis secundum fidem ipsorum intelligere nequeunt[8]. Facta vero predicta examinatione, omnium magistrorum theologie et juris canonici et aliorum multorum habito consilio, juxta mandatum apostolicum omnes predicti libri, qui tunc haberi potuerunt, incendio fuerunt tunc cremati. Et esset scandalum non minimum et sedis apostolice sempiternum obprobrium, si libri coram universitate scolarium et clero et populo Parisiensi tam solempniter et tam juste concremati[9] mandato apostolico tolerarentur vel etiam magistris Judeorum redderentur : hec enim tolerantia quedam approbatio videretur. Dicit enim beatus Jeronimus loquens de leprosis, quos Dominus curavit, quod nulla est adeo perversa doctrina, que aliqua vera non contineat. Similiter non inveniuntur heretici, qui de aliquo symboli articulo bene non sentiant. Quia tamen libri aliqui insertos errores habebant, quamvis multa bona et vera continerent, auctoritate tamen Conciliorum sunt dampnati. Similiter diversi heretici sunt dampnati licet in omnibus non errarent. Sic quamvis predicti libri aliqua bona contineant licet rara, nichilominus sunt dampnandi. Hec doctrina est illa deuterosis, de qua facit beatus Jeronymus super evangelium Mathei mentionem, que irritum facit mandatum Dei ipso Domino attestante.

Hec sanctitati vestre presentibus intimavi, ut ad plenum de libris predictis sanctitati vestre veritas innotescat. A magistris autem Judeorum petii, ut Talmud et omnes alios libros suos michi exhiberent, qui tantum v michi volumina vilissima exhibuerunt, que juxta formam mandati vestri facio inspici diligenter.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16558 (saec. XIII), fol. 232b-233b. In principio legitur : « Hec sunt transcripta litterarum super condempnatione Talmud editarum ». — Echard, *Summa Sancti Thomae suo auctori vindicata*, p. 592 sqq. *SS. Ord. Praed.*, I, 128. D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 153. Hoc documento card. legatus Odo de Castro Radulphi respondet epistolae sibi a papa Innocentio IV missae, quae, ut jam diximus, ad nos non pervenit, cujus argumentum tamen ex litteris papae die 12 Augusti an. 1247 ad regem Franciae directis et in nº praecedenti editis facile cognoscimus. Ex hoc evincitur, non multo elapso intervallo post diem 12 Augusti Odonis responsum subsecutum esse. De condemnatione libri Talmud tempore Gregorii IX et Innocentii IV et de circumstantiis ipsi adjunctis multa prodierunt scripta, quae videre libet apud Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, tom. II. *Introduction*, p. CCXV, n. 2. Novissime de eadem re scripsit A. Neubauer, *Jewish controversy and the « Pugio fidei »* in *The Expositor*, nº 38, p. 95 sqq. Cf. praeterea ex antiquis Thomam Cantiprat., *Liber apum*, l. 1, c. 3.

1. Odo de Castro Radulphi. — 2. Nicolaus Donin de la Rochelle, circ. an. 1236 conversus ex Judaismo, qui 24 Junii 1240 disputationem cum Judaeo Jechiel ben Josef aliisque Judaeis habuit. Iste Nicolaus primus fuit, qui Gregorii IX animum ad errores in libro Talmud contentos animadvertit. — 3. 1239, Jun. 9. — 4. 1239, Jun. 20. — 5. Gregorius IX una cum suis epistolis *35 articulos* (errores, blasphemias, *etc.*) ex libro Talmud excerptos misit, quos cum commentario ex ms. Paris. supra allato, fol. 211b sqq., edidit Loeb, *La controverse de 1240 sur le Talmud*, in *Revue des Études juives*, tom. II, nº 4, p. 252 sqq.; t. III, nº 5, p. 39 sqq. Vide insuper ibid. nº 2, p. 247 sqq. — 6. Cf. de ipso Darmesteter in *Revue des Études juives*, tom. I, nº 1, p. 140 sqq. — 7. Ex Ordine Praedicatorum. Vide supra ad nº 108, n. 3. — 8. Cf. supra nº 172. — Vide ad hoc supra nº 131.

---

174. *Innocentius IV magistro Guillelmo de Sancto Amore, canonico Belvacensi, indulget ut praeter ecclesiam de Gravilla unicum aliud beneficium, similiter cum cura animarum, valeat retinere.*

1247, Augusti 22, Lugduni.

Magistro Willermo de Sancto Amore canonico Belvacensi. Ad faciendam tibi gratiam specialem dilecti filii .. electi Tarantasiensis[1] et nobilis viri Thome de Sobaudia comitis affectuose pro te nobis porrecta rogamina, nec non et tua merita probitatis propensius nos inducunt. Attendentes igitur laudabile testimonium quod tibi de litterarum scientia, vite honestate ac bonis moribus perhibetur, ac per hoc te intendentes prosequi favoris prerogativa gratie amplioris, ut preter ecclesiam de Gravilla[2] curam animarum habentem quam obtines unicum beneficium ecclesiasticum vel personatum seu dignitatem, etiam si similem curam habeat, si tibi canonice offeratur, libere recipere ac cum obtentis licite retinere valeas constitutione generalis Concilii non obstante auctoritate tibi presentium indulgemus. Proviso ut eadem beneficia, *etc. usque* negligatur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni xj kal. Septembris, anno quinto.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 5, ep. 139, fol. 454.

1. Rudolfi Grossi. Antecessor ejus Herluinus minime an. 1248, sed antea obiit. — 2. Reg. : « Garevilla ».

175. *Innocentius IV mandat archidiacono Constantiensi ut magistro Guillelmo de S. Amore subdiacono et canonico Belvacensi studenti in theologia proventus ecclesiae suae de Gravilla curet in suscepto Ordine per triennium ministrandos.*

1247, Septembris 3, Lugduni.

Magistro Johanni archidiacono Constantiensi. Ad faciendam dilecto filio magistro Guillermo de Sancto Amore subdiacono, canonico Belvacensi, gratiam specialem dilecti filii .. electi Lugdunensis[1] preces ac ipsius subdiaconi merita, super quibus ei testimonium perhibetur laudabile, nos inducunt. Quocirca mandamus quatinus eidem subdiacono theologie studio insistenti proventus ecclesie sue de Gravilla, Constantiensis diocesis, quam se canonice proponit adeptum facias in suscepto ordine per triennium integre ministrari. Non obstante constitutione de clericis curam animarum habentibus, ut promoveantur ad omnes ordines, quam venerabilis frater noster .. episcopus Tusculanus apostolice sedis legatus[2] in regno Francie dicitur edidisse. Contradictores, *etc.* Proviso quod eidem ecclesie interim per idoneum vicarium serviatur. Dat. Lugduni iij non. Septembris, anno quinto.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 5, ep. 179, fol. 460.

1. Philippi de Sabaudia. — 2. Odo de Castro Radulphi.

---

176. *Odo episcopus Tusculanus et apost. sedis legatus de condemnatione errorum Johannis de Brescain et magistri Raimundi praesentibus episcopo et cancellario et magistris theologiae Paris. habita.*

1247, Decembris 21, Parisiis.

Odo miseratione divina Tusculanus episcopus apostolice sedis legatus universis magistris et scolaribus Parisius studentibus salutem in Domino. Cum Johannes de Brescain clericus coram domino episcopo, cancellario[1] et magistris theologie Parisien. quosdam errores, quos dogmatizaverat in logicis et super quibus notatus fuerat et conventus, in jure confessus abjurasset, et eosdem de mandato domini episcopi et promissione sua revocare deberet et impugnare, essetque eidem propter hoc in civitate Parisiensi de cetero docendi facultas interdicta : quoniam dictos errores non revocabat nec impugnabat, sicut a fide dignis accepimus, sed potius excusare et palliare conabatur, nos dictum J. die veneris[2] ante Natale Domini citari fecerimus coram nobis, ubi presentibus cancellario, magistris theologie et aliis probis viris aliqua de hiis, que imponebantur sibi, confessus est in jure se dixisse, sed sub alio intellectu, aliqua vero sub aliis predicatis et alio intellectu, et etiam abjurasse. Confessus est etiam in jure coram nobis et predictis cancellario et magistris, quod post predictam abjurationem publice in scolis coram triginta magistris respondendo dixit, lucem creatam esse minimum in genere substantie et habere has tres proprietates : infinitatem, immensitatem et essentiam, et etiam quedam alia, que fere ad Arianam heresim accedere videbantur. Verum cum nos ex officio nostro agrum Domini sentibus tam errorum quam heresum purgare teneamur volentesque in diebus

nostris, ne puritas studii que hactenus Parisius viguit ex presumptione quorumdam, qui theologica logicis inserentes non intelligunt neque que loquuntur, neque de quibus affirmant, errorum sordibus maculetur, cum crescente culpa crescere debeat pena : de consilio dictorum magistrorum et aliorum bonorum, venerabilique patre Parisiensi episcopo suum in hoc prestante consensum, qui dicta die veneris propter infirmitatem se excusaverat, predicte pene adicientes, dictum Johannem tam de civitate quam diocesi Parisiensi decrevimus in perpetuum expellendum interdicentes eidem tam in dictis locis quam aliis nostre legationis, ubicumque solemne viget studium, tam morandi quam docendi non solum publice sed etiam privatim decetero facultatem, cum non solum doctrinam ejusdem periculosam invenerimus, sed etiam propterea quod post factam professionem de religione a fide dignis dicatur exivisse. Magistrum autem Remundum quondam a domino Parisiensi de consilio magistrorum theologie pro suis erroribus carceri mancipatum, non correctum sicut accepimus, sed contumacem et errorum pristinorum virus recidiva presumptione quibusdam simplicibus propinantem : ubicumque inventus fuerit de bonorum consilio decernimus capiendum et carceri pristino retrudendum, sub pena excommunicationis interdicentes omnibus, ne quis in domo, mensa, doctrina eidem Parisius decetero communicare presumat. Ceterum cum secundum sapientem[3] altiora se nullus querere debeat nec fortiora se perscrutari, illudque tempus ab apostolo predictum adesse videatur, ubi quidam prurientes auribus a veritate quidem auditum avertent, ad modum Atheniensium, ad nichil aliud, nisi aut dicere aut audire aliquid novi dicantur intendere, quandoquidem logici theologice et theologi philosophice in suis disputationibus sicut nobis relatum est procedentes, contra preceptum legis sortes Dominice hereditatis miscere et confundere non formidant : universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, quatinus universi et singuli terminis antiquis scientiarum et facultatum, quos posuerunt patres nostri, contenti, penamque maledictionis contra transferentem terminos proximi sui in lege positam formidantes, ita sobrie secundum apostolum sapiatis, ut non vos novitatis aut presumptionis notam possitis incurrere, aut etiam cecis ponatis offendiculum, et vestris sequacibus errandi occasionem relinquatis. Datum Parisius die sabbati ante Natale Domini anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo[4].

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9960, fol. 101, adhibito auctore operis *Universitatis Paris. ejusque facultatum quatuor origo vera* (Bibl. Univers. Ms. u, I, 1, p. 593), qui hoc monumentum desumpsit ex cod. membr. sacrae facultatis. D'Argentré, *Coll. jud.*, I. 158, describit suum ms. « Codex censurarum facultatis Theologiae, quod magnum volumen N(atalis) Bedae nominatur ». — Nescio, an supra relata de Johanne cohaereant cum istis quae narrat Yvo dictus Nerbonensis in sua epistola ad Giraldum archiepiscopum Burdegalensem, a Matthaeo Paris. ad an. 1243 posita (ed. Luard, IV, 270), de Paterinis in Lombardia, qui inter secreta ei detegentes afferebant, « quod ex omnibus fere civitatibus Lombardiae et quibusdam Tusciae Parisius dociles transmiserunt scholares, quosdam logicis cavillationibus, alios etiam theologicis dissertationibus insudantes, ad astruendos ipsorum errores et professionem apostolicae fidei confutandam ».

1. Galtero de Castello Theodorici (Château-Thierry), qui an. 1246 factus est cancellarius Parisiensis (vide supra ad nº 138), et usque cancellariam tenuit dum post mortem episcopi Guillelmi Parisiensis (obiit c. 30 Mart. 1249. Vide Valois,

Guillaume d'Auvergne, p. 152, n.), in episcopum Parisiensem electus est (c. mensem Junii). Nominatur ut episcopus Parisiensis 13 Septemb. an. 1249 (Guérard, *Cart. de l'église Notre-Dame de Paris*, I, 159), at jam mense eodem obiit. Supersunt non solum ejus sermones, ut notum est ex *Hist. litt. de la France*, XXVI, 390, et Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2e éd., p. 95, 505, sed et Quaestiones theologicae *Magistri Gualterii cancellarii Parisiensis* in Bibl. S. Antonii Paduani, ms. 152, fol. 150, in quarum quaestione 19 diffuse de magistris et cancellario et studio Paris. loquitur. — 2. 20 Decemb. — 3. Eccli. 3,22. — 4. In ms. lat. Bibl. nat. deest : « quadragesimo septimo ».

---

177. *Hugo episc. Lingonensis eis qui ad opus fratrum Ord. Cisterc. in Cardineto subsidia contulerint, indulgentiam quadraginta dierum elargitur.*

Anno 1247.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis H. Dei gratia Lingonensis episcopus salutem in omnium Salvatore. Cum Ordo Cisterciensis tanquam quoddam speciale speculum religionis et sanctitatis exemplarque preclarum sancte perfectionis in ecclesia Dei patenter effulgeat, tanto ei liberalius et habundantius in suis est necessitatibus succurrendum, quanto ipse necessitatibus omnium propensiori caritatis largitate dinoscitur subvenire. Quia igitur sicut credimus non absque nutu et aspiratione divina viri devoti in Christo religiosi St. abbas et fratres Clarevallis Cisterciensis Ordinis claustrum et domos habitationi fratrum suorum et studiis aptas Parisius in loco Sancti Bernardi in Cardoneto edificare contendunt, in quibus fratres ipsius ordinis commorentur, quos ad invigilandum sacris studiis dociles et alias ydoneos de conventibus suis abbates duxerint eligendos, et tante edificationis sumptibus propter alia immensa pietatis onera proprie non sufficiunt facultates : nos tam pii tamque Deo accepti operis participes esse et alios fieri cupientes, omnibus qui eidem operi grata subsidia vel contulerint vel transmiserint, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis de immensa Dei misericordia et gloriose genitricis Dei omniumque sanctorum meritis et precibus necnon et de bonis, que in eodem loco fient confisi, misericorditer relaxamus, si tamen hoc ipsum gratum et ratum habere decreverit episcopus diocesanus. Dat. anno Domini M°CC°XL° septimo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3 H/153 — Ibid. exstat originale litterarum Guillelmi episcopi Paris. ad abbates, priores, decanos, presbyteros, *etc.*, suae dioecesis, directarum, quibus eos monet, « quatinus indulgentiam mille et octingentorum et triginta dierum, quam dominus papa, dom. Odo cardinalis apost. sedis legatus et ven. archiepiscopi et episcopi faciunt seu indulgent omnibus benefactoribus novi operis incepti Parisius in loco b. Bernardi in Cardonneto ad opus monachorum Clarevall. ibidem Deo famulantium et in sacra pagina assidue studentium plebibus vestris..... exponatis », *etc.* « Dat. anno dom. M°CC°XL° octavo, mense Decembri ». Deest sigillum.

177a. *Innocentius IV Placentiae instituit studium generale cum omnibus privilegiis et immunitatibus, quibus studentes Parisiis et in aliis studiis generalibus gaudent.*

1248, Februarii 6, Lugduni.

.. Episcopo[1] et clero ac populo Placentino. Quia profectum terre vestre in visceribus amplectimur caritatis, vellemus libenter quod ibi scifus reppeniretur argenteus, id est[2] studium litterarum, in quo Joseph[3] subtili novit ingenio auguria explicare,

quodque ibi argentum eloquentie venarum suarum obtineret principia et locus esset in quo aurum sapientie conflaretur. Credimus enim et pro firmo tenemus quod ex hoc ipsi civitati non modicum honoris accresceret et sibi possent exinde spiritualiter et temporaliter grata commoda provenire, propter quod non tam consideratione tui frater episcope nobis super hoc supplicantis instanter, quam etiam ob ipsius civitatis augmentum, generale inibi fieri studium cupientes, ut ad ipsam civitatem ad auriendum aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris hominum copiosa confluat multitudo et ibi turris David cum suis propugnaculis construatur, ex qua non solum dependent mille clipei, sed etiam omnis fortium armatura, omnibus doctoribus et scolaribus in quacumque facultate in predicta civitate studentibus, quod eisdem privilegiis, indulgentiis, libertatibus, et immunitatibus gaudeant, quibus Parisius seu in aliis studiis generalibus studentes letantur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Dat. Lugduni viij id. Februarii, anno v.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 5, ep. 565, fol. 505. — Campi, *Hist. univ. delle cose eccles. come seculari di Piacenza*, II, 399, nº 91.

1. Alberto. — 2. Reg. : « idem ». — 3. Reg. repetit « in quo ».

---

178. *Sententia Odonis Tusculan. episcopi, apostolicae sedis legati, consilio episcopi Parisiensis, magistrorum theologiae et decretorum et aliorum lata super Talmud.*

1248, Maii 15, [Parisiis].

Odo miseratione divina Tusculan. episcopus apostolice sedis legatus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos Parisius anno Domini MCCXLVIII idus Maii super quibusdam libris Judeorum, qui Talmud appellantur, presentibus magistris Judeorum et ad hoc vocatis, diffinitivam sententiam protulimus in hunc modum :

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Exhibitis nobis auctoritate apostolica[1] a magistris Judeorum regni Francie quibusdam libris, qui Talmud appellantur, quos inspeximus et per viros discretos et expertos in talibus Deum timentes et zelum habentes fidei christiane fecimus inspici diligenter, quia eos invenimus errores innumerabiles, abusiones, blasfemias et nepharia continere, que pudori referentibus et audientibus sunt horrori in tantum, quod predicti libri secundum Deum sine fidei christiane injuria tolerari non possunt : de consilio bonorum, quos ad hoc specialiter duximus evocandos, pronunciamus predictos libros tolerandos non esse nec magistris Judeorum restitui debere et ipsos sententialiter condempnamus. De aliis vero libris nobis non exhibitis a magistris Judeorum, licet a nobis super hoc pluries fuerint requisiti, vel etiam non inspectis, plenius cognoscemus loco et tempore, et faciemus quod fuerit faciendum.

Nomina autem illorum, de quorum consilio predicta sententia lata fuit, sunt hec:

Venerabilis pater Willermus, Dei gratia Parisiensis episcopus
Acelinus, abbas S. Victoris Parisiensis
Radulphus, quondam abbas ejusdem loci
Lucas, Decanus Parisiensis.

Et magistri theologie, videlicet:

magister Galterus, cancellarius Parisiensis
magister Aymericus de Veire, canonicus Parisiensis[2]
magister Willermus de Cramant
magister Petrus dictus archiepiscopus[3]
magister Radulphus de Monte Desiderii
magister Stephanus, archidiaconus Meldensis
magister Rotbertus de Coton
frater Guillermus de Meliton, de Ordine fratrum Minorum[4]
frater Johannes Pungesasinum[5]
frater Albertus Theutonicus
frater Stephanus Autisiodorensis, de Ordine fratrum Predicatorum.

Et magistri decretorum, videlicet:

magister Petrus Ligerii
magister Gaufridus, cantor Dauratensis[6]
magister Johannes, archidiaconus Trecensis[7]
magister Philippus, archidiaconus Bituricensis
magister Matheus Guidonis de Atrabato
magister Guillermus de Braio[8]
magister Richardus de Tabulis
magister Girardus de Corion
magister Theobaldus de Divione
magister Henricus canonicus Remensis
magister Stephanus de Lorriz
magister Petrus de Vireto
magister Johannes de Sulhiaco
magister Nicholaus de Pondearche[9].

Item alii boni viri:

magister Nicholaus, archidiaconus ecclesiè Rothomagensis
magister Garinus, archidiaconus ecclesie Belvacensis
magister Thomas, archidiaconus Baiocensis
magister Hugo, archidiaconus Baiocensis
magister scolarium Andegavens.

frater Johannes de Monte Mirabili[10]
frater Johannes, gardianus fratrum Minorum
frater Odo de Romaco
frater Raginaldus Carnotensis
frater Henricus Theutonicus[11]
frater Theobaldus de Sexannia[12]
frater Symon, minister Sancti Mathurini, Parisius.

Quorum sigilla apposita sunt presentibus unacum nostro in testimonium hujus rei. Dat. anno Domini MCCXLVIII, mense Maio.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16558, fol. 234. In cod. hoc documentum excipit alterum supra nº 173 relatum, sub titulo : « Item alie littere ». — Quétif-Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 166. D'Argentré. *Coll. jud.*, I, 155.

1. Vide supra nº 172. — 2. Qui fuit cancellarius post Galterum. — 3. In Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15652, fol. 32, 63b, 64, exstant excerpta ex commentario « super lib. Sentent. magistri Archiepiscopi ». De isto ms. vide supra ad nº 90, n. 2. Ibi et fol. 110-186-194 commentaria *G. de Castro Terterici* super Matthaeum, Cant. Cant. et alios libros allegantur. Utique hic magister Galterus cancellarius Parisiensis, de quo supra nº 176, n. 1, insinuatur, qui in hoc documento primo loco inter magistros theologiae affertur. — 4. Ipse ut *cathedraticus* successit Odoni Rigaldi, qui hoc ipso anno factus est episcopus Rothomagensis. Cf. de eo Salimbene, *Chron.*, p. 93, 220. — 5. Iste et duo sequentes sunt ex Ord. Praed. — 6. In dioec. Lemovicensi. — 7. In ms. « Trecenensis ». — 8. Forte idem atque canonicus Laudunensis. Cf. Guérard, II, 344. — 9. I. e. « Ponte Arche ». — 10. Ord. Praed. Vide Guérard, I, 159. Lecoy de la Marche, *Anecdotes histor.*, p. 109, 386. Fuit primo archidiaconus Paris. — 11. Id est Henricus de Colonia, Ord. Praed., quo instigante secundum Thomam Cantimprat. (*Lib. apum*, l. 1, c. 3) Judaeorum libri sunt combusti. — 12. Echard et d'Argentré male legunt « Saxonia ». Sexannia (Sezannia?) forsan est Sézanne (arr. Épernay). Non caret probabilitate, istum fratrem esse eumdem cum auctore libri *Excerpta ex Talmud*, qui in mss. saepe occurrit, et in Bibl. Monac., ms. lat. 26847, fol. 68, sic describitur : « Isti sunt errores Judeorum in libro Thalemut, quorum translationem fr. Theobaldus *subprior ord. Praed. in villa Parisiensi*, qui quondam erat Judeus, transtulit de judaico in latinum ». Cf. Bibl. Univ. Prag. V. C. 18, fol. 1. Bibl. Amplon. Fol. ms. 338, fol. 131 (epitheton vero *de Saxonia* non invenitur in hoc cod., sed editor catalogi Schum illud perperam apposuit). In *Correctorio Bibliae*, ms. lat. 10721 (med. saec. XIII), Bibl. nat. Paris., fol. 181, 187, 207, 218, mentio fit « correctionum fratris Theobaudi ». Verisimiliter est idem cum Theobaldo supra relato.

---

179. *Statutum cap. generalis Ord. Praed. sub magistro Johanne Teutonico Parisiis celebrati de studiis generalibus et doctoribus Ordinis.*

1248, Junio ineunte, Parisiis.

[Confirmamus] hanc [constitutionem], ubi dicitur in Constitutionibus : tres fratres mittantur tantum Parisius ad studium de provincia[1], addatur : iiijor vero provincie, scilicet Provincia, Lonbardia, Theotonia, Anglia provideant, ut semper in aliquo conventu magis ydoneo sit generale studium[2] et sollempne, et ad illum locum quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ydoneos ad studendum. Et hoc habent tria capitula. Item hanc, ubi dicitur in Constitutionibus : nullus fiat publicus doctor, nisi ad minus theologiam audierit per iiijor annos[3], addatur : nec disputet, nisi de licentia prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis. Et hoc habent tria capitula.

Mss. Rom. et Ruten. Capp. general. Ord. Praed. ad ipsum ordinem pertinentes. — Annis 1246 et 1247 hae constitutiones inchoatae sunt. Apud Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1690, nº 3, tantummodo inchoatio anni 1246, non repetitio et confirmatio.

1. Cf. Constitutiones anni 1228 a Denifle publicatas in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 226. — 2. Ista studia generalia tunc fuerunt Coloniae, Bononiae, Montispessulani et Oxoniae. Coloniense ab Alberto Magno post ejus regressum a Parisiis (post 15 Maii an. 1248) est institutum. — 3. Vide *Archiv, etc.*, p. 223.

180. *Innocentius IV Galtero cancellario Parisiensi scribit, ut decem scholaribus tam in arabica quam in aliis linguis orientalium partium peritis et Parisiis in theologica facultate studentibus provideat.*

Ante 1248, Junii 22, [Lugduni].

Cancellario [Parisiensi]. Quia cordi nobis est illa debita meditatione perficere, per que salus animarum proveniat et fidei christiane religio dilatato tentorii sui loco funiculos suos faciat longiores, quosdam pueros tam in arabica quam in aliis linguis orientalium partium peritos Parisius mitti disposuimus ad studendum, ut in sacra pagina docente vias mandatorum Domini eruditi alios in ultramarinis partibus erudiant ad salutem. Ne igitur iidem pueri, qui jam sunt decem Parisius, ab incepto studio pro necessariorum defectu desistere compellantur, mandamus, quatinus, *etc.*

Collectio Marini de Ebolo in Arch. Vat., arm. 31, nº 72, ep. 1563, sub titulo « Provisio scolarium orientalium »; nomen papae non enuntiatur. Sed est Innocentius IV, ut ex epistolis proxime sequentibus et epistola Alexandri IV infra nº 324 (in quibus etiam qualitas provisionis exprimitur) apparet. Cf. infra litteras Honorii IV, 10 kal. Julii anno 5, in quibus paene ad verbum forma litterarum Innocentii exscribitur.

---

181. *Innocentius IV eximit monasterium S. Petri Carnotensis O. S. B. a provisione facienda pro decem pueris orientalibus Parisiis studentibus, dummodo per tres annos eis pensionem solvat.*

1248, Junii 22, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati[1] et conventui monasterii Sancti Petri Carnotensis Ord. S. Benedicti salutem et apostolicam benedictionem. Exigentibus vestre devotionis meritis votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, .. cancellarius Parisiensis, cui super provisione facienda quibusdam pueris orientalibus Parisius studentibus litteras nostras direximus, vobis mandaverit, ut eis deberetis in decem libris paris. annis singulis providere : nos attendentes, quod vestrum monasterium est gravatum, ut ad provisionem eorumdem puerorum, dummodo per tres annos eis pensionem predictam solveritis, compelli per litteras apostolicas impetratas aut etiam impetrandas minime valeatis auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni x kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9222. *In Chartul. S. Petri Carnot.* 182, 81. Deest bulla. — Jourdain, *Un collège oriental à Paris au treizième siècle* in *Revue des Sociétés savantes*, 2ᵉ série, tom. VI (1861), p. 69. Apud Guérard, *Cart. de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, II, 700, nᵒˢ 125 et 126, hoc et sequens documentum tantummodo indicantur.

1. Giloni.

---

182. *Innocentius IV priorem B. Mariae de Prato Rothomagensis conservatorem praedicti privilegii constituit.*

1248, Junii 22, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dil. filio .. priori beate Marie de Prato Rothomagensis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancti Petri Carnotensis fuit propositum coram nobis, quod .. cancellarius Parisiensis, cui super provisione facienda quibusdam pueris orientalibus Parisius studentibus litteras nostras direximus, eis mandavit, ut dictis pueris deberent in decem libris parisien. annis singulis providere : nos attendentes, quod eorum monasterium est gravatum, eis duximus indulgendum, ut ad provisionem eorumdem puerorum, dummodo per tres annos eis pensionem predictam solverint, per litteras apostolicas impetratas vel etiam impetrandas compelli non possint. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos abbatem et conventum contra concessionis nostre tenorem non permittas ab aliquibus super hiis indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni x kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 9222, *Chartul. S. Petri Carnot.* 182, 82. Deest bulla plumbea.

---

183. *Statutum capit. generalis Ord. Cisterc., quod praefectus studentium Paris. non prior sed provisor vocetur.*

1248, Septembris 12, [Cistercii].

Statuit et ordinat capitulum generale, ut ille monachus, qui per abbatem Clarevallis pro tempore prefuerit monachis Parisius in loco S. Bernardi studentibus, de cetero non prior sed provisor vocetur[1]. Et quoniam decens est et honestum, ut ubicumque fuerint monachi nostri ordinis, vivant sub observantia regulari, committitur abbati Clarevallis auctoritate capituli generalis, ut eamdem jurisdictionem corrigendi et absolvendi habeat in monachis hospitibus ad se missis, cum domus illa sit membrum proprium Clarevallis, propriorum et patrum abbatum in omnibus jure salvo.

Bibl. Trecensis, ms. 1796, fol. 2^b. Cod. definit. et capp. gen. Ord. Cist. in Arch. stat. in Luzern, l. 1, pars 1, p. 202. — Martène, *Thes. nov. anecd*, IV, 1389, nº 3.

1. Ex docum. (originali) in Arch. nat. Paris. S. 3669, nº 19, anni 1247, mense Aprili (continente venditionem factam fratribus studentibus Paris. in praesentia Guillelmi episcopi) ediscimus, priorem tunc temporis fuisse fr. Guillelmum, insimul procuratorem abbatis et conventus Clarevallensis.

---

184. *Innocentius IV concedit ut pauperes scholares, qui Boni pueri dicuntur, quorum custodia ad cancellarium Paris. pertinet, propriam capellam, ubi divina celebrentur officia, habere possint.*

1248, Novembris 24, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii cancellarii Parisiensis, cui custodia Pauperum scolarium Parisiensium, qui dicuntur Boni pueri, est commissa, fuit nobis humiliter supplicatum, ut habendi in eorum domo capellam et divina ibidem officia celebrandi parrochialis ecclesie jure salvo eis licentiam concedere curaremus. Volentes igitur tibi, qui loci diocesanus existis, in hoc parte defferre, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem postulata concedas sine juris prejudicio alieni si videris expedire. Dat. Lugduni viij kal. Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Magn. Chart. ecclesiae Paris, in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 330. — Bulaeus, III, 217.

---

185. *Innocentius IV permittit ut clerici studentes theologiae in scholis fratrum Minorum provinciae Bononiensis quoad perceptionem beneficiorum illa indulgentia, qua studentes Parisiis in eadem facultate, gaudeant.*

1249, Martii 26, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio fratri Rufino ministro fratrum Minorum Bononiensium salutem et apostolicam benedictionem. Tuis devotis supplicationibus inclinati universis clericis intrantibus scolas fratrum administrationis tue pro audienda theologica facultate auctoritate presentium indulgemus, ut quoad perceptionem beneficiorum suorum illa indulgentia gaudeant, quam studentes in eadem facultate Parisius habere noscuntur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni vij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Originale in Arch. di stato di Bologna, Arch. degli Enti autonomi, monastero di S. Francesco, Bolle, busta 351/5094, nº 8. Deest sigillum. — Sbaralea, *Bull. Francisc.*, I, 529, nº 300.

---

186. *Statutum cap. generalis Ord. Praed. sub mag. Johanne Teutonico Treviris celebrati, ne studentes Parisios missi debita contrahant.*

1249, medio Maio, Treviris.

Studentes missi Parisius vel ad alia solempnia studia nulla contrahant debita, nisi concessionem habeant a suis provincialibus per patentes litteras sibi factam. Sed nec alii fratres debita contrahant, nisi de speciali et expressa licentia prelatorum suorum.

Mss. Rom. et Rutenens. capp. general. Ord. Praed. ad ipsum ordinem pertinentes. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1695, nº 24.

---

187. *Juramenta eligentium rectorem et rectoris intrantis electionem.*

1249, mense Octobri, [Parisiis].

Noverint universi quod cum orta esset discordia inter magistros regentes in artibus Parisius, scilicet inter nationem Gallicorum ex una parte, et alias tres nationes ex alia, de rectore eligendo et de modo eligendi, et in tantum proruperat discordia, quod nationes tres inhibitionem fecerant suis compatriotis fide recepta corporaliter, et sub gravis pene inflictione, ne scolas magistrorum nationis Gallicane causa discipline introirent : tandem per quosdam magistros ab utraque parte specialiter ad pacis reformationem statutos fide data hinc et inde a partibus quod ratum haberent quicquid illi magistri de pace reformanda ordinarent, convenerunt in hunc modum, quod magister Remondus de Caturco qui tunc erat rector nationis Gallicane, et magister Robertus de Coleriva tunc rector aliarum trium nationum jurati super sacrosancta bona fide eligent in rectorem illum, quem secundum suam conscientiam credunt utiliorem ad officium rectorie Universitatis non moti aliquatenus ratione precedentis discordie, nec moti amore vel odio, honore vel pudore alicujus nationis, nec moti amore vel odio honoris vel utilitatis alicujus persone. Si vero in unum non possint convenire, set unus eligat unum et alius alium, tunc ambo stabunt rectores Universitatis usque ad tempus prefixum a dictis electoribus, ita tamen quod utantur mutuo consensu, ita quod alter eorum non poterit aliquid ordinare, vel forte tanquam rector sine consensu alterius. Tempore vero prefixo elapso, cedet rector electus vel duo si fuerint officio rectorie, et eligetur rector in posterum sub hac forma, quod quatuor procuratores quatuor nationum jurati sollempniter super sacrosancta coram nationibus eligent bona fide alium a predecessore illum in rectorem Universitatis, quem secundum suam conscientiam credunt utiliorem officio rectorie non moti ratione precedentis discordie, nec moti amore an odio honore vel pudore alicujus nationis, nec moti amore vel odio honore vel utilitate alicujus persone, set moti propter commune bonum tocius studii. Et ille in quem consenserint quatuor sic jurati vel tres illorum, stabit rector Universitatis usque ad tempus prefixum. Si vero nec illi quatuor nec illi tres non possint in aliquem unum consentire, tunc vocabitur rector predecessor vel duo rectores si duo fuerint jurati super sacrosancta secundum formam predictam ad eligendum. Et ille, in quem major pars consenserit, stabit rector usque ad tempus determinatum. Quod si forte adhuc major pars in aliquem unum non consenserit, tunc mutabuntur isti electores, et vocabuntur alii quatuor a singulis nationibus jurati sub eadem forma, donec major pars in aliquem consenserit. Et ille stabit rector usque ad tempus determinatum. Antequam vero ista forma pacis publicetur, revocabitur a tribus nationibus per singulas scolas artistarum inhibitio quam fecerant suis compatriotis, ne scolas Gallicane nationis causa discipline introirent, et fruentur scolares introeundi scolas magistri cujuslibet solita libertate. Que

ut rata sint imperpetuum, quatuor nationes artistarum presentes litteras quatuor sigillis nationum roboraverunt. Datum anno Domini M° CC° XL° nono, mense Octobris.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 1, et iterum sed in fine cum mutilatione, fol. 24 b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 1 b, et iterato, fol. 30 b, sub titulo supra posito. — Bulaeus, III, 222.

---

188. *Fr. Adam de Marisco Ord. Minorum in Anglia scribit fr. Guillelmo de Nottingham, ministro Min. in Anglia, de fratribus mittendis Parisios, ut provideat studio Parisiensi in praesenti necessitatis urgentia, sicut et de fr. W. de Maddele.*

1240-1249.

Fratri W. ministro Anglie frater Ada salutem et tam debitam quam devotam per omnia subjectionis obedientiam. Notum sit honorabili paternitatis vestre pietati, quod cum dilectus frater de Maddele ad me Oxoniam accessisset, et ego eundem, juxta quod mihi visum fuit, secundum tenorem mandati vestri fuissem allocutus, ipse mihi respondit se nequaquam procurasse apud ministrum generalem ut per ejus auctoritatem ab Anglia vocaretur in alia provincia collocandus, asserens quod nec etiam adhuc hujus rei gerit desiderium, cum certa pro incertis, sicut circumspecte protestatur, nullatenus sint deserenda. Ceterum tenorem mandati, quod minister generalis ad vos destinavit pro fratribus mittendis Parisius, prior ipse mihi retulit, quam eidem super hoc aliquid expressius insinuassem. Ad hec, de investigandis expositionibus sacre scripture in libris originalibus Sanctorum cum eodem contuli, sicut mandastis, qui prompta devotione paratum se obtulit, ut dignum est, omnino non tam ad hoc, quam ad omnia quecunque ei salutariter duxeritis injungenda. Quoniam igitur modicitatis mee consilium super instanti articulo emittendorum fratrum de provincia vestra requirere voluit vestra circumspecta discretio, perpensis ut valeo rerum circumstantiis, vobis innotesco quod, ut video, satius est, tam fratre Johanne de Westun quam fratre W. de Maddele impresentiarum apud vos retentis, per reliquos mandatum generalis impleatis, studio Parisiensi in presenti necessitatis urgentia providentes. Sic enim, ut puto, et opportunius divino servietur honori, et fratrum utilitati cumulatius prospicietur, et commodius cari nostri, de quibus sollicita est vestra paternitas, ad ecclesiasticam utilitatem per eosdem in futuris temporibus efficiendam, propitia Divinitate, proficiant.

Adhuc in calce littere non exiliter mirandum censeo, quod carissimo fratri W. de Maddele, qui onus divine eruditionis impendende sibi jamdudum impositum diligenter hactenus continuavit in obsequiali adjutorio, nescio per quam circumspectionis severitatem nondum fuit provisum. Unde cogitur nimirum non solum spiritum vitalem per studiorum vehementiam exhaurire, verum etiam manu propria scriptitando in dies corporale robur atterere, cum non sit fortitudo lapidis fortitudo sua, nec caro ejus caro enea est. Et quid est, quod ceteris fratribus officio legendi deputatis, presertim quibus successit, in magnis provisum est voluminibus et in sociorum subventuum adjutoriis, iste

solus videtur non curari, qui tamen, ut audio, hanc divinitus est assecutus gratiam, ut sic in legendo suavis, acutus in disserendo, in scriptis et eloquiis tam fratribus quam secularibus utilis et acceptus? Erit igitur vestrum, si placet, per sedulam pie paternitatis sollicitudinem in hac parte, sicut expedire noveritis, absque more dispendio, et paci mentium consulere et studentium providere provectui. Rogavit me dilectissimus mihi in Christo frater R. de Falle, gardianus Stanfordie, quod et quantum valeo scio, vestram interpellare pietatem, ut ei in pacifica consolatione per paternam clementiam prospiciatis. Rogo, pater mi carissime, salutari obsequio mei, si placet, sanctam et amabilem societatem vestram sigillatim in Christo.

Brewer, *Monum. Francisc.*, I, 353. — Guillelmus de Nottingham successit in ministerio Angliae fr. Haimoni, quando iste electus fuit in ministrum generalem ord. (vide l. c., p. 59), quod verisimiliter an. 1240, Nov. 1, evenit. Absolutus est in capitulo Metensi, « postquam circiter novem annos provinciam Angliae rexerat », id est an. 1249 (ibid., p. 70). Epistola scripta est forsitan post mortem Alexandri de Hales et Johannis de Rupella (an. 1245). Vide nº 150.

---

189. *Fr. Adam de Marisco, Ord. Minorum in Anglia, scribit fr. Guillelmo de Nottingham, ministro Ord. in Anglia, de fr. Ricardo Cornubiensi, qui Parisios transmigrare voluerat.*

1240-1249.

Fratri W. ministro Angliae frater Ada supplicem devotae promptitudinis obedientiam. Cum, quod omnimodis nolo, scribo, quid scribam vix invenio; calamum tamen, quem recondit amor, timor exserit. Nostis, mi amantissime, quam sit carissima fratris Ricardi Cornubie filiis vestris opportuna presentia, quam titulorum laudabilium eminens evidentia fratribus universis reddit desiderabilem, cui conversationis honestas et claritas scientie, pietas affectionis et opinionis integritas, facultas erudiendi et disserendi subtilitas, sic ad notiora meritorum suffragantur argumenta, quod et ipsorum manifesta consideratio nostre professioni magnorum, mediocrium, et minorum, tam in clero quam in populo, salutare contubernium pariter et fidelem amicitiam conciliare cognoscuntur. Proinde cum ante dies aliquot ob vehementiores perturbationum occasiones dictus frater R. inexorabile concepit propositum transferendi se, secundum concessionem ministri generalis olim indultam, in provinciam Francie, secundum quod fuerit propitia divinitas Parisius aliquamdiu moraturum, et sic eidem ulterius angustie desolatio, cum ad manendum nobiscum ipsum cogat detinentia prorogatior, non tam amantissimo fratri voluntarie compatiens, quam invite consentiens anxioribus ejus instantiis, pro sepe memorato fratre Ricardo, et cum illo, cum quantis possum affectuum diligentiis, et vice ceterorum fratrum eum ad eternam salutem emulantium, obsecro suppliciter exorans obnixius ut, si preexhibitis circumspectionis paterne remediis ad remanendum apud nos nullatenus induci valeat, ex inolita benigne sedulitatis clementia, propter superbenigni Salvatoris contemplationem, suspensum desiderii filialis exitum, cum idoneo societatis solatio et necessario codicum

adjutorio, secundum celitus datam vobis industriam, pia prosecutione maturare curetis. Insipiens factus sum : postulantis urgentia me coegit. Valeat paternitatis vestre pietas. Ne forte memorie [exciderit] vestre, propter occupationum varietatem, tenor indulgentialis littere, quam piissimus pater minister generalis fratri R. in suo recessu reliquit, dicte littere tenorem signo memorati generalis signate, quem nuper aspexi, adhuc penes prefatum fratrem R. remanentem, sanctitatis vestre discretioni sub sigillo nostro mitto transcriptum.

Brewer, *Monum. Francisc.*, I, 365. — Vide notam ad doc. nº 188. Iste fr. Ricardus Cornubiensis « legit cursorie Sententias Parisius, ubi magnus et admirabilis philosophus judicatus est ». Thomas de Eccleston, ibid., p. 39. Aliter judicat de illo Rogerus Baco : « Famosissimus apud stultam multitudinem, sed apud sapientes fuit insanus et reprobatus Parisius propter errores quos invenerat et pervulgaverat, cum solemniter legebat *Sententias* ibidem, priusquam legeret Sententias Oxonii ab anno Domini 1250 ». Charles, *Roger Bacon*, p. 415 Ex hoc scimus saltem quo tempore Parisiis legerit, scil. ante an. 1250, quod optime congruit cum epistola supra publicata.

---

190. *Innocentius IV ratum et gratum habet, quod a Johanne, abbate S. Benedicti Floriacensis, et Odone, episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, de studiis aliquorum monachorum ejusdem monasterii fuerit ordinatum.*

1250, Maii 28, Lugduni.

Innocentius servus servorum Dei dilecto filio abbati[1] monasterii S. Benedicti Floriacensis Ord. S. Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Aurelianensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Hiis que ab ecclesiarum prelatis provide statuuntur, libenter adjicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Cum igitur sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis bone memorie J. proximus predecessor tuus abbas monasterii Floriacensis deliberatione provida duxerit ordinandum, ut in prioratu S. Gervasii Aurelianensis ad idem monasterium pleno jure spectante decem ex ipsius monasterii monachis docibiles ad discendam sacram paginam commorentur, quibusdam domibus predicti monasterii, ex quibus sustentari valeant, eorum usibus deputatis, idque venerab. frater noster episcopus Tuscul. tunc in partibus Francie apostolice sedis legatus duxerit confirmandum, prout in litteris super hoc confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur : nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem abbate et legato provide factum est, ratum et gratum habentes, autoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum talis est : « Odo divina miseratione Tusculanus episcopus, *etc. ut supra* nº 171 ». Nulli ergo, *etc.*, nostre confirmationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni v kal. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Chart. S. Benedicti Floriac. in Arch. départ. du Loiret (Orléans), p. 36, nº 53. « Collatum cum originali ». Chazal, *Historia coenobii Floriac.*, Cod. 270 bis in Bibliotheca publ. Aurelian., fol. 478. — A Denifle ed. in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 582. — An. 1260, mense Maio, Stephanus, prior S. Benedicti Floriac., omnia rata habuit 28.

et praebuit suum assensum, quod et abbas Theobaldus fecit. *Chart.*, p. 100, nº 146. *Archiv, etc.*, p. 583. Jam an. 1258 Theobaldus domum quamdam apud S. Stephanum de Gressibus Paris. ab abbate Praemonstrat. emit. Sed de collegio aliquo et de studentibus monasterii S. Benedicti Floriac. Parisiis existentibus nulla memoria illius temporis ad nos pervenit.

1. Dionysio, Johanne an. 1248 defuncto. Cf. Rocher, *Hist. de l'abbaye royale S. Benoît-sur-Loire*, p. 333.

---

191. *Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi mandat ut iis religiosis, quos post examinationem idoneos judicaverit, licentiam ne postulantibus quidem concedat.*

1250, Maii 30, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio cancellario[1] Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Super licentiandis magistris in theologica facultate indulgentiam ab apostolica sede diceris habere inter cetera continentem, quod post examinationem eorum juxta tuam conscientiam super hoc des vel neges petenti licentiam postulatam[2]. Cum autem, sicut accepimus, tu pretextu verborum hujusmodi nemini quantumcunque digno licentiam istam concedas, nisi petatur ab ipso, nos attendentes quod plures ydonei et precipue religiosi, qui voluntatem suam in alios transtulerunt, nunquam eandem licentiam postularent, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eos, quos secundum formam tibi a supradicta sede concessam dignos repereris, cum petitio hujusmodi neminem digniorem efficiat, licentiam ipsam, etsi non petatur ab ipsis, sine difficultate aliqua largiaris. Dat. Lugduni iij kal. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Cod. Ruten. Constit. Ord. Praed. ad ipsum ord. pertinens, p. 237, absque temporis nota. — Bulaeus, III, 223. — Hanc verisimiliter epistolam Gonzaga (*De origine seraph. relig. Francisc.*, p. 115) ad an. 2 pontificatus Innocentii refert, dicens Innocentium constituisse, ut theologicae facultatis scholae publicae, disputationes et honorabiles gradus Minoribus et Praedicatoribus cum aliis essent communes. Vide ad hoc *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 246.

1. Galtero an. 1249, mense Junio, ad episcopatum Parisiensem assumpto (vide supra ad nº 176) Haimericus de Veire (Vaire), vel Vari, ut legitur in Arch. nat. Paris. LL. 189, qui laudatur in doc. nº 178, cancellarius Parisiensis factus est, cujus exstant varii sermones. Vide Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2ᵉ éd., p. 191, 512. Non constat, quo anno mortuus sit vel cancellariam dimiserit. In *Cart. de l'église Notre-Dame*, éd. Guérard, II, 67, 408, ultimum nominatur 1259, mense Januario. Ipsum tamen usque ad an. 1264 circiter vixisse conjicere possumus ex documento infra publicato ejusdem anni, Maii 26. — 2. Cf. doc. supra nº 79.

---

192. *Innocentius IV monachis studentibus Ord. Cisterc. in nova habitatione in Cardineto eadem privilegia, quae prius habebant, aliis adjunctis, concedit.*

1250, Augusti 26, Lugduni.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. provisori et monachis loci qui dicitur Beati Bernardi in Cardineto Parisiensi, Cisterciensis Ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod de loco, ubi primitus fueratis, qui usibus vestris nimium artus erat, ad locum de Cardineto vobis accomodum et studio cui insistitis magis aptum vos deliberatione provida transtulistis[1]. Unde cum vobis in priori loco degentibus concessisse dicamur[2], ut privilegiis, indul-

gentiis et libertatibus Cisterciensi Ordini ab apostolica sede concessis sicut ceteri fratres ejusdem ordinis, gauderetis : nos premissis aliquid ad vestram supplicationem addentes expressius vobis preter premissa privilegia, indulgentias, et libertates, quibus ob translationem hujusmodi nolumus derogari, auctoritate presentium indulgemus, ut in capella vestra ejusdem loci de Cardineto divina possitis celebrare officia, et cimiterium, sicut moris est, ab episcopo benedictum habere ad opus fratrum ibidem decedentium juxta consuetudinem Cisterciensis Ordinis approbatam. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni vij kal. Septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3 II/257. Deest bulla. In aversa membrana : « Cardinalis albus ». — D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'etat intérieur des abbayes cisterc.*, p. 303.

1. Conjicere possumus, aedificia in Cardineto anno 1246 inchoata (supra n[is] 166, 167) non fuisse perfecta ante annum 1250. — 2. Vide supra nº 157.

---

193. *Capitulum generale Ord. Cisterc. provisori studii Parisiis privilegium concedit.*

1250, Septembris 12, [Cistercii].

Pro magno favore et gratia domni abbatis et domus Clarevallis conceditur auctoritate capituli generalis, ut provisor studii Parisius in omnibus abbatiis ordinis, ad quas venerit, stet in choro abbatis immediate ubique post abbates, nisi fuerit ibi aliqua reverenda persona, que prius abbatizaverit, cui concessum fuerit esse ubique post abbatem.

Bibl. Trecensis, ms. 1796, fol. 2[b]. Cod. definit. et Capp. gen. Ord. Cist. in Arch. stat. in Luzern, l. 1, pars, 1, p. 205. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1392, nº 6.

---

194. *Octo positiones, in quibus Petrus Lombardus, magister Sententiarum, communiter a magistris Parisiensibus non tenebatur.*

Circa annum 1250.

Magister Petrus Lombardus magis suo labore meruit legentium orationes et gratiarum actiones, quam reprehensiones, licet in aliquibus locis declinaverit ab opinionibus communibus et parti minus probabili adheserit, precipue in octo locis.

Nam in primo libro sunt duo : unum videlicet est distinctione decima septima, quod caritas, que est amor Dei et proximi, non est quid creatum, sed increatum. Aliud vero est, quod hec nomina *trinus* et *trinitas* non dicunt positionem, sed privationem tantum. Et hoc ponit distinctione vigesima quarta. — In secundo vero similiter duo dicit, quorum primum est, quod in angelis beatis premium precessit, et meritum respectu substantialis premii habet subsequi. Et hoc dicit distinctione quinta et etiam distinctione undecima. Aliud est, quod nichil de cibis transit in veritatem humane nature, nec per generationem nec per nutritionem [dist. 30]. — In tertio libro similiter duo dicit : unum est, quod

anima exuta a corpore est persona. Et hoc dicit distinctione quinta. Aliud est, quod Christus fuit homo in triduo. Et hoc dicit distinctione vigesima secunda. — In quarto similiter duo dicit : unum est, quod baptismus Johannis cum impositione manuum equipollebat baptismo Christi, ita quod baptizatus baptismate Johannis in fide Trinitatis non erat rebaptizandus. Et hoc dicit distinctione secunda. Aliud est de potestate baptizandi interius, quam dixit, quod Deus potuit alii dare, et quod creatura potuit suscipere; et similiter, quod Deus potest potestatem creandi communicare et creare per creaturam tanquam per ministrum. Et hoc dicit distinctione quinta.

In hiis octo positionibus communiter doctores Parisienses non sequuntur magistrum, nec credo, in omnibus hiis eum esse sustinendum, ne amore hominis veritati fiat prejudicium.

S. Bonaventura in 2 *Sent.* dist. 44 dub. 3. Eodem fere modo in Procemio ejusdem ad 2 *Sent.*, primum ex cod. Andegavensi nº 193, fol. 164, edito a PP. Collegii S. Bonaventurae (Ad Claras Aquas, 1885), Opp. tom. II, p. 1. Cf. p. 2. Ante S. Bonaventuram non occurrit ista collectio capitum reprehensione dignorum, licet jam fere omnia improbata inveniantur a magistris, v. g. ab Alexandro de Hales et Alberto Magno. Nunquam tamen aliquo decreto facultatis theologicae Parisiensis istae sententiae proscriptae sunt, sicut decem errores supra ad annum 1241 relati, sed tantummodo consensu magistrorum interpretum Magistri Sententiarum, et quidem Parisiis. Et ideo in Bibl. Balliol. Coll. Oxoniae, ms. 230, fol. 167, octo opiniones referuntur sic : « Opiniones magistri Sententiarum reprobate Parisius ». Postea numerus articulorum augebatur, et in mss. atque editis Sententiis P. Lombardi saepe leguntur ad calcem quarti libri. In Bibl. Burghes., nº 203 (saec. XIII), occurrunt novem opiniones ; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15761, fol. 2 (saec. XIII), 17 ; in ms. lat. 15702, fol. 86 (ejusd. saec.), vero 18. D'Argentré, *Coll. judiciorum,* I, 118, edidit quindecim articulos, qui etiam inveniuntur in Cod. Vat. lat. 4847, fol. 66 (saec. XIV) ; Bibl. Univ. Lipsiensis, ms. 416 (saec. XIII), in fine quarti libri Sententiarum. Adauctae fuerunt opiniones ex primo et praecipue quarto libro excerptae. Sententia, quod Christus secundum quod homo non est aliquid, desideratur in illis, quia non a doctoribus sed ab Alexandro III reprobata est (cf. supra, parte introd., nos 3 et 9). Posteriori tempore legitur titulus ille : « Opiniones (articuli) mag. Sententiarum, que modo communiter non tenentur », vel simili modo, v. g. in Bibl. Amplon. in Erfurt Fol. ms. 179 ; 4º ms. 130, *etc.*

---

195. *Innocentius IV querelae praelatorum regni Daciae consulens hortatur Blancam reginam Franciae, prohibeat theloneriis regni Franciae, ne accedentes ad sedem apostolicam necnon clericos ejusdem regni Daciae euntes ad scholas clericorumque nuntios molestent.*

1251, Martii 18, Lugduni.

.. Illustri regine Francie. In affectu te gerere firmiter credimus quod in regno tuo nulli injuria inferatur. Sane prelati regni Datie gravem ad nos transmisere querelam quod quidam thelonerii quorumdam locorum ipsius regni tui nuntios prelatorum ipsorum accedentes ad sedem apostolicam, nec non clericos ejusdem regni Datie euntes ad scolas, ac clericorum ipsorum nuntios ac peregrinos per loca eadem transitum facientes pro equis suis et rebus quas secum deferunt, quamquam minime mercatores existant, sicut mercatores compellunt ad thelonea et pedagia persolvenda, licet sint jurare parati quod causa mercationis equos et res hujusmodi non adducunt. Quare dicti prelati nobis humiliter supplicarunt ut providere super hoc paterna providentia curaremus. Quia vero ad regiam serenitatem tuam pertinet transeuntes per dictum regnum tuum a malignorum incursibus defensare, regalem excellentiam rogamus et hortamur attente quatinus, si est ita, ob reve-

rentiam ipsius sedis et nostram predictos thelonerios ut aliqua consuetudine contraria non obstante ab hujusmodi exactione dictorum nuntiorum, clericorum et peregrinorum omnino desistant, tibi tradita celitus potestate compescas, preces nostras taliter admissura, quod tibi preter divine retributionis premium a nobis digne proveniat actio gratiarum. Dat. Lugduni xv kal. Aprilis, anno viij.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 8, ep. 427, fol. 58 b. — Berger, *Les registres d'Innocent IV*, n° 5163.

---

196. *Innocentius IV Margaritae comitissae Flandriae de eadem re scribit.*

1251, Martii 18, Lugduni.

Nobili mulieri .. comitisse Flandrie. In affectu te gerere firmiter credimus, *etc. sicut in precedentibus litteris usque* curaremus. *Deinde :* Quia vero ad nobilitatem tuam pertinet, *etc. usque in finem*. Dat. Lugduni xv kal. Aprilis, anno viij.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 8, ep. 428, fol. 59.

---

197. *Juramenta, quae cives ac magistri scholaresque Parisienses reginae fecerunt, ut pax urbis servaretur. Provisio magistrorum, qui debeant dici scholares, et qui vel quomodo sint repetendi, si capiantur.*

1251, Junii 19-24, Parisiis.

Anno[1] Domini M°CC° quinquagesimo primo, die lune ante Nativitatem beati Johannis Baptiste Parisius in presentia B[2]. Dei gratia Francorum regine illustris, Philippi archiepiscopi Bituricensis, J. Ebroicensis episcopi, domini Stephani de Sacro Cesare, domini Gaufredi de Capella, Francie panetarii, domini Petri de Ernancuria, domini Almauri de Meuduno, magistri Guillermi de Senonis, Stephani decani Beati Aniani Aurelianensis et multorum aliorum, militum, clericorum et aliorum, fecerunt cives Parisienses tale juramentum, quod servabunt pacem ville bona fide pro posse suo de omnibus gentibus quantum ad omnes gentes tam clericos quam laicos, et quod illi vel illis, quem vel quos domina regina dimittet in custodia ville, obedient quantum ad servandum pacem predictam et ad faciendum justitiam si opus fuerit; et quod si aliquod maleficium fieret in villa, non substrahent quin possent perhibere testimonium veritati, nisi in videndo posset eis corporis periculum iminere; et quod dicent veritatem de maleficiis, quando fuerint requisiti; et quod malefactores et turbatores pacis nominabunt in secreto illi vel illis, qui villam ex parte domine regine custodient.

Universitas[3] magistrorum Parisiensium eisdem die et anno fecit legi coram domina regina hujusmodi scriptum, et promiserunt quod juramenta, de quibus in eo fit mentio, a magistris et scolaribus facerent renovari et jurari, quod servarent pacem ville bona fide

pro posse suo de omnibus gentibus quantum ad omnes gentes tam clericos quam laicos, quod factum fuit eadem septimana, quod scriptum sic incipit :

Provisum[4] est pro communi utilitate totius studii Parisiensis, quod universi studentes Parisius tam magistri quam scolares in theologia, decretis, medicina, artibus et grammatica per sacramentum obligabuntur, quod omnes tam clericos quam laicos, tam viros quam feminas, ex quorum mala vita pax et studium studentium in predictis facultatibus impeditur [vel impediri poterit], revelabunt in secreto episcopo Parisiensi vel ejus officiali seu cancellario infra octo dies, si potuerint, postquam sciverint. Qui .. episcopus, .. officialis, .. cancellarius bona fide promittent, quod nulli personas nominantes[5] vel denuntiantes revelabunt seu manifestabunt.

Item provisum est, quod quilibet regens in predictis facultatibus sit per predictum sacramentum obligatus, quod nullum diffamatum de melleia frequenti, raptorem mulierum, fractorem hospiciorum, de nocte errabundum, furem, latronem publicum, homicidam, petet tamquam scolarem liberari, si contigerit eum capi a preposito Parisiensi vel ejus mandato vel ab episcopo, nisi bona fide credat eum modo quo petit liberari eum esse liberandum. Si quis vero seu magister seu scolaris ad predicta per juramentum in publico se noluerit obligare, non reputabitur esse de Universitate, nec beneficiis Universitatis gaudebit. Bachelarii vero decretales et leges legentes se speciali juramento obligabunt, quod sacramentum recipient ab illis, qui eos audient secundum formam superius annotatam. Et quicumque jurare noluerit, non recipietur ab eis in scolis, super hoc ab eisdem bachelariis de ipsis non recipiendis prestito juramento. Qui etiam auditores legum vel decretalium nec etiam alii, nisi alicujus magistri actu regentis bis ad minus in septimana scolas intraverint, scolares nullatenus reputantur, et si eos capi contigerit, nec per aliquem magistrum, nec per Universitatem repetentur. Ad hec autem facienda obligabuntur bedelli tam communes quam speciales cujuscunque fuerint facultatis proprio juramento.

Modus autem repetendi scolares captos talis erit apud magistros artium, quod magister scolaris capti cum duobus magistris regentibus, quibus constet, quod sit scolaris, accedet ad prepositum, et scolarem suum repetet; qui si reddere denegaverit, dictus magister significabit hoc rectori Universitatis, et tunc rector eum nomine Universitatis repetet. Et si prepositus eum reddere noluerit rectori, tunc recurret rector ad cancellarium, et postremo ad episcopum vel officialem ejusdem. In aliis autem facultatibus unusquisque magister scolarem suum repetet per[6] se, si necesse fuerit. Publicabitur et innovabitur forma ista per scolas ad minus bis in anno, videlicet circa festum Omnium Sanctorum et circa carnisprivium[7].

In *Registro Philippi Augusti*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9778, fol. 2, et Arch. nat. Paris. JJ, 26 (olim Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9777), fol. 8 b. — In Cod. Vat. Reg. 406, fol. 48, et Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 55 b, occurrit tantum paragraphus, quae supra initium habet : « Provisum est pro communi utilitate totius studii », *etc.*, cum hac rubrica : « Provisio

magistrorum, qui debeant dici scolares et qui sint repetendi si capiantur, et a quibus », et quidem sine temporis nota. Apud Bulaeum, III, 240 sq., invenitur utrumque documentum, circa cives et circa magistros, sed ordine inverso et sine hoc nexu : « Universitas magistrorum. . . sic incipit ». Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, V, 244, offert primam partem usque « Universitas magistrorum », D'Achery, *Spicileg.*, 2 ed., III, 630, integrum documentum ut supra publicavit.

1. *Reg. Phil. Aug.* in Arch. nat. titulum sequentem, manu posteriori scriptum, offert : « Quoddam juramentum civium Paris. factum cuidam regine Francie modo et tempore hic contentis ». — 2. Blancae. Ludovicus 1248 (Aug.)-1254 morabatur in Oriente. — 3. *Reg. Phil. Aug.* in Arch. nat. in margine : « Juramentum Universitatis Paris. factum cuidam regine Francie modo et tempore hic expressis ». — 4. *Reg. Phil. Aug.*: « Promissum ». — 5. Ibid. « personam ». Cod. Reg. et ms. Cheltenham : « personam nominantem », « denuntiantem ». — 6. *Reg. Phil. Aug.* Bibl. nat. : « pro ». — 7. *Reg. Phil. Aug.* Bibl. nat. supplet in fine manu posteriori : « Anno Domini M° CC° octogesimo vj°, die mercurii ante mediam xl^mam (1287, Martii 5) addita fuerunt huic ordinationi ista verba : Il jurront que la pes il voudront a leur poar ne ne donront conseil ne aide ne sostenance a nul de leur nacion ne a autre de faire le contenz ne la guerre entre aus, et se il sevent nul malfetour, il les enseigneront a l'official de Paris et metront paine et conseil qu'il soient pris ». Vide Bulaeum, III, 241.

---

198. *Custos Ord. Minor. Paris. fratri Adae de Marisco aliisque Oxoniae fratribus commorantibus de nefandis a pastoribus Parisiis, Aureliani et in aliis locis perpetratis refert.*

An. 1251, Parisiis.

Venerabilibus in Christo fratribus suis Ade de Marisco, et fratribus Minoribus Oxonie, frater .. dictus custos Ordinis fratrum Minorum Parisius salutem. Nuper in festo Resurrectionis[1], cum sperabamus jam pacem sancte ecclesie esse redditam, et contritus esset terre malleus universe, surrexit malum inopinatum. Venit quidam hereticus vel paganus[2], moribus et doctrina insignis et prodigiis mendacibus, in hypocrisi velut lupus non intrans per ostium in ovile, indutus tamen pelle ovina, sub cruce signationis pretextu et specie pietatis, se principem fecit pastorum, asserens sibi revelationes factas a Deo, ut ultra mare pugnaturus cum Saracenis se transferret, gladium gerens ad pugnandum cum pastoribus Christianis. Ac cooperante nescio quo, Deo tamen propter peccata nostra permittente, tanta fatuitas sic invaluit, ut undique pastores ex diversis mundi partibus ca[ter]vatim cucurrerint in parvissimo temporis spatio, ipsum perditum hominem sequentes[3]; sed et plebis circa ipsum et ejus complices tantus invaluit favor, ut dicere possent et facere quecumque vellent. Videns itaque vir perditus tanta se stipatum caterva[4], favore gentium, conceptum venenum non potuit plus continere, quin inciperet dignitatem ecclesiasticam violare, sacramenta execrando, populum benedicendo, predicando, crucem dando, aquas aspersionis novo more faciendo, miracula confingendo, insuper in virorum ecclesiasticorum cede grassando. Denique in adventu ejus Parisius et suorum precursorum et sequacium tam valida facta est commotio populi contra clerum, ut in paucis diebus plurimi clerici interfecti, aliqui in flumine projecti, sed et plures essent sauciati; sacerdos etiam parochialis in missa, casula spoliatus, rosis coronatus illudebatur. Et in tantum crevit ista malitia, quod nisi affuisset Salvatoris clementia, Universitatem a Parisius extirpassent, cum effusione ecclesiastici sanguinis et opprobrio Christiano. Apud Rothomagum ecclesiam et domum archiepiscopi confre-

gerunt. Item Aurelianis[5] plurimos clericos interficientes, congregationem clericorum, que ibi jam diu resederat, ut recederet coegerunt. Turonis inter alia scolam domum Predicatorum aggressi manu potenti, alios sauciantes, alios sine habitu honestatis eorum post se tamquam captivos trahentes, eosdem per civitatem victualibus et aliis, que eis contulerat pietas christiana, privarunt. Sed quod auditu et relatu horribile est, sed visu magis horrendum, cum intrassent ecclesiam, ubi illud intemeratum et sacratissimum sacramentum corporis Christi venerabiliter fuerat reconditum super altare, vituperabiliter projecerunt, et nasum imaginis gloriose Virginis abscinderunt, et oculos eruerunt, et nefandis manibus ea que placuerant abstulerunt. Demum[6] etiam fratrum nostrorum, que Deus dederat, cum eorum injuria asportaverunt. Parvam etiam domum fratrum nostrorum vi confringentes, patres injuriis lacessitos in doloribus et terroribus remiserunt..... Veruntamen Deo disponente, ex super abundanti bonitate, non ex meritis nostris, hic filius perditionis talem sortitus est finem. Cum pervenisset Bituris, cepit amplius concepta venena diffundere, et cepit [dicere] universis assistentibus, non debere credi his que a clericis dicebantur, cum doctrina eorum exorbitaret a vita; quare cuncta frivola astruebat. Ad hec verba quidam et singularis phenix, zelo succensus Altissimi, cepit verbis viri potentis et sapientis resistere, dicens ea que dicuntur a clericis et religiosis, quamvis in aliquibus doctrine non respondeat vita, soliditatem et firmitatem habere per scripturas novi et veteris Testamenti : ipsius autem verba nullum penitus habere fulcimentum. Quo audito filius perditionis superba mente se non valens continere, in Christi virum irruit, et eum gladio percussit pariterque peremit. Quo viso concives mortui ad arma currentes, cum non modica strage suorum, filium perditionis defendentem se et Machometum, ut dicitur, invocantem, cum aliquibus complicibus suis peremerunt, ipsum concidentes in frusta, alios in fugam propellentes. Dicitur autem hoc eorum fuisse commentum, ut primo clerum extirparent a terra, secundo religiosos abraderent, postmodum in milites et nobiles irruerent, ut sic terra desolata omni presidio facilius pateret erroribus et incursibus paganorum. Quod verisimile videtur; presertim cum quedam multitudo militum ignotorum, qui albis induti sunt, in partibus Alemannie ceperit manifestari. Hec usque hodie ut a fide dignis auditum est, ita se habent. Datum Parisius, anno Domini MCCLI.

Annales de Burton, ed. Luard, p. 290. — Adam de Marisco hujus epistolae mentionem facit in suis litteris ad Robertum episcopum Lincoln. directis inter *Mon. Francisc.*, ed. Brewer, p. 109. Historiam copiose enarrat Matth. Paris., *Chron. maj.*, ed. Luard, V, 246 sqq. Cf. insuper *Vita Innocentii IV* (Bernardi Guidonis) apud Muratori, *SS. rer. ital.*, III, 1, p. 591.

1. 16 Aprilis. — 2. Matth. Paris. cum nominat hungarum, apostatam christiani nominis, qui linguam gallicam, germanicam et latinam noverat. — 3. Luard « sequuntur ». — 4. Matth. Paris. : « ad centum millia et plures ». Ipsa regina Blanca « sperans ipsos terram sanctam adepturos et filios suos vindicaturos, ipsis gratiam impendebat et favorem ». — 5. « Die S. Barnabe [Jun. 11] Aurelianim pervenientes ». Matth. Par., additque : « novum quippe et absurdum fuit, ut laicus. . . in publico et in tali civitate, ubi viguit scolarium universitas, predicaret ». « Libros carissimos rapuerunt ». De interfectione scholarium Aurelian. loquitur etiam Innocentius IV an. 1252, Decemb. 17, in Reg. Vat. an. 10, ep. 305. — 6. Luard : « domum. . . quam Deus ».

199. *Adam episcopus Silvanectensis testatur, se aliquas epistolas Innocentii IV, quae respiciunt Universitatem Parisiensem, vidisse.*

1252, Februarii 11.

Universis presentes litteras inspecturis A. Dei gratia Silvanectensis episcopus salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, die dominica post octabam purificationis beate Marie virginis, litteras domini pape inferius annotatas inspexisse in hec verba. *Sequuntur epistolae superius exscriptae* n^is 138, 142, 162, 163, 165.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66ᵃ, nº 3; fragmentum sigilli cerei episcopi taeniolo membr. appenditur.

---

200. *Statutum de promovendis ad cathedram et regimen sacrae scripturae et de scholis ejusdem, praesertim quoad religiosos.*

1252, mense Februario, [Parisiis].

Quoniam in promotione ad cathedram et regimen sacre scripture in studio Paris. non solum sunt attendenda merita personarum, sed etiam honor civitatis, necnon et totius studii status et honestas juxta summi pontificis ordinationem[1] merito sunt pensanda, ideo doctores Parisienses actualiter in theologia regentes volentes in posterum statui sui et studentium in theologia Parisius honestatem servare, et promotionis locum studentibus opportuno tempore reservare, deliberatione super hiis habita cum consilio diligenti et tractatu de prudentum consilio concorditer ordinaverunt, ut de cetero religiosus aliquis non habens collegium et cui est a jure publice docere prohibitum, ad eorum societatem nullatenus admittatur. Ceterum, quia preter necessitatem magistrorum multiplicationem maxime super eundem gregem non solum scriptura divina, verum etiam sacri canones detestantur, dicente beato Jacobo : « Nolite plures magistri fieri, scientes quoniam majus judicium sumitis », et Gregorius ad Rusticum monachum : « In apibus, inquit, est princeps unus et grues unam sequuntur ordine litterato » : ideo predicti magistri ordinaverunt, ut singula religiosorum collegia singulis magistris actu regentibus et unica scola de cetero sint contenta[2]. Preterea cum grande fidei periculum immineat et a ratione[3] plurimum dissonet, ut quisquam sibi sumat honorem cathedre sacrarum litterarum, qui nec seipsum examinavit diligenter, nec ab eo qui licentiandis preesse dignoscitur, secundum formam Universitatis a summo pontifice roboratam legitime sit vocatus, maxime cum alias inter doctores theologicos tractatum fuerit et concorditer inhibitum, ne aliquis bachellarius in theologica facultate promoveatur ad cathedram, nisi prius seipsum examinaverit[4], saltem aliquos libros theologie glosatos et Sententias in scolis alicujus magistri actu regentis diligenter legendo : idcirco supradicti magistri tractatum antedictum et consensum mutuo renovantes consensu firmaverunt, et ita decetero observari debere

unanimiter ordinaverunt. Quod si aliquis contra dictas eorum ordinationes venire presumpserit, ei societatem suam tam in principiis quam aliis penitus denegabunt. Et de cetero quicunque bachellarius licentiatus fuerit, si requisitus huic ordinationi assensum prestare noluerit, a consortio magistrorum penitus excludetur et eidem tam in principiis, quam alibi magistralem societatem denegabunt. Hec autem ordinata sunt a magistris salva in omnibus reverentia et obedientia sedis apostolice et aliorum, quibus obedire tenentur. Hanc autem ordinationem Universitas approbavit, et sigilli sui munimine roboravit. Actum anno Domini MCC quinquagesimo primo, mense Februario.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 54. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 57b, sub titulo supra relato. — Bulaeus, III, 245. — Contentio Universitatis cum Mendicantibus cum hoc statuto, quod etiam infra n° 230 profertur, incipit. Secundum magistrum generalem Humbertum congregatione clandestina praedictum decretum confectum est. Vide infra n° 272.

1. In bulla *Parens scientiarum* Gregorii IX (supra n° 79) expressam. — 2. Fratres Praedicatores tantum habebant Parisiis duas scholas theologicas et duos magistros regentes. — 3. Cod. Reg.: « arduo ». — 4. Cod. Reg.: « nominaverit ».

---

201. *Statuta artistarum nationis anglicanae de baccalareis in artibus determinandis in Quadragesima.*

1252, [ante Februarii 16, Parisiis].

Anno ab incarnacione M°CC°LI° magistri nascionis anglicane in artibus regentes Parisius pro honestate studii et doctrine multiplici profectum reparando, et per Dei gratiam absque diminucione in posterum continuando, bachellaruorum in artibus determinandorum in quadragesima, sicut mos est, formam inferius annotatam de communi eorum et proborum consilio statuerunt. In primis procurator tactis sacrosanctis eligat duos, quos credat esse utiliores ad eligendum examinatores determinandorum[1], qui tactis sacrosanctis jurent quod eligent tres magistros sine odio vel amore alicujus persone aut partis alicujus sue nascionis, quos rigidiores et utiliores ad examinandum fideliter esse cognoverint, magis promocionem et utilitatem studii diligentes, minus prece seu pretio flexibiles. Qui tres cum fuerint electi similiter tactis sacrosanctis jurent quod fideliter examinabunt et cum rigore examinis[1] procedent licentiantes dignos et sufficienter se habentes sine odio alicujus persone vel partis sue nascionis, sine etiam invidia aut aliquo animi rancore vel alterius perturbatione sinistra. Insufficienter autem se habentes secundum rigorem examinis[2] et indignos ad terminandum refutabunt nulli gratiam facientes, nec moti prece nec pretio, nec timore, nec amore, seu aliqua alia occasione vel acceptione personarum indirecta. Magistri autem presentantes et ipsi bachellarii fidem corporaliter dabunt, quod preces pro bachellariis non effundent, nec gratiam ab examinatoribus, nec a nascione nec ab Universitate petent, nec per se nec per alios, set simplici verbo examinatorum credent. Eadem etiam fide, quod contumelias nec convicia

examinatoribus nec minas nec aliqua mala inferent nec per se nec per alios, si contingat bachellarios refutari, quia debent supponere quod examinatores secundum conscientiam et fidem ad honorem studii et nascionis processerint. Bachellarius autem licentiandus ad determinandum in artibus Parisius sit viginti annorum, vel ad minus vicessimum annum sit ingressus, honeste vite sit et conversacionis laudabilis. Capam non habeat sine capucio ejusdem panni, neque capucium cum nodulis. Non habeat mitram in capite in scolis, quamdiu determinabit. Si habeat beneficium corone, coronam habeat talem, nec super hoc poterit aut debeat reprehendi. Item antequam ad examinacionem recipiatur, fidem faciet corporalem quod habet scolas proprias magistri debentis regere in illis actu per totam quadragesimam et magistrum proprium, sub quo petat licentiam determinandi, vel bachellarium incepturum in artibus ad longius infra carniprivium, in cujus scolis sit determinaturus. Item quod audierit in artibus per quinque annos vel quatuor ad minus Parisius continue vel alibi, ubi studium viget universale de artibus. Insuper quod audiverit libros Aristotilis de *Veteri logica*[3], videlicet librum *predicamentorum* et librum *periarmenias* bis ad minus ordinarie, et semel cursorie; librum *sex principiorum*[4] semel ordinarie ad minus et semel cursorie; libros videlicet tres primos *topicorum* et librum *divisionum*[5] semel ordinarie vel ad minus cursorie; libros *topicorum* Aristotilis et *elencorum* bis ordinarie, et semel ad minus cursorie, vel si non cursorie, ad minus ter ordinarie; librum *priorum* semel ordinarie et semel cursorie, vel sit in audiendo, ita quod medietatem ad minus ante quadragesimam peraudiverit audiendo continue usque in finem; librum *posteriorum* semel ordinarie complete. Item quod audiverit *Prissianum minorem*[6] et *barbarismum*[7] bis ordinarie, et ad minus cursorie; *Prissianum magnum* semel cursorie semel[8]. Item librum *de anima* semel audiverit vel sit in audiendo, sicut predictum est. Item det fidem quod per duos annos diligenter disputaciones magistrorum in studio solempni frequentaverit et per idem tempus de sophismatibus in scolis requisitus responderit. Item per annum integrum a principio unius quadragesime ad principium alterius det fidem, quod responderit de questione. Si autem bachellarius inventus fuerit sufficienter se habens in scientia secundum testimonium examinatorum, et numerum annorum vel librorum vel audituum non compleverit, nascio reservat sibi potestatem ad dispensandum super hiis secundum quod sibi viderit expedire. Et in tali casu solum licebit magistro suo supplicare nascioni pro eo. Item si post inhibicionem lectionum cursoriarum factam et ultimo conservatam transgressor in aliquo predicte inhibicionis fuerit, ad examinacionem determinandi nullatenus admittatur. Nec similiter magister, sive actu sit regens sive non, qui post inhibicionem predictam ultimo factam sicut dictum est et prorsus a magistris confirmatam transgressor predicte inhibicionis extiterit, ad presentandum bachellarium non audiatur, quousque tam a magistro transgressore quam a bachellario similiter transgressore rectori vel procuratoribus pro Universitate fuerit ad plenum satisfactum. Item bachellarius licentiatus ad determinandum ad longius proxima

die post brandones determinare incipiat. Qui si ex tunc determinare non inceperit, postmodum sibi determinare per quadragesimam non licebit. Et ex predicta die lune usque ad mediam quadragesimam continue determinet, nisi habeat causam legitimam ipsum excusantem. Et tunc nulli liceat pro ipso determinare visitando, nisi licentiam ad regendum Parisius habeat in artibus, vel qui alias in sede videlicet per totam quadragesimam determinaverit vel qui sit licentiatus in illa presenti quadragesima ad determinandum, dum tamen ille idem determinaverit continue a predicta die lune proxima post brandones usque ad mediam quadragesimam. Item si bachellarius uno anno licentiatus fuerit ad determinandum in artibus Parisius, et ex legitima causa illa quadragesima, in qua licentiatus est, determinare pretermiserit, quod quandoque contingit, sibi liceat postmodum in sede in quadragesima quacumque sequente, canonice tamen et secundum formam aliorum, determinare, set non alios particulariter[9] visitare, nisi prius in sede per totam quadragesimam determinaverit. Item antequam bursam unam talem vel tantam, quam ponit fide corporali prestita, super hoc ad opus Universitatis persolverit et ad opus nascionis aliam, eidem determinandi licentia non largiatur. Item si ad longius infra dominicam proximam ante carniprivium[10] licentiatus non fuerit, ulterius illo anno ad examinacionem determinandi non admittatur. Item eidem injungatur, quod per totam quadragesimam et deinceps, quamdiu facultatem arcium profitebitur in illis studendo vel regendo, mandato rectoris et procuratoris pareat in licitis et honestis. Item non dabit potaciones nisi prima die, qua determinare incipiet, et ultima, nisi fiat hoc ex licentia rectoris vel procuratoris sue nascionis, qui cum eo in hac parte dispensare poterunt secundum quod viderint expedire, multa tamen circa ipsos determinatores que sunt attendenda in talibus considerando. Item examinatores pecuniam ad opus Universitatis et nascionis ab ipsis bachellariis recipiendam diligenter colligent, et collectam fideliter observabunt, et ad sumonicionem rectoris et procuratorum quatuor nascionum in cistam communem universitatis artistarum refundent ad diem deputatum. Item pecuniam receptam ad opus nascionis infra diem dominicam proximam post cineres in archam communem refundent. Item nullus predictorum examinatorum per se sine suis sociis secum ad determinandum deputatis possit quemquam licenciare, nec examinare solus presumat. Item preter predicta intersint qualibet die veneris ad vesperas Beate Virginis et ad missam die sabati sequente, postquam licentiati fuerint, usque ad ramos palmarum, sub pena qua obligantur magistri. Quia vero per formam istam fas non est nec erit diviti vel pauperi, nobili vel ignobili deinceps deferre, si modo supradicto licenciam determinandi petiturus non accedat dispositus : icirco ad eorum cautelam provisum est a magistris, quatinus presens forma singulis annis per scolas bis deferatur, ita quod prima vice inter purificacionem et carniprivium in scolis magistrorum legatur, et alia vice inter festum sancti Remigii et Omnium Sanctorum vel circiter, quando erit congregacio. Magistri autem singuli obligentur per fidem ad istam ordinacionem observandam. Nichi-

lominus etiam, si aliquis inventus fuerit dicte ordinacioni contradicens, penam suspensionis lectionum per mensem sustineat.

Bibl. Coll. Corp. Christi Oxoniae, ms. 283, fol. 155b. — Fragmentum apud Coxe, *Catal. codd. mss. colleg. Oxon.*, II, 123. — Non enuntiatur quo mense haec statuta sint data. Hoc tamen evenisse ante Quadragesimam concludere possumus ex ipso documento, et ex eo, quod statuta artistarum plerumque isto tempore facta sint. Praeterea docum. sequens (n° 202), licet in ms. teneat primum locum, post supra publicatum tamen, cum quo intime connectitur, esse confectum probant verba in fine : « Actum Parisius *anno predicto* die sabati ante brandones ». Cum igitur hoc statutum editum sit sabbato ante dominicam primam Quadragesimae, praecedens etiam ante dominicam primam Quadragesimae, imo ante sabbatum, factum est, proindeque in an. 1252 transferri debet.

1. In ms. « determinatorum ». — 2. Ms. « ex animis ». — 3. Vide infra ad n° 246. — 4. Gilberti Porretani. Cf. de isto Hauréau, *Hist. de la philosophie scolastique*, I, 452 sqq. — 5. Utrumque Boetii. — 6. Sexdecim libri priores *Institut. grammaticae* Prisciani vocabantur *Priscianus major* vel *magnus*, duo ultimi vero *Priscianus minor*. — 7. Sic nominabatur tertius liber *Artis majoris* Donati. Cf. Thurot, in *Notices et extraits des mss.*, XXII, 2e part., 94. — 8. Sic in ms. hic mendoso. — 9. Ms. « particularenter ». — 10. Ms. « caprivium ».

---

202. *Statuta artistarum nationis anglicanae de baccalareis.*

[1252], Februarii 16, Parisiis.

Bachellarius in artibus inceptus in nascione anglicana dabit fidem quod observabit statuta Universitatis prout expressa sunt ei a rectore. Dabit etiam fidem quod obediet rectori [et pro]curatori sue nascionis in licitis et honestis. Leget lectiones ordinarias in capa rotunda et in palleo[1]. Disputabit hora determinata, et questiones suas determinabit per quadraginta dies continue post inceptionem. Non habebit sotillares rostratos nec loqueatos nec fenestratos. Non induet supertunicale fissum lateribus. Non habebit mitram in capite sub capa rotunda publice extra domum suam. Ibit ad sepulturam scolarium diebus festivis, quando sciat, et feriatis diebus, quando fuerit citatus. Intererit omnibus congregationibus sue nascionis. Non sustinebit coreas duci in principio suo extra domum. Leget vel legi faciet psalterium magistro actu regente mortuo. Non revelabit secreta nascionis sue. Non procurabit aliquid, quod debeat converti in dissipacionem vel dispersionem sue nascionis. Intererit festo sancti Edmundi regis[2], et festo sancti Nicholai[3], et festo beate Katerine[4], et beati Thome[5], et vesperis beate Marie qualibet die veneris, et misse ejusdem qualibet die sabbati in sua nascione, nisi legitimum habuerit impedimentum, quod notificabit procuratori seu provisori. Non absentabit se ut intersit congregationibus vel missis in aliena nascione factis, nec in propria, ubi aliqua pars nascionis a toto suo discordans, si contingat, talia fecerit. Item non sinet bachellarium determinare contra consuetudinem et statutum Universitatis. Et rigore examinacionis fideliter premisso ipsis bachellariis sine odio vel amore alicujus persone dabit licentiam determinandi nec alicui gratiam faciet inconsulta nascione. Dabit aliquid in presentia nascionis in sustentamentum luminarium beate Virginis. Dabit tres bursas, unam Universitati, aliam nascioni, tertiam bedellis, quas solvet procuratori sue nascionis. Dabit bedello sue nascionis

bursam unam, vel valorem unius burse. Non eliget aliquem ad aliquod officium in nascione sua, quem non credit sufficientem et competentem. Item intererit lectionibus bachellariorum, si magistri eorum sint actualiter regentes. Item intererit principiis bachellariorum, sive magistri eorum sint actualiter regentes, sive non. Item intererit disputacioni ante principium, si magister sit regens, dum saltem fuerit ei nuntiatum per servientem. Item dabit fidem, quod dicet procuratori suo eandem summam burse sue, quam predixerat rectori. Item solvet bursas predictas, antequam dicatur per scolas, nisi licencia a procuratore suo fideliter optineatur. Item dabit fidem, quod non presentabit bachellarium diffamatum nec aliquem, cujus promocio debeat converti in oprobrium nascionis. Cedit in vituperium nascionis, si laboret infamia presentatus, aut si formam communem in audiendo non compleverit numerum sex annorum, vel si fuerit ignotus, utpote qui nec in disputacionibus, nec in lectionibus visitaverit aliquem magistrorum, vel gradum non attigerit, qui ad honestatem status et facultatis exigitur, vel[6] si non constiterit, ipsum saltem per biennium ante presentacionem suam de questione publice respondisse. Qui etiam ordinarunt, ut, quicumque de cetero incipient vel resumentur, ad istam declarationem una cum forma nascionis inviolabiliter observandam per fidem juxta aliquam consuetudinem astringantur. Si quis autem contra hanc formam bachellariis presentandis per magistros proprios exponendam suam vel alterius promocionem per quascumque personas procurare presumpserit, ex tunc a consorcio nascionis quo ad omnes actus scolasticos tanquam infamis vilissimus excludatur, salva in omnibus et per omnia cancellarii libertate. Ceterum ne error alicujus per ignoranciam decetero valeat excusari, fiat magistris copia statutorum, et bachellariis annuatim generaliter convocatis premissa declaratio publicetur.

Instante quoque resumpcionis tempore publicata fuit predicta ordinacio in presentia magistrorum, et sine contradictione qualibet ab omnibus approbata; sicque sopitus esse strepitus et omnino sedata turbacionis materia credebatur. Postmodum vero a quibusdam personis hujusmodi statuto asserentibus se gravatas per quosdam magistros supplicatum extitit nascioni, quatinus cum eisdem tanquam preventis si fieri posset micius ageretur. Ad quorum peticionem magistri de nascione viros venerabiles magistrum Simonem de Brideport[7] archidiaconum de Dorsete, magistrum Rad[ulphum] Dacum, et magistrum Symonem Fortes[8] predictis ordinatoribus de consensu adjunxerunt dantes eis potestatem cum aliis modificandi articulum de responcione questionis et declarandi statuta nascionis, si quid in eis vel eorum aliquo esset ulterius declarandum, statuto predicto, quod nec infirmare poterant nec volebant, in suo robore nichilominus duraturo, de stando etiam eorum ordinacioni cum quibusdam antea non astrictis fidem certam prestiterint. Dicti igitur tres magistri cum aliis sex ordinatoribus approbatis nolentes in aliquo contraire nec indebite per ipsas personis aliquibus inferri prejudicium vel gravamen, set potius pregravatis ante solempnem publicacionem statuti consulere cupientes, in hoc unanimiter

consenserunt, quod qui quicumque ante dictum annum vel eodem de questione ante natale Domini responderunt, dummodo super hoc fidem prestiterint corporalem, non obstante dicto statuto, si eis aliud non obsistat, libere presententur. Ceteros vero, quos ante predictum terminum non constiterit respondisse, nullus presentare presumat antequam a tempore responsionis sue compleverit duos annos sub pena que superius est expressa. Ad hunc articulum predictum, videlicet quod per biennium ante presentacionem publice responderit presentatus, sic intelligendum esse ab omnibus decreverunt, videlicet quod presentandus in disputationibus magistrorum vel determinatorum in scolis bachellarii exercuerit officium opponendo et respondendo per duos annos, antequam ad petendum regendi licenciam presentetur. Ut igitur omnia prenotata perpetua firmitate obsistant, magistri regentes sigillum nascionis duxerunt presentibus apponendum. Actum Parisius anno predicto die sabati ante brandones.

Bibl. Colleg. Corporis Christi Oxoniae, ms. 283, fol. 155 (scriptura anglic. saec. XIII exeunt.). — Fragmentum apud Coxe, *Catal. codd. mss. colleg. Oxon.*, II, 122. — Quoad temporis notam vide ad doc. praecedens nº 201.

1. Id est: pallio. Vide supra statutum Roberti de Courçon, anni 1215. — 2. 20 Novembris. — 3. 6 Decembris. — 4. 25 Novembris. — 5. 29 Decembris. — 6. Ms. « ut ». — 7. Ms. potius « Dadeport ». — 8. Vel « Fortem ».

---

203. *Innocentius IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, astringat clericos et religiosos, ut taxentur eorum hospitia a clericis et burgensibus ad hoc electis.*

1252, Maii 30, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum suggerentibus nobis dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus se pro eo, quod in solvendis hospiciorum suorum pensionibus intolerabiliter gravarentur, super taxatione hospiciorum hujusmodi consentiente carissimo in Christo filio nostro .. rege Francorum[1] illustri, deliberatione provida viros providos deputasse, quos nonnulli religiosi et clerici seculares, qui domos habent Parisius, ad taxandum domos easdem admittere non sine gravi civium Parisiensium scandalo recusabant, nos tibi nostris injunximus litteris[2], ut si esset ita, ydoneos taxatores, qui sicut laicorum, sic clericorum secularium et religiosorum etiam Templariorum, Hospitalariorum, Cisterciensium, Premonstratensium et aliorum cujuscumque ordinis taxarent hospitia, deputares ita quod si de laycis non possent hujusmodi taxatores haberi, liceret clericis ipsa taxare hospitia super hoc specialiter deputatis. Cum igitur eisdem magistris et scolaribus in omnibus, que communem et privatam ipsorum utilitatem respiciunt, assistere quantum cum Deo possumus intendamus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non obstante si eisdem clericis vel religiosis a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, seu ad taxationem hujusmodi per apostolicas litteras coartari, que de indulto hujusmodi plenam vel expressam

de verbo ad verbum ac religiosorum ordine non fecerint mentionem, super hiis procedere non omittas, juxta directarum ad te continentiam litterarum, salvis penis in nolentes sua taxari hospicia per antiquam et approbatam et hactenus pacifice observatam consuetudinem Parisius introductis. Dat. Perusii iij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 247, nº 200. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana : « Th. de Sancto Egidio ». Pertinuit ad Archivum Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 17. — Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 18, sub rubrica ut supra : « Ut cancellarius Paris. astringat », *etc.* Jourdain, nº 92.

1. Ludovico IX. — 2. Cf. supra nº 138.

---

204. *Innocentius IV Thomae archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo ac decano Silvanectensibus injungit ut molestatores magistrorum et scholarium Parisiensium per sententiam excommunicationis compescant.*

1252, Maii 30, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi .. episcopo et dilecto filio .. decano Silvanectensibus salutem et apostolicam benedictionem. Affectum eorum qui, honestatis intendentes cultui, in studio proficiunt litterarum, benivolo favore prosequimur, et ut obtatum sue affectionis in hac parte consequantur effectum, libenter eis apostolicum prout expedit auxilium exhibemus, ac in eo specialiter ipsorum super hoc desideriis favere proponimus, ut eis contra suorum molestatorum audaciam oportuno curemus remedio subvenire. Hinc est, quod dudum significantibus nobis dilectis filiis .. magistris et scolaribus Parisiensibus, se a nonnullis turbationis eorum avidis molestias multiplices tolerare, vobis per apostolicas litteras per septennium tantummodo valituras duximus injungendum, ut prefatis magistris et scolaribus favoris presidio efficaciter assistentes, non permitteretis eos contra indulta privilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari[1]. Nos igitur volentes factam eis super hoc prorogare gratiam ac etiam ampliare, ipsorum precibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta per decennium a fine predicti inchoandum septennii valitura mandamus, quatinus dictos magistros et scolares contra indulta privilegiorum hujusmodi molestari indebite ab aliquibus non sinatis, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si ab eadem sede aliquibus sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Perusii iij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Arch. Univers. Paris. theca IV, A. 18, a, in instrumento 30 April. 1318 confecto. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 18ᵇ, sub hac rubrica : « Generalis conservatoria directa archiepiscopo Remensi, episcopo et decano Silvanectens. ». — Jourdain, nº 93.

1. Cf. supra nº 163.

205. *Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Paris. jus sigilli per decennium septennio completo.*

1252, Maii 30, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad audienciam nostram perlato, quod bone memorie R. Portuensis episcopus tunc S. Angeli diaconus cardinalis in partibus Francie apostolice sedis legatus vestrum fecit frangi sigillum, pro cujus defectu vos diversa incommoda sustulisse didicimus, dum privata et ardua vestra negotia, cum alieni querebatur sigilli remedium, veniebant in notitiam aliorum : nos vestre devotionis precibus annuentes ut sigillum proprium pro negotiis in quibus causa vestre utilitatis vel honoris agitur, de quo tamen sine Universitatis aut majoris partis regentium magistrorum assensu nulle littere sigillentur, usque ad septennium habere possetis fratrum nostrorum communicato consilio, vobis per litteras nostras duximus concedendum [1]. Ut igitur vestra devotio gaudeat se apud nos uberiorem super hoc gratiam invenisse, quod hujusmodi sigillum sub premisso tenore per decennium a fine prefati septennii inchoandum vobis habere liceat, vestris precibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii iij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Apographum saec. XIII in Arch. nat. Paris. M. 66ᵃ, nº 3.

1. Vide supra nº 165.

---

206. *Innocentius IV Adamum episcopum Silvanectensem conservatorem juris sigilli habendi magistris et scholaribus Parisiensibus per decennium ab ipso concessi constituit.*

1252, Maii 30, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad audientiam nostram perlato, quod bone memorie R. Portuensis episcopus, tunc Sancti Angeli diaconus cardinalis in partibus Francie apostolice sedis legatus, dilectorum filiorum magistrorum et scolarium Parisiensium fecit frangi sigillum, pro cujus defectu diversa eos incommoda substulisse didicimus, dum privata et ardua eorum negotia, cum alieni querebatur sigilli remedium, veniebant in notitiam aliorum : nos eorundem magistrorum et scolarium precibus annuentes, ut sigillum proprium pro negotiis in quibus causa sue utilitatis vel honoris agitur, de quo tamen sine sue Universitatis aut majoris partis regentium magistrorum assensu nulle littere sigillentur, usque ad septennium habere possent fratrum nostrorum communicato consilio, eis per nostras litteras duximus concedendum. Ut igitur ipsorum devotio gaudeat se apud nos uberiorem super hoc gratiam invenisse, quod hujusmodi sigillum sub premisso tenore per decennium a fine prefati septennii inchoandum eis habere liceat

eorundem precibus inclinati eis auctoritate apostolica duximus indulgendum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non permittas prefatos magistros et scolares super hiis contra concessionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Perusii iij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 3. a. In aversa membrana legitur : « Th. de Sancto Egidio ». Deest bulla plumbea. Apographum in Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 3, cum rubrica : « Conservatoria super eisdem » et sequuntur litterae praecedentes. — Jourdain, nº 94.

---

207. *Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Parisiensibus, ut nullus possit trahi extra civitatem Paris. super quaestionibus intra eam exortis.*

1252, Maii 31, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Ut eo liberius vacare litterarum studio valeatis, quo minus fueritis aliis negotiis occupati, nos vestris supplicationibus annuentes auctoritate vobis presentium indulgemus, ut extra civitatem Parisiensem super questionibus intra eam exortis trahi per litteras apostolicas vel legatorum sedis apostolice juxta quod alias vobis indulsisse dinoscimur[1], non possitis, nisi expressam de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii ij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 247, nº 201. Bulla plumbea filis seric. flavi et rubei coloris appenditur. In aversa membrana legitur : « Th. de Sancto Egidio ». — Reg. Vat. Innocentii IV an. 9, ep. 415. Apographum saec. XIII in Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 3. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 17ᵇ. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 18ᵇ, sub titulo ut supra : « Ut nullus possit », *etc.* Bulaeus, III, 241.

1. Vide supra nº 143.

---

208. *Innocentius IV Adamum episcopum Silvanectensem constituit conservatorem privilegii, ne scholares extra civitatem trahantur.*

1252, Maii 31, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Ut eo liberius dilecti filii universi magistri et scolares Parisienses vacare valeant studio litterarum, quo minus fuerint aliis negociis occupati, nos eorum supplicationibus annuentes per litteras nostras eis duximus indulgendum, ut extra civitatem Parisiensem super questionibus intra eam exortis trahi per litteras apostolicas vel legatorum sedis apostolice, juxta quod alias eis dinoscimur indulsisse, non possint, nisi expressam de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos magistros et scolares

contra concessionis nostre tenorem non permittas super hiis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi, *etc.*, *ut supra* n° 204. Dat. Perusii ij kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Apographum saec. XIII in Arch. nat. Paris. M. 66[a], n° 3, sub rubrica : « Conservatoria super eisdem », excipit enim docum. n° 205 publicatum. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 176 (22). Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 20 (et 24[b]), sub titulo : « Conservatio privilegii, ne scolares », *etc.* ut supra. *Liber practicus de consuet. Remensi* in Bibl. Remensi, ms. H. 648/639, fol. 22[b], n° 362. Bulaeus, III, 242, ubi perperam « kal. Junii ». Varin, *Arch. législat. de la ville de Reims*, I[re] part. : Coutumes, p. 278, n° 362. Adjungit ibid. n° 363 ex *Libro practico*, fol. 22[b], n° 218, epistolam ad Universitatem Paris. directam a magistro Eustachio de Grandicuria, vices gerente episc. Silvanectensis, in qua mentio fit privilegii supra publicati, eamque refert itidem ad an. 1252. At Eustachius de Grandicuria erat aetatis posterioris, ut bene probavit Hauréau in *Hist. litt. de la France*, XXVIII, 471 sqq. Remittimus epistolam ad finem hujus voluminis.

---

209. *Innocentius IV ad magistros et scholares Parisienses ut nullus in Universitatem, rectorem seu procuratores seu quemquam alium pro facto vel occasione ipsius Universitatis excommunicationis, etc., sententiam audeat promulgare.*

1252, Junii 1, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos vobis apostolicum negare favorem, quem vestris videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientie, que plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptatis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est, quod quieti vestre paterna volentes diligentia providere auctoritate vobis presentium indulgemus juxta quod alias vobis dinoscimur indulsisse[1], ut nullus in universitatem vestram magistrorum et scolarium aut rectorem vel procuratores vestros cujuscunque aut quarumcumque facultatum seu quemquam alium pro facto vel occasione ipsius Universitatis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare absque sedis apostolice licentia speciali, et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita et inanis. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 16. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 17, sub rubrica : « Ut nullus », *etc.* ut supra. Cod. Harcur., fol. 17. — Bulaeus, III, 242 ; deest apud Jourdain, cujus tamen notam numeri 76 videsis.

1. Cf. supra n° 162.

---

210. *Conservatio ejusdem privilegii.*

1252, Junii 1, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus apostolicum negare favorem, *etc. ut supra* n° 209, *mutatis mutandis*. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos

magistros et scolares eorumque rectorem vel procuratores contra concessionis nostre tenorem non permittas super hiis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam dyocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Perusii kal. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 16b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 17b, ubi titulus « Conservatio ejusdem privilegii, ut nullus », *etc.* — Bulaeus, III, 242 (ubi per errorem typogr. « an. 4 »); deest apud Jourdain.

---

211. *Innocentius IV magistris et scholaribus Parisiensibus concedit, ne aliquis eundo et redeundo Parisios causa studii pro pedagio aliquid solvere teneatur.*

1252, Junii 5, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Volentes vos quiete libertatis prerogativa gaudere, ut nichil alicui pro pedagio euntes Parisius causa studii aut exinde ad propria redeuntes solvere teneamini, vel ad id compelli ab aliquo valeatis consuetudine qualibet non obstante auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii non. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 247, nº 202. Bulla plumbea filis seric. flavi et rubei coloris appenditur. In aversa membrana legitur : « Th. de Sancto Egidio ». Pertinebat ad Arch. Univers. — Reg. Vat. Innocentii IV an. 9, ep. 415, fol. 185. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 16. Cod. Vat. Reg. 1283, fol. 101, 105a. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 16b, sub rubrica : « Ne aliquis », *etc.* ut supra. Bulaeus, III, 243.

---

212. *Conservatio privilegii praecedentis.*

1252, Junii 5, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Volentes dilectos filios universos magistros et scolares Parisienses quiete libertatis prerogativa gaudere, ut nichil alicui pro pedagio euntes Parisius causa studii, aut exinde ad propria redeuntes solvere teneantur vel ad id compelli ab aliquo valeant, consuetudine qualibet non obstante per litteras nostras eis duximus indulgendum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus magistros et scolares predictos contra concessionis nostre tenorem non permittas super hiis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant per litteras apostolicas vel suspendi,

que de indulto hujusmodi plenam vel expressam, seu de verbo ad verbum non fecerint mentionem, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Perusii non. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 247, nº 203. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana : « Th. de Sancto Egidio ». Exstabat in Arch. Univers. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 15ᵇ. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 16. Cod. Vat. Reg. 1283, fol. 101ᵇ, 105. Bibl. Arsenal. Paris, nº 678 in principio. In Reg. Vat. Innocentii IV an. 9 ad epistolam praecedentem legitur : « .. episcopus Silvanectensis datus est eis super hoc conservator, non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, *etc.* usque mentionem seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam, *etc.* Datum ut supra ». — Bulaeus, III, 243.

---

213. *Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi mandat ut scholares arma portantes, si moniti se non correxerint, privilegiis Universitatis privet.*

1252, Junii 6, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures nostras pervenit, quod nonnulli scolares Parisius commorantes licentie laxatis habenis publice, licet id privata vel publica non exposcat necessitas, arma ferunt, ex quo Deus et homines offenduntur, cetus scolarium notatur infamia, et frequenter turbatur studium et etiam impeditur. Volentes igitur huic morbo salubrem adhibere medelam, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si tales secundo tertiove commoniti se non correxerint, beneficio privilegiorum universitatis scolarium auctoritate nostra prives eosdem ac denunties ipsis nequaquam hujusmodi beneficium suffragari. Dat. Perusii viij id. Junii, pontificatus nostri anno nono.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 247, nº 204. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana : « Th. de Sancto Egidio ». Pertinebat ad Arch. Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 16, et Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 16ᵇ, cum rubrica : « Ut canc. Paris. clericos arma portantes, ter monitos si se non correxerint, beneficiis uti privet, et privatos nunciet ». Bulaeus, III, 244, ubi per errorem typographi « an. 4 ».

---

214. *Officialis curiae Parisiensis notum facit, domum Petri Sarraceni sitam ultra parvum pontem in vico de Hautefeuille emptam esse a Johanne abbate et conventu Praemonstratensi.*

1252, Junii 15, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presentia constituta domina Gila dicta de Houzel, civis Parisiensis, vidua, olim uxor defuncti Johannis Sarraceni, asseruit quod ipsa ex sua propria hereditate habebat, tenebat et possidebat pleno jure domum quandam Petri Sarraceni nuncupatam cum porprisio et pertinentiis ejusdem domus sitam Parisius ultra parvum pontem in vico de Hautefeuille oneratam in duodecim solidos capitalis census, centum solidos parisien. incrementi census, et quatuor libras parisien. annui census super tribus

partibus predicte domus, ut dicebat. Quam domum, prout cum suis pertinentiis se comportat ante et retro, et in longo et lato, ipsa Gila propter hoc coram nobis constituta vendidit, quitavit et concessit ex nunc perpetuo, seque vendidisse et nomine venditionis ex nunc perpetuo quitavisse et concessisse recognovit viris religiosis Johanni abbati et conventui Premonstratensi, pro pretio centum et viginti librarum parisiens. jam sibi soluto in pecunia numerata, ut confessa fuit coram nobis. De quo pretio quitavit dictos emptores, exceptioni non numerate et non recepte pecunie renuntiando per fidem, cedens dictis emptoribus et eorum successoribus, ac penitus transferens in eos omne jus et dominium, omnem possessionem et proprietatem, et omnes actiones reales et personales, utiles et directas, et quascumque alias, que eidem Gile in dicta domo et pertinentiis ejusdem competebant, et competere poterant modo quolibet; nihil juris vel actionis, dominii, possessionis vel proprietatis sibi vel suis heredibus decetero retinendo in eisdem. Et promisit ipsa Gila, fide in manu nostra prestita corporali sponte, adversus venditionem et quitationem hujusmodi, vel premissorum aliquod non venire per se vel per alium jure aliquo in futurum. Immo dictam domum, prout ipsa cum aliis pertinentiis suis, ut dictum est, se comportat ad dictos duodecim solidos capitalis census, et centum solidos parisien. incrementi census, et quatuor libras parisien. annui census, sine alio onere, impedimento, vel obligatione garantizabit, liberabit et defendet suis propriis sumptibus, periculo et expensis, in judicio et extra judicium, dictis emptoribus et eorum successoribus, quandocumque opus fuerit et super hoc requisita fuerit, contra omnes. Promisit etiam sub prestita fide et ex pacto contractus hujusmodi, se pacifice soluturam dictis emptoribus quintum denarium dicti pretii nomine pene seu interesse, cum misiis et omnibus rectis costamentis, damnis et expensis, per solum procuratoris dictorum emptorum juramentum sine alia probatione credendo, declarandum, si dicta venditio in toto vel in parte retracta fuerit vel evicta. Et pro recta garandia modo predicto ferenda super jam dicta venditione, et dicta pena seu interesse, si committatur, solvendis, cum misiis, costamentis, damnis et expensis ipsa Gila se et heredes suos et omnia bona sua et heredum suorum mobilia et immobilia, presentia et futura, tituloque specialis hypothece domum quandam in qua ipsa ad presens moratur suam, ut dicebat, sitam Parisius in civitate in quadrivio de Marché-Palu, contiguam domui quondam Egidii Miette, in censu monialium Montis-Martyrum, oneratam in sex libras census, ut dicebat, dictis emptoribus obligavit, et obligatam reliquit, ad quoscumque devenerit possessores; se quantum ad hec jurisdictioni curie Parisiensis supponendo. In cujus rei testimonium sigillum curie Parisiensis duximus presentibus litteris apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, tertio die sabbati post Trinitatem.

Le Paige, *Bibliotheca Praemonstrat.*, p. 582. Ex illo Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 208. In Arch. nat. Paris. et quidem S. 4342, nº 3, tantummodo apographum anni 1669, licet Taiée, *Prémontré*, I, 96, dicat : « Les titres en sont aux Archives nationales ». In Arch. du dép. de l'Aisne (Laon), ubi conservantur chartae abbatiae Praemonstrat., non inveniuntur

ista documenta, quae respiciunt ad primam domum Praemonstratensium Parisiis. Ibi venisse Praemonstratenses discendi causa scimus ex epistola Universitatis an. 1254 Februarii 4 (infra nº 230). Cf. insuper infra ad numerum 254.

---

215. *Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Parisiensibus ut, si quis eorum etiam extra civitatem Parisiensem manus violentas in clericos injecerit, a cancellario Parisiensi per decennium absolvi possit.*

1252, Augusti 23, Perusii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos vobis apostolicum negare favorem, quem vestris videmini meritis vendicare, dum dantes operam scientie, que plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptatis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes, ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est quod quieti vestre paterna volentes sollicitudine providere, cum alias vobis duxerimus ut dicitur indulgendum[1], ut .. cancellarius Parisiensis scolaribus pro manuum violenta injectione in clericos infra civitatem Parisiensem commissa excommunicationis sententiam incurrentibus possit absolutionis beneficium juxta formam ecclesie impertiri, nos super hoc vobis uberiorem gratiam facientes vobis auctoritate presentium indulgemus ut cancellarius Parisiensis, qui pro tempore fuerit, tales usque ad decennium absolvere valeat, etiam si factum extra civitatem Parisiensem infra miliare fuerit perpetratum, dummodo passis injuriam satisfaciant competenter, et adeo non fuerit gravis et enormis excessus, propter quem ad sedem apostolicam merito sint mittendi. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Perusii x Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 248, nº 213. Bulla plumbea filis seric. flavi et rubei coloris appenditur. In aversa membrana legitur : « Th. de Sancto Egidio ». Pertinebat ad Arch. Univers. — Epistola est inserta instrumento an. 1318 confecto in Arch. Univ. theca IV. A. 18. a. Aliud apographum (saec. XIII), in Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 3. Jourdain, nº 101.

1. Hoc privilegium Innocentii IV reperire non potuimus. Verisimiliter an. 1245 vel 1246, sicut multa alia, usque ad septennium concessum est. Quae sit forma privilegii ex epistola superiori liquet.

---

216. *Haimerici cancellarii Parisiensis ceterorumque doctorum sacrae theologiae votum de quodam casu in foro paenitentiae.*

1253, mense Januario, [Parisiis].

Omnibus presentes litteras inspecturis magister H. cancellarius Parisiensis ceterique sacre scripture Parisienses doctores, quorum sigilla presentibus litteris sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestre volumus esse notum, quod consulti fuimus a quibusdam, utrum sacerdote parrochiali contradicente vel invito parrochianus ejus domino pape seu penitenciariis suis vel suo episcopo aut penitentiariis ipsius, cum voluerit,

peccata sua universaliter valeat confiteri, atque ab eisdem penitenciam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus et dicimus in hoc unanimiter consencientes, predicta licite posse fieri et debere. Si qui autem dicunt aut dixerunt contrarium, quantum in nobis est, reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Domini MCC quinquagesimo secundo, mense Januario.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15921, fol. 1. — Quétif-Echard, *SS. Ord. Praed.*, I, 109.

---

217. *Innocentius IV Gualtero episcopo Tornac. mandat ut mag. Hugoni de Seghuin, procuratori Univers. Paris. in curia, de canonicatu provideat.*

1253, Februarii 16, Perusii.

.. Episcopo Tornacensi. Illis qui merentur premiorum est dextera porrigenda ut et digna retributio merita probitatis extollat et congrue retributionis premium dignitas magnificet meritorum. Cum igitur in dilecto filio magistro Hugone de Seghuin, clerico, scientie donum et honestas morum noscantur socialiter convenire, nos volentes ipsum ob hoc et contemplatione dilect. filiorum magistrorum et scolarium Parisiensium, quorum communia negotia idem ad hoc destinatus ab eis in nostra curia procuravit tam fideliter quam prudenter, prosequi gratiose, mandamus quatinus ipsum vel procuratorem ejus pro eo in aliqua ecclesiarum tue civitatis vel diocesis, cathedrali vel alia, in qua ipse duxerit acceptandum auctoritate nostra per te vel alium recipi facias in canonicum et in fratrem, sibique provideas vel provideri facias de prebenda si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas. Non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione sedis apostolice vel quocunque alio munimine roborato, aut si direximus in eadem ecclesia scripta nostra pro aliis quibus, *etc.* Contradictores, *etc.* Dat. Perusii xiiij kal. Martii, anno x°

Reg. Vat. Innocentii IV an. 10, ep. 858, fol. 295b.

---

218. *Innocentius IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, cui ad biennium facultatem dat absolvendi scholares de violenta in clericos manuum injectione.*

1253, Martii 12, Perusii.

Reginaldo episcopo Parisiensi[1]. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum in civitate tua innumerosa sit scolarium multitudo, quorum quidam interdum propter mutuam injectionem manuum in canonem late sententie incidentes, ad sedem apostolicam absque gravi periculo personarum et rerum dispendio accedere nequeunt, absolutionis beneficium petituri, super hoc eis providere misericorditer curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes presentium tibi auctoritate concedimus, ut eis usque ad biennium, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter et

adeo non fuerit gravis et enormis excessus, propter quod merito ad sedem apostolicam sint mittendi, juxta formam ecclesie possis absolutionis beneficium impertiri, ac dispensare cum illis ex ipsis scolaribus, qui clerici fuerint, super irregularitate, si qua exinde fuerit, injungendum. Dat. Perusii iiij id. Martii, anno x.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 10, ep. 551, fol. 253. — Apud Jourdain, nº 90, hae litterae ex apographo quod La Porte du Theil conficiendum curaverat perperam « anno ix » ascribuntur. Idem error apud Potthast, nº 14530.

1. Galtero episcopo mense Septembri an. 1249 mortuo (vide supra nº 174) sedes episcopalis vacabat per plures menses. Galteri successor, magister Reginaldus de Corbolio, qui archidiaconus major eccl. Remensis, saltem jam 30 Maii an. 1250 per papam in episcopum Paris. erat designatus (v. Varin, *Arch. administr. de Reims*, I, 2, p. 716), 10 Julii ejusdem anni ecclesiam suam solemniter ingressus est. Guérard, *Cart. de l'église Notre-Dame*, I, 163. Obiit an. 1268, 6 Junii.

---

219. *Universitas magistrorum et scholarium Paris. statuit ut nullus in quacunque facultate magister ad collegium magistrorum admittatur, nisi juraverit statuta Universitatis se fideliter observaturum; nullus principium alicujus baccalarei teneat, nisi prius ei constiterit, quod idem eisdem juramentis ligatus sit; ii qui vacante studio Paris. lectiones resumere praesumpserint, a consortio magistrorum secludantur.*

1253, mense Aprili, Septembris 2, [Parisiis].

Anno Domini MCCL tertio[1]. Nos universitas magistrorum ac scolarium Parisius studentium propter illud novum et enorme flagitium in quatuor scolares clericos et unum eorum servientem laicum innocentes a vigilibus civitatis Parisiensis nostre custodie deputatis contra privilegia nobis a regibus Francorum indulta de nocte nequissime perpetratum, quorum scolarium unus trucidatus interiit, reliqui vero plurimis et atrocibus plagis impositis in carcerem sine culpa detrusi, necnon et in ipso carcere spoliati et iterum vulnerati, et usque ad membrorum deformationem ac debilitationem inhumane tractati, tandem a nobis in crastinum requisiti, dimissi sunt semivivi[2], — nos inquam ob hanc causam corde vehementer afflicti cum jam per mensem et amplius lectionibus ob timorem dimissis expectassemus justitiam, et nondum esset exhibita[3], in tanto discrimine constituti ordinationibus et indulgentiis a sede apostolica et ejus legatis nobis indultis diligenter inspectis, deliberato consilio auctoritate illarum obligationem fecimus juramentis vallatam de supradicta injuria secundum Deum et justitiam, quantum nobis licitum est, prosequenda, tribus magistris regularibus, videlicet duobus Predicatoribus[4] et uno fratre Minore[5], duntaxat exceptis, qui pro sue voluntatis arbitrio suum renuerunt prestare consensum diligencius requisiti, non sine contemptu et transgressione dictarum indulgentiarum seu ordinationum, quarum una suos transgressores excommunicationis[6] percellit sententia, nisi infra quindecim dies suam presumptionem coram nobis curaverint emendare[7]. Propter quod negocium nostrum supradictum diutius extitit protelatum. Porro venerandus tandem ac magnificus comes Pictavensis ac Tolosanus Alfonsus illustris regis Francorum Ludovici tunc agentis in partibus transmarinis germanus, memorati fratris sui absentiam supplere satagens in hac parte, totius cleri ac universalis ecclesie dilectione necnon et justitie zelo adinstar patrum suorum regum Francie christianissimorum suc-

census de multorum procerum ipsius regni ac aliorum sapientum consilio prefatam injuriam ad honorem Dei ac regni memorati potenter ac patenter emendare curavit, duobus dictorum malefactorum per judicialem sententiam tractu equorum per vicos et plateas civitatis Parisiensis ac demum suspendio interfectis, reliquis vero in exilium deportatis. Nos igitur pendente negocio supradicto interim tranquillitati nostre ac passi[8] volentes in posterum providere habita diligenti deliberatione duximus statuendum ut decetero nullus in quacumque facultate magister ad collegium magistrorum vel consortium Universitatis nostre aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione magistrorum vel saltem coram tribus magistris sue facultatis ad hec specialiter deputatis juraverit ordinationes[9] et privilegia sedis apostolice vel ejus legatorum nobis indulta necnon et statuta nostra licita et honesta et nobis expedientia se firmiter observaturum. Item secreta et consilia nostra post inhibitionem sibi factam a nobis fideliter[10] celaturum. Insuper confederationibus[11] nostris licitis et honestis ac nobis expedientibus precipue ex tenore dictarum indulgentiarum seu ordinationum[12] vigorem habentibus se concorditer ac pacifice consentire juxta documentum beati Augustini dicentis : « Turpis est omnis pars suo non congruens universo ». Quod ut firmius observetur, statuimus ut nullus magister principium alicujus bachelarii tenere vel ejus principio interesse presumat, nisi prius ei constiterit, quod idem bachelarius ad predicta modo prehabito sit ligatus. Nec idem bachelarius, si alio modo inceperit, magister a nobis aliquatenus habeatur. Item si vacante studio Parisiensi ob causas consimiles vel alias rationabiles aliquis interim bachelarius in aliqua facultate de novo solempniter incipere vel aliquis eorum, qui prius rexerunt, suas interim lectiones resumere presumpserit, extunc a consorcio nostro imperpetuum excludatur, nec Parisius seu alibi, ubi studium transferri contigerit, inter magistros seu scolares aliquatenus admittatur. Et pena consimili scolaris, qui interim causa studii Parisius venire presumpserit, punietur, nisi transgressores predicti presumptionem suam ad arbitrium Universitatis nostre curaverint emendare. Hec autem ordinamus et statuimus sub pena, quam infligere possumus, inviolabiliter observanda, nichilominus recensentes supradictam excommunicationis sententiam, que in transgressores premissos exstitit promulgata, ut ab omnibus inviolabiliter observetur, salva in omnibus libertate ac jure canonicorum Parisiensium quantum ad omnia, in quibus et per que a nostris ordinationibus et statutis auctoritate apostolica seu quacunque alia sunt exempti. Hanc autem ordinationem seu statutum a nobis approbatum et editum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum[13] est hoc statutum anno predicto mense Aprili. Set propter addicionem clausule de emenda facta per comitem memoratum, que nondum facta erat, quando editum est hoc statutum, sigillata est carta ista iiij non. Septembris, anno predicto.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 22b. Sigillum cereum viridis coloris taeniolo membranaceo appenditur.

— In eodem Arch. theca IV. A. 21. d, exstat aliud originale (cum fragmento sigilli cerei), quod differt in non paucis a praecitato; istud Bulaeus, III, 252, e libro nationis Gallicanae mendose publici juris fecit, et sic etiam occurrit in Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 58[b]. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 55. Cod. Archiv. Univ. Paris. 94, p. 91; Cod. Harcur., fol. 83[b] et 116.

1. Aliud orig. addit : « mense Aprili ». — 2. Hoc evenisse in Quadragesima, et verisimiliter in principio ejusdem, evincitur ex doc. nº 230 *infra publicato. Dominica prima Quadragesimae fuit* 9 Martii. — 3. Al. or. add. : « quamvis fuisset sicut debuit et decuit pluries requisita ». — 4. Isti erant Bonushomo Brito, et Elias Bruneti de Brageriaco. Cf. *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalters*, II, 204, nºs 4 et 5. Ad haec cf. praeterea *Chronica Norman.* apud Duchesne, *Hist. Norman. SS.*, p. 1009, et *Rec. des hist. des Gaules*, XXIII, 215. — 5. Anno 1248 ex Ordine Minorum cathedraticus Parisiis fuit fr. Guillelmus de Melitona. Erat adhuc an. 1256 inter vivos, ut ex litteris Alexandri IV, Julii 28 ejusdem anni apparet. At an. 1253 fr. Bonaventura etiam potuit esse magister regens, nam Bernardus de Bessa aequalis dicit de eo, triennio completo, postquam ut baccalareus inceperat legere, cathedram magistralem recepisse. Legebat autem ab anno 1248 in Universitate (cf. supra ad nº 150). Nihil tamen certi definiri potest, cum et fr. Thomas Eboracensis et forsitan etiam alii isto tempore cathedratici Paris. esse potuerint. — 6. Om. al. originale. — 7. Cf. statutum Roberti supra nº 20. — 8. Id est « paci », ut in al. or. — 9. Al. or. om. « ordinationes ... nec non et ». — 10. Al. or. « bona fide ». — 11. Al. or. « obligationibus ». — 12. « Dictarum ... ordinationum privilegiorum nostrorum », al. or. — 13. Al. or. « Actum est hoc statutum anno et mense predictis. Set propter additionem clausule de emenda supradicta per memoratum comitem posterius facta, que nondum exhibita erat, quando editum est hoc statutum, sigillatum fuit postea cum additione ejusdem clausule mense Septembri anno supradicto ». Cod. Vat. et Phillipps offerunt « emendationem » loco « additionem ».

---

220. *Alphonsus comes Pictaviensis et Tolosanus universis praepositis pro tempore in Rupella mandat ut monasterio S. Bernardi Paris. singulis annis certa summa solvatur.*

1253, Maii 3.

Alfonsus illustris regis Francie filius comes Pyctavensis et Tholosanus universis prepositis, qui pro tempore fuerint in Ruppella, salutem. Cum nos pro salute anime nostre, patris, matris, antecessorum et successorum nostrorum contulerimus monasterio Beati Bernardi Paris., cujus existimus fundatores, ad sustentationem monachorum ibidem Deo deservientium centum et quatuor libras parisien. annui redditus in prepositura de Ruppella a preposito ejusdem ville vel ejus mandato annis singulis in crastino dominice Ascensionis apud Ruppellam percipiendas : volumus, mandamus et sub pena offense nostre districte precipimus, quatinus certo nuncio vel procuratori abbatis et conventus Clarevallensis dicte centum et quatuor libre parisien. prefato termino annis singulis sine dilatione aliqua et contradictione per vos vel mandatum vestrum non expectato nostro vel heredum nostrorum ulteriori mandato plene et integre solvantur, volentes, statuentes et firmiter precipientes, quod nisi prepositus ejusdem ville pro tempore existens seu mandatum ipsius dicta die solutionem dictarum centum et quatuor librarum parisien. plenarie fecerit, idem prepositus vel ejus mandatum pro qualibet die dilate solutionis dicto nuncio vel procuratori dictorum abbatis et conventus Clarevallensis quinque solidos parisien. nomine pene et etiam expensarum irremissibiliter solvere teneatur. In cujus rei robur et testimonium litteras presentes dedimus patentes. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, die Inventionis sancte Crucis.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3 H/157. Deest sigillum. Exstant ibidem in eadem theca alia documenta annorum 1254 et sequentium donationes eidem conventui a diversis factas continentia.

221. *Stephanus abbas Claraevallis Alphonso Tolosano comiti patronatum monasterii S. Bernardi Parisiensis confert, in quo viginti monachos professos abbatis Claraevallensis sacrum studium theologiae ibidem gubernaturos habiturum perpetuo se promittit.*

1253, Maii 3.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis frater Stephanus, dictus abbas Clarevallis, et ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noveritis nos illustri viro Alfonso, filio regis Francie, comiti Pictavensi et Tholosano, ac suis heredibus, patronatum monasterii Sancti Bernardi Parisiensis et conventus ejusdem monasterii, seu jus patronatus, cum hiis que ad patronum seu fundatorem libere elemosine de jure pertinere noscuntur, possidendum, tenendum et habendum perpetuo liberaliter concessisse. Dictus vero comes, pro salute anime sue, patris, matris et antecessorum et successorum suorum, attendens bonum spirituale quod ex orationibus ibidem Deo deserviencium potest in posterum evenire, dictum patronatum benigne recepit sibi ac suis heredibus tenendum imperpetuum et habendum, liberali voluntate promittens quod ipsum patronatum a se nullatenus alienabit, vel ad alios transferet, set dictum patronatum ipse et heredes sui sibi perpetuo retinebunt, et ipsi monasterio fidelem defensionem ac diligentem custodiam, tam ipse quam heredes sui, impendent, sicut pure et speciali elemosine sue ac libere atque ab omni consuetudine et exactione seculari immuni. Nos vero volumus et concessimus quod, preter communes missas et orationes in dicto monasterio cotidie celebratas et factas, una qualibet die de Sancto Spiritu, excepta die sabbati et festivitatibus Domine Nostre, in quibus missa de beata Virgine celebrabitur, dum vixerit dictus comes, pro eo, et post mortem ipsius qualibet die pro illa missa de Sancto Spiritu et beata Virgine missa una celebrabitur de defunctis. Concedimus eciam et nos per presentem cartulam obligamus, quod in dicto monasterio Beati Bernardi viginti monachos professos abbatis Clarevallensis perpetuo tenebimus, Deo et gloriose Virgini ac beato Bernardo perpetuo servituros sub observancia regulari, sacrum studium theologie, quod per summum pontificem et Cisterciense capitulum generale institutum est[1], ibidem gubernaturos, sicut Deus ministraverit, et eciam servaturos; quorum viginti monachorum tredecim erunt in ordine sacerdotis. Dictus autem comes, considerans, principes seculares pro eterna vita sacerdotum orationibus indigere, et ipsos sacerdotes pro cursu temporalium rerum beneficio principum, ut sic unum alio adjuvetur, pro sustentatione dictorum monachorum ibidem Deo deserviencium centum et quatuor libras parisiensium in prepositura sua de Ruppella perpetuo contulit in puram et perpetuam elemosinam, Deo et dicto monasterio Beati Bernardi, annis singulis in Assumptione Beate Marie percipiendas, donec dictas centum et quatuor libras in alio loco ydoneo dicto monasterio duxerit assignare. Nec nos vel monachi dicti monasterii a dicto .. comite vel ejus heredibus pro eorum sustentatione vel necessariis domus sue poterimus ultra petere, set in omnibus necessariis eisdem, pro se et pro domo eorum, ultra dictam

summam, nos et monasterium Clarevallis dictis viginti monachis Sancti Bernardi tenebimur providere. Volumus siquidem liberaliter et concessimus quod si numerum viginti monachorum predictorum aliquo tempore diminui contigerit, et dictus comes vel ejus heredes per se vel alium apud Sanctum Bernardum coram testibus monachos dicti monasterii vel aliquos officiales ipsorum manifeste monuerint ut dictum numerum per nostram provisionem reintegrare procurent, et nos infra quadraginta dies, computandos a die monitionis predicte, hoc noluerimus adimplere neque compleverimus, ipsi et heredes sui bona, que habemus Parisius in cujuscumque dominio, et alibi in dominio suo seu potestate sua, et specialiter predictas centum et quatuor libras dicto monasterio superius assignatas, saisire libere poterit ac tenere, nec recredere seu liberare tenebitur, donec dictus numerus viginti monachorum apud Sanctum Bernardum Parisius integre sit completus. Si vero aliquo tempore contingeret quod ad tantam desolationem, quod absit, esset redactum monasterium supradictum, quod ibidem nullus moraretur monachus, ex tunc dicte centum et quatuor libre parisiensium ad ipsum comitem et heredes suos libere revertentur ad voluntatem suam, sine reclamatione aliqua Clarevallis monachorum seu quorumlibet subditorum eisdem penitus faciendam. Insuper omne jus et actionem, que contra ipsum et heredes suos occasione bone memorie R.[2], comitis Tholosani, predecessoris sui, seu ex persona ipsius habebamus, seu poteramus habere, eidem remittimus et per acceptilationem sollempnem penitus liberamus eundem. Que omnia et singula promittimus bona fide tenere inviolabiliter et servare, et non contravenire per nos vel alios in futurum, renunciantes specialiter et expresse beneficio restitutionis in integrum, pretextu cujuscumque deceptionis, quittationis, seu liberationis, et omni privilegio concesso seu beneficio, vel eciam concedendo a jure vel homine, per que possint infringi in toto vel in parte superius enarrata. Dictus vero dominus comes benigne promisit, pro se et heredibus suis, quod dictas centum et quatuor libras annui redditus in termino ad solvendum prenotato certo nuntio nostro seu procuratori a nobis deputato, ita plene et expedite persolvi facient, quod pro dictorum denariorum defectu a provisione dictorum viginti monachorum nequaquam prepediemur, et recipietur dicta pecunia apud Ruppellam annuatim a preposito ejusdem ville, qui pro tempore fuerit deputatus ibidem, vel ejus mandato[3]. Promisimus siquidem nos procuraturos concessionem predictam, ut superius dictum est, a summo pontifice confirmari et domino regi Francie supplicare ut omnibus predictis consenciat, favoremque prebeat liberaliter et assensum. In cujus rei robur perpetuum et testimonium litteris presentibus sigillum nostrum apposuimus. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, die Inventionis sancte Crucis, mense Mayo.

Tria originalia in Arch. nat. Paris. J. 310, n[is] 31 et 32. J. 461, nº 16. Sigillum cereum viridis coloris abbatis Stephani I Clarevall. ubique filis seric. rubei et viridis coloris appenditur. — *Layettes du trésor des chartes*, nº 4053.

1. Cf. supra n[os] 146 et 148. — 2. Raimundus. — 3. Supra nº 220.

222. *Innocentius IV magistris et universitati scholarium Parisiensium mandat ut fratres regentes in theologica facultate Ordinum Praedicatorum et Minorum a magistrorum collegio separatos ad ipsum collegium admittant.*

1253, Julii 1, Assisii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et universitati scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Amena flore virtutum sacra religio dilectorum filiorum fratrum Predicatorum ac Minorum esse dignoscitur, propter quod apud Deum et homines honore ac laudibus dignissima reputatur. Inde fit, quod in nobis consurgit affectio, ut quando fratres ipsos aliqua vexatione turbari percipimus, sibi de condigni favoris auxilio succurramus. Sane sicut dilecti filii .. prior et .. guardianus fratrum dictorum ordinum civitatis Parisiensis ad nostram audientiam pertulerunt, vos occasione quarundam atrocium injuriarum, que quibusdam scolaribus Parisiensibus a custodibus civitatis ejusdem fuerint illate, petistis, quod fratres ipsorum ordinum ibidem, ut vestro utamur eloquio, actu regentes ad ea, ad[1] que vos, filii magistri, obligati eratis et in posterum vos obligari contigerit, se ligarent. Sed quia dicti fratres id sine conniventia sedis apostolice facere noluerunt, vos, predicti magistri, post hec sibi multiplices molestias intulistis. Et licet ipsi ad eandem sedem duxerint appellandum, vos tamen, quantum in vobis extitit, dictos fratres ibidem regentes a magistrorum collegio et Universitatis consortio separantes nomine Universitatis ejusdem, ac separatos etiam nuntiantes, scolaribus sub pena, quam Universitas ipsa infligere potest, districtius injunxistis, ut lectiones eorundem fratrum decetero non audirent[2]. Quare pro parte dictorum prioris, guardiani et fratrum humiliter petebatur a nobis, ut cum causa turbationis inter dictam Universitatem ex parte una et prefatos cives ex altera usque adeo sedata existat, quod magistri resumpserint lectiones, providere in hac parte sibi de circumspectione sedis apostolice curaremus. Nos itaque credentes in vobis illum haberi sinceritatis affectum, ut que nobis votiva esse percipitis prompte devotionis studio exequi debeatis, ac inter vos et fratres eosdem caritatem vigere mutuam et nullam versari discordiam seu litigii materiam cupientes, ipsos ad vestrum collegium et consortium de speciali gratia restituimus, ac etiam mandatum seu inhibitionem factam per vos scolaribus auditoribus eorundem duximus revocandam. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus magistros dictorum ordinum regentes apud vos sine qualibet difficultate seu dilatione resumentes ad statum pristinum et ad collegium magistrorum ac Universitatis consortium admittentes eos occasione premissorum de cetero nullatenus molestetis, sed ipsos favore benivolo et caritate sincera pro divina et nostra reverentia foveatis, ita quod nos vobis exinde speciales gratias referamus, alioquin venerabilibus fratribus nostris .. Silvanectensi et .. Ebroicensi episcopis per litteras nostras injungimus, ut restitutionem

ac revocationem hujusmodi per nos factas auctoritate nostra per se vel per alium executioni demandent ac vos ab ipsorum fratrum gravaminibus cohercentes non permittant eos a vobis occasione premissorum indebite molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Assisii, kal. Julii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 248, nº 229. Restant fila cannab. Subscriptio « Ja. nar. » Hoc et sequens originale nunquam ad Archivum Universitatis pertinuit. Alterum originale in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Cordeliers, liasse 908. In membrana aversa : « Dominus det pacem ». Ibid., fonds Dominicains, liasse 930 (H. nº 53), praeterea charta, *vidimus* duodecim epistolarum Innocentii IV et Alexandri IV per electum Cusentinum an. 1256 factum continens, inter quae et epistola memorata et sequens (nº 223), atque epistolae n[is] 225 et 226 publicatae inveniuntur. — *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 254. — Apud Gonzaga, *De origine seraph. relig. Franciscanae*, p. 115, hoc. doc. sicut et illa infra n[os] 225 et 226 breviter tantum perstringuntur. Sic et apud Bulaeum, III, 254.

1. « Ad » in primo or. postea adjunctum est. — 2. Hoc factum in docum. nº 219 supra relato nondum est expressum.

---

223. *Innocentius IV episcopis Adamo Silvanectensi et Johanni Ebroicensi de eadem re scribit.*

1253, Julii 1, Assisii.

Innocentius episcopus, *etc.*, venerab. fratribus .. Silvanectensi et .. Ebroicensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Amena flore virtutum, *etc. sicut* nº 222, *mutatis mutandis, usque* compescendo. *Deinde :* non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis quibuscunque illorum communiter vel divisim a sede apostolica vel legatis ejus concessis, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, sive per quas mandati nostri executio in hac parte impediri valeat vel differri et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Assisii kal. Julii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 248, nº 230. Supersunt fila cannab. Depromptum est, ut videtur, ex Archivo fratrum Praed.

---

224. *Innocentius IV ad priorem Ord. Praed. et ministrum Ord. Minorum Parisiis, ut fratribus regentibus eorumdem Ordinum absolutionem et dispensationem ad cautelam impendant.*

1253, Julii 21, Assisii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori fratrum Predicatorum et ..[1] ministro fratrum Minorum provincialibus Francie salutem et apostolicam benedictionem. Transmissa nobis dilectorum filiorum .. prioris et .. guardiani fratrum Predicatorum ac Minorum ordinum civitatis Parisiensis petitio continebat, quod aliqui magistrorum ipsius civitatis nomine universitatis scolarium civitatis ejusdem occasione quarundam atrocium injuriarum, que quibusdam scolaribus Parisiensibus illate fuerant ab ipsius civitatis custodibus, petierunt, ut fratres ipsorum ordinum actu regentes ibidem

ad ea, ad que dicti magistri obligati erant et eos in posterum obligari contingeret, se ligarent. Set quia prefati fratres id sine conniventia sedis apostolice facere noluerunt ad eandem sedem propter hoc nichilominus appellando, dicti magistri in quantum in eis extitit fratres ipsos ibi regentes a magistrorum collegio et Universitatis consortio tamquam excommunicatos auctoritate cujusdam statuti a bone memorie R. tituli Sancti Stephani in Celio monte presbytero cardinale, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, sicut dicitur, editi[2] ejusdem Universitatis nomine separantes ac separatos etiam nunciantes scolaribus sub pena quam Universitas ipsa infligere potest districtius injunxerunt, ut lectiones eorundem fratrum decetero non audirent. Et licet dicti fratres regentes se auctoritate statuti hujusmodi non credant aliqua excommunicatione teneri, tamen dicti prior et guardianus ac ipsi, ut tollatur emulis obloquendi materia et eciam ut provisio quam alias super negocio isto fecimus, suum de facili consequatur effectum, fecerunt a nobis suppliciter postulari, ut eisdem fratribus absolutionis beneficium ad cautelam super hoc impendi de benignitate sedis apostolice faceremus. Nos itaque de vestra circumspectione confisi discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eis cum super hoc ab ipsis humiliter requisiti fueritis absolutionis ac etiam dispensationis beneficium ad cautelam auctoritate nostra juxta formam ecclesie sicut expedire videritis impendatis. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Assisii xij. kal. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 248, nis 231 et 234. Deest ubique sigillum, quod erat appensum filis cannab. In utraque membrana aversa legitur : « Predicatorum fratrum ». — *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 256.

1. In orig. n° 231 desunt hic duo puncta. — 2. Cf. supra n° 20.

---

225. *Innocentius IV magistros Parisienses hortatur ut molestare magistros regentes Ord. Praedicatorum et Minorum desinant, eos in libertate sicut antea sistere permittant usque ad festum Assumptionis, quo utrique ad curiam venirent.*

1253, Augusti 26, Assisii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et universitati scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Excelsi dextera in orto universalis ecclesie dilectorum filiorum fratrum Predicatorum et Minorum ordinibus conplantatis notum est et luce clarius patet cunctis, quante honestatis et salutis sit ipsorum religio, et observantie quam salubris existant accepti et amabiles Deo et hominibus eorumdem ordinum professores. Manifestum est etiam, quod ex eorumdem claris operibus scientia quoque ac doctrina et predicatione conspicuis, ad que ab ipso eorum exordio instituti fuisse iidem ordines dinoscuntur, habitantibus in regione umbre mortis et inter opaca positis vitiorum lux vite nonnunquam inluxit ac speculum virtutum emicuit et irradiat ad salutem. Hec itaque aliosque multipharios spirituales profectus, quos de

ipsis fratribus et ordinibus suis christiana incessanter experitur professio circa eos sollicite attendatis et considerantes, quod apostolica sedes jam dictos fratres velud coadjutores catholice fidei et cooperatores bonorum perutiles benivolentia speciali prosequitur, intime sinceritatis ad eos extendatis affectus quodam ardore precipue caritatis, ut non solum quietos vos et non molestos exhibere curetis eisdem, sed honorificos, benivolos et plurimum gratiosos. Sane dilectis filiis .. priore Predicatorum et guardiano Minorum fratrum Parisiensium intimantibus nobis accepimus, quod vos quorumdam statutorum occasione nuper pro vestro libito editorum a vobis, ipsos et liberum ac quietum statum magistrorum et fratrum eorumdem ordinum Parisius studio insistentium ac scolarium suorum indebite perturbastis. Quia igitur nec expediens est nec decens, quod a vobis molestie vel pressure inferantur eisdem, quos piis convenit juvari subsidiis et presidiis confoveri, universitatem vestram rogandam, monendam attente duximus et hortandam per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ob reverentiam dicte sedis et nostram ab ipsorum quibuslibet novis molestiis et inquietationibus, predictis statutis nequaquam obstantibus, desistentes nichil penitus usque ad festum Assumptionis beate Virginis primo venturum[1] in eorum vel pristini status sui prejudicium attemptetis, sed in ea libertate ac quiete sistere permittatis eosdem, in qua a duobus annis retro extitisse noscuntur taliter super hoc apostolicis vos coaptantes monitis et mandatis, quod iidem tranquillitatis eis provenire solacia et prehabite libertatis statum sibi gaudeant conservari, nosque devotionem vestram exinde dignis possimus laudibus commendare. Verum quia cupimus inter vos et ipsos omnem scandali et discordie amputare materiam, ut sub vinculo pacis vacare liberius studio valeatis, venerabilibus fratribus nostris .. Silvanectensi et .. Ebroicensi episcopis nostris nichilominus injungimus litteris, ut vos et eos ex parte nostra peremptorie citare procurent, quod in premisso festo, nisi interim concordia super hiis provenerit, per procuratores ydoneos tam vos quam ipsi coram nobis comparere curetis, ut super premissis quod utile, salubre ac conveniens viderimus auctore Domino statuamus, nec permittant eosdem a vobis contra premissa medio tempore molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Assisii, vij kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 248, n[is] 237[a] et 238. Restant fila cannab. Neutrum, ut videtur, provenit ex Archivo Univers. — *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 257. Vide supra ad n[os] 222 et 224.

1. Id est usque ad 15 Augusti 1254.

---

226. *Innocentius IV de eadem re episcopis Adamo Silvanectensi et Johanni Ebroicensi.*

1253, Augusti 26, Assisii.

Innocentius episcopus venerab. fratribus .. Silvanectensi et .. Ebroicensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Excelsi dextera, *etc.*, *mutatis mutandis*, *sicut in*

praecedentibus litteris cum adjuncto in n° 223, *desunt nonnisi verba* aut excommunicari. Dat. Assisii vij kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris L. 248, n[is] 237[b] et 239. Supersunt fila cannab.

---

227. *Innocentius IV scholaribus Cisterciens. Ord. Parisiis studentibus privilegia fratrum Minorum et Praedicatorum ibidem commorantium concedit.*

1254, Januarii 28, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. fratribus Cisterciensis Ordinis scolaribus Parisius apud Sanctum Bernardum in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Ne studium vestrum inutile, si non proveniret exinde fructus aliquis, videatur, presentium vobis auctoritate concedimus, ut in predicando publice, si fueritis requisiti, et legendo ordinarie in theologia, cum licentiati fueritis, non obstante quod estis monachi, illa qua fratres Minores et Predicatores illic morantes utuntur omnimoda utamini libertate. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani v kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

Duo originalia in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/257. Deest bulla. In aversa membrana unius solum: « R. cccj capitulo anno xj ». Revera occurrit in Reg. Vat. Innocentii IV an. 11 ep. 401, fol. 51. In Arch. départ. de l'Aube l. c. invenitur insuper haec bulla in apographo coaevo. — D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 364. Gregorius X, iiij id. Jul. an. 1 (1272 Jul. 12), iisdem verbis idem privilegium renovavit. Cf. Felibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 161. — Primus magister theol. Parisiis ex Ord. Cisterc. fuit fr. Guido, abbas de Elemosina, de quo infra n[is] 229, 264.

---

228. *Innocentius IV episcopum Lingonensem privilegii in praecedentibus litteris Cisterciensibus Parisiis studentibus concessi conservatorem constituit.*

1254, Januarii 28, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Lingonensi salutem et apostolicam benedictionem. Ne studium dilectorum filiorum .. fratrum Cisterciensis Ordinis scolarium Parisius apud Sanctum Bernardum in theologica facultate studentium, inutile, si non proveniret exinde fructus aliquis, videatur, auctoritate litterarum nostrarum sibi duximus concedendum, ut in predicando publice, si fuerint requisiti, et legendo ordinarie in theologia, cum licentiati fuerint, non obstante quod sunt monachi, illa utantur, qua fratres Minores et Predicatores illic morantes utuntur, omnimoda libertate. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non permittas eos contra concessionis nostre tenorem super hiis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi, vel interdici aut conveniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum. Dat. Laterani v kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/257. Deest bulla plumbea. Insuper ibid. in transcripto coaevo. — In

Reg. Vat. Innocentii IV an. 11 ad ep. 401, legitur tantummodo : « .. Episcopus Lingonensis datus est eis super hoc conservator, non obstante, si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut conveniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum ». — D'Arbois de Jubainville, *Études, etc.*, p. 364.

---

229. *Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi scribit, ut fratri Guidoni Ord. Cisterc., si dignus sit, et aliis ejusdem Ordinis Parisiis studentibus licentiam suo tempore largiatur.*

1254, Januarii 28, Laterani.

.. Cancellario Parisiensi. Ut fratres Cisterciensis Ordinis scolares Parisius apud Sanctum Bernardum ejusdem ordinis in theologica facultate studentes eo potius sedeant studio, quo se per ascensum ad magistralem cathedram si bene profecerint se sciverint honorandos, discretionem tuam rogamus attentius et hortamur per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus accommoda interpretatione considerans, quod id non ob aliud petitur, nisi ut per hoc ad melius studendum animi studentium excitentur, quodque idem ordo eo fit celebrior, quo famosiores clerici fuerint in eodem : dilecto filio fratri Guidoni, si dignus est, et aliis ibidem studentibus, cum ad id fuerint idonei, incipiendi et regendi non obstante quod religiosi sunt in facultate predicta licentiam prout ad te pertinet sine difficultate qualibet largiaris[1]. Dat. Laterani v kal. Februarii, anno xj.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 11, ep. 402, fol. 51ª. In Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/257 invenitur apographum utique coaevum.

1. Sicut ex doc. nº 264 infra edito videmus, fr. Guido non Parisiis sed in curia Romana examinatus est et licentiam regendi obtinuit.

---

230. *Litterae Universitatis Parisiensis ad praelatos ecclesiae et scholares universos, quibus ordines religiosi, imprimis fratres Praedicatores, incusantur.*

1254, Februarii 4, [Parisiis].

Reverendis in Christo patribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, necnon capitulis et scolaribus universis universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem in Domino sempiternam. Excelsi dextera paradisum voluptatis olym plantavit Parisius venerandum gignasium litterarum, unde sapientie fons ascendit, qui in quatuor facultates, videlicet theologiam, jurisperitiam, medicinam, necnon rationalem, naturalem, moralem philosophiam quasi in iiij^or paradysi flumina distributus per quatuor mundi climata derivatus universam terram irrigat et infundit, ex quo quam multifarios, spirituales ac temporales profectus christiana professio experitur, luce clarius patet cunctis. Huic venerando et salubri gignasio quondam prefuere magistri, viri reverendi vita et doctrina clarissimi, mente religiosi, omnes tamen degentes in habitu seculari, qui processu temporis crescente numero auditorum, sicut oportuit, ampliati, ut liberius et tranquillius vacare possent studio litterali, si quodam

essent juris specialis vinculo sociati, corpus Collegii sive Universitatis cum multis privilegiis et indultis ab utroque principe sunt adepti[1], sub quorum doctorum felici regimine vernans studium memoratum in flores pullulavit pulcherrimos et fructus fecit uberrimos honestatis, illa precipue ratione, quia sicut nec habitu nec professione diversi : ita nec studiis erant nec votis adversi, scientes quod aque Syloe vadunt cum silentio et quiete. Novissime autem diebus nostris quidam viri regulares, qui fratres Predicatores dicuntur, Parisius in parvo numero viventes sub quadam pietatis ac publice utilitatis specie subingressi una nobiscum theologie studium ferventer et humiliter sunt aggressi[2], propter quod a majoribus nostris et nobis benigne recepti, sincere caritatis brachiis amplexati, in domo nostra propria, in qua usque hodie commorantur, quam eis ad inhabitandum concessimus[3], hospitati, alimento tam doctrine quam corporali diligentius educati, plurimisque beneficiis nostris et antecessorum nostrorum potiti, per ingressum scolasticorum nostrorum in scientia simul et in numero adeo sunt dilatati, quod jam ubique terrarum per multa collegia sunt dispersi[4]. Ceterum cum ab initio sue institutionis elegissent in humilitate perfecta Christo Domino famulari, consequenter nescimus quo ducti spiritu contra evangelicam perfecte humilitatis quam fuerant professi regulam (qua dicit Dominus ad perfectos : « Nolite vocari Rabbi », et paulo post : « Ne vocemini magistri », in primo magisterii prohibens appetitum, in secundo magistri etiam interdicens vocabulum) honorem sollempnis magisterii et magistrorum cathedras ambientes, tamen propter quandam atrocem injuriam et famosam nobis illatam translata majori parte studii Parisiensis Andegavis, in illa paucitate scolarium, que remansit Parisius, desiderio suo potiti, conniventibus episcopo et cancellario Parisiensibus, qui tunc erant, in absentia magistrorum sollempne magisterium et unam magistralem cathedram sunt adepti[5]. Deinde studio nostro apostolica provisione Parisius reformato, per eandem cathedram multiplicatis sibi doctoribus successive preter voluntatem cancellarii qui tunc erat, majoribus nostris, qui nondum aliis regularium scolasticorum conventibus arctabantur, dissimulantibus, per seipsos secundam cathedram erexerunt, et eas ambas talibus titulis acquisitas aliquandiu tenuerunt. Porro tempore procedente considerantes majores nostri diversarum religionum vj collegia, videlicet fratres Clarevallenses[6], Premonstratenses[7], de Valle-Scolarium[8], de Ordine Trinitatis[9], fratres Minores[10], preter alios regulares apud nos collegia non habentes, causa discendi sacras litteras Parisius convenisse, et in eis quosdam usque ad cathedram profecisse : alios vero nondum competenter provectos ad cathedras magistrales, secundum quod et ipsi asserunt, processu temporis aspirare; considerantes etiam, canonicos ecclesie Parisiensis, quorum tres apud nos in eisdem litteris sunt regentes, numerum suum secundum quod eis persone suppetunt juxta morem ecclesie sue multiplicare consuevisse; attendentes nichilominus, statum civitatis et honestatem theologice facultatis secundum statutum apostolicum[11] a cancellario Parisiensi et a singulis magistrorum theologie juratum vix posse in eadem facultate xij

cathedras sustinere propter scolarium apud nos in theologia studentium raritatem, cum jam in civitatibus et aliis locis majoribus universis per fratres eosdem et alios non sine grandi periculo dicte littere doceantur : luce clarius previderunt quod, postquam ex illis xij novem[12] cathedre, sicut in promptu est, a predictis collegiis irrevocabiliter fuerint occupate, que propter fratrum regentium successionem continuatam ad seculares magistros nunquam deinceps revertentur, due aut tres dumtaxat poterunt superesse, que personis secularibus ex omni regione que sub celo est ad studium Parisius confluentibus valeant reservari. Quod si forsan contingeret, memorata collegia sibi ad instar fratrum Predicatorum cathedras geminare, cum juxta consequentiam premissorum jam essent in Universitate nostra schole theologie xv immortales, inevitabiliter sequeretur seculares scolasticos universos, canonicis Parisiensibus duntaxat exceptis, a theologie cathedris Parisiensibus fore in sempiternum exclusos, propter quod necesse haberemus civitatem Parisiensem studiis nostris aptam et a multis retroactis temporibus multis et magnis sumptibus nostris aptatam propter supervenientes regulares deserere, et ad loca minus ydonea non sine dampnis plurimis transmigrare, vel a sacrarum litterarum penetralibus alieni passim omnes ad seculares scientias convolare. Nos igitur diligentius attendentes sacrarum eminentiam litterarum magis necessariam esse secularibus clericis, qui ad curam animarum et ecclesiarum regimen frequencius evocantur, quam regularibus viris, qui ad ea rarius promoventur; attendentes etiam, quantum intendat scolaris studio si se speret quandoque ad docendi cathedram perventurum : diligenti deliberatione prehabita duximus statuendum ut nullus regularium conventus in collegio nostro duas simul sollempnes cathedras habere valeat actu regentium magistrorum[13], non intendentes per hoc statutum eos arctare quominus liceat eis inter fratres suos extraordinarios multiplicare sibi lectores, secundum quod sibi viderint expedire. Cui statuto fratres Predicatores totis viribus resistunt, et adhuc soli[14] quantum in ipsis est renituntur[15].

Super transacta vero Quadragesima [cum] propter interfectionem, vinculationem et alias atroces injurias a custodibus Parisiensibus communibus scolaribus nostris illatas in magna cordis angustia constituti juxta quandam ordinationem sedis apostolice nobis indultam[16], obligationem quandam ad invicem faceremus de prefatis injuriis secundum Deum et justitiam, quatenus unicuique salva regula vel ordine suo liceret et etiam sine labore proprii corporis, non singulorum sed Universitatis nomine, si forte contingeret justitiam secularem nobis deficere, prosequendis memorati magistri Predicatorum apud nos tunc regentes dicte obligationi nostre consentire minime voluerunt, nisi sub ea conditione ut sub sigilli nostri communis testimonio duas eorum ordini scolas concederemus perpetuas in theologie collegio magistrorum, quod eis concedi non poterat, obstante statuto nostro superius annotato; nec de scolis eorum vel nostris tunc agebatur, sed magis de prefatis injuriis amovendis. Unde predicte obligationi sepe dicti fratres pertinaciter resistentes, eam per suam rebellionem vij hebdomadis protraxerunt, propter quod securitate

nostra dilata diutius nos cessare oportuit a legendo. Qua tandem obligatione illis renitentibus consummata statim secuta est ad nostram securitatem in posterum dictarum injuriarum emenda[17]. Ceterum adhuc ipsa emenda pendente, ne similem rebellionem in aliquibus magistrorum experiremur imposterum, unanimiter duximus statuendum ut nullus decetero magister admittatur ad collegium magistrorum, nisi prius juraverit statuta nostra licita et honesta et nobis utilia se firmiter servaturum. Insuper obligationibus nostris licitis et honestis ac nobis expedientibus, precipue ex tenore privilegiorum nostrorum vigorem habentibus se concorditer consentire, ut juxta verbum Augustini non sit pars turpis suo non congruens universo. Cui etiam statuto licet postea in favorem illorum clausulam istam vellemus inserere : « dum tamen michi qui regulam fratrum Predicatorum profiteor, dicta statuta secundum eandem regulam non sint illicita nec inhonesta, nec saluti animarum contraria, nec juri divino aut humano seu etiam publice utilitati adversa, nec sancte Dei ecclesie sint dampnosa », nichilominus tamen suum renuerunt prestare consensum, nisi sub conditione predicta de duabus scolis perpetuo concedendis, propter quam conditionem ratione jam dicta non acceptatam a nobis eidem statuto, quantum in ipsis fuit, pertinaciter restiterunt et adhuc renituntur. Porro cum propter hujusmodi rebellionem contumaciamque juxta tenorem ordinationis sedis apostolice[18] supradicte per elapsum xv dierum spatium excommunicationis sententiam incurrissent, nos propter eorum excommunicationem in rebelliones predictas eos et eis adherentes a nostro consortio sicut moris est separantes, ipsam eorum separationem juxta morem nostrum per universas scolas fecimus publicari. Propter quod totus fratrum Predicatorum Parisiensis Conventus antique humilitatis sue et beneficentie nostre oblitus contra verbum apostoli dicentis : « Obsecro vos fratres ut digne ambuletis ea vocatione qua vocati estis in omni humilitate et mansuetudine », et alibi : « Beneficencie nolite oblivisci », adversus Universitatem nostram patronam suam, prout ipsi diffiteri non auderent, calcaneum erigentes personas majorum nostrorum graviter diffamantes, persecutores eos esse sanctimonie ac totius religionis falso ac procaciter asserentes, tandem in personarum nostrarum pericula machinantes illustri comiti Pictavensi, regni Francie tunc rectori, assistentibus ei curie sue proceribus multis, et magistrorum nostrorum ad hoc vocatis presentibus, per excogitatam malitiam suggesserunt, nos statuta contra Deum et universalem ecclesiam edidisse, necnon conspirationes illicitas contra domini regis honorem et regni commoda, quod absit, perpetrasse : cum tamen nichil penitus, nisi que supra dicta sunt, fecerimus, quod et ipsi una nobiscum, sub conditione tamen prescripta, quantum in ipsis fuit facere obtulerunt. Nec dum nostris calamitatibus satiati ad sedem apostolicam accedentes et apud dominum papam et dominos cardinales majores nostros, ut intelleximus, graviter diffamantes, causas sue separationis omnino tacentes, nullo ex parte nostra ibi presente, per exquisita precum mendacia quasdam litteras surreptitias a domino papa per importunitatem suam, ut intelleximus, ad venerabilem patrem Ebroi-

censem episcopum extorserunt[19], per quas (licet ob reverentiam apostolice bulle et ad preces domini comitis Pictavensis predicti et ad evitandum eis scandala plurimorum, qui de ipsorum insolentiis obstupescunt, benigne vellemus eos ad consortium nostrum resumere, salvis dumtaxat statutis nostris predictis, donec saltem dominus papa illis plenius cognitis aliter duceret ordinandum) ipsi nichilominus mediante quodam executore suo a memorato episcopo ad instantiam eorum subdelegato, videlicet magistro Luca[20] Parisiensi canonico, sibi propitio nobis autem omnino adverso (nobis nunquam in judicium evocatis, nunquam ad deffensionem nostram auditis, non sufficienter monitis, exceptionibus nostris et falsitate precum et aliis plurimis extra judicium, sicut potuimus coram Deo, propositis, non admissis, post appellationem legitimam ex hiis gravaminibus et aliis multis causis interpositam, pendente nichilominus citatione qua nos fecerunt citari ad tribunal summi pontificis per quandam litteram secundo a sede apostolica ad eundem judicem impetratam[21]) omnes magistros et singulos omnium facultatum, omnes auditores etiam theologie, juris et medicine sine ulla cause cognitione, juris ordine pretermisso, de facto, cum de jure non potuerant, fecere suspendi, et ad majorem nostri et totius cleri contumeliam per ecclesias parrochiales civitatis Parisiensis in presentia omnium laicorum et grave scandalum eorundem una die dominica publicari. Ad hec ad majorem presumptionis sue cumulum, cum propter novos supervenientes scolares facti seriem ignorantes memoratum separationis edictum cum sua declaratione faceremus per universas scolas iterato per publicos servientes nostros, quos bedellos nominamus, sicut moris est, publicari, cum ad scolam unam ipsorum fratrum dicti famuli pervenissent uno illorum incipiente legere cartam edicti, multitudo fratrum ibidem existentium cum magna vociferatione et strepitu in ipsos famulos irruentes, post multas contumelias cartam edicti de legentis manibus rapientes ruperunt, et alio famulorum pulsato, tertium usque ad effusionem sanguinis percusserunt, et sic eos turpiter repulerunt. Tandem eis ad rectorem Universitatis nostre cum eventus sui revelatione reversis, rector assumptis sibi tribus magistris artium ad eandem scolam accedens, cum idem edictum in alia carta scriptum legere conaretur, iidem fratres insurrexerunt in ipsum, et multis contumeliis affecerunt. Demum imponentes ei quod armatus venisset, ad hoc investigandum personam ejus propriis manibus palpitabant, donec dictus rector innocentiam suam volens ostendere, cappa sua reversata usque ad collum, monstravit coram omnibus se inhermem, et sic manus eorum evadens infecto negotio remeavit. Necdum autem iniquitatibus Amorreorum completis memorati fratres ad fraudis, ne dicamus falsitatis, machinamenta se nequiter convertentes, ab executore suo predicto[22] quandam litteram extorserunt per errorem ipsius, ut asserit, non sine falsitatis vitio, continentem, quosdam magistros et scolares nostros nominatim usque ad numerum quadraginta in ejusdem presentia consensisse prenunciatos fratres apud nos quondam regentes ad nostrum consortium et magistrorum collegium admittendos. Quam siquidem litteram quibusdam nostrum, ut eos ad exemplum

predictorum sibi allicere et ab Universitatis nostre consensu occulte discedere provocarent, per occulta conventicula ostendebant, et hoc modo inter nos dissensiones et scismata procurabant, donec eadem littera per quendam nostrum Domino procurante nobis allata et in publico recitata, illis, quorum nomina erant inscripta, de tanta falsitate commotis ac ipsum factum obnixe negantibus, dictus executor hoc audiens nimio rubore confusus in detestationem prefate littere sigillum suum mediante securi confregit, et partem ejusdem sigilli confracti rectori nostro ad proprie contristationis ostensionem et penitudinis destinavit, necnon ad petitionem quorundam in dicta littera contentorum litteras suas contrarium asserentes timore correptus eisdem concessit, sigillo curie Parisiensis, cum nondum sigillum proprium haberet, sigillatas, quas cum priori littera supradicta ad ostendendum loco et tempore penes nos observamus[23]. Diffamationes et detractiones, quas contra nos et precipue contra majores nostros tam in sermonibus suis publicis, quam in privatis facere non verentur, non possumus sub breviloquio explicare. In quibus omnibus supradictis non sine gravi jactura sumus experti veritatem illius vulgaris proverbii : « Mus in pera, serpens in sinu, ignis in gremio, male suos remunerat hospites », Salomone dicente : « Qui in sinu suo serpentem nutrit, percutietur ab eo », necnon in veritatem Hispalensis Concilii, ubi dicitur : « In uno eodemque officio diverse professionis homines esse non debent; quod etiam in divina lege prohibetur dicente Moyse : Non arabis in bove simul et asino, quod est : diverse professionis homines in uno simul officio non sociabis ». Et infra : « Non coherere sibi nec conjungi possunt, quibus fuerint studia et vota diversa[24] ». Ne igitur quidam de fratribus, qui apud omnes ecclesias sunt dispersi, causam forte fratrum suorum Parisiensium ad aures hominum justificare volentes, veritatem gestorum aliena narratione valeant obfuscare, nos publica universalis ecclesie utilitate inspecta non propter nos tantum sed propter quedam majora, que imminent, cupientes dictam veritatem omnibus notam esse, predictorum summam, colligendo breviter terrores et oppressiones, et alia inopinata gravamina, que nobis ingerunt insolenter (pretermissis ad presens plurimis que nobis per *laicorum potentiam*, quos sibi miris modis alliciunt, moliuntur), discretioni vestre, patres et domini reverendi, presentium tenore duximus intimanda, quatinus, qui divine providentie clementia patres estis, aliquando vos fuisse filios recolentes nobis nunc filiis paterno affectu compatiamini, et predicte insolentie quid pretendant, quantaque pericula secutura immineant, diligenter ac perspicaciter attendentes, presertim qui dati estis speculatores domui Israel, speculas ascendentes perspiciatis et contemplemini, et si expedire videritis, modis quibus secundum Deum poteritis providere curetis, ne concusso ecclesie fundamento, quod Parisiense studium esse dinoscitur, consequenter corruat ipsum edificium improviso. Nam qui demoliendo a fundamentis incipit, nulli profecto dubium derelinquit, quod totum edificium auferre intendit. Data Parisius in ecclesia S. Juliani Pauperis, et lecta ibidem in presentia magistrorum omnium facultatum, omnibus magistris ad hoc specialiter evocatis,

anno Domini MCCLIII, die mercurii proxima post festum Purificationis beate Marie virginis.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 49^{b}. Deest in Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876. — Bibl. Collegii Corp. Christi Cantabrigiae, ms. 107, p. 109. Cod. Archiv. Univers. Paris. 94, p. 104. Bibl. Carnot., ms. 662 (Cod. Harcur), fol. 94^{b}. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 9950, fol. 1, ex cod. membran. nat. Picard, fol. 101. Bulaeus, III, 255.

1. Cf. Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 67 sq. — 2. Vide supra n°s 34, 36, 44. Paris. 9950 « utiliter » pro « humiliter ». — 3. Supra n° 42. — 4. Praeter studia particularia cap. generale ordinis paucis abhinc annis quatuor studia generalia constituere proposuit (supra n° 179). — 5. Cf. supra not. ad n^{um} 34. — 6. Cf. imprimis supra n°s 146, 148. — 7. Supra n° 214. — 8. Supra n° 65. — 9. Supra n° 63. — 10. Supra notam ad n^{um} 37. — 11. Cf. supra n°s 5 et 27. — 12. Sex collegia supra nominata isto tempore septem tantum cathedras magistrales habebant. Ex aliis ordinibus, qui adhuc non habebant collegium Parisiis, possum tantum fr. Galdericum Cluniacensem nominare, qui saltem an. 1259 ut magister in Universitate legebat, sicut patet ex litteris Alexandri IV Jun. 24 ejusdem anni. In ipsis praeterea mentio fit trium magistrorum in theologica facultate Paris. saecularium, minime canonicorum eccl. Paris., qui fuerunt amici duorum ordinum Praedicatorum ac Minorum. Cum autem accusatores praedictorum ordinum praesertim saeculares magistri theologiae Paris. exstiterint, isto tempore utique plures quam tres cathedras theologicas magistri saeculares in Universitate Paris. occuparunt, quod et ex *Responsionibus* Guillelmi de S. Amore (*opp*. ed. Constantiae, p. 103) liquet; proindeque veritati minime concordat sententia supra relata : duae aut tres dumtaxat cathedrae poterunt superesse personis saecularibus. — 13. Supra n° 200. — 14. Salimbene narrat in suo *Chron.*, ministrum gen. Minorum, Johannem de Parma, orta discordia, congregasse Universitatem et praedicasse tam scholaribus quam magistris, seque ac fratres suos disciplinae et correctioni eorum exposuisse. Quo audito « omnes acceperunt satisfactionem et quievit spiritus eorum, quo tumescebant contra fratres ». Cod. Vat. 7260, fol. 138; abbrev. in ed. Parm., p. 129 sq. Revera pendente ista contentione saltem duobus annis prioribus fratres Minores raro nominantur a magistris Paris., semper tamen fratres Praedicatores, sicut et Alexander IV infra n° 246 sqq. nonnisi duorum magistrorum Praed. mentionem facit. — 15. « et ... renituntur » om. Cod. Univ. 94, Cod. Harcur et reliqui mss. praeter Vat. — 16. Supra n° 79. — 17. Supra n° 219. — 18. Supra n° 20. — 19. Supra n° 223; non mentionem faciunt litterarum ad ipsos directarum (n° 222). — 20. Iste canonicus in *Cartul. blanc de Saint-Denis*, in Arch. nat. Paris. LL. 1157, p. 274 sq., saepe nominatur. — 21. Supra n° 224; iterumque silentio praetereunt litteras secundo ad ipsos directas (n° 225). — 22. Episcopo Ebroicensi scilicet. — 23. Hoc docum., quod non levis momenti esset, nusquam potuit reperiri. — 24. Verba sunt ex Concil. Hispal. II an. 619 celebrato desumpta (c. 9), et referuntur a *Gratiano*, Causa 16, qu. 7, c. 22.

---

231. *Statutum universitatis magistrorum artium Paris. contra eos, qui pro impensis in causa contra fratres Praedicatores factis pecuniam conferre renuebant, et in futurum renuere voluissent.*

1254, Februarii 26, [Parisiis].

Universis presentibus pariter et futuris nos universitas magistrorum arcium Parisius studentium notum facimus, quod cum pro bono communi et necessitate studii Parisiensis fuerit a tota Universitate Parisiensi ordinatum, quod singuli magistri et scolares cujuscunque facultatis expensas unius septimane, quod vulgariter bursa nuncupatur, pro debitis Universitatis nostre, pro privilegiis impetratis et aliis negociis dicte Universitatis nostre multis et multipliciter procuratis hactenus contractis, et pro vocatione seu citatione, qua summus pontifex Universitatem nostram ad sedem apostolicam ad instanciam fratrum Predicatorum vocavit[1], contribuerent, magistrique omnium facultatum et scolares nostri dictam contributionem persolverint, paucis admodum exceptis, qui animo impudenti et obstinato tam maliciose quam indebite nobis rebelles dictam contributionem cum magistris et cum discipulis suis facere non curant, pluries ut decuit requisiti : ne ex malicia sua commodum aliquod reportare vel magistris seu conscolaribus suis liberiores effici

videantur, ordinamus et statuimus, ut quilibet scolaris noster dictam rebellionem suam infra octo dies post brandones emendare ac ad unitatem nostram redire non curaverit, extunc ad nullum gradum in collegio seu consorcio nostro valeat promoveri, utpote quod nec ad respondendum de novo de sophismate seu questione, nec ad examinationem ad optinendum licenciam determinandi vel regendi ab examinatoribus a nobis ad supradicta deputatis, nec ad consorcium determinantium vel magistrorum, si fuerit ad hoc licenciatus, aliquatenus admittatur. Quod ut firmius observetur, ordinamus et statuimus, quod decetero nullus magister aliquem scolarem ad respondendum de novo de sophismate vel questione vel ad determinandum in scolis suis admittat, vel ad optinendum licenciam determinandi seu legendi Parisius presentet, vel ejus principium teneat, vel nomine nostro ad optinendum licenciam determinandi vel legendi Parisius examinet, vel procurator seu rector diem ad incipiendum licenciato assignet, nisi scolaris ille prius fidem dederit corporalem, quod a predicta rebellione sit immunis, et quod si de ea inventus sit culpabilis, modo supradicto puniatur, nisi congrua satisfactione coram magistris quatuor nationum ad arbitrium eorum vel deputatorum ab eis premissa graciam magistrorum optineat, quod more aliorum valeat promoveri. Hoc autem statutum fide et juramento singulorum magistrorum nostrorum vallatum, et ad hujus testimonium sigillis quatuor nationum sigillatum volumus firmam et inviolabilem habere firmitatem, quousque inde ex causa rationabili duxerimus revocandum, salvo tamen jure cujuslibet et in quolibet. Actum anno Domini MCC quinquagesimo tertio, die jovis ante brandones.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 18. f. Desunt quatuor sigilla. — Jourdain, nº 108.

1. Supra nº 225.

232. *Innocentius IV provisori et monachis S. Bernardi in Cardineto Paris. Cisterc. Ord. jus patronatus in medietatem ecclesiae de Roderham Eboracensis dioecesis a Johanne de Lessington domino de Eston concessum confirmat.*

1254, Februarii 28, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. provisori et monachis loci qui dicitur Beati Bernardi in Cardineto Parisiensis Cisterciensis Ordinis. Affectu sincero sic vestri ordinis decus et decorem diligimus, quod super omnibus spectantibus ad ipsius honorem et comodum nos benignos et benivolos exhibemus. Sane sicut lecta coram nobis vestra petitio continebat, dilectus filius nobilis vir Johannes de Lexinton dominus de Eston jus patronatus, quod in medietate ecclesie de Roderham Eboracensis diocesis obtinebat, pia et provida liberalitate vobis et per vos loco vestro contulit, prout in patentibus litteris confectis exinde dicitur plenius contineri[1]. Nos itaque obtentu dilecti filii nobilis viri A.[2] comitis Pictavensis, qui terrena pro celestibus pie cupiens commutare, dictum locum de propriis bonis suis fundasse dicitur, et super hoc apostolicam gratiam per affectuosas litteras imploravit, vestris supplicationibus inclinati, quod a prefato domino de

Eston super hujusmodi collatione dicti juris patronatus factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, defectum qui ex eo super hoc est habitus, quod venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi[3] et dilectorum filiorum capituli Eboracensis non intervenit assensus, supplentes de[4] plenitudine potestatis. Nulli ergo, *etc.*, nostre confirmationis et suppletionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani ij kal. Martii anno xj.

Reg. Vat. Innoc. IV an. 11, ep. 482, fol. 61^{b}. — Felibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 160.

1. D'Arbois de Jubainville, *Études, etc.*, p. 366, n. 1, ait donationem dom. Johannis de Lessington esse datam 1249, Jul. 18, et in Arch. départ. de l'Aube servari apographum istius donationis. Huc usque vero hoc doc. ibi reperire non potuimus. — 2. Alphonsi. Cf. supra n°s 220-221. — 3. Gualteri Gray. — 4. In n° 230 (orig. litt. conservatoriae) additur « nostre ».

---

233. *Decanus ecclesiae Lincoln. conservator de eodem negotio constituitur.*

1254, Februarii 28, Laterani.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. decano ecclesie Lincolnien. salutem et apostolicam benedictionem. Affectu sincero sic Cistercien. Ordinis, *etc. sicut supra* n° 232, *mutatis mutandis usque* potestatis. *Deinde :* Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos provisorem et monachos non permittas super hiis contra confirmationis et suppletionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, nisi de indulto hujusmodi sibi concesso plene et expressa seu de verbo ad verbum in nostris litteris mentio habeatur. Dat. Laterani ij kal. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/257. Deest bulla. In aversa membrana « R̸. cccclxxxij capitulo anno xj ». Sed in Reg. Vat. an. 11, ep. 482, ad litteras praecedentes tantum breviter annotatur decanum ecclesiae Lincolniensis conservatorem de eodem negotio nuncupatum fuisse. — Eadem die Innocentius provisori et fratribus Beati Bernardi permisit, ut « de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo hii quibus ipsorum restitutio fieri debeat nequeant inveniri, necnon de quibuslibet legatis in pios usus relictis, redemptione votorum Jerosolimitanorum dumtaxat excepta, usque ad ducentas marcas argenti recipere valeant ». Arch. départ. de l'Aube, apographum quod *vidimus* dicitur, an. 1254, 3H/257.

---

234. *Innocentius IV concedit provisori et in theologica facultate studentibus Cisterc. Ordinis ad S. Bernardum Paris. ut eorum novitios et conversos post probationis tempus ad professionem admittere possint.*

1254, Martii 12, Laterani.

.. Provisori et monachis constitutis in loco qui dicitur Beati Bernardi Parisiensis Cisterciensis Ordinis in theologica facultate studentibus. Dudum personas vestras et locum in quo sub observantia regulari degitis desudantes theologie studio sub beati Petri et nostra protectione affectu benivolo admittentes, vobis prout asseritur de gratia speciali

concessimus ut privilegiis et libertatibus Ordini Cisterc. ab apostolica sede concessis sicut ceteri fratres ejusdem ordinis gaudeatis[1]. Ut autem hujusmodi vestrum augeatur gaudium si pro voto vestra sinceritas favorem in nobis inveniat graciosum, nos vestre precibus devotionis inducti, ut vestros novitios[2] et conversos post decursum legitimum probationis tempus secundum generalem observantiam ejusdem ordinis ad professionem recipere valeatis, maxime cum id dilectis filiis abbati et generali capitulo Cistercii sicut ex eorum litteris nobis super hoc directis accepimus placeat, vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani iiij id. Martii, anno xj.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 11, ep. 520, fol. 71.

1. Supra nos 157, 192. — 2. In cap. generali ejusdem anni legitur : « Mandatum dom. pape. . ., quod apud S. Bernardum Parisius novitii recipiantur et ibidem secundum formam ordinis profiteantur, approbat et gratum habet hoc capitulum generale ». Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1402, no 2.

---

235. *Innocentius IV deplorat totam clericorum multitudinem ad audiendas saeculares leges concurrere, adhibet remedia contra hunc morbum statuitque ne in Francia, Anglia, Scotia, Wallia, Hispania, Hungaria leges saeculares legantur.*

1253, Oct. 12-1254, Aprilis 27, Romae.

Innocentius quartus omnibus prelatis in regno Francie, Anglie, Scotie, Wallie, Hispanie, et Hungarie constitutis. Super specula. *Et infra*[1]. Dolentes recolimus, qualiter quondam pia ac sancta clericorum plantatio, sue prime honestatis oblita, a summo sanctitatis culmine ad ima descendit vitiorum. Crebris quippe relatis aures nostras abhorrenda fama circumstrepit et inculcat assidue, quod relictis quinimmo procul et abjectis philosophicis disciplinis, ut ad presens de divina scientia taceamus, tota clericorum multitudo ad audiendas seculares leges concurrit, et, quod magis est divini animadversione dignum judicii, nunc in plerisque mundi climatibus ad ecclesiasticas dignitates, honores, vel prebendas nullus assumitur a prelatis, nisi qui vel secularis scientie professor vel advocatus existat, cum tales a talibus, nisi alia suffragarentur eisdem, essent potius repellendi, maxime cum philosophie alumpni, in ejusdem gremio tam tenerrime educati, tam diligentissime imbuti, tam excellentissime promti et edocti, pre victus et vestitus penuria conspectum hominum cogantur fugere, huc[2] et illuc tanquam noctue latitantes : et advocati nostri, immo diaboli, equis faleratis purpurati insidentes in fulgore auri, in candore argenti, in nitore gemmarum, in olosericis, stupentem reverberantes solem, se non Crucifixi vicarios sed heredes Luciferi pretendentes, quocunque ingrediantur de se spectaculum facientes, laicorum indignationem et odium contra se, immo, quod magis est dolendum, contra totam Dei ecclesiam provocant et incurrunt. Dicunt enim laici : « Ecce homines qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed in multitudine divitiarum suarum

gloriantur », quod animorum elationes et gestus incompositi satis comprobant et ostendunt. Videtur siquidem adimpletum, quod pagani presagio oculi fuerat figuratum:

Omnia nature prepostera legibus ibunt[3].

Non sic habenda fides. Nec mirum. Servit enim Sara, et Agar imperat. Affliguntur liberi, et servi optinent principatum. Volentes igitur tante insolentie morbo necessariam adhibere medelam, ut plenius et perfectius theologie studio insistatur, que directe iter ostendit salutis, vel saltem philosophicis disciplinis, que, etsi pietate careant, tamen dirigunt ad sciendum et cupiditatis reddunt extorrem, que et omnium malorum radix et idolorum servitus perhibetur: hac irrefragabili constitutione statuimus, ut nullus decetero secularium legum professor seu advocatus, quocunque in legum facultate singularis gaudeat preminentie privilegio speciali, ad ecclesiasticas dignitates, personatus, prebendas, seu etiam minora beneficia assumatur, nisi in aliis liberalibus disciplinis sit expertus, et vita et moribus commendatus existat, cum per tales et ecclesie deturpetur honestas, et sanctitas exulet, et fastus et cupiditas ita regnent, quod in cunctis sui lateribus gravem dolorem sentiat mater ecclesia, admirandis ulceribus sauciata. Si qui vero prelatorum contra hoc statutum salubre presumptione dampnabili aliquid attemptaverint, factum suum noverint ipso jure [irritum] et se illa vice potestate conferendi privatos; et si presumptionem iteraverint, penam divortii a prelaturis suis poterunt formidare. Preterea, cum in Francie, Anglie, Scotie, Wallie, Hispanie, et Hungarie regnis cause laicorum non imperatoriis legibus, sed laicorum consuetudinibus decidantur, et cum ecclesiastice sanctorum patrum constitutionibus valeant terminari, et tam canones quam consuetudines plus confundantur legibus quam juventur, precipue propter nequitiam: fratrum nostrorum et aliorum religiosorum consilio et rogatu statuimus, quod in predictis regnis leges seculares decetero non legantur, si tamen hoc de regum et principum processerit voluntate; primo tamen statuto semper et irrefragabiliter in suo robore[4] duraturo. Datum Rome.

Matth. Paris. *Chron. maj.*, ed. Luard, VI (Additamenta), p. 293. — Bulaeus, III, 265. — Matth. Paris hanc epistolam refert ad an. 1254 (vide V, 429 sq.); at intervallo tantum supra indicato istius anni Innocentius Romae (Laterani) residebat. Dubitandum tamen, an haec constitutio sit authentica. Non respondet enim actioni ingenioque Innocentii, qui vel in curia vel extra eam studium juris civilis promovit, et adhuc anno 1254 « generale studium theologie, decretalium, decretorum atque *legum* in palatio suo, sicut ubique fecerat, ordinavit ». Nic. de Curbio apud Baluze, *Miscell.*, ed. Mansi, I, 205. Cf. Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 301, 303. Ipsum etiam dicendi ac scribendi genus in hac epistola minime cum genere ab Innocentio in suis epistolis adhibito congruit. Tandem ne vestigium quidem reliquit haec Constitutio tam generatim, quam in illis regionibus pro quibus maxime edita videtur. A nullo etiam, Matthaeo Parisiensi excepto, adducitur, cum tamen Constitutio *Super speculam* Honorii III (supra nº 32), quae ab omnibus allegatur, statim ubique executioni mandata sit, et Parisiis per aliquot saecula viguerit.

1. Haec verba sicut et forma inscriptionis atque finis epistolae nos edocent, Matth. Paris. hanc constitutionem sumpsisse ex quadam Collectione Decretalium, utique privata, simili illis in Bibl. Poson., Gratiouopolit., *etc.*, conservatis et a nobis saepe citatis. — 2. Luard : « hic ». — 3. Ovid., *Trist.*, I, 8, 5. — 4. Luard : « ordine ».

236. *Innocentius IV in gratiam capituli S. Quintini Noviomensis dioec. religiosorum privilegia quoad confessiones audiendas, sepulturas et alia diminuit.*

1254, Maii 10, Assisii.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. decano ecclesie Peronen. Noviomensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Lecta coram nobis gravis dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie Sancti Quintini in Viromandia Noviomen. diocesis querimonia continebat, quod licet in ipsa et aliis ecclesiis ad eos immediate spectantibus ad audiendas parrochianorum ipsorum confessiones deputaverint sacerdotes, qui egras mortalium mentes pia moderatione pro etate, sexu et viribus ad salutem perducere divina curatione noverunt, nichilominus tamen ipsi parrochiani irrequisitis eisdem sacerdotibus, immo potius dampnabiliter vilipensis ad quosdam religiosos velut apud ipsos resinam dumtaxat salutis invenerint se temere transferentes opertos eis peccatorum nudant morbos, iniquitatis revelant secretum, et virus vitiorum in confessione depromunt. Et quamquam iidem religiosi, cum non sint sui judices, ipsos non possint solvere vel ligare, ymaginaria tamen quadam absolutione ipsis illudere ac nostre peregrinationis postmodum conferre viaticum in suarum non verentur dispendium animarum. Ex quo illud inconveniens evenit, quod celerem sibi parrochianus talis dampnationem inducit, qui non dijudicans corpus Christi ipsum a labe sic suscipit criminum non mundatus, et sacerdos illi, apud quem pro tali parrochiano egroto animam suam defixit, non potest vultum ipsius ignorans dignam de illo reddere rationem, nec ei sue cure commissio salubria remedia parare[1], cum egritudinem suam ejusque circumstantias aliquatenus non agnoscat. Porro tamquam parum sit proprios taliter sacerdotes despicere, nisi eorum ecclesie pariter contempnantur, iidem parrochiani, sicut predictorum decani et capituli habebat assertio, cum in prefatis ecclesiis tam in officiis divinis quam sacre predicationis eloquiis aure devotionis vocem sui deberent suscipere sacerdotis ipsis ecclesiis contra sacrorum canonum statuta contemptis, ad eorundem religiosorum divertunt ecclesias, predicta officia inibi pro sue voluntatis arbitrio audituri. Propter quod ipsis nichilominus religiosis, qui tales deberent presumptores abicere, eos cum gravi aliorum jactura allicientibus et ut fertur inducentibus ad premissa, contingit predictos decanum et capitulum ac rectores ecclesiarum ipsarum solitis parrochianorum suorum oblationibus aliisque obventionibus multipliciter defraudari. Ceterum adjecerunt iidem decanus et capitulum, quod si parrochianorum suorum necnon ecclesiarum earundem contingat in egritudinis lectum quemquam decidere, statim confluunt religiosi predicti, et plerunque infirmum invitatione preventa sub pietatis specie visitantes ipsius testamentum componunt et ordinant, magno tandem ascribentes muneri, si executores mereantur ipsius fieri testamenti. Quid plura? Blandis ipsorum infirmus illectus sermonibus omissis avitis et paternis sepulcris apud eos eligens sepeliri ampla ipsis, predictis vero ecclesiis nulla vel modica, legata largitur, et ut ex hujusmodi legatis prefati decanus et capitulum ac rectores

predicti non possint ab eis canonicam exigere portionem, interdum ipsa ut creditur non sine fraudis comento ad fabricam et perpetuum divinum cultum suarum ecclesiarum relinqui procurant. Verum cum per hec et alias ab ipsis religiosis memoratis decano et capitulo et prefatis rectoribus multiplices irrogatas injurias ipsi mutilationem in suis beneficiis non modicam patiantur, fuit nobis ex parte ipsorum humiliter supplicatum ut molestiis et injuriis terminum dignaremur imponere supradictis. Nos itaque, qui cunctos Christi fideles et presertim regularis ordinis professores eo providentie studio gubernari cupimus, ut in eis curiosus etiam scrutator nichil inveniat nota dignum, ipsorum religiosorum fame, parrochianorum saluti, et predictorum decani et capituli et rectorum predictarum ecclesiarum profectibus salubriter providere volentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos parrochianos, ne contemptis predictis ecclesiis pro divinis audiendis officiis et recipiendis temporibus congruis ecclesiasticis sacramentis ad alienas accedant ecclesias, necnon et ipsos religiosos cujuscunque sint ordinis, ne in aliorum prejudicium parrochianos prefatos ad hujusmodi officia seu sacramenta recipiant nec confessiones audiant eorundem, nisi petita prius et obtenta licentia a sacerdote proprio juxta statuta Concilii generalis[2], nec etiam nisi apud eos ex devotione animi elegerint tumulari, ipsos ad sepulturam admittant, ita tamen, quod tunc eedem ecclesie portione canonica non fraudentur, auctoritate nostra per te vel per alium attentius moneas et inducas ipsos ad id, et ut decetero ab hujusmodi predictorum decani et capituli et earundem ecclesiarum rectorum molestiis et injuriis omnino abstineant, per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione compellens. Non obstante aliqua indulgentia religiosis ipsis vel aliis sub quacunque verborum forma ab apostolica sede concessa, per quam non expressam presentibus de verbo ad verbum premissa impediri valeant vel differri. Dat. Assisii vj id. Maii, pontificatus nostri anno undecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 248, nº 255. Bulla deest. — Colliette, *Mémoires de la province du Vermandois*, II, 688. — In Bibl. Basiliensi cod. B. X. 14, fol. 54, inveniuntur litterae ejusdem tenoris et temporis directae ad episcopum Morinensem quoad querimoniam praepositi, decani et capituli ecclesiae S. Martini Ypren. ord. S. Augustini; apud Baluze, *Concilia Galliae Narbon.*, App., p. 156, directae sunt ad archiepiscopum Narbonensem in gratiam abbatis et capituli saecularis ecclesiae S. Pauli Narbon., ibique sunt aliae indicatae ad eundem archiepiscopum quoad priorem S. Mariae de Burgo Narbon. ord. S. Benedicti, et apud Potthast, nis 15356 et 15359, ad episc. Herbipolensem et Constantiensem. — Istae et similes epistolae praeparabant illas famosas infra nº 240 publicatas generales litteras Innocentii IV. Quamvis in istis generatim de omnibus religiosis quaestio sit, nihilominus tamen editae sunt praecipue contra duos ordines mendicantes Praedicatorum et Minorum, ut notum est ex historicis coaevis. Salimbene praeterea affirmat eas praeprimis contra fratres Praedicatores fuisse directas, « quia contra ordinem fratrum Praed. conceperat odium, ut audivi, et fratres Minores postea sperabat absolvere ». *Chron.*, in Cod. Vat. 7260, fol. 182 (desunt haec verba in ed., p. 213). Chronographi posteriores Galvaneus Flamma (Bibl. Casanat. B. III, 25, fol. 33b) et Hieronymus de Borsellis (Bibl. Univers. Bonon., ms. 1999, fol. 53b) in suis *Chronicis*, sicut et Ferd. del Castiglio (*Historia generale di S. Domenico*, p. 311), diversas afferunt rationes ad hoc explicandum. Certum est tantummodo, epistolas habere intimum connexum cum illa gravi tempestate, quam Universitas Parisiensis, cujus procurator circa istud tempus in curia morabatur (cf. *infra* nº 238), contra Ordinem Praedicatorum excitavit, atque Innocentium eas scripsisse, quia teste Salimbene (l. c.) voluerit satisfacere clericis saecularibus, immo praelatis, quorum querelae praecipue contra fratres Praedicatores dirigebantur. Vide infra nº 250.

1. In or. repetitur « remedia » post « parare ». — 2. Lateranensis IV.

237. *Innocentius IV ad doctores et universitatem scholarium Parisiensium, ut statuta a viris ab eisdem electis composita inviolabiliter observentur.*

1254, Julii 4, Anagniae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dil. filiis doctoribus et universitati scolarium Parisiens. salutem et apostolicam benedictionem. Quociens pro communi utilitate, *etc. sicut supra* n° 169. Dat. Anagnie iiij non. Julii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 65ᵃ, n° 2. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Infra : « He ». In membrana aversa : « Heremita notarius ». Pertinebat ad Arch. Univers. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 17ᵇ. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 19.

---

238. *Innocentius IV Guillelmo de S. Amore, procuratori mag. et scholarium Paris., facultatem confert, ut pro expensis in negotiis ipsorum possit mutuum contrahere usque ad summam tercentum lib. turon.*

1254, Julii 15, Anagniae.

Magistro Guillelmo de Sancto Amore canonico Belvacensi, procuratori magistrorum et scolarium Parisiensium. Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus pro expediendis negociis universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium te subire oporteat onera expensarum, ne pro ipsorum defectu inexpedita remaneant, nos tam tuis quam ejusdem Universitatis super hiis per suas nobis litteras supplicantis precibus inclinati contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam trecentarum lib. turon. et eandem Universitatem et ipsius bona creditoribus obligandi ac renunciandi constitutioni de duabus dietis edite in Concilio generali et beneficio restitutionis in integrum necnon omnibus apostolicis litteris et indulgentiis impetratis et etiam impetrandis, plenam tibi et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem, cum super hoc usque ad predictam summam ab eadem Universitate patentes litteras habere noscaris, ita quod Universitas ipsa eisdem creditoribus hujusmodi pecuniam solvere necnon dampna et expensas et interesse, si in termino statuendo pecuniam non solverit memoratam, restituere teneatur, et prefatis creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscunque privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris litteris specialem et plenam oporteat fieri mentionem et per que eadem Universitas posset in aliquibus se tueri, dictam pecuniam in ipsius Universitatis utilitatem fuisse conversam probandi necessitas non incumbat. Dat. Anagnie id. Julii, anno xij.

Reg. Vat. Innocentii IV an. 12, ep. 29, fol. 147. — Wadding hujus epistolae facit mentionem in *Ann. Min.*, 2 ed., III, 248. Ex ipso Bulaeus, III, 276. — Ex hac, imprimis vero ex sequenti epistola apparet Innocentium IV fratribus Mendicantibus, specialiter Praedicatoribus non solum generatim (cf. n° 235) sed etiam in Universitate docentibus infensum fuisse contra suam prius (cf. nᵒˢ 222 sqq.) expressam sententiam.

---

239. *Innocentius IV confert cantori Belvacensi et Roberto de Duaco facultatem scholares et doctores inducendi, ut contribuant pro rata singulos contingente in debitis, quae occasione quaestionis cum fratribus Praed. Paris. contraxerunt et adhuc contrahunt.*

1254, Augusti 31, Anagniae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. cantori ecclesie Belvacensis[1] et magistro Roberto de Duaco canonico Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eadem Universitas occasione questionis, que inter ipsam ex parte una, et dilectos filios .. priorem et conventum fratrum Predicatorum Parisiensium super certis articulis ex altera vertitur, nonnulla subierit et adhuc illam subire oporteat onera expensarum, ac propter hoc mutuo receperit non modicam pecunie quantitatem[2], nec habeat unde creditoribus suis satisfaciat, nisi fiat ad hoc communis contributio tam scolarium et auditorum, quam doctorum in eadem studentium civitate, providere eidem Universitati super hoc apostolica sollicitudine curaremus. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus scolares et auditores ac doctores ipsos, ut contribuant pro rata singulos contingente eidem Universitati in debitis pretextu questionis hujusmodi contractis et etiam contrahendis et expensis factis et faciendis, per vos vel per alios moneatis diligenter, ac efficaciter inducatis ipsos ad id si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, non obstante, si personis aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod per litteras sedis ipsius suspendi, interdici aut excommunicari non possint, nisi plena et expressa in eis de indulto hujusmodi mentio habeatur. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Anagnie ij kal. Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 248, nº 261. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. — In membrana aversa : « finat. de Sabaudia ». Exstabat in Arch. Univers. — Biblioth. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 19[b]. *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 259. — Cf. notam ad epistolam praecedentem.

1. Istum cantorem Belvacensem haud facile credas esse Guillelmum de S. Amore, ut ex epistola infra nº 263 publicata conjicere possumus, cum in documentis istius temporis v. g. supra nº 238 nonnisi canonicus Belvac. nominetur. De Roberto de Duaco, physico, vide infra ad nº 241. — 2. Vide nº 238.

239a. *De scholis in Clauso Brunelli.*

1254, mense Augusto, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Paris. salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constituta Odelina filia defuncti Richardi Normanni talliatoris, vidua, recognovit et asseruit, se vendidisse et imperpetuum quitavisse Guillelmo de Bretegnon servienti venerabilis viri cancellarii Paris. et ejus heredibus aut ab ipso causam habentibus pro triginta duabus libris parisiens. jam eidem Odeline traditis, solutis et numeratis (renuncians expresse exceptioni non numerate pecunie, non

habite, non recepte) quamdam domum ipsius Odeline sitam Parisius in Clauso Brunelli, ut dicitur, cum ejus pertinentiis, prout se comportant ante et retro, subtus et supra, sitam contigue ex una parte scolis[1] magistri Nicholai dicti de Parisius, ut dicitur, et domui fratrum Sancti Maturini Paris. ex altera in censiva domini Parisiensis episcopi, ut dicitur, ad tres solidos et dimidium parisiens. tantummodo censuales..... Promisit etiam sub eadem fide predicta Odelina, quod quantocius Emelina[2] et Emelota filie ipsius Odeline ex defuncto Nicholao pergamenario quondam marito ipsius suscepte, ut dicebat, ad etatem legittimam pervenient, dictam venditionem, ut dictum est, factam volent, laudabunt pariter et quitabunt, et super hiis facient fieri publicum instrumentum[3]. Promisit etiam dicta Odelina sub fide prestita corporali, quod eidem Guillelmo seu ipsis qui causam habebunt ab ipso, solvet et reddet sex libras parisiens. nomine pene cum omnibus rectis constamentis, misiis et interesse, si dictam venditionem in toto vel in parte retrahi contigerit vel evinci. Et de predicta petia sic reddenda magister Nicholaus Lombardus de vico novo, venditor librorum, erga dictum Guillelmum et ejus heredes seu causam ab ipso habentes pro dicta Odelina se constituit plegium coram nobis fide in manu nostra prestita corporali, si retracta fuerit venditio infra annum et diem. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Augusto.

Cartul. de la Sorbonne in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 19.

1. Primum, quod sciamus, haec mentio fit scholarum in Clauso Brunelli, ubi erat facultas Decretorum et Decretalium, quam Johannes de Janduno unacum aliis facultatibus describit in suo tractatu *De laudibus Parisius* an. 1323 (*Bullet. du Comité de la langue*, etc., III, 514; Le Roux de Lincy et Tisserand, *Paris et ses historiens*, p. 40). Non solum saec. XII exeunte sicut omnes ceterae facultates (cf. supra parte introd. nº 54), sed adhuc an. 1227 facultas Decretorum in insula exstabat (parte 1, nº 55). Domus etiam Odelinae in quodam documento infra ad Mart. an. 1263 « scole » nominantur, quas scholas dictus Guillelmus Roberto de Sorbona vendidit. « Due scole » in Clauso Brunelli citantur in doc. an. 1257 (1258), mens. Januar. (*Cartul.*, fol. 17), quarum adhuc ann. 1273 et 1278 mentio fit (ibid., fol. 19 et 18). Aliae referuntur in documentis ann. 1263, 1264 et 1284 (ibid., fol. 90 et 18ᵇ, 36ᵇ). Ut liquet « scola » hoc loco sumitur in sensu continentis pro contento, id est in sensu aulae, quae magistris locabatur. — 2. In ms. « Emelota ». Restitutum ex docum., fol. 18ᵇ. — 3. Hoc an. 1262 (1263), mense Martio, evenit. Ibid., fol. 18ᵇ.

---

240. *Litterae Innocentii IV, quibus privilegia religiosorum (Praedicatorum et Minorum) quoad praedicationem, confessiones audiendas, sepulturas aliaque rescindit.*

1254, Novembris 21, Neapoli.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis religiosis cujuscunque professionis vel ordinis presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Etsi animarum affectantes salutem universos et singulos qui christiana professione censentur, ut suas Deo lucrifaciant animas, cupiamus caritate magistra et pietate prejudice sub moderamine juris ad justitie regulam et lineam equitatis norma servata modestie dirigere actus suos, pociori tamen desiderio exoptamus, ut vos, qui mundo et pompis ejus contemptis per gradus alciores ducatu spiritu procedentes, religionis apicem conscendistis, omnem in vobis justitiam compleatis, indicte vobis modestie

servando tenorem et ab omnibus per que a religionis videatur rectitudine deviari vel vobis rationabiliter detrahi valeat abstinendo, ita quod recti qui vos diligunt vestre perfectionis[1] pulchritudinem delectabiliter intuentes glorificent Patrem vestrum, et iniquis os maliloquum obstruatur. Cum enim mundo, angelis et hominibus facti sitis spectaculum, vix in vobis esse posset ruga tam tenuis vel macula ita latens, quin lacius et compercius[2] quam in aliis appareret. Unde si qua de vestris actibus nostro apostolatui referuntur que sanctitatis vestre obnubilant claritatem, eo nimirum graviori dolore confodimur, quo vos nostram gloriam et totius ecclesie generalis jubar precipuum reputantes ipsius splendorem vestri obnubilatione nitoris non ambigimus notabiliter minorari. Sane[3] gravis et clamosa querela nostris assidue auribus inculcatur, quod nonnulli vestrum suis juribus et finibus non contenti parrochianos alienos presumant temere ad divina recipere contra canonicas sanctiones. Et[4] licet dictorum parrochianorum judices non existant, nec ligandi aut solvendi eos acceperint potestatem, se tamen ipsorum judices facientes[5] ipsos in foro penitentiali periculose[6] absolvunt et ligant pro sue libito voluntatis sicque ipsis qui proprios spernunt presbyteros minime absolutis illud salutiferum nostre peregrinationis viaticum, quod non proficit nisi a criminum labe mundatis[7], in animarum suarum et eorum, qui illud non dijudicantes indiscrete recipiunt, conferre periculum non verentur, fitque, quod etiam dicti eorum sacerdotes, qui curam suscipiendo ipsorum suam pro eis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur statum ignorantes eorum, non possunt quod in eis est egrotum sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum, et sic dum curationis necessaria non adhibentur remedia invalescentibus morbis usque ad interemptionem[8] lesio debaccatur, iidemque sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus supremo judici reddere rationem. Alii quoque vestrum diebus dominicis et festivis, dum in parrochialibus ecclesiis missarum solempnia celebrantur, solempniter verbum predicationis proponunt populo, qui ad audiendum divina in ecclesiis ipsis diebus predictis convenire consueverat ut tenetur, ad predicationem hujusmodi convocato et ab ipsis sub specie sanccioris accionis abstracto; et sic ab eisdem parrochianis divina obmittuntur officia et sacerdos in domo Domini quasi passer unicus in edificio remanens[9] derelictus suorum parrochianorum solacio et consuetis oblacionibus defraudatur. Alii vero episcopo diocesano minime deferentes eadem die et frequenter etiam hora ipsa, qua idem episcopus[10] commisso sibi populo solempniter predicat, suas predicationes inculcant et faciunt, ut verbum Dei, quod desideranter et avide suscipi consuevit, ex predicationis concursu contemptibile reddatur in auribus auditorum. Illud etiam satis notabile videtur et indecens, quod nonnulli vestrum mox ut aliquos egritudinis languore detentos intelligunt, ad ipsos[11] festino concurrunt et eos illectivis verborum blandiciis demulcentes precipuum ipsis salutis remedium pollicentur, si apud eorum ecclesias elegerint sepulturam; ac tandem eos ad suum propositum talibus persuasionibus[12] pertrahentes ad testamenta eorum ordinanda se ingerunt et letantur, cum canonica justitia defraudantur

ecclesie[13], de quorum parrochiis assumuntur corpora defunctorum. Et nonnulli qui ut nudi nudum Christum libere sequi possent, religionis se vinculo astringendo preciosa et magna contempsisse noscuntur, se in alienis juribus[14] contra Deum et justitiam usurpandis exhibent pertinaces. Multa quidem et alia gravamina tam prelatis quam clericis[15] frequenter a vobis illata et inferri cottidie proponuntur, que pro religionis honore honestius reputamus sub silentio preteriri, ex quibus profecto parrochialium[16] jus leditur, ecclesiarum iusticie derogatur, blasphematur religio, Deus ipse offenditur, quodque periculosius est, fidelium anime in laqueum mortis et in puteum interitus pertrahuntur. Nos igitur, qui ex suscepti apostolatus officio sumus omnibus in justitia debitores, ut decet, attendentes quod ex usurpacione hujusmodi non tantum indevocio et contemptus in populo prodeunt contra proprios sacerdotes, verum etiam erubescencia que est magna pars penitentie tollitur, dum quis non proprio sacerdoti, quem habet continuum et presentem, sed alieno et aliquando transeunti, ad quem difficilis et aliquando impossibilis est recursus, sua crimina confitetur: ne tam abusivos excessus videamur per tollerantiam comprobare, volentes in posterum freno juris predictorum transgressorum[17] injurias cohibere ac singulis ecclesiis et earum ministris sua jura illesa omnimode conservare, necnon parrochianorum saluti et fame vestre consulere, in hac parte circa premissa nichil novum in vestrum inducendo gravamen, sed antiqua et moderna jura in medium deducendo, universitati vestre[18] per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus parrochianos alienos diebus dominicis et festivis non recipiatis de cetero in vestris ecclesiis seu oratoriis temere ad divina, nec ipsos sine sui sacerdotis licentia ad penitentiam ullatenus admittatis, cum si quis alieno sacerdoti justa de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum statuta generalis Concilii[19] licentiam prius postulare ac obtinere debeat a proprio sacerdote, vel saltem prius sibi confiteri et recipere absolutionis beneficium ab eodem; aliter namque[20] ab ipso nec solvi poterit nec ligari, cum duplex in judicando funiculus, potestatis scilicet et scientie, requiratur, quorum alterum saltem[21] constat in alieno deficere sacerdote. Et ne parrochialibus ecclesiis devocio debita[22] subtrahatur, ante missarum solempnia ad que audienda parrochiani prima diei parte in suis consueverunt et debent ecclesiis convenire, parrochianis alienis nequaquam in vestris ecclesiis predicetis nec hora ipsa solempnes in eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos ad vos populus confluens parrochiales ecclesias derelinquat. Sed nec ad predicandum solempniter ad alienas parrochias accedatis, nisi a sacerdote parrochiarum ipsarum fueritis invitati vel saltem nisi ad id[23] humiliter petieritis et obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honor episcopis deferatur, eadem die qua dyocesanus episcopus vel alius loco ejus solempniter predicat maxime in ecclesia cathedrali, nullus vestrum in eadem civitate vel loco predicare presumat, ne salubris predicationis doctrina ex frequenti inculcatione[24] hujusmodi quasi tedium generans contempnatur. Si vero in casu licito parrochianum alterius ad sepulturam, quam nemo sine justa et rationabili causa sibi

temere debet eligere antiquis patrum suorum dimissis sepulturis, in vestris ecclesiis recipere vos contingat, omnium, que obtentu hujus sepulture fueritis consecuti, medietatem vel tertiam vel quartam partem juxta felicis recordationis Clementis pape predecessoris nostri decretum, secundum consuetudinem regionis, etiam non requisiti, infra octo dies a tempore receptionis eorum episcopo vel sacerdoti de cujus parrochia mortuus est assumptus exhibere curetis, constitutionibus bone memorie Innocentii et Gregorii predecessorum nostrorum Romanorum pontificum de non deducenda canonica portione, tam de equis et armis legatis in subsidium terre sancte quam de hiis que in ornamentis et aliis ad divinum cultum spectantibus relinquuntur, in suo robore duraturis, dummodo non relinquatur in fraudem, ut[25] sic episcopo vel parrochiali ecclesie debita porcio subtrahatur. Si quis vero vestrum[26] hujus nostre provisionis[27] transgressor contra predicta vel aliquid predictorum venire presumpserit, preter inobedientie vicium et excommunicationis sententiam quam eum ipso facto incurrere volumus, gradus sui periculo subjacebit et nichilominus a loci dyocesano ad premissa universa et singula observanda per censuram ecclesiasticam appellatione remota districtius compellatur, nullis ei contra hec indulgentiis vel privilegiis apostolicis valituris. Dat. Neapoli xj kal. Decembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Bibl. capit. Poson., ms. 13 (saec. XIII-XIV), fol. 242, sub titulo : « De regularibus ». Bibl. Basil. B. X, 14, fol. 54[b]. Cod. Vat. Ottob. 56, fol. 119. In his omnibus dicitur : « Innocentius universis religiosis ». Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3120, fol. 65[b]. In ms. laudato cap. Poson. iterum occurrit, fol. 230, inter Decretales extravagantes a Gregorio IX ad Clementem IV, omisso principio usque « Sane gravis », et sine temporis nota, sub titulo : « De sepulturis ». Epistola in ms. Paris. est multo emendatior quam in ceteris mss., cum quibus Bulaeus, III, 270, plerumque concordat, nec paucas lectiones variantes offert. — Vide ad haec notam ad epistolam supra n° 235 publicatam, quae est ejusdem tenoris. Istas litteras adhuc post duo decennia adversarii Mendicantium in Universitate Paris. proferebant. Cf. *Collectiones cathol. et canon. scripturae* in *Guillelmi de S. Amore opp.*, ed. Constantiae, 1632, p. 188.

1. Paris. : « professionis ». — 2. Ex cod. Bas., alias « conspectius ». — 3. Paris. addit « quam ». — 4. Et] hos etiam, Paris. — 5. Paris. addit « ac periculose illudentes ». — 6. Periculose] judicant, Paris. — 7. In quibusdam : « mundis ». — 8. Bas. et Poson.[1] : « internecionem » ; Poson.[2] : « interfectionem ». — 9. Paris. : « permanet ». — 10. Episcopus] predicat, Paris. — 11. Paris. addit « undique ». — 12. Paris. : « blanditiis ». — 13. Poson. : « defraudant ecclesias ». — 14. Paris. : « minimis ». — 15. Paris. : « ecclesiis ». — 16. Ceteri praeter Poson.[2] : « proximorum ». — 17. Paris. et Poson.[2] : « transgressionum predictarum ». — 18. Paris. addit « de communi fratrum nostrorum consilio ». — 19. Lateranensis IV. — 20. Paris. : « autem ». — 21. Deest in Poson. — 22. Paris. addit « et oblaciones ». — 23. Ad id] ab his, Poson.[2] — 24. « Ex frequentia et inculcacione », Paris., Poson.[1] — 25. Bas. : « et ». — 26. Paris. addit « temerarius ». — 27. Bas. et Poson.[1] : « preceptionis ».

---

241. *Robertus de Duaco vendit Guillelmo de Carnoto S. Quintini canonico domum sitam ad palatium Terminorum, ubi postea fundatum est collegium Sorbonae.*

1254, Mense Novembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus, quod in nostra presencia constitutus magister Robertus de Duaco clericus vendidit et quittavit coram nobis specialiter et expresse domino Guillelmo de Carnoto Sancti Quintini canonico ad opus cujusdam amici sui, ut dicebat, et illis qui causam habebunt

ab ipsis perpetuo pro precio sexcentum librarum parisiens. jam sibi solutarum in pecunia numerata, sicut idem magister confessus est coram nobis renuncians exceptioni non numerate pecunie, non tradite et non solute, quandam domum sitam ad palatium Terminorum moventem ex acquiramento ipsius et conquestu, ut dicebat, incensiva civium Parisiensium oneratam de undecim solidis et dimid. parisiens. censualibus, ut dicitur, quittam et liberam ab omni alio onere censuali et coustuma, ut dicitur. Item quandam granchiam parvam sitam juxta dictam domum moventem ex acquiramento ipsius in censiva dictorum civium, ut dicebat, oneratam de quinque solidis parisiens. censualibus, ut dicebat, quittam et liberam ab omni alio onere censuali et coustuma, ut dicitur. Item quoddam pratellum contiguum dicte domui dicti magistri movens ex acquiramento ipsius, ut dicitur, oneratum de duodecim denariis parisiens. reddendum cuidam presbytero capellano Sancti Benedicti, ut dicitur, quittum et liberum ab omni alio onere censuali et coustuma, ut dicebat. Item quandam granchiam, que fuit magistri Guillelmi de Senonis sitam juxta dictam domum dicti magistri Roberti in censiva dictorum civium, oneratam ex octo solidis parisiens. censualibus, ut dicitur, quittam et liberam ab omni alio onere censuali et coustuma, ut dicitur, moventem de conquestu et acquiramento suo, ut dicebat. Item quoddam pratellum situm juxta dictam granchiam dicti Guillelmi de Senonis in censiva dictorum civium oneratum de decem solidis parisiens. censualibus, quittum et liberum ab omni alio onere censuali et coustuma, ut dicebat, movens ex acquiramento suo, ut dicitur. Promisit enim idem magister Robertus fide media in manu nostra corporaliter prestita, quod contra venditionem istam per se vel per alium non veniet in futurum, et quod dictas domos, granchias et pratella venditas seu vendita, ut dictum est, predicto domino Guillelmo canonico et illis qui causam habebunt ab ipso, garantizabit et liberabit ad usus et consuetudines Francie contra omnes in judicio et extra judicium quocienscumque opus fuerit seu necesse. Datum anno Domini M° ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Novembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 108. Superest taeniolum membran. — *Cartul. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 10.— Robertus de Duaco (vide supra n° 239) fuit amicus Roberti de Sorbona et unus ex fundatoribus collegii de Sorbona. Vide ejus testamentum an. 1258 infra n° 325 publicatum. Cum domo supra memorata Robertus de Sorbona commutavit an. 1263 duas domos ipsi proprias (vide doc. infra).

---

242. *Petrus Pungensasinum vendit Roberto de Sorbona et Guillelmo de Carnoto portam suam cum pertinentiis usque ad portam « Coupegueule », ubi postea fuit collegium Sorbonae.*

1254, mense Decembri, [Parisiis].

Omnibus presentes litteras inspecturis .. officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presencia constitutus Petrus Pongens Asinum, civis Parisiensis, vendidit et quittavit magistro Roberto canonico Cameracensi[1] et domino Guillelmo de Carnoto, canonico Sancti Quintini, et illis qui causam habebunt ab ipsis, ad

opus cujusdam amici eorumdem pro quadraginta quinque libris parisiensium jam sibi solutis in pecunia numerata, sicut confessus est coram nobis, portam suam cum pertinentiis, sicuti se comportat in longitudinem et latitudinem usque ad portam de Coupegueule[2], cum decem solidis parisiensium augmentati census annui redditus quos habet, ut dicit, super granchia Johannis de Balneolis, sicut dicit, racione cujus porte et pertinenciarum tenebatur reddere, sicut dicit, duodecim denarios filio defuncti Ludovici apothecarii, cujus etiam porte vendite muri sunt medietarii inter ipsos emptorem et venditorem, sicut dicit, promi[t]tens fide data quod contra non veniet in futurum, et quod dictam vendicionem garantizabit ad usus et consuetudines Francie contra omnes, necnon et quod solvet centum solidos parisiensium nomine pene, si vendicionem hujusmodi retrahi contigerit vel evinci. Datum anno Domini M° CC° L^{mo} quarto, mense Decembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S.-6213, n° 128. Restat taeniolum membr. — *Cartul. de la Sorb.*, fol. 80. — In Arch. nat. l. c. n^{is} 1-6 et 111-130 inveniuntur multa documenta quae respiciunt ad venditiones et donationes, quae mense Novembri et Decembri istius anni et anno sequenti factae fuerunt magistro Guillelmo de Carnoto « ad opus cujusdam amici sui »; in n^{is} 91-109 occurrunt documenta annorum 1247 et sqq., in quibus jam mag. Robertus de Duaco nominatur. Omnes istae venditiones et donationes erant praelusiones ad fundandum collegium de Sorbona, quod Robertus de Duaco et Robertus de Sorbona jam isto tempore animo conceperant. Vide infra n° 302.

1. Ut ex collatione documentorum in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 86 et n° 77, conservatorum apparet, Robertus de Sorbona inter mensem Decemb. an. 1257 et Decemb. an. 1258 factus est canonicus Parisiensis. Vide *Mém. de la Soc. de l'histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 245. — 2. De vico Coupe-Gueule vide Jaillot, *Recherches sur Paris*, IV, *Quartier Saint-Benoit*, p. 127; *Quartier Saint-André*, p. 134.

---

243. *Errores 31 a quibusdam magistris theologiae Parisiensibus ex Introductorio in Evangelium aeternum et ex ipso Evangelio aeterno excerpti.*

1254, [Parisiis].

De[1] prima parte[2] libri qui appellatur *Evangelium eternum*[3], que prima pars dicitur *Preparatorium*[4] in Evangelium eternum, extrahi possunt hi errores qui sequuntur.

Primus error est, quod Evangelium eternum, quod idem est quod doctrina Joachim, excellit doctrinam Christi et omne[5] novum et vetus Testamentum.

Secundus est, quod evangelium Christi non est evangelium regni ac per hoc nec edificatorium ecclesie.

Tertius, quod novum Testamentum est evacuandum, sicut vetus est evacuatum.

Quartus, quod novum Testamentum non durabit in virtute sua, nisi per sex annos proximo futuros, id est[6] usque ad annum Incarnationis MCCLX[7].

Quintus, quod illi qui erunt ultra tempus illud[8], non tenebuntur recipere novum Testamentum.

Sextus, quod evangelio Christi aliud evangelium succedet[9].

Septimus, quod nullus simpliciter[10] idoneus est ad instruendum homines de spiritualibus[11], nisi illi qui nudis pedibus incedunt.

De secunda parte ejusdem[12] libri, que appellatur *Concordia novi et veteris Testamenti* sive *Concordantia veritatis*[13], possunt isti errores extrahi qui sequuntur.

De *primo* enim libro hujus operis[14] primo potest extrahi error iste, videlicet : Quantumcunque Dominus affligat Judeos in hoc mundo, tamen aliquos reservabit[15] quibus benefaciet in fine, etiam manentibus in judaismo, et quod in fine illos liberabit ab omni impugnatione hominum etiam in judaismo manentes.

Secundo, quod etiam nondum peperit neque pariet filios ecclesia ante finem regni temporalis[16], quod finietur post sex annos proximo sequentes[17]. — Et per hoc datur intelligi quod religio christiana, que jam multos peperit vocando[18] ad fidem Christi, non est ecclesia.

De *secundo* libro ejusdem partis extrahi possunt isti errores qui sequuntur.

Primus est, quod evangelium Christi neminem ducit ad perfectum[19].

Secundus est, quod adveniente evangelio Spiritus Sancti, sive clarescente opere Joachim, quod dicitur Evangelium eternum sive Spiritus Sancti, evacuabitur evangelium Christi.

Tertius est, quod spiritualis intelligentia novi Testamenti non est commissa populo romano[20], sed tantum litteralis. — Et per hoc datur intelligi quod ecclesia Romana non potest judicare de spirituali intelligentia novi Testamenti, et si judicat, temerarium est ejus judicium, et non est adquiescendum ejus judicio, et quod ipsa Romana ecclesia animalis[21] est non spiritualis.

Quartus[22] est, quod recessus ecclesie Grecorum ab ecclesia Romana fuit a Spiritu Sancto. — Et per hoc datur intelligi quod viri spirituales non tenentur Romane ecclesie obedire, nec adquiescere ejus judiciis[23] in hiis que Dei sunt.

Quintus[24] est, quod tertius ordo electorum[25], qui secundum eundem librum est ordo religiosorum, non tenetur se exponere morti pro defensione fidei, aut pro conservatione cultus Christi in[26] aliis hominibus.

Sextus est, quod populus[27] Grecus magis ambulat secundum Spiritum Sanctum[28] quam populus[29] Latinus. — Ac per hoc magis est in statu salvandorum, et quod magis est adherendum ei quam populo Romano sive[30] ecclesie Romane.

Septimus, quod sicut Filius operatur salutem populi Latini sive populi Romani[31], quia ipsum representat, sic Spiritus Sanctus operatur salutem populi[32] Greci, quia ipsum representat. — Et per hoc datur intelligi, quod Pater salvum faciet populum Judaicum, quia ipsum representat.

Octavus, quod sicut veniente Johanne Baptista ea que precesserant[33] reputata sunt vetera propter nova supervenientia, ita adveniente tempore Spiritus Sancti sive tertio statu mundi ea que precesserant reputabuntur vetera propter nova que supervenient. — Et ex hoc datur intelligi quod novum Testamentum reputabitur vetus et proicietur.

De *tertio* libro ejusdem partis unus error extrahi potest, videlicet, quod Spiritus

Sanctus accepit aliquid ab ecclesia, sicut Christus in quantum homo accepit aliquid a Spiritu Sancto.

De *quarto* libro ejusdem partis in primo tractatu duo errores extrahi possunt.

Primus[34] est studium enumerandi[35] et concordandi carnales genealogias, que fuerunt in primo statu mundi, et spirituales status[36] secundi mundi contra apostolum dicentem primo ad Thimotheum, 1 : « Rogavi te ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis, que questiones magis prestant[37] quam edificationem. »

Secundus est studium manifestandi[38] momenta atque tempora eorum que evenient[39] in secundo statu mundi per ea que evenerunt in primo statu mundi[40], contra illud Actus primo : « Non est vestrum noscere tempora vel momenta, que Pater posuit in sua potestate. »

In secundo ejusdem libri tractatu duo errores inveniuntur[41].

Primus est, quod Christus et sancti apostoli ejus non fuerunt perfecti in vita contemplativa.

Secundus[42] est, quod activa vita usque ad tempus Joachim fructuosa fuit, sed modo non est fructuosa[43]; contemplativa vero ab ipso Joachim[44] fructificare cepit, et amodo in perfectis successoribus suis[45] perfectius manebit. — Et per hoc datur intelligi quod ordo clericorum[46], ad quos pertinet activa vita, amodo non fructificabit in edificatione et conservatione ecclesie, nec omnino in regimine, sed ordo monachorum amodo in his fructificabit.

De *quinto* libro ejusdem partis. In tractatu *de septem diebus* inveniuntur quatuor valde suspecta et diligenter examinanda.

Primum est quod aliquis de ordine religiosorum futurus est, qui preferetur omnibus ordinibus dignitate et gloria, in quo implebitur promissio psalmi[47] dicentis : « Et dominabitur a mari usque ad mare[48] », *etc.*

Secundum est, quod ille ordo, in quo implebitur predicta promissio psalmi[49], tunc convalescet[50] quando ordo clericorum desinet parere, — qui[51] partus, secundum quod credit ecclesia, non cessabit usque ad tempus antichristi.

Tertium est, quod ordo parvulorum erit[52] ille ordo in quo implebitur predicta promissio psalmi[53].

Quartum est, quod sicut in primo statu commissum fuit regnum totius ecclesie a Patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quo auctorizatus est[54] ille ordo, et in secundo statu commissum est a Filio aliquibus de ordine clericorum, in quo ab ipso glorificatus est ille ordo, sic in tertio statu committetur alicui vel aliquibus de ordine monachorum a Spiritu Sancto, in quo ab ipso Spiritu ille ordo clarificabitur.

Item in eodem quinto libro, in tractatu *de Jacob*[55] invenitur unum suspectum, videlicet quod isti[56] qui presunt collegiis monachorum diebus istis, cogitare debent de recessu a secularibus et parare se ad redeundum ad antiquum populum Judeorum.

35.

In eodem quinto libro, in tractatu *de Joseph et pincerna* cui sompnium aperuit[57], invenitur quod predicatores, qui erunt in ultimo statu mundi, majoris erunt dignitatis et auctoritatis quam predicatores[58] ecclesie primitive, id est apostoli.

Item in eodem libro, in tractatu *de tribus generibus hominum*, videlicet Israelitis, Egiptiis, et Babilonicis invenitur, quod predicatores et doctores religiosi ipsi[59] infestabuntur a clericis et transibunt ad infideles. — Et timendum est ne ad hoc transeant ut cogantur[60] ire ad prelium contra Romanam ecclesiam, juxta doctrinam beati Johannis in Apocalipsi xvj[61].

Ex[62] his autem, que dicuntur in expositione historie *de David*, potest intelligi quod ille, qui composuit opus quod dicitur *Evangelium eternum*, non fuit Joachim, sed aliquis vel aliqui moderni temporis, quoniam ibi facit mentionem de Frederico imperatore persequente ecclesiam Romanam.

Item in eodem libro invenitur quod sacramenta nove legis evacuabuntur in tertio statu mundi, et per evacuationem sacramenti altaris infert evacuationem aliorum sacramentorum.

Item in eodem libro, in tractatu *de historia Judith* invenitur quod sacramenta nove legis non durabunt amodo, nisi per sex annos[63].

Matth. Paris., *Hist. maj.*, ed. Luard, VI (Additam.), 335. Codd. lat. Monac. 311 (saec. XIII), fol. 90; 9558 (saec. XIV-XV), fol. 119b. Henricus de Hervordia, *Liber de rebus memorabilioribus*, ed. Potthast, p. 181. Bibl. nat. Paris. 16533 (saec. XIV), fol. 53. Cod. Vat. lat. 4380 (saec. XV), fol 40, sed summatim sicut et Nic. Eymerici, *Directorium inquisitorum*, par. 2, qu. 9 (vide mss. in *Arch. für Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 143). H. Haupt describit in *Zeitschrift f. Kirchengesch.*, VII, 373 sq., alium cod. ex Bibl. publ. Magunt., nº 331, qui plerumque congruit cum Monac. De tota quaestione et de relatione horum monumentorum inter se, vide Denifle in *Archiv, etc.*, p. 49 sqq., ubi, p. 70, monstravit errores supra publicatos esse excerptos ab istis professoribus theologiae Universitatis Paris., qui illo tempore contra fratres mendicantes insurrexerunt (cf. etiam H. Haupt, l. c.), eosque magna ex parte ab ipsis magistris esse confictos. In sequentibus notamus praecipuas lectiones variantes mss.

1. Apud Matth. Paris. titulus : « Errores qui elici possunt de libro Joachim abbatis et evangelium quod dicitur eternum, quem librum papa Gregorius dampnavit et reprobavit in principio decretalium suorum ». In mss. Monac. : « Evangelium eternum, quod noviter est confictum, continet xxx errores, qui excerpti sunt de libris quinque Joachim ». Cod. Vat. : « Sequuntur articuli pessimi erronei de quodam libro condempnato in curia Romana a papa Alexandro et combusto Parisius, qui dicebatur *Evangelium sempiternum* ». Eymer. : « Dom. Alexander papa IV condemnavit Rome quemdam librum *Evangelium eternum* appellatum, cujus auctor fuit ut fertur communiter fr. Johannes de Parma italicus monacus, in quo libro sequentes hereses et errores sunt reperti ». — 2. Monac. add. « hujus ». — 3. De notione *Evangelii aeterni*, vide infra ad num 257. Guillelmus de S. Amore in suo *Tractatu de periculis novissimorum temporum* dicit, *Evangelium aeternum* « Parisius, ubi viget sacre scripture studium, positum fuit jam publice ad exemplandum (« ad exemplar » in suis *Responsionibus*, Bibl. Paris., ms. lat. 15812, fol. 22b. Ed. Constantiae, p. 95) anno Dom. MCCLIIII ». Sic codd. melioris notae, v. g. Cod. Bibl. Burghes. 102. ; Bibl. Paris., ms. lat. 2482, fol. 66. British Mus. Vit. C. XIV, fol. 82 ; Arsenal, ms. 387, fol. 42, *etc.* Ed. Constantiae (1632), p. 38. — 4. Seu *Introductorius*, auctore fr. Gerardo de Borgo San Donnino, ord. Min. Cf. *Arch.*, l. c., p. 57, et infra nº 256. Renan, *Nouvelles études d'histoire religieuse*, 2 ed., p. 258 sqq. — 5. Matth. : « omnino ». — 6. « Per sex. . . id est » om. Matth. — 7. Herv. add. « id est usque ad an. Rychardi regis Romanorum sextum, ex quo claret, quod liber iste anno Friderici II ultimo vel 49 publicatus est ». — 8. Cod. Paris. om. sequentia, et addit : « erunt in statu altiori quam ceteri ». — 9. Omnes praeter Matth. add. « et ita per contrarium sacerdotio Christi aliud sacerdotium succedet ». — 10. Eym. : « nullus simplex homo ». — 11. Monac., Eym., Vat. add. « et eternis ». — 12. Monac. : « hujus ». — 13. Magunt. : « sive concordia veteris et novi ». Paris., Herv. sicut supra. Monac. : « sive concordia veteris ». « Sive. . . veritatis » om. Matth. — 14. Monac., Paris., Herv. : « partis ». — 15. Paris., Eym., Vat. : « ipsos tamen salvabit ». — 16. Monac., Magunt., Herv. : « imperialis ». — 17. Post. ... sequentes] infra tempus predictum, Matth. — 18. « Vocatos » omnes praeter Matth. —

19. « Perfectionem », Vat. — 20. Monac., Magunt., Eym., Vat. : « pape Romano(rum) ». Apud Herv. desunt per errorem « non est. . . novi testamenti ». — 21. Paris. : « litteralis ». — 22. Apud Herv., Monac., Magunt. : « Quintus ». — 23. Monac. add. « et », Herv. « etiam »; Eym. om. sequentia. — 24. Apud Herv., Monac., Magunt. : « Quartus ». — 25. Paris., Eym., Vat. : « clericorum ». — 26. Eym. : « sed secus in aliis homin. ». — 27. Monac., Magunt., Herv., Paris. : « papa ». — 28. « Sanctum », om. omnes praeter Matth. qui « sanctum spiritum », et Magunt. — 29. Monac., Magunt., Herv., Paris. : « papa », et sic proxime. — 30. Om. Eym.; Vat. om. : « populo. . . sive ». — 31. Paris. : « pape latini sive », *etc.* — 32. Paris. : « pape ». — 33. « Preterierunt », Monach., Herv. — 34. Eym. non tamen Vat. om. hunc et sequentem err. — 35. « Evangelizandi », Matth., Vat. — 36. Paris. : « hujus status », et om. : « secundi », sicut et Vat. — 37. Matth. add. « destructionem ». — 38. « Erit noscendi momentum et instruendi tempora », Paris. — 39. Paris. add. « et venerunt ». — 40. « Ea que. . . mundi » om. Magunt., Monac., Herv. — 41. Hic desinit Paris. — 42. Monac. om. « Secundus. . . contemplativa ». — 43. Herv., Magunt. : « fructuosior ». — 44. « Joachim » om. Matth. — 45. Monac., Herv. : « ipsius ». — 46. « Electorum » Herv. — 47. Matth. : « apostoli ». — 48. Eym., Vat. ponunt per errorem hunc versum « Funes ceciderunt mihi in preclaris », *etc.* — 49. Matth. : « apostoli ». — 50. Vat. om. sequentia. — 51. Sequentia om. omnes praeter Matth. — 52. Omnes praeter Matth. : « est ». — 53. Matth. : « apostoli ». — 54. Omnes praeter Matth. et Vat. : « fuit ». — 55. Monac., Magunt., Herv. perperam : « Job ». — 56. Monac., Magunt., Herv. falso : « nulli ». Eym., Vat. : « illi ». — 57. Magunt. : « apparuit ». — 58. « Predicatores », « id est », om. Monac., Herv. — 59. Loco « ipsi » omnes praeter Matth. « quando », et om. postea « et ». — 60. Monac., Magunt., Herv., Vat. : « congregent eos ». Eym., Vat. : « cogant eos ». — 61. Hic Eym. et Vat. desinunt. — 62. Herv. loco sequentis paragraphi scribit : « Notandum est, quod pluribus videtur liber ipse, qui dicitur *Evangelium eternum*, non fuisse Joachim, sed aliquis vel aliqui moderni temporis composuerunt illum ». — 63. Matth. : « nisi usque ad an. incarnationis MCCLX ».

---

244. *Alexander IV litteras, quibus Innocentius IV religiosorum privilegia resciderat, irritas esse jubet.*

1254, Decembris 22, Neapoli.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, et aliis ecclesiarum prelatis, et ceteris personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, cujuscunque ordinis vel professionis existant, salutem et apostolicam benedictionem. Nec insolitum est nec novum, ut ea que per occupationem vel festinantiam fiunt, pro eo quod congrue deliberationis limam pretereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora et elimatiora per attentionem plenioris discussionis emaneant. Sane quedam ab apostolica sede tempore felicis recordationis Innocentii pape IV predecessoris nostri littere processerunt, in quibus ipse universis religiosis cujuscunque professionis vel ordinis districte in virtute obedientie injungebat, ut parrochianos alienos diebus dominicis et festivis non reciperent decetero in suis ecclesiis seu oratoriis temere ad divina, nec ipsos ullatenus ad penitentiam admitterent sine suorum licentia sacerdotum, nec eis in suis predicarent ecclesiis ante missarum sollempnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem parrochiani consueverunt et debent in suis ecclesiis convenire, nec sermones etiam sollempnes facerent illa hora; sed nec ad predicandum sollempniter ad parrochias alienas accederent, nisi essent ab earum sacerdotibus invitati, vel saltem, nisi se ad id humiliter peterent et obtinerent admitti; nec ea die qua diocesanus episcopus vel alius loco ejus predicaret sollempniter, maxime in ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco presumeret predicare. Si vero in casu licito parrochianum alterius eos in suis ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omnium, que optentu consequerentur hujusmodi sepulture, portionem canonicam, etiam non requi-

siti, infra octo dies a tempore receptionis eorum, episcopo vel sacerdoti de cujus parrochia mortuus esset assumptus exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum hujusmodi transgressor contra predicta vel aliquid predictorum venire presumeret, preter inobedientie vitium et excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, et nichilominus a diocesano ad premissa universa et singula observanda per censuram ecclesiasticam appellatione remota districtius cogeretur, nullis ei contra hec indulgentiis vel privilegiis apostolicis valituris[1]. Verum, quia super premissis litteris cogitare attentius et studiosius deliberare proponimus, pacis commodum et quietis solatium ecclesiis et personis ecclesiasticis potissime cupientes, prefatas litteras, et si que alie super predictis vel eorum aliquo contra prefatos religiosos vel aliquos ex ipsis generaliter vel specialiter preter formam communem et solitam processere[2], ac mandata seu precepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus per hujusmodi litteras vel occasione mandatorum seu preceptorum aut sententie, que continent, nichil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Dat. Neapoli xj kal. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. départ. des Bouches-du-Rhône (Marseille), fonds Dominicains d'Arles. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana : « Predicatorum ». Epistola invenitur insuper ibidem litteris episcopi Caturcen. mensis Julii an. 1255 inserta. Alterum originale in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Cordeliers, liasse 907 (H. nº 49). In aversa membrana : « Minorum ». Ibidem praeterea quatuor *vidimus* fratris Guidonis Claromont. (O. P.) episcopi an. 1255 « in octava apost. Petri et Pauli ». In eodem Arch., fonds Dominicains, liasse 930 (H. nº 53) *vidimus* an. 1255, 10 Junii. — Ibid. *Cartulaire* des Dominicains, II. 221, fol, 1. Arch. départ. de la Gironde (Bordeaux), fonds Dominicains, 651 bis (s. XIII), p. 74. Cod. Vat. 9403, fol. 44; Vat. Ottob. 56, fol. 120. Cod. Rutenen. Constitut. ord. Praed. ad ord. pertinens, p. 230. Bulaeus, III, 273. In *Bull. Rom.*, apud Ripoll, *Bull. Praed.*, I, 267, Jourdain, nº 114, hae litterae perperam ad 2 kal. Jan. referuntur. — Alexander IV epistolas similis tenoris cum initio : *Quedam ab apostolica sede*, posteriori etiam tempore emisit, nempe ij id. Dec. an. 1 (12 Dec. 1255) ad archiep. Strigon. et episcopum Secoviens. (cod. Ottob. 15, fol. 211 b) ; ad archiepisc. Colon. et episcop. Argentin. (Ottob. 56, fol. 120) ; ad episcop. Perusin. et Senen. (Vat. lat. 9403, fol. 46, apud Potthast, nº 16129) ; ad archiepiscopum Viennens. et episcop. Senetens. (duo *vidimus* an. 1260 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Cordeliers, liasse 907), et ad alios.

1. Vide Innocentii litteras supra nº 240. — 2. Supra nº 236.

---

245. *« Quittance d'un marchand de Sens de la somme de deux cens livres par luy receües de l'Université, sur et tant moins de trois cens livres à luy deües, du lundy après la Purification, an 1254 ».*

1255, Februarii 8.

Arch. Univers. Paris., ms. 97 et 98, *Inventaire des anciens titres qui sont dans les Arch. de l'Université*, C. 10. a. — Jourdain, nº 115. — Cf. supra nº 238.

---

246. *Statutum facultatis artium de modo docendi et regendi in artibus, deque libris qui legendi essent.*

1255, Martii 19, [Parisiis].

Anno Domini MCCL quarto. Noverint universi, quod nos omnes et singuli magistri artium de communi assensu nostro nullo contradicente propter novum et inestimabile

periculum, quod in facultate nostra imminebat, magistris aliquibus lectiones suas terminare festinantibus, antequam librorum quantitas et difficultas requireret, propter quod et magistri legendo, et scolares in audiendo, minus proficiebant, super ruina nostre facultatis anxiantes, et statui nostro precavere volentes, pro communi utilitate et studii nostri reparatione ad honorem Dei et universalis ecclesie statuimus et ordinavimus, quod omnes et singuli magistri nostre facultatis imposterum libros, quos in festo beati Remigii inceperint, temporibus inferius annotatis absolvere, non ante, teneantur[1].

Veterem logicam, videlicet *librum Porfirii*[2], *predicamentorum*, *periarmenias*[3], *divisionum* et *thopicorum* Boecii, excepto quarto, in festo Annunciationis beate Virginis vel ultima die legibili precedente; *Priscianum minorem* et *majorem*[4], *topica* et *elenchos*, *priora* et *posteriora*[5] dicto tempore vel equali terminare teneantur. *Ethicas*[6] quantum ad quatuor libros in xij septimanis, si cum alio legantur; si per se non cum alio, in medietate temporis. Tres parvos libros, videlicet *sex principia*[7], *barbarismum*[8], *Priscianum* de accentu, si simul legantur et solum in sex septimanis. *Physicam* Aristotelis, *metaphisicam* et librum *de animalibus* in festo sancti Johannis Baptiste; librum *celi et mundi*, librum primum *metheorum* cum quarto in Ascensione; librum *de anima*, si cum naturalibus legatur, in festo Ascensionis, si autem cum logicalibus, in festo Annunciationis beate Virginis; librum *de generatione* in cathedra sancti Petri; librum *de causis*[9] in septem septimanis; librum *de sensu et sensato* in sex septimanis; librum *de sompno et vigilia* in quinque septimanis; librum *de plantis* in quinque septimanis; librum *de memoria et reminiscentia* in duabus septimanis; librum *de differentia spiritus et anime*[10] in duabus septimanis; librum *de morte et vita* in una septimana. Si autem alio tempore quam in festo sancti Remigii magistri predictos libros inceperint, tantumdem temporis in legendo eosdem apponent, quantum lecture eorum superius est taxatum. Quilibet autem predictorum si per se legatur, non cum alio, poterit finiri in medietate temporis sue lecture pretaxati. In minori autem non licebit cuiquam predictos libros terminare. Plus tamen temporis licebit cuiquam apponere. Si autem aliquis aliquam partem alicujus libri legerit, ita quod totum terminare noluerit aut non possit, legat in portione temporis portionem libri contingente. Si vero bachellarius infra festum beati Dyonisii[11] inceperit, liceat ei suas terminare lectiones cum resumentibus in festo beati Remigii.

Incipientes autem post festum beati Dyonisii tanto posterius aliis suos libros terminent, quanto tardius aliis inceperint. Unusquisque bona fide secundum suam estimationem proportionabit librorum suorum portionem secundum portionem temporis sue lecture statuti. Insuper nulli liceat legere lectiones ordinarias plures duabus, nec eas extraordinarias facere, nec eas nisi hora ordinaria et in habitu ordinario legere. A festo autem beati Johannis Baptiste usque ad festum beati Remigii quilibet suas lectiones ordinet, prout melius sibi et auditoribus suis viderit expedire. Item nullus lectiones cursorias plures duabus aliquo die legibili legere presumat, nec plures tribus in die non

legibili, nec cursum aliquem incipere, donec priorem cursum terminaverit, nisi gravi infirmitate ultra xv dies detentus fuerit, vel propter causam rationabilem plus quam xv dies villam exierit, vel si scolares eum amplius audire noluerint. Item diebus apostolorum et evangelistarum nulli liceat legere aliquas lectiones, nec tribus diebus proximis post Natale, post Pascha, post Pentecosten, nec in vigilia istorum trium ultra horam tertiam. Hec autem statuimus et ordinavimus inviolabiliter observanda. Nulli ergo liceat hanc paginam nostre ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem totius Universitatis necnon et suspensionem lectionum quantumcunque per annum se noverit incursurum. In cujus rei testimonium et munimen presentem litteram sigillis iiij[or] nationum consensu earundem duximus sigillandam. Datum anno MCCL quarto, die veneris ante Ramos palmarum.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 56[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 60, sub rubrica : « Ordinatio facta a magistris artium de modo legendi lectiones cursorias et ordinarias ». — Bulaeus, III, 280.

1. « Absolvere... teneantur » om. Cod. Reg. — 2. Ejus scilicet Introductionem (εἰσαγωγήν) in Categorias seu Praedicamenta Aristotelis. — 3. Certe hi tres libri pertinebant ad *Veterem logicam*, licet Lambertus Autissiodorens. ei annumeret tantum « librum Praedicamentorum et librum Periermenias ». *Summa logicae* in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16617, fol. 65. Generatim enim tres libri supra nominati vocabantur *Vetus logica*. Vide Juramenta an. 1287 apud Bulaeum, III, 485, Statuta Artistarum Tolosae an. 1309 in *Hist. gén. du Languedoc*, ed. Privat, VII, 442. Sed quandoque et *libri Divisionum* et *Topicorum Boetii* praedictis tribus libris adjungebantur, quod et supra fiebat. Cf. praeterea nº 201. — 4. Vide supra nº 201. — 5. Isti quatuor libri Aristotelis vocabantur *Nova logica*. Cf. auctores in n. 3 citatos. — 6. Ad Nicomachum. — 7. Vide supra nº 201. — 8. Supra nº 201. — 9. Quem isto tempore fere omnes Aristoteli ascripserunt. Cf. de ipso Bardenhewer, *Die pseudo-aristotelische Schrift über das reine Gute* (Friburgi, 1882). — 10. Hujus libri auctor est Costa ben Luca saec. IX-X (cf. de eo Wüstenfeld, *Gesch. der arabischen Aerzte und Naturforscher*, p. 49), eumque Johannes Hispanus pro Raimundo archiepiscopo Toletano (1126-1151) ex arabico in latinum transtulit. Cf. Jourdain, *Recherches sur les traductions d'Aristote*, 2 ed., p. 116 sq. Wüstenfeld, *Die Uebersetzungen arab. Werke aus dem Latein. seit dem XI Jh.*, p. 33. Liber, qui in mss. saepe occurrit, sub nomine Constantini Africani, invenitur in Constantini *opp.*. Basil., 1536, p. 308. De novo ex mss. editus est a Barach, *Bibliotheca philosophorum med. aetatis*, Innsbruck, 1878, II, 117 sqq. — 11. Festum Remigii 1 Octobris, Dionysii 9 Octob.

---

247. *Alexander IV ad magistros et scholares Paris. litteras mittit de licentiandis, de juribus cancellarii, de baccalareis, de cessatione scholarum, de lite inter Universitatem et fratres Praedicatores, quos ad magistrorum consortium restitui decernit.*

1255, Aprilis 14, Neapoli.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Quasi lignum vite in paradiso Dei et quasi lucerna fulgoris in domo Domini est in sancta ecclesia Parisiensis studii disciplina. Hec quippe velut fecunda eruditionis parens ad irrigandum sterilem orbis faciem fluvios de fontibus sapientie salutaris cum impetu foras mittens ubique terrarum Dei letificat civitatem, et in refrigerium animarum flagrantium siti justitie aquas doctrine dividit publice in plateis. Ibi nimirum ordinatus est per providentiam conditoris ad opus atque custodiam doctorum ordo precipuus, ut ad vite fructum rationabilis creature deducat affectum, ne in gustum mortis vetita veteris prevaricationis illecebra seducatur. Ibi humanum genus originalis ignorantie cecitate deforme per cognitionem veri luminis,

quam scientia pietatis assequitur, reddita visionis specie reformatur. Ibi precipue dat Dominus sponse sue os et sapientiam ac linguam misticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas improborum. Ut igitur consortii vestri communicabile ac commune omnibus bonum omni pacis custodia servare curemus et favorabilibus patrociniis communire, ne in commune publice salutis exitium illud emula caritatis et unionis invida[1] sathane labefactare possit astutia, instructa quippe modis innumerabilibus ad nocendum, in nobis, quos licet indignos cunctis mortalibus Dei dignatio superintendere voluit de supremo fastigio domus sue, precipua sollicitudinis vigilancia excitatur et cor nostrum urit cure stimulus specialis. Olim sane, sicut accepimus, cum quibusdam scolaribus Universitatis vestre collegis fuissent a vigilibus civitatis Parisiensis atroces injurie irrogate, uno illorum occiso, reliquis graviter vulneratis et in carcerem et in vincla conjectis, demum vos, quibus, ut dicitur, felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster indulsit, ut si vobis vel alicui vestrum injuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel mutilationis membri cujusquam nisi congrua monitione premissa infra quindecim dies fuerit satisfactum, licitum sit vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones[2], attendentes quod licet iidem scolares quos sacrilega carceravit injuria ut asseritur vobis fuissent in crastino redditi semivivi, justitie tamen executio in injuriarum hujusmodi presumptores videbatur ultra debitum prorogari, scolas a lectionibus suspendistis. Verum cum nec sic justitie debitum proveniret, vos tanto enormitatis articulo suggerente de communi consilio ad dictas injurias secundum Deum et justitiam, quantum vobis foret licitum, si judicis tepesceret officium, prosequendas et ad quasdam ordinationes alias vos per obligationem roboratam juramentis adhibitis, ut dicitur, astrinxistis. Et quia super hiis dilecti filii Bonushomo et Helyas Predicatorum Ordinis fratres scolas regentes Parisius in theologica facultate, ex certis causis se ordinationibus et obligationi hujusmodi subicere noluerunt[3] ad sedem apostolicam appellando, eos beneficio societatis in magistralibus privavistis ipsosque privatos publice nunciantes injunxistis districte, ut scolares lectiones eorum decetero non audirent, ne ipsorum auditores a pena, quam Universitas infligere talibus consuevit, se possent per ignorantiam excusare[4]. Demum cum iidem fratres super hoc ad dicte sedis presidium confugissent, fel. recordationis Innocentius papa predecessor noster audito quod inter vos et cives, qui predictas injurias irrogarant, discordia per satisfactionem fuerat jam sopita volens de medio vestrum controversie submovere materiam et pacifice reformare mutue caritatis affectum, ipsos fratres ad vestrum collegium et consortium restituit de gratia speciali prohibitionem seu mandatum factum scolaribus auditoribus eorundem penitus revocando ac dando vobis suis litteris in mandatis, ut predictos fratres sine difficultate seu dilatione resumentes ad statum pristinum et ad collegium magistrorum ac[5] Universitatis consortium admittentes eos occasione premissorum nullatenus vexaretis[6], venerabilibus fratribus nostris .. Silvanectensi et .. Ebroicensi episcopis super hoc mandati apostolici executoribus deputatis[7]. At licet

ad vos mandatum restitutionis et revocationis hujusmodi pervenisse dicatur, ipsi tamen fratres usque nunc adipisci efficax sue restitutionis commodum vobis quedam obicientibus nequiverunt. Ceterum, vos filii magistri in theologia Parisius tunc regentes hec statuta deliberatione habita edidistis, ut videlicet decetero religiosus aliquis non habens collegium Parisius, et cui est a jure publice docere prohibitum, ad societatem magistrorum nullatenus admittatur; utque singula religiosorum collegia singulis magistris actu regentibus et unica scola decetero sint contenta; ne quoque aliquis bacellarius in theologica facultate promoveatur ad cathedram, nisi prius examinaverit semetipsum, saltem aliquos libros theologie glosatos et sententias in scolis alicujus magistri actu regentis diligenter legendo. Quod si aliquis contra dictas ordinationes vestras venire presumeret, ei societas vestra tam in principiis quam in aliis subtraheretur omnino. Quicumque vero bacellarius licenciatus fuerit et huic ordinationi consensum prestare noluerit requisitus, eum statuistis excludi a consortio magistrorum, et eidem tam in principiis quam in aliis societatem magistralem penitus denegari, premissis statutis Universitatis ut dicitur accedente consensu, reverencia tamen et obediencia sedis apostolice ac aliorum quibus obedire tenemini, semper salva[8]. Statuistis insuper, ne ullus magister in quacumque facultate ad collegium magistrorum vel consortium Universitatis eorum aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione magistrorum vel saltem coram tribus magistris sue facultatis ad hoc specialiter deputatis juraverit statuta vestra licita et honesta et vobis expedientia se firmiter servaturum, secreta quoque et consilia vestra post inhibicionem sibi factam a vobis fideliter celaturum, quodque obligationibus vestris licitis et honestis ac vobis expedientibus precipue ex tenore privilegiorum vestrorum vigorem capientibus pacifice concorditerque consenciet. Et ut hoc firmius servaretur addidistis, ut nullus magister principium alicujus bacellarii tenere vel ejus principio interesse presumat, nisi prius ei constiterit, quod idem bacellarius ad predicta modo prehabito sit ligatus, nec idem bacellarius, si alio modo inceperit, magister a vobis aliquatenus habeatur. Statuistis preterea, ut si cessante studio Parisiensi ob causas consimiles vel alias rationabiles aliquis interim bacellarius in aliqua facultate de novo solempniter incipere vel aliquis eorum qui prius rexerunt suas iterum resumere presumpserit lectiones, ex tunc a consortio vestro imperpetuum excludatur, nec Parisius seu alibi ubi studium transferri contigerit inter magistros seu scolares aliquatenus admittatur, et pena consimili scolaris, qui interim causa studii Parisius venire presumpserit puniretur, nisi transgressores predicti presumptionem suam ad arbitrium Universitatis vestre curaverint emendare. Et hec ordinastis et statuistis sub pena, quam infligere potestis inviolabiliter observanda, nichilominus recensentes excommunicationis sententiam que in transgressores premissos extitit ut proponitur promulgata ab omnibus inviolabiliter observari, salvis in omnibus jure ac libertate canonicis Parisiensibus quantum ad omnia, in quibus et per que a vestris ordinationibus et statutis auctoritate apostolica seu quacumque alia sunt exempti[9]. Porro dilectis filiis .. priore

Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum Parisiensium suam ad sedem predictam, refugium oppressorum, deferentibus questionem, quod vos occasione statutorum hujusmodi, a vobis eis exclusis pro vestro libito editorum ipsos et liberum ac[10] quietum statum eorumdem ordinum magistrorum et fratrum Parisius studio insistencium ac scolarium suorum indebite turbabatis[11], prefatus Innocentius nec expediens reputans neque decens predictis ordinibus[12] pressuras hujusmodi vel molestias irrogari vobis suis dedit litteris in mandatis, ut ab ipsorum quibuslibet novis molestiis et inquietationibus predictis statutis nequaquam obstantibus desistentes nichil penitus usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo tunc venturum in eorum vel pristini status ipsorum presumeretis prejudicium attemptare[13]. Et quoniam inter vos et fratres prefatos idem I. omnem scandali et discordie cupiebat materiam amputare, ut sub vinculo pacis pacificis scientie studiis vacaretis, supradictis episcopis per sua scripta mandavit, ut tam vos quam fratres eosdem ex parte sua peremptorie citare curarent, quod in premisso festo nisi super hiis interim proveniret concordia per procuratores idoneos ad ipsius presentiam veniretis, ut super premissis quod utile, salubre ac conveniens prospiceret, auctore Domino ordinaret, nec permitterent iidem episcopi fratres eosdem a vobis contra premissa medio tempore molestari[14]. Denique idem predecessor morte preventus nichil potuit juxta pium conceptum animi sui super eodem negotio diffinire sicque nos habuit in hujusmodi sollicitudinis cura sicut et in ceteris pastoralis angustie laboribus licet immeritos successores. Vestro itaque sufficiens ad ordinationem suscipiendam habente mandatum et predictorum prioris et fratrum procuratoribus necnon et dilecto filio magistro Ordinis Predicatorum[15], qui cum illis postulabat hoc ipsum in nostra constitutis[16] presentia, premissa omnia et processus habitos diligenter inspeximus, quecumque in auditorio nostro super hiis utrimque fuere proposita intelleximus diligenter. Et tandem per viam pacis qua processus est gratie ad dirimendum inter partes exorte controversie scrupulos, nos Domino dirigente, aliqua ex premissis ordinationibus et statutis a vobis editis, ut[17] salubrius maneant et utilius commoditati proficiant generali, de fratrum nostrorum consilio moderanda providimus, cetera vero ne rigore districtionis unitatem communionis exasperent resecanda. Etenim circa id quod statuere voluistis, ne ullus religiosus nullum Parisius habens collegium et a jure publice docere prohibitus in magistrorum collegium ullatenus admittatur, et singula religiosorum collegia singulis magistris actu regentibus et unica scola decetero sint contenta, consideranda nobis ea diligenter occurrunt, que memoratus Gregorius circa statum scolarium et scolarum Parisiensium statuisse dicitur observanda[18], videlicet quod quilibet cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram .. episcopo vel de ipsius mandato in capitulo Parisiensi vocatis ad hoc et presentibus pro universitate scolarium duobus magistris in sua institutione jurabit, quod ad regimen theologie ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore secundum statum civitatis et honorem ac honestatem facultatum ipsarum non nisi dignis

licenciam largietur, nec admittet indignos, personarum et nationum acceptatione submota. Ante vero quam quemquam licenciet infra tres menses a tempore petite licencie tam ab omnibus theologie[19] magistris in civitate presentibus quam aliis viris honestis et litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia et facundia necnon proposito et spe proficiendi ac aliis, que sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat et inquisitione sic facta quid deceat et quid expediat bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti licenciam postulatam. Magistri vero theologie ac decretorum, quando incipiunt legere, prestabunt publice juramentum, quod super premissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit, quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit, Parisiensibus canonicis libertate ac jure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.

Cum ergo ex constitutione hujusmodi liqueat manifeste, que in licenciando scolares ad scolarum regimen cancellario sit facultas et quanta sibi super hoc religio fidei et circumspectionis necessitas indicatur, videri potest acutius intuenti, auctoritati constitutionis apostolice, que statui scolarum et scolarium providens certos cancellarii officio terminos potestatis indulget, per constitutionem vestram in propagandi studii dispendium derogari. Volumus itaque cancellarii potestatem in constitutione sepefati Gregorii circa statum Parisiensis studii declaratam nulla imminutione convelli. Ipse tamen circa licenciandos hujusmodi tam de scolaribus quam de regularibus non solum ea, que attendenda in constitutione ipsius G. exprimuntur, verum etiam statum et necessitatem ecclesie generalis et populorum salutem diligenter attendat, et hiis, quos suffragantibus meritis et suadentibus circumstanciis viderit ad magisterium promovendos, sic faveat, quod capacem sensum a natura sortiti ad profectum scientie proposito studiosis magistralis tituli premio provocentur et ad gubernaculorum officia, que intra sanctam ecclesiam sepius imminent, personis idoneis dispensanda suppetere possit virorum copia probatorum, presertim in arte artium, que profecto est regimen animarum. Ex eo autem, quod aliqua secularium vel religiosorum collegia de licencia cancellarii plures meruerunt habere magistros hactenus aut scolas, nolumus eis circa proprietatem vel possessionem habendi hujusmodi jus imposterum provenisse, sicut hiis, qui non plures vel nullum hactenus habuisse noscuntur, nolumus ex hoc viam aliquem vel plures habendi precludi, si cancellarius omnibus que considerari debent inspectis alicujus vel plurium licenciam eis viderit, prout sibi competit, concedendam. Illud autem quod de bacellariis statuistis ad magistralem theologice facultatis cathedram nisi aliquos ejusdem facultatis libros glosatos et sententias in scolis alicujus magistri actu regentis legerint nullatenus admittendis sic duximus temperandum, ut repelli tales non debeant, si ubicumque Parisius, dummodo in loco publico et honesto, eos predictos libros legisse patuerit, nec etiam hoc ipsum probationis experimentum exigi volumus circa illos, de quibus alias manifeste constiterit quod ad scolarum regimen sint idonei comprobati. Statutum vero, quod decrevistis, ne ullus

magister in facultate quacumque ad consortium magistrorum vel collegium Universitatis aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione magistrorum vel saltem coram tribus magistris sue facultatis ad hoc specialiter deputatis prestito juramento, quod secreta et consilia vestra post inhibitionem sibi factam a vobis bona fide celabit, alioquin pene subjaceat in statuto hujusmodi constitute, hoc moderamine mitigamus saluti animarum et conscientiarum ac fame perhiculis precaventes, ut si talibus ardua et difficilia negocia ab Universitate commissa fuerint in secreto tenenda, illa sic teneantur bona fide celare, quod nemini ea in ejusdem Universitatis dispendium revelabunt, nisi forte talia essent, que non possent sine animarum periculo subticeri. Denique super cessatione scolarum non obstante alia ordinatione vel contraria constitutione a vobis edita eam formam dumtaxat observari volentes, quam prefatus G. in constitutione, quam super hoc edidit, noscitur tradidisse, quod videlicet, si forte vobis hospitiorum subtrahatur taxatio, aut quod absit vobis vel alicui vestrum injuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel membri mutilationis, nisi congrua monitione premissa infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione prehabita cesset injuria, statim a lectione cessare, si tamen id videbitis expedire. Eidem forme adiciendo statuimus, ut cum pro aliqua ex causis in eadem Gregorii constitutione contentis universitas vestra lectiones duxerit suspendendas, omnes magistri tam regulares quam seculares ipsas suspendere teneantur, eas nisi cum Universitate minime resumpturi. Sane si super observantia hujus statuti de lectionibus suspendendis et ejus quod premittitur, videlicet de secretis et consiliis Universitatis minime revelandis, aliquam obligationem videritis deliberatione provida statuendam, qua tam presentes magistri quam posteri ad ea explicite ac specialiter astringantur, vobis dummodo due partes magistrorum theologice facultatis et eodem modo due partes magistrorum singularium[20] facultatum reliquarum, videlicet canonistarum, physicorum et etiam artistarum, suum super hoc voluerint prestare consensum, id faciendi liberam concedimus facultatem. Hiis itaque statutis et ordinationibus secundum moderationem nostram robur inviolabilis observantie habituris, cetera pro pace vestra suadente providentie consilio resecamus, denunciantes, ne magistri regulares vel seculares ea servare teneantur ex debito prestiti juramenti vel ad ea servanda in posterum sacramento ligentur, libertatibus Parisiensis ecclesie in omnibus et per omnia semper salvis et in aliis Universitatis vestre privilegiis, indulgentiis et immunitatibus in suo nichilominus robore[21] duraturis. Predictos insuper Predicatorum Ordinis fratres theologice facultatis magistros ad magistrorum consorcium ipsosque ac auditores eorum ad Universitatis collegium de nostre potestatis plenitudine restituentes omnino et decernentes, ad eadem consorcium et collegium a vobis in dulcedinis ubere sine difficultate qualibet admittendos, omnes sententias privationis seu separationis a consortio Universitatis vel similibus sive penas alias in eosdem fratres vel

scolares eorum premissorum occasione prolatas penitus revocamus, non obstantibus statutis quibuslibet juramento, pena, sive obligatione, vel confirmatione qualibet roboratis aut litteris a sede apostolica impetratis vel decetero impetrandis, que de presenti ordinatione ac providencie nostre statuto plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo, *etc.*, nostre ordinationis, constitutionis et revocationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Neapoli xviij kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 20. Supersunt fila seric. flavi et rubei coloris. Ad conv. Praedicat. S. Jacobi pertinuisse videtur. Alterum originale ibid. M. 257ᶜ, nº 7, in statu pessimo. — Reg. Vat. Alexandri IV an. 1, ep. 272, fol. 39. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 18. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 20. *Magnum Chart. eccles. Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 178ᵇ : « Laterani v id. Aprilis anno secundo ». In ms. privilegia ord. Minor. continente et ad ord. Servor. Mariae pertinente legitur in fine : « Transcriptum autem litterarum istarum fecimus sub sigillo Parisiensis curie, salvo jure in omnibus alieno, anno Domini MCCLV, mense Junio ». Cod. Rutenens. Constit. ord. Praed., p. 237. *Vidimus* an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. *Cartul.* ibid. H. 221, fol. 46ᵇ. — Bulaeus, III, 282.

1. Reg. Vat. : « invidia ». — 2. Vide supra nº 79. — 3. Supra nº 219. — 4. Supra nº 222. — 5. Reg. Vat. : « et ». — 6. Supra nº 222. — 7. Supra nº 223. — 8. Supra nº 200. — 9. Supra nº 219. — 10. Reg. Vat. « et » ac « eorumdem ordinum » ponitur post « fratrum ». — 11. Reg. Vat. : « turbatis ». — 12. Reg. Vat. : « omnibus ». — 13. Supra nº 225. — 14. Supra nº 226. — 15. Humberto. — 16. Reg. Vat. : « presentia constitutis ». — 17. In Reg. Vat. « ut » est postea superscriptum. — 18. Supra nº 79. — 19. Reg. Vat. « magistris theologie », sicut erat etiam in originali, ubi lineolae significant positionem verborum ut supra. — 20. Reg. Vat. : « singularum ». — 21. Reg. Vat. om.

---

248. *Alexander IV Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis de superiore epistola significat.*

1255, Aprilis 14, Neapoli.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Controversiam dudum inter dilectos filios magistros et scolares Parisienses ex parte una et quosdam religiosos ex altera super quibusdam statutis inimico homine superseminante subortam, nos per ordinationem providam de fratrum nostrorum consilio sopientes dilectos filios Bonumhominem et Helyam Ordinis Predicatorum fratres Parisius in theologica facultate magistros, dudum occasione predicte controversie per magistros theologie ac alios nomine Universitatis scolarium Parisiensium a magistrorum consortio ex ipsius Universitatis collegio separatos, quos a felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro postmodum restitutos de gratia speciali iidem magistri et alii, licet super hoc mandatum apostolicum receperint, noluerunt admittere : ad idem magistrorum consortium, ipsosque ac auditores eorum ad Universitatis collegium restituimus omnino de nostre plenitudine potestatis, omnes sententias privationis seu separationis a consortio societatis vel collegio Universitatis aut similibus, sive penas quaslibet vel prohibitiones in eosdem fratres vel auditores eorum premissa occasione prolatas, penitus revocando. Dictorum quoque statutorum quedam resecanda penitus, quedam vero ut salubrius proficiant moderanda, et alia etiam ordinanda pro studii Parisiensis conservatione providimus, prout ex litteris nostris

super hoc confectis, que *Quasi lignum vite* incipiunt, vobis liquere poterit evidenter[1]. Quocira fraternitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus ordinationem ipsam faciatis inviolabiliter juxta earundem litterarum continentiam observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita (premissis, seu quod predictus predecessor executionem restitutionis predictorum fratrum dicitur dudum aliis commisisse, aut si aliquibus sit indultum, quod absque sedis apostolice speciali mandato excommunicari, interdici vel suspendi seu extra suam diocesim vel ultra sive extra certum locum ad judicium evocari nequeant, sive qualibet apostolica indulgentia, de qua expressam seu de verbo ad verbum fieri mentionem oporteat, vel per quam hujusmodi executio impediri valeat vel differri, aut constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali non obstantibus) compescendo[2]. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat.[3] Neapoli xviij kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 19. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum », et infra R : cclxxvij cap. [anno primo]. Revera invenitur in Reg. Vat. Alexandri IV an. 1, cp. 277[3], fol. 40[b]. — *Vidimus* an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. *Cartul.* des Dominicains, ibid. H. 221, fol. 53. — Bulaeus, III, 286, epistolam abbreviatam affert. Ibid., p. 294, easdem litteras refert ad « vij id. Decemb. ».

1. Supra nº 247. — 2. Quod utique evenit, ut ex actis posterioribus liquet. Bulaeus, III, 287, refert magistros septem potissimum rationes edidisse (quas etiam edidit), quibus se ad Praedicatorum receptionem compelli non posse contendebant. At istae rationes nihil nisi excerpta sunt ex libro *De periculis novissimorum temporum* et litteris Universitatis infra nº 256 allatis. Puto Bulaeum eas sumpsisse ex *Antilogia papae* (Basil. 1555), p. 137. — 3. In Reg. Vat. : « Dat. ut supra », sc. nº 247.

---

249. *Alexander IV magistris theologiae Parisiensibus mandat, ut magistros Ord. Praed. in theologica facultate regentes infra quindecim dies ad societatem admittant.*

1255, Aprilis 14, Neapoli.

Magistris theologie Parisiensibus. Controversiam dudum inter vos et universitatem scolarium Parisiens. ex una parte, et quosdam religiosos ex altera super quibusdam statutis inimico homine superseminante subortam per ordinationem providam de fratrum nostrorum consilio sopientes dil. filios Bonumhominem et Helyam Ord. Praed. fratres in theologica facultate magistros, occasione predicte controversie per vos et alios magistros Parisienses nomine Universitatis a vestro consortio et Universitatis collegio separatos, quos vos magistri a fel. recordationis I. papa predecessore nostro restitutos de gratia speciali, licet super hoc mandatum apostolicum receperitis, noluistis admittere, ad idem consortium ipsosque ac auditores eorum ad Universitatis collegium restituimus omnino de nostre plenitudine potestate, omnes sententias privationis seu separationis a consortio societatis vestre vel collegio Universitatis aut similibus sive penas quaslibet vel prohibitiones in eosdem fratres vel auditores eorum premissa occasione prolatas penitus revocando. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus fratres et

auditores predictos infra xv dies post receptionem presentium juxta restitutionis et revocationis nostre tenorem sine difficultate qualibet ob nostram et apostolice sedis reverentiam in dulcedinis ubere admittatis, et tractare curetis decetero socialiter et benigne, alioquin extunc voluimus usque ad satisfactionem condignam eos, qui ex vobis contradictores extiterint, suspensionis ab officiis et beneficiis sententie subjacere. Dat.[1] Neapoli xviij kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Vat. Alexandri IV an. 1, ep. 277[4], fol. 40[b]. — *Cartulaire* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 54[b]. Bulaeus, III, 286.

1. In Reg. : « Dat. ut supra », sc. nº 247.

---

250. *Humbertus, magister generalis Ord. Praed., enumerat querelas praelatorum contra fratres, quos admonet, ne in futurum talibus querelis occasionem praebeant.*

1255, medio Maio, Mediolani.

Karissimis in Christo patribus Predicatoribus universis, frater Humbertus servus eorum inutilis salutem in omnium Salvatore. Noverit vestra dilectio, quod cum dominus papa Alexander caritative nos monuisset ac diligenter, ut super querimoniis, quas multi prelati de diversis partibus contra ordinem nostrum movebant, tale consilium apponeremus, ne ecclesia Romana cogeretur aliquid grave nobis super hoc ordinare, nos auditis querimoniis predictis, et memorie commendatis, habita super hiis collatione cum diffinitoribus capituli generalis Mediolani celebrati de consilio eorum omnium et assensu, prout continetur inferius, duximus ordinandum. Una querimonia est, quod aliqui dant et ministrant interdum sacramentum eucharistie vel baptismi vel extreme unctionis. Super hoc ordinamus, quod hoc non fiat nisi in casu necessitatis, vel de licentia episcoporum vel sacerdotum : nec est utendum talibus licentiis, nisi multum rationabilis causa hoc exigat. Alia est, quod fratres diebus dominicis et festivis recipiunt parrochianos alienos ad divina officia, et ita non veniunt ad parrochias, sicut tenentur. Super hoc ordinamus, ut non fiat, et fratres predicent, et doceant, et consulant, tam publice quam private, quod parrochiani debent diebus predictis ad suas parrochias convenire, et ibidem audire divina officia, et mandata ecclesie devote suscipere, et oblationes debitas reddere. Nec debent fratres scienter aliquid facere vel dicere ad hoc, ut predicti parrochiani retrahantur a suis ecclesiis, et ad nostras conveniant. Alia est, quod fratres predicant illa die vel hora qua episcopi predicant, non defferentes episcopis, prout debent, et per hoc dant occasionem, ut episcopi pauciores habeant auditores. Super hoc ordinamus, ut illa hora, qua episcopus vel alius loco ejus solempnem facit predicationem et consuetam, fratres non faciant sermonem ad populum, nisi forte in aliquo casu hoc fieret de ejus beneplacito. Item, si interdicant episcopi ne tota illa die predicent, tunc fratres acquiescant eis. Si vero in hiis casibus vellent concedere episcopi quod fratres Predicatores predicarent, non Minores;

non utantur fratres istis licentiis, nisi communiter concederetur utrisque, ne ex hoc aliqua turbatio nascatur inter fratres Minores et nostros. Alia est, quod faciunt predicationes in diebus dominicis et festivis, quibus debeant parrochiani convenire ad ecclesiam illa hora, qua debent populi ad suas parrochias convenire, et sic retrahantur a suis parrochiis parrochiani. Super hoc ordinamus quod in locis, in quibus habemus domos, fratres non faciant sermonem in domibus nostris vel plateis vel locis communibus hora predicta, nisi hoc fieret in casibus aliquibus de licentia episcopi vel beneplacito sacerdotum, vel in festis, vel nisi essent ecclesie nostre parrochiales. Alia est, quod fratres predicant in parrochiis ante receptionem oblationum, et hac occasione defraudantur sacerdotes oblationibus consuetis. Super hoc ordinamus quod hoc non fiat contra beneplacitum sacerdotum, nisi forte in casu de ordinatione episcopi. Alia est, quod fratres ordinant fere de omnibus testamentis, et defraudantur clerici de bonis que solebant eis de testamentis obvenire. Super hoc ordinamus quod fratres non se ingerant notabiliter ad testamenta; si contingat eos aliquando interesse, debent inducere testatores ad benefaciendum ecclesiis suis et clericis, cum ad hoc multis rationibus teneantur. Alia est, quod occasione fratrum amittunt secularium sepulturas, quia relictis ecclesiis secularibus multi apud nos sepulturas eligunt, et non redditur eis a fratribus portio, que secundum jura debetur de bonis, que fratribus obveniunt occasione sepulturarum. Super hoc ordinamus quod nullus frater avertat aliquem quin eligat sepulturam in ecclesia sua. Si autem sepultus fuerit apud nos, reddant fratres sine omni difficultate ecclesiis, a quibus assumuntur corpora, quicquid secundum varias consuetudines ab aliis ecclesiis in simili casu fieri consuevit. Alia est, quod occasione fratrum videntur seculares aversi a sacerdotibus et clero. Super hoc ordinamus quod fratres, tam publice quam private, inducant laycos ad exhibendam reverentiam prelatis et sacerdotibus et clero, et ad reddendum eis jura, et foveant eos in devotione ad ecclesias seculares. Alia est, quod fratres audiunt confessiones sine licentia episcoporum et sacerdotum. Super hoc ordinamus quod fratres propter indulgentias ordinis non obmittant, quin petant licentias de audiendis confessionibus ab episcopis vel sacerdotibus parrochialibus. Hanc autem ordinationem nostram volumus in scriptis defferri ad quemlibet conventum totius ordinis, et diligenter servari. Datum Mediolani anno Domini MCCLV.

Mss. Rom. et Rutenens. capp. general. Ord. Praed. ad ord. pertinentes. Arch. départ. de la Gironde, fonds Dominicains, nº 651 bis, p. 158. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1709. *Annales de Burton*, ed. Luard, p. 434. — Sic etiam Gregorius X an. 1274 precibus « multorum clericorum et prelatorum pulsatus fuit ut circa statum ordinis aliquid in Concilio immutaret; ipse tamen eorum instantiam ad exauditionis gratiam non admisit ». Voluit nihilominus, ut Ordo ipse aliquid ordinaret, per quod clamor clericorum quiesceret, et episcopus Hostiensis (Petrus de Tarantasia) exhibuit papae et cardinalibus scriptum puncta exhibens, de quibus Johannes Vercellensis, magister Ord. Praed., fratres sui ordinis certiores fecit. Cf. epistolam ejusdem ad P. de Valentia directam apud Martène, l. c., p. 1777.

251. *Alexander IV fratres Cistercienses in theologica facultate studentes Parisiis sub beati Petri protectione suscipit eisque privilegia Ordinis concedit.*

1255, Junii 18, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monachis de loco qui dicitur Beati Bernardi Parisiensis, Cisterciensis Ordinis, in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii nos vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu ad instar fel. rec. Innocentii pape predecessoris nostri personas vestras et locum, *etc. sicut supra* nº 157. Dat. Anagnie xiiij kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/260. Deest bulla plumbea.

---

252. *Alexander IV studentibus Cisterc. Parisiis novicios ad professionem admittendi potestatem concedit.*

1255, Junii 22, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis provisori et monachis constitutis in loco qui dicitur Beati Bernardi Parisiensis, Cisterciensis Ordinis, in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Dudum personas vestras et locum, in quo sub observantia regulari degitis desudantes theologie studio, ad instar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione affectu benivolo admittentes, *etc. sicut supra* nº 161, *usque* valeatis. *Deinde :* maxime cum id dilectis filiis .. abbati et generali capitulo Cisterciensi, sicut ex eorum litteris nobis super hoc directis accepimus, placeat, ad instar predecessoris ipsius vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie x kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 27. Supersunt fila seric. flavi et rubei coloris. Aliud originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/260. Deest bulla plumbea. In margine superiori legitur : « duplicetur ». — D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 365.

---

253. *Alexander IV laudat propositum Stephani abbatis Claraevallensis ut domus studii Parisiis habeatur.*

1255, Junii 22, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati Clarevallensi salutem et apostolicam benedictionem. Virtutum intenta cultui, *etc. sicut supra* nº 133, *usque* vacaturi. *Deinde :* Nos hujusmodi propositum plenis laudibus prosequentes ad instar fel. recor-

dationis Innocentii pape predecessoris nostri tibi ac universis abbatibus Cisterciensis Ordinis ut id libere possitis efficere auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie x kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/260. Deest bulla plumbea.

---

254. *Guillelma abbatissa et conventus S. Antonii Paris. Ord. Cisterc. vendunt dominium et jus super novem domos in vico qui dicitur « aux Estuves » juxta domum fratrum Minorum abbati et conventui Praemonstratensi.*

1255, mense Junio, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis soror Guillerma humilis abbatissa S. Antonii Parisiensis totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum haberemus dominium fundi terre et ventarum necnon et censum septem librarum et sex solidorum parisiensium annui redditus super novem domos sitas Parisius juxta domum fratrum Minorum in vico qui dicitur aux Estuves, videlicet quatuor solidos parisien. fundi terre super domum liberorum uxoris Ade dicti Romani; duodecim solidos parisien. fundi terre super domum defuncti Petri Sarraceni[1]; et centum solidos parisien. incrementi census super eandem domum; sex solidos parisien. fundi terre super domum Joannis de Bellomonte; sex solidos parisien. fundi terre super domum Margarete dicte Dou Celier; quatuor solidos parisien. fundi terre super domum Nicolai dicti Romani; quatuor solidos parisien. fundi terre super domum defuncti Richardi dicti Dou Porche; quadraginta denarios parisien. fundi terre super domum magistri Johannis canonici S. Benedicti Parisiensis; quadraginta denarios parisien. fundi terre super domum Agnetis de Vitriaco, et quadraginta denarios parisien. fundi terre super domum Dionysie de Campis : nos pro evidenti utilitate domus nostre, de communi consensu et voluntate nostra ac de licentia domini abbatis Cisterciensis patris nostri in hoc utilitatem ecclesie nostre attendentis et ipsum contractum ad petitionem nostram per suas patentes litteras confirmantis, sicut in eisdem litteris plenius continetur, ac etiam venerabilis patris episcopi Parisiensis eundem contractum assensu suo et consilio approbantis et per suas litteras attestantis, vendidimus abbati et Ordini Premonstratensi prefatum fundi terre dominium et ventarum, necnon et omne jus, quod cum ipso dominio et cum prefatis septem libris et sex solidis parisien. census annui in predictis novem domibus[2] et in earum fundo habebamus et habere poteramus pro trecentis et quinquaginta libris parisiensis monete in aliam hereditatem utiliorem nostre ecclesie jam conversis. Que omnia supradicta, videlicet tam dictum fundi terre dominium et ventarum ac omne jus contingens occasione ipsius dominii fundi terre, quam predictas septem libras et sex solidos parisien. annui census, que nobis super domos supradictas annis singulis debebantur, et etiam

plenam possessionem et pacificam omnium predictorum in dictos abbatem et Ordinem Premonstratensem per traditionem transtulimus : promittentes bona fide, quod contra venditionem predictam et omnia supradicta nec per nos nec per alium aliquatenus decetero veniemus, et quod predicta omnia abbati et ordini memoratis secundum usum et consuetudines parisienses garantizabimus contra omnes. In cujus rei testimonium et memoriam presentes litteras dictis abbati et Ordini Premonstratensi tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Parisius anno Domini M CC L V, mense Junio.

Le Paige, *Bibliotheca Praemonstratensis*, p. 583. Ex illo Felibien, *Histoire de la ville de Paris*, III, 209. Bulaeus, III, 301. — In Arch. nat. Paris. S. 4342, nº 4, nonnisi apographum factum secundum *Annales Praemonstrat.* (Nancei, 1734), I, p. ccccxxix, ubi etiam omnia haec documenta inveniuntur.

1. Vide supra nº 214. — 2. Collegium Praemonstratensium proprie in isto loco erectum est, ubi etiam remansit usque ad abolitionem. Mense Octobri an. 1256 acquisierunt insuper domum quamdam contiguam, quae Johanni de Bellomonte, civi Paris., pertinebat (Le Paige, *Bibl. Praemonstrat.*, p. 584), anno vero 1285 (1286) horreum cum horto, quod an. 1294 memoratur in quadam charta, in qua invenimus : « ad opus scolarum (scolarium?) totius ordinis Premonstratensis ». Cf. infra nº 386, et *Topographie historique du vieux Paris* par Tisserand : *Région occidentale de l'Université*, p. 383, 458 sqq.

---

255. *Alexander IV magistris Salamantinis concedit ut ii quos in examine idonei inventi fuerint ad regendum, in quolibet generali studio, Parisiensi et Bononiensi exceptis, sine iterato examine regere valeant.*

1255, Septembris 22, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Salamantin. salutem et apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum quod hii, qui agrum studii cotidianis lectionibus excolunt, ut valeant percipere scientie margaritam, in suis[1] petitionibus invenisse nos gaudeant favorabiles et benignos, ut tanto eorum studium exerceatur liberius quanto favore apostolico se senserint communitos. Cum igitur, sicut ex tenore vestre petitionis accepimus, contingat interdum quod hii qui semel examinati et approbati in Salamantino studio, in quacumque facultate quamquam inventi sint idonei ad regendum, nisi iteratum examen in eadem facultate subeant alibi regere minime permittantur, ut ne totiens examen subire oporteat eos, quotiens alibi regere ipsos contingit, provideri quieti vestre super hoc de benignitate apostolica petiistis. Nos igitur carissimi in Christo filii nostri regis Castelle ac Legionis illustris ac vestris supplicationibus inclinati, ut postquam aliquis magistrorum vel scolarium in Salamantino studio in quacumque facultate examine legitimo precedente[2] inventus fuerit idoneus ad regendum, in quolibet generali studio, Parisiensi et Bononiensi dumtaxat excepto, in facultate ipsa pro qua ibi semel examen subiit sine iterato examine ac alicujus contradictione regere valeat vobis et vestris successoribus auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.* Dat. Anagnie x kal. Octobris, anno primo.

Originale in Arch. Univers. Salamantin. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. — Reg. Vat. Alexandri IV an. 1, ep. 653, fol. 97ᵇ, ubi « kal. Octobris ».

1. Reg. Vat. : « sue ». — 2. Reg. Vat. : « procedente ».

256. *Magistri et scholares Paris. omnium facultatum denuntiant Alexandro IV se omnibus renuntiasse privilegiis, nullam cum fratribus Praedicatoribus societatem iniri posse, dissolutam esse ipsorum magistrorum societatem; si ad ineundam cum Praedicatoribus unionem cogerentur, se malle a civitate discedere.*

1255, Octobris 2, Parisiis.

Sanctissimo patri ac domino suo Alexandro divina providentia summo pontifici singuli magistri et scolares omnium facultatum, reliquie dispersionis Parisiensis studii, preter Universitatis collegium Parisius commorantes, devotissima pedum oscula beatorum. Radix amaritudinis sursum germinans, apostolo detestante, persecutorum nostrorum, fratrum videlicet Predicatorum, in cordibus coalescens, in fructus amaros adeo pullulavit, quod studium nostrum, per quod desideratas mundi glorias assecuntur, non sine nota ingratitudinis tum per lites et jurgia, tum per secularis potestatis terrores jam fere triennio impedivit, et multorum conscientias inquinavit. Nuper autem dicti persecutores per suam instantiam importunam, cui resisti vix potest, sub pretextu ordinationis ejusdem studii quandam a vestra clementia subreptitiam litteram extorserunt, que, *Quasi lignum vite* voce tenus incipiens[1], preter intentionem vestram et fratrum vestrorum, ut credimus, nobis facta est lignum mortis, antiquum studii memorati ordinem et tranquillitatem fere usque ad exinanitionem multipliciter perturbando. Ut enim ad presens de ceteris ibi contentis gravaminibus, que studii supradicti fervorem extingunt, vigorem enecant, taceamus : illud unum in ea nobis intolerabile et letale periculum continetur, ut cum simus alienigenarum multitudo inhermis, quibus ab indigenis atroces et corporales injurie frequentius irrogantur, nec aliud dictas injurias prosequendi habere soleamus auxilium, quam usque ad excitationem principis generaliter nostras suspendere lectiones, illud unicum nostrum remedium nobis per memoratam litteram est ablatum, ubi cavetur, quod non nisi de consensu duarum partium magistrorum cujuslibet facultatis obligationes valeamus facere de cessando. Cum enim magistrorum saltem theologie pars major quam tertia de canonicis Parisiensis ecclesie et fratribus aliorum conventuum Parisien. maxime occasione dicte ordinationis semper existat, qui timore translationis studii aut recessus scolarium in generalem cessationem sicut experti didiscimus nequaquam possent induci, restat, ut nec per hanc viam, nec per aliam, cum alia non existat, injurias nostras prosequi valeamus. Propter quod singuli nostrum tanquam oves disperse impune dati sumus cedibus pestilentium et perversis incursibus malignorum. Que autem, pater sancte, persecutorum nostrorum utilitas in sanguine nostro, dum per talem ordinationem ab eis nequiter procuratam descendimus in occisionem[2]? Etsi enim non solum nobis, sed et eis, ut vere asserunt, dicta ordinatio sit nociva, non hec tamen eos excusat assertio, sed in hoc ipso magis apparet eorum malitia, qui ut nobis nocere valeant, propria non timuerunt incurrere detrimenta. Ceterum cum duos dictorum fratrum, Bonumhominem et Helyam, contra suam professionem eos ad evangelica Christi consilia obligantem vocatos magistros, olym

propter eorum rebelliones et contumacias ab Universitatis collegio quondam separatos ad magistrorum consortium et tam eos quam eorum auditores ad ejusdem Universitatis collegium per falsas eorum preces restituendos duxeritis de vestre plenitudine potestatis, licet contra falsitatem ipsarum precum plurime nobis exceptiones suppeterent, dicte tamen restitutioni non duximus resistendum, quia vacare litibus, maxime contra curiosos litium amatores, nec volumus nec valemus. Sed attendentes minus incommodum nobis fore beneficiis Universitatis carere, quam dictorum fratrum societate, quam nobis damnosam experimento cognovimus, et universali ecclesie periculosam fore timemus, ulterius pregravari; attendentes etiam quod societas non per violentiam solet, sed per amicitiam copulari; considerantes nichilominus quod secundum juris normam in communionem aut societatem nemo compelli potest vel detineri invitus : a predictis collegio et consortio, sicut nobis a jure conceditur, sigillatim discessimus, ipsius Universitatis beneficiis et privilegiis renunciantes expresse, et sic renunciando juri nostro sine juris et mandati vestri offensa societatem eorum per viam juris duximus declinandam, illa ducti potissimum ratione, quoniam non solum inter nos, verum etiam per universam ecclesiam ipsi et eorum fratres dissensiones, offendicula, et alias inordinationes periculosas facere non verentur, cum dicat apostolus : « Rogo vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula preter doctrinam quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis. » Et alibi : « Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini Jesu Christi, ut substrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis; ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos » (glossa : « ut illi qui aliena negotia curant vagantes hac in illac »). Propter quas causas et alias plurimas ex divinis scripturis assumptas, quas parati essemus in generali aut provinciali Concilio declarare, societatem eorum periculosam, quam et nobis arbitramur illicitam, vehementius abhorremus. Memorati vero fratres nos invitos ad eorum consortium contra Deum et equitatem et preter mandati vestri formam indirecte compellere molientes venerabiles patres Aurelianensem et Autissiodorensem episcopos, prefate ordinationis executores[3], adeo seduxerunt, ut cum a nobis receperint in mandatis, quatinus dictam ordinationem faciant inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, ipsi formam mandati vestri, nescimus quo ducti spiritu, excedentes, parum attendentes stragem multorum[4] et scandala plurimorum, non in contradictores, ut eis mandatum extiterat, sed in omnes magistros et scolares, qui memoratos fratres et eorum auditores infra xx dies non admitterent ad predicta, non distinguentes inter illos qui admittere poterant et debebant, utpote de illis collegio et consortio existentes, et illos qui ad ea nec admittere poterant nec debebant, utpote non existentes de collegio et consortio supradictis, de facto, cum de jure non possent, post appellationem legitimam a singulis nostrum, ne quid in juris nostri prejudicium attemptarent, interpositam, excommunicationis sententiam protulerunt. Propter quem excessum ad pietatem vestram infra tempus

legitimum iterato duximus appellandum. Ipsi vero nostra quidem appellatione contempta nos paucos, qui, ceteris conscolasticis nostris a studio Parisiensi propter insolentias dictorum fratrum recedentibus, adhuc sub expectatione justitie vestre Parisius commoramur, modis omnibus quibus possunt inquietare non cessant, et studium nostrum jam fere dissipatum impediunt et perturbant, cum tamen, ut conqueri solent, non prohibeamus eos quominus tot scolas habeant et scolares, sive de secularibus sive de regularibus, quot habere volunt et possunt, nec quominus privilegiis nostris omnibus tam ipsi quam eorum auditores gaudeant, quemadmodum et nos ipsi in nullo etiam volumus, ut nobis inferiores aut posteriores existant. Nos enim nichil ab eis exigimus, nisi ut nos ex una parte civitatis patiantur pacifice et quiete, nec ad domos aut scolas nostras seu etiam ad conventus nostros, in quibus magistri non nisi rogati conveniunt, sicut nec consuetum extitit, nobis invitis se ingerant violenter. Nos enim (quoniam ipsi de mandato domini regis paratam semper habent ad nutum suum multitudinem armatorum, unde et sollempnitates magisteriorum suorum nuper sine nobis cum armatis plurimis celebrare ceperunt) formidantes eorum congressum (precipue ne ipsos ingerentes se nobis per violentiam admittendo appellationi nostre predicte renunciare aliquatenus videremur) idcirco ne nobis se ingerant, ad predicta eos attente rogandos et quantum de jure potuimus, prohibendos duximus viva voce.

Ad hec memorati fratres maligno spiritu instigati novos nocendi modos arte dyalectica perquirentes contra venerabilem virum magistrum Guillermum de Sancto Amore[5] capellanum vestrum, apud nos in theologica facultate regentem (quem propter defensionem juris nostri sibi constituerunt exosum), quod ipse, in cujus ore apud nos non est inventus dolus, personam vestram infamie non patentem (utpote cujus ab ipso puerili evo semper rutilans fama coruscavit) ore maledicto diffamasset contra vos libellum famosum[6] in congregationibus nostris pluries recitando, per excogitata mendacia confinxerunt. In quo facto universis, etiam nobis, diffamationis vestre notam nequiter impegerunt, dum nos eam libenter ascultasse (cum nemo invito auditori libenter referat) mendaciter innuerunt, et mediante quodam cappellano et nuntio vestro transeunte Parisius, nomine Gregorio[7], cui predicta falsa per circumventionem suggesserant, ad majorem turbationem studii prefatum magistrum apud illustrem Francorum regem et venerabilem patrem Parisiensem episcopum super dicta diffamatione ab eis conficta perperam detulerunt. Memorato vero episcopo judice nostro ad stimulationem domini regis et prefati Gregorii contra ipsum magistrum inquisitionis judicium statuente, ac ipso magistro dictum citari Gregorium postulante, ut in judicio compareret dicturus, a quibus illam famam acceperat, et quosdam libellos clandestinos, quos contra dictum magistrum se recepisse dixerat, ostensurus, et si quid de predictis contra ipsum magistrum probare vellet et posset, legitime probaturus. Nec episcopus, ut dicebat, ausus fuit illum ad comparendum compellere, nec ipse Gregorius propter confusionem sui erroris ausus fuit in judicio comparere, sed in verbis suis

multipliciter variando, et prius dicta consequenter negando male sibi conscius subito de civitate recessit. Tandem idem episcopus quantum de jure, immo plus quam de jure potuit, procedens per dilationes plurimas in predictis, cum nec famam contra magistrum invenire potuit laborantem, nec accusatorum seu denunciatorum aliquis appareret, canonica purgatione ab ipso magistro ad omnem suspicionem perpetuo excludendam, presentibus iiij^or millibus clericorum ob honorem sponte nostrum oblata eundem magistrum ab instantia judicii sui sententialiter liberavit, secundum quod in actis ejusdem episcopi sigillo suo signatis plenius continetur. Propter que scandala et offendicula supradicta, necnon et alia plurima, que longum esset presentibus enarrare, non immerito provocati, precipue propter execrabilem illam injuriam supradictam nobis omnibus in persona prefati magistri Guillermi de Sancto Amore, fidelissimi patroni nostri, seditiose ac nequiter irrogatam, quam cordibus singulorum nostrum infixam dissimulare nec volumus nec debemus, usque ad intima viscerum nostrorum inconsolabiliter sauciati necesse habuimus nostras huc usque suspendere lectiones. Tanta igitur, pater piissime, crudelitate commoti, tam stupenda inventione attoniti admirando si placet expergiscimini, attendentes qualiter juxta veridicam apostoli prophetiam operarii subdoli (glossa : « callide sub specie religionis decipientes ») in humilitate et religione angelorum seducunt (glossa : « qui videntur quasi nuncii Dei per speciem et humilitatem religionis »). Et hec sunt quibus possunt homines facile seduci. Attendatis qualiter fel draconum, vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Nam secundum Gregorium : « Nemo plus nocet in ecclesia Dei, quam qui perverse agens nomen habet sanctitatis vel ordinis. » Attendatis etiam, pater sanctissime, qualiter illi, qui mundum se asserunt reliquisse, nunc sub quadam falsa specie pietatis se majoribus hujus mundi negotiis implicantes, posteriores ejus glorias ambiunt et sectantur; qualiter etiam illi, qui ab initio sue conversionis elegerant in altissima humilitate et paupertate Christo Domino famulari, nunc sub pretextu consilii et doctrine in palaciis regum et aulis principum dominantur contra glossam Mathei xj sic dicentem : « Rigida vita et predicatio debet declinare mollium palacia, que frequentant induti mollibus adulantes. » Nec attendunt quod de viris sanctis cantat ecclesia : « Aulas regias contempnentes pervenerunt ad regna celestia. » Attendatis nichilominus, pater sancte, qualiter illi, qui olim cum apostolo spectaculum huic mundo fieri se gaudebant, aut certe simulabant, tanquam purgamenta hujus mundi et omnium peripsema, nunc sine prelatorum licentia predicando, ad penitentiam admittendo, absolvendo, ligando sibi potestatem ecclesie usurpantes in immensum ultra mensuram regule gloriantur in alienis laboribus, id est in plebibus alienis. Nolite, pater sanctissime, tantam simulationem dissimulare, tantam perniciem conniventibus oculis pertransire. Nolite hec vobis esse incognita, que jam vulgo et parum scientibus sunt aperta. Sed hec hactenus ad vestram in hac parte prudentiam excitandam sufficiant.

Nunc autem ad vestre paterne pietatis clementiam recurrentes totis desideriis obnixe duximus supplicandum, quatinus prefatam excommunicationis sententiam invalidam

decernentes, necnon ad pristinam libertatem nostram et statum antiquum, in quo tempore vestre promotionis eramus, salvis in omnibus et per omnia libertatibus Parisiensis ecclesie, nos pietatis intuitu reducentes, ad dictorum fratrum societatem, quam servitutem gravissimam ac nobis illicitam reputamus, nos contra Deum et canonica ac legitima instituta cogere non velitis. Alioquin, cum sine nostris et aliorum periculis, que parati essemus in provinciali aut generali Concilio, sicut predictum est, declarare, ad societatem nostram eos secundum statum eorum presentem salvis conscientiis admittere nequeamus, noveritis, nos potius studium nostrum in regnum aliud translaturos aut si aliud vobis prohibentibus facere non possemus, magis eligimus cum jactura nostra studium relinquendo ad proprios lares reverti et ibi nativa perfrui libertate, quam coacte ac periculose societatis ipsorum fratrum servitute intolerabili suffocari. Quo casu, quod absit, contingente non longe distaret ab ecclesia illa maledictio Isaiae : « Exceca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude. » Tunc enim propter defectum scientie fierent speculatores ecclesie ceci omnes, canes muti non valentes latrare. Tunc Samsonis vulpes caudas habentes ad invicem colligatas procul dubio segetes, vineas et oliveta ecclesie nullo prohibente inevitabiliter concremarent. Tunc etiam, quod absit, finiendum Petri timeri posset imperium juxta heresiarche Joachimi prophetias in libro illo, qui perniciose et damnabiliter *Eternum Evangelium* appellatur[8]. Vestram igitur, pater sancte, benignitatem attentius exoramus, ut beneplacitum vestrum super premissis nobis, si placet, sine more dispendio rescribentes, animas nostras diutius suspendere non velitis, sed finali responso vestro corda nostra quietare dignemini, ut secundum quod predictum est, incunctanter nobis et studio nostro providere commodius valeamus. Quod si rescriptionem vestram, quod absit, duxeritis differendam, timendum est vehementer ne studium nostrum predictum, quod de die in diem tam in numero personarum quam in fervore studendi magis ac magis minuitur propter negligentiam corrigendi, infra breve tempus omnino irreparabiliter destruatur. Nos autem magistri et auditores omnium facultatum, magistris fratribus et eorum auditoribus duntaxat exceptis, quoniam sigillum commune non habemus utpote ab Universitatis collegio separati, sigillis quatuor nationum ab antiquo Parisius distinctarum in hac littera usi sumus. Datum Parisius vj non. Octobris, anno Domini M° CC° LV.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 44ᵇ. Deest in Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876. — Bibl. Collegii Corp. Christi Cantabrigiae, ms. 107, p. 107; deest initium, et perperam inscribitur « epistola fratrum Minorum ad papam ». — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9950, fol. 4, ex cod. membran. nat. Picardae, fol. 106. — Bulaeus, III, 288.

1. Supra n° 247. — 2. « Occisionem » om. Cod. Reg. — 3. Supra n° 248. — 4. Cod. Vat. : « militorum ». — 5. Guillelmus de S. Amore hic primo aperte ut contrarius fratribus Mendicantibus nominatim affertur, quamvis ejus jam supra nis 122, 172, 173, 238, mentio facta sit. — 6. Nescio an hic sermo sit de Guillelmi libro famoso : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, de quo Alexander IV postea (infra n° 288) dixit, in ipso inter alia quaedam perversa contra potestatem et auctoritatem Romani pontificis contineri. Certe iste liber, cujus 23 codd. mss. inspeximus, an. 1255 primo apparuit, nam Guillelmus ipse in cap. 8 secundum mss. antiquiores et melioris notae affirmat, horam undecimam durare ab adventu Domini usque in finem mundi, « et certum est, hujusmodi hore xj° jam transacti sunt mille cclv anni », quod et in eodem cap. repetit. Cf. insuper edit. Constantiae (1632), p. 37 sq. Huic concordat *Explicit* in Cod. Vat. lat. 1160 (saec. XIII), fol. 47ᵇ : « Explicit liber scriptus Parisius contra ypocritas et falsos religiosos a magistro Wilhelmo de Sancto

Amore burgundo anno Dom. MCCLV ». Contra librum Guillelmi et ejus sequaces directae sunt Disputationes S. Bonaventurae, *De paupertate Christi*, S. Thomae, *Opusc. contra impugnantes Dei cultum*, et liber cujusdam religiosi ord. Min., qui incipit : *Manus que contra Omnipotentem tenditur*, de quo infra nº 367. — 7. In Reg. Vat. Alexandri IV an. 4, ep. 49, ad 31 Jan. 1257 mentio fit mag. Gregorii de S. Laurentio, subdiaconi et capellani papae ; ep. 53 : mag. Gregorii de Neapoli capellani (20 Decemb. ejusd. an.). — 8. Hoc veritati non omnino concordat. Abbas Joachim in sua *Concordia vet. et novi testamenti* (et solus hic liber, cum Introductorio fratris Gerardi, isto tempore Guillelmo notus erat) dicit e contrario : « non igitur, quod absit, deficiet ecclesia Petri, que est thronus Christi... sed commutata in majorem gloriam manebit stabilis in eternum ». Ed. Venet. 1519, fol. 95ᵇ. De sensu hujus sententiae vide *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch.*, I, 56.

---

257. *Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat, ut Introductorium in Evangelium aeternum et quasdam schedulas aboleri curet.*

1255, Octobris 23, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Libellum quendam, qui in *Evangelium Eternum* seu quosdam libros abbatis Joachim *Introductorius*[1] dicebatur, et quem fel. recordationis I.[2] pape predecessori nostro misisti, postquam illum per venerabiles fratres Tusculanum et Penestrinum episcopos, et dilectum filium nostrum H. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem, diligenter examinari fecimus[3], de fratrum nostrorum consilio decrevimus abolendum[4]. Et quia quedam cedule plerisque fuerunt exhibite, in quarum nonnullis multa, que in libello non continebantur eodem, nequiter sibi adscripta fuisse dicuntur[5], censuimus de ipsis cedulis illud idem. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus libellum ipsum et omnes cedulas supradictas auctoritate nostra facias aboleri, generalem excommunicationis sententiam proferens in omnes eundem libellum et cedulas ipsas habentes, nisi infra certum terminum, quem ad hoc prefixeris, illa duxerint penitus abolenda, faciendo eandem sententiam in locis, in quibus expedire videris, solempniter publicari. Dat. Anagnie x kal. Novembris, pontificatus nostri anno primo.

Magnum Chartul. eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 189ᵇ. — Bulaeus, III, 292.

1. *Evangelium aeternum* non fuit liber quidam sub hoc titulo editus, sed fr. Gerardus de Borgo San Donnino, Ord. Min., tres libros ab abbate Joachim compositos sic nominavit, qui fuerunt : *Concordia novi ac vet. testamenti, Apocalypsis nova*, et *Psalterium decem chordarum*, quorum saltem primum Gerardus anno 1254 cum glossis de novo edidit (Cod. Burghes. 190 offert *Concordiam* cum aliquibus glossis Gerardi) ; insuper tamen *Librum introductorium* huc usque nondum repertum ad istos libros scripsit. Sicut duo status mundi, sc. vetus et novum testamentum, habent sacram scripturam, sic auctore Gerardo tertius etiam status mundi, sc. status Spiritus Sancti seu Evangelii aeterni, qui cum anno 1260 debebat incipere, possidet scripturam sacram, sc. tres praedictos libros abb. Joachim. Vide *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, I, 57 sqq. Quandoque tamen docti istius aetatis solum *Introductorium*, quandoque *Introductorium* cum *Concordia novi et vet. testamenti*, ut magistri, qui errores excerpserunt (supra nº 243), quandoque doctrinam Joachim Evangelium aeternum vocabant, cum tamen ipse Joachim sub isto non quamdam scripturam, sed spiritualem substantiam et intellectum Evangelii Christi, quod in tertio statu secundum litteram transierit, intelligeret. Cf. *Archiv.*, p. 50 sqq. — 2. Innocentio IV, qui morte praeventus *Introductorium* non potuit ad examen vocare. — 3. Quae cardinales Odo Tusculanus, Stephanus Praenestinus Hugoque ex *Introductorio in Evangelium aeternum* notarunt, conservata sunt in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16397, fol. 91 ; Mazarin., ms. 391, fol. 86 ; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16533, fol. 46. — 4. Libri abb. Joachim non sunt damnati, licet quaedam excerpta an. 1255, Jul. 8, a praedictis cardinalibus (excepto Stephano) fuerint examinati, ut legitur in duobus prioribus supra allatis mss. Vide instrumentum integrum a Denifle editum in *Archiv, etc.*, p. 99-142. — 5. Saltem in aliquibus istarum cedularum scribebantur errores a magistris Paris. an. 1254 excerpti et supra nº 242 publicati, quos episcopus Paris. verisimiliter una cum *Introductorio* ad Innocentium IV misit. Vide Denifle, l. c. ; H. Haupt, *Zeitschrift f. Kirchengesch.*, VII, 398.

258. *Alexander IV mandat Reginaldo episcopo Paris. ut in abolendo Introductorio prudenter procedat, ne fratres Minores ex hoc ullum opprobrium incurrant.*

1255, Novembris 4, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Libellum quendam, *etc. sicut supra* n° 257, *usque* illud idem. *Deinde*: Cum itaque nostris tibi demus litteris in mandatis, ut libellum ipsum et omnes cedulas supradictas auctoritate nostra facias aboleri generalem excommunicationis sententiam proferens in omnes eundem libellum et cedulas ipsas habentes, nisi infra certum terminum, quem ad hoc prefixeris, illa duxerint penitus abolenda faciendo eandem sententiam in locis in quibus expedire videris solempniter publicari : volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus quod tibi per easdem injungimus litteras exequi studeas diligenter. Verum, quia illorum Christi pauperum, videlicet dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum, nomen et famam illesa semper et integra cupimus conservari, quos, sicut intelleximus, affectione paterna et benivolentia prosequeris speciali, super quo dignis te in Domino laudibus commendamus, presentium tenore precipimus quod sic prudenter, sic caute, sic provide in apostolici super hoc mandati executione procedas, quod dicti fratres nullum ex hoc opprobrium nullamque infamiam incurrere valeant sive notam, et obloquutores et emuli non possint exinde sumere contra ipsos materiam detrahendi[1]. Dat. Anagnie ij non. Novembris, pontificatus nostri anno primo.

Magnum Chart. eccl. *Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 189b. — Bulaeus, III, 293.

1. Summus pontifex haec episcopo Paris. injunxit, quia auctor libri *Introductorius* unus ex fratribus Minor. fuit, scil. fr. Gerardus. « Occasione istius Ghirardini, scribit praeterea Salimbene, ordinatum est ut de cetero nullum novum scriptum extra ordinem publicetur, nisi prius fuerit per ministrum et diffinitores in provinciali capitulo approbatum. » *Chron.*, ed. Parm., p. 236. Nihilominus tamen Matth. Paris. (ed. Luard, V, 598), Richer. Senon. *Chron.* (*Mon. Germ. SS.*, XXV, 328), *Roman de la Rose* (ed. Méon, II, v. 12799 sqq., 12804 sqq.) aliique auctorem vel auctores fratres Praedicatores designarunt.

---

259. *Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem ut regendi Parisiis in aliqua facultate nemini licentiam tribuat, qui litteras apostolicas « Quasi lignum vitae » noluerit observare.*

1255, Decembris 7, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim pro studii Parisiensis conservatione quedam circa studium ipsum de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis, que *Quasi lignum vite*[1] incipiunt, plenius continetur, nonnulli tamen magistri et scolares Parisienses ordinationem ipsam, ut audivimus, observare non curarunt, immo in ipsius studii perturbationem contra ipsam multipliciter moliuntur. Volentes igitur, ut prefata nostra ordinatio ab omnibus reverenter et simpli-

citer observetur, discretioni tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus regendi Parisius in aliqua facultate nemini licentiam tribuas, qui dictam ordinationem noluerit observare. Dat. Laterani vij id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 56. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Ripoll, *Bull. ord. Praed.*, I, 289, nº 48.

1. Supra nº 247.

---

260. *Alexander IV scribit cancellario S. Genovefae de eodem argumento.*

1255, Decembris 7, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario S. Genovefe Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim, *etc. sicut in litteris praecedentibus*. Dat. Laterani vij id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 57. Supersunt fil. cannab. In membrana aversa : « Predicatorum. » — Jourdain, nº 123, ubi ex Bulaeo, III, 293, litterae perperam « vij kal. Decemb. » ascribuntur. Inter monumenta Universitatis Paris. hoc est primum documentum, in quo nominatur cancellarius S. Genovefae. Nomina cancellariorum S. Genovefae istius aetatis praeter pauca ad nos non pervenerunt.

---

261. *Alexander IV mandat Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis ut magistros et scholares, qui ordinationem in litteris « Quasi lignum vitae » contentam non observent, nominatim excommunicationis sententia plectant.*

1255, Decembris 7, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos olim pro studii Parisiensis conservatione quedam circa studium ipsum de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis, que *Quasi lignum vite* incipiunt, continetur plenius, vobis executoribus deputatis[1] : vos, ut audivimus, in magistros et scolares Parisienses, qui ordinationem ipsam observare non curant, monitione premissa excommunicationis sententiam generaliter exigente justitia promulgastis[2]. Verum quia ut dicitur quidam ex eisdem magistris et scolaribus ordinationis nostre temerarii transgressores sententiam ipsam in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum contempnunt, fraternitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus illos, qui prefatam ordinationem nostram, quam ab omnibus magistris et scolaribus Parisius commorantibus firmam et illibatam servari volumus, quacumque arte vel ingenio servare non curant, monitione premissa nominatim ac specialiter excommunicare ac excommunicatos denunciare per vos ac alios, ubicumque expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam appellatione aliqua seu quod aliqui eorum, postquam eis de prefata ordinatione nostra innotuit, a dicta Universitate recessisse dicuntur, nequa-

quam obstantibus nullatenus postponatis. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Laterani vij id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

· Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, nº 58. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Bulaeus, III, 294, has litteras non ad verbum notat. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 289.

1. Supra nº 248. — 2. Ex quo sicut ex sequentibus, ut conjicere possumus, apparet papam litteras magistrorum Octobris 2 (supra nº 256) jam recepisse, quod ex epistola sequenti omnino liquet.

---

262. *Alexander IV Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis iterum mandat ut inquirant circa relata de Guillelmo de Sancto Amore atque aliis judicii veritatem, inobedientesque officiis et beneficiis suspensos denuntient.*

1255, Decembris 10, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod magister Willermus de Sancto Amore et quam plures alii magistri et scolares Parisienses, postquam eis innotuit de ordinatione nostra que incipit *Quasi lignum vite* super studii Parisiensis conservatione edita et de mandato, quo dilectos filios fratres Ordinis Predicatorum Parisius in theologica facultate regentes in magistrorum consortium et Universitatis collegium recipi mandabamus, ab ejusdem Universitatis collegio recedentes quandam novam societatem Parisius inierunt, ut mandatum et ordinatio nostra, que ipsi debuerant suscipere reverenter, saltem quoad dictos magistros fratrum recipiendos in consortium magistrorum, finem quem intendimus per hujusmodi astutiam non haberent. Sed si corda eorum non excecasset malitia, intellexissent utique quod cum predicta mandatum et ordinationem sibi jam cognita potuerint nec curaverint adimplere, si tale quod postmodum effecerunt, propter quod eorundem mandati et ordinationis non posset executio provenire, gravem notam de inobedientie vitio incurrebant. Cum etiam Universitatis nomine in prefata ordinatione nostra sepius repetito intelligamus et velimus intelligi omnes magistros et scolares morantes Parisius, cujuscumque societatis seu congregationis existant, constat tam supradictos recedentes ab Universitatis collegio, quam in ipso etiam remanentes ad omnia que ordinatio nostra continet, pariter[1] obligari. Ut autem prefati magistri et scolares, quorum intellectum nimis in hac parte superbia obfuscasse videtur, pena justa docente cognoscant, quam reverenter et humiliter ac simpliciter apostolice sedis mandatum et ordinationem debuerint suscipere ac servare, fraternitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus inquirentes super hiis de plano et sine strepitu judicii veritatem, si inveneritis, quod prefatus magister G. vel aliqui magistri Parisienses in theologica facultate dictos magistros fratrum ad magistrorum consortium infra quindecim dies post receptionem supradicti mandati nostri, vel quod ipsi et alii magistri et scolares Parisienses eosdem fratres et ipsorum

scolares ad Universitatis collegium juxta predictorum mandati et ordinationis tenores minime recepissent, dictos magistros theologie ab officiis et beneficiis denuntietis et faciatis denunciari suspensos, ipsosque ac aliquos etiam de aliis magistris et scolaribus Parisiensibus quos in prefata inobedientia principales inveneritis extitisse, ab omnibus ecclesiasticis beneficiis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam suspendere procuretis, suspensiones ipsas ubicunque videritis expedire per vos et alios publicantes, non obstante, quod ipsis postquam eis de prefatis mandato et ordinatione nostris innotuit, ab Universitatis collegio recesserunt, vel quod a vobis prefate ordinationis executoribus appellasse dicuntur, quia excommunicationis sententiam tuleratis in omnes magistros et scolares Parisienses, qui ordinationem hujusmodi non servabant, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Laterani iiij id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 249, n° 59. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Pertinebat, ut videtur, ad Arch. Praed. S. Jacobi. — Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 291, n° 51. Apud Bulaeum, III, 294, nonnisi excerptum.

1. In orig. « paririter ».

263. *Alexander IV ad cantorem Belvacensem et Robertum de Duaco, ut ad contribuendum in expensis ab Universitate factis pendente lite contra fratres Ord. Praed., neminem compellere praesumant.*

1256, Januarii 28, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. cantori Belvacensi et magistro Roberto de Duaco canonico Silvanectensi salutem et apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster vobis suis litteris dedisse dicitur in mandatis, quod scolares, auditores et doctores studentes Parisius per censuram ecclesiasticam cogeretis, ut in expensis factis et faciendis ab universitate magistrorum et scolarium Parisiensium occasione questionis, que inter ipsam ex parte una, et .. priorem ac conventum fratrum Predicatorum Parisiensium ex altera super certis articulis vertebatur, contribuerent pro rata singulos contingenti[1], vosque ac subdelegati vestri ut dicitur in prefatos scolares, auditores et doctores, qui usque ad certum tempus taxatam a vobis pecunie quantitatem non solverent quibusdam personis exceptis excommunicationis sententiam protulistis. Verum cum dicti prior et conventus pro magistris fratrum et auditores eorum ac alii eis in prefata causa faventes ad contribuendum in expensis hujusmodi cogi sine juris injuria non valerent, et eos super hiis velimus penitus non gravari, discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsos ad contributionem hujusmodi faciendam nulla ratione cogatis. Illos etiam, qui postquam iidem magistri fratrum et auditores eorum per eundem predecessorem nostrum fuerunt ad magistrorum consortium et Universitatis collegium restituti, et qui post ordinationem

nostram super studio Parisiensi editam tam in recipiendis dictis magistris fratrum quam in aliis restitutioni et ordinationi ejusdem sicut obedientie filii humiliter paruerunt, ad contribuendum in expensis a dicta Universitate post prefatas restitutionem et ordinationem factis nullatenus compellatis. Ad petitionem vero seu in favorem illorum, qui dictam ordinationem nostram simpliciter non observant, nullum prorsus ad contribuendum in expensis factis post restitutionem predictam presumatis compellere, cum ad impugnandum statuta nostra nolimus aliquibus auctoritate sedis apostolice de sumptibus provideri, quin potius sententias omnes quas vos seu subdelegati vestri super hoc de facto tulisse dicimini contra tales, sine difficultate aliqua revocetis, alioquin venerabilibus fratribus nostris .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis nostris damus litteris in mandatis, ut mandatum nostrum super hiis exequi non postponant. Dat. Laterani v kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 68. Deest bulla plumbea. Ut videtur, pertinebat ad Arch. Praed. — *Mém. de la Soc. de l'histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 260.

1. Supra nº 239.

264. *Alexander IV ad Guillelmum Aurelianensem et Guidonem Autissiodorensem episcopos de eodem argumento.*

1256, Januarii 28, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabil. fratribus .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Innocentius papa, *etc. sicut in litteris* nº 263, *mutatis mutandis*, *usque* revocetis (*in hisce litteris* revocare procurent). *Deinde:* Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si iidem preceptum nostrum neglexerint adimplere, vos super hiis illud exequi procuretis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Dat. Laterani v kal. Febr., pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 69. Supersunt fila cannab. Ex Arch. Praed., ut videtur, quorum nomen sicut praecedentium litterarum in membrana aversa legitur.

265. *Alexander IV fratri Guidoni abbati de Elemosina Ord. Cisterc. a duobus cardinalibus in curia examinato licentiam legendi Parisiis dat in facultate theologica, statuitque ut consortio magistrorum Parisiensium perfruatur.*

1256, Januarii 31, Laterani.

Fratri Guidoni[1] abbati de Elemosina Cisterciensis Ordinis. Decor[2] sponse Christi ac profectus exigit animarum, ut que ad divine veritatis indaginem clara in domo fidei orthodoxe sunt lumina, ne sub absconse utilitatis modio delitescant vel cujusvis emulationis studio supprimantur, ad illuminationem Deum videre cupientium revelemus. Sane te

nuper apud sedem apostolicam constituto intelleximus ex relatione fideli, quod in lege Domini adeo profeceras per longa studia scolastice discipline, ut decetero preesse debeas ac prodesse aliis per doctrinam. Nos itaque desiderantes theologice facultatis studium per doctorum et auditorum copiam ampliari, te per dilectum filium nostrum J.[3] tituli Sancti Laurentii in Lucina et H.[4] tituli Sancte Sabine presbyteros cardinales examinari fecimus diligenter, et sicut ex ipsorum et aliorum fidedignorum certa relatione cognovimus, repertus es ad hedificationem ecclesie Christi et eruditionem aliorum in sacra pagina copiosum talentum scientie ac verbi elegantiam ex divine dispensationis munere accepisse. Eapropter ut donum divine gratie favore apostolico subsequamur regendi scolas et docendi publice Parisius in facultate predicta plenam tibi auctoritate presentium licentiam elargimur, statuentes, ut deinceps consortio societatis magistrorum Parisiensium quemadmodum unus ex ipsis in magistralibus perfruaris et tu ac auditores tui omnibus privilegiis et immunitatibus universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium presertim juxta ordinationem, quam super controversia inter religiosos et seculares magistros Parisiensium exorta dudum edidimus[5] gaudeatis. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis et constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani ij kal. Februarii, anno ij[6].

Reg. Vat. Alexandri IV *an.* 2, *ep.* 99, *fol.* 138.

1. De isto fr. Guidone vide supra n° 229. — 2. In Reg. : « Doctor ». — 3. Johannem de Tolleto, Ord. Cist. Cf. supra n[is] 148, 157. — 4. Hugonem, Ord. Praed. — 5. Supra n° 247. — 6. Primum hic a papa ipso alicui datur licentia legendi in Universitate Parisiensi sine examine a magistris Paris. prius instituto.

---

266. *Alexander IV universitati magistrorum Parisiensium de eodem argumento.*

1256, Januarii 31, Laterani.

Universitati magistrorum Parisiensium. Decor sponse, *etc. usque* revelemus. Sane dilecto filio fratre Guidone abbate de Elemosina Cisterciensis Ordinis nuper apud sedem apostolicam constituto, *etc. usque* dudum edidimus potiantur[1], *verbis competenter mutatis.* Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum fratrem G. ad consortium vestrum et ad docendum juxta concessionis et constitutionis nostre tenorem sine difficultate qualibet admittatis, alioquin venerabili fratri nostro .. episcopo Parisiensi damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Dat. ut supra.

Reg. Vat. Alexandri IV an. 2, ep. 99[b], fol. 138[b]. Ibidem adjungitur : « In eundem modum cancellario Parisiensi ».

1. In n° 265 : « gaudeatis ».

---

267. *Alexander IV scribit Reginaldo episcopo Parisiensi de contributione in expensis Universitatis, et ut illis, qui renuerunt conferre, ad cautelam absolutionis et dispensationis beneficium impendat.*

1256, Februarii 11, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Innocentius papa, *etc. sicut in litteris* nº 263, *cum ista conclusione :* sine difficultate aliqua revocarent, dantes venerabilibus fratribus nostris .. Aurelianensi et .. Autisiodorensi episcopis nostris litteris in mandatis, ut mandatum nostrum super hoc exequi procurarent. Volentes autem de supradictorum cordibus omnem dubietatis scrupulum penitus amovere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si qui eis subtili reverentia tenti prefatas sententias et irregularitatis notam se metuant incurrisse et sibi super hoc postulent provideri, tu ad cautelam absolutionis et dispensationis beneficium juxta formam ecclesie per te vel alios impendere non postponas. Dat. Laterani iij id. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 76. Restant fila cannab.

---

268. *Litterae Philippi Bituricensis, Thomae Remensis, Henrici Senonensis, Odonis Rothomagensis archiepiscoporum, quibus notam faciunt compositionem initam inter fratres Praedicatores et magistros Parisienses.*

1256, Martii 1, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis Philippus Bituricensis, Thomas Remensis, Henricus Senonensis et Odo Rothomagensis[1] Dei gratia archiepiscopi salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod discordia mota inter priorem et fratres Predicatores Parisienses ex una parte, et magistros [et] scolares Parisienses ex altera, in presentia nostra ac nobis et multis episcopis mediantibus pacificata est in modum infrascriptum. Fratres non habebunt plures scolas quam duas. Fratres tam regentes quam non regentes inperpetuum erunt separati a societate scolastica magistrorum et scolarium secularium, nisi magistri et scolares seculares spontanea voluntate ad societatem scolasticam eos voluerint revocare. Scolares dictorum fratrum, sive seculares sive alii, qui non sint de ordine eorum, libere a magistris secularibus et scolaribus eorumdem recipientur ad scolasticam societatem et libere utentur eadem sicut alii secularium auditores. Similiter e converso scolares magistrorum secularium recipientur libere a fratribus et scolaribus eorumdem ad scolasticam societatem et libere utentur eadem. Magistri seculares et eorum scolares nullum statutum seu ordinationem facient contra scolares fratrum vel suos occasione ista, quominus recipiantur ad eorum societatem, et statim recipientur a secularibus scolares extranei fratrum, si prelatis videbitur, quod possint seculares magistros et scolares absolvere a juramento, quod seculares fecerunt de fratribus et eorum scolaribus non admittendis, donec, utrum

fratres essent ad societatem magistrorum et scolarium secularium receptibiles, esset diffinitum, et ipsos absolverint, alioquin mittetur a fratribus ad papam super relaxatione predicti juramenti. Et interim magistri et scolares seculares scolares fratrum non recipient propter perjurii periculum. Fratres abrenunciant omnibus litteris impetratis et impetrandis contra premissa a se vel quocunque alio, et concessis et concedendis sibi et alii cuicunque, et procurabunt dicti fratres, quod sententie quedam, que dicuntur late contra seculares non recipientes eosdem, qualitercumque fuerint late, relaxentur. Fratres ab aliis religiosis et canonicis Beate Virginis regentibus recipi poterunt, et e converso pro sue libito voluntatis, cum ad dictos seculares nichil pertineat. Fratres nec per se nec per alios vexabunt nec vexari procurabunt aliquam personam singularem sive Universitatem occasione predicte sive predictarum contentionum, sive alicujus dependentis ab eisdem. Ista autem separatio dictorum fratrum quo ad scolasticam societatem et dictorum magistrorum et scolarium secularium facta est pro bono pacis, non propter hoc, quod aliquid reprehensionis in fratribus a nobis sit inventum nec etiam inquisitum. Nec impedient magistri et scolares seculares occasione contentionis mote aliquem, ne eat ad predicationes fratrum, vel in domo sua eligat sepulturam, nec aliud inhonestum contra fratres attemptabunt: nec fratres in confessionibus vel alio modo contra scolares seu magistros seculares attemptabunt vel attemptare procurabunt aliquid durum vel etiam inhonestum occasione mote contentionis, nec etiam avertent a secularibus auditores, nec seculares ab ipsis. Nos vero ad petitionem dictorum prioris et fratrum, et etiam ad petitionem quorumdam scolarium ab Universitate et a nationibus universorum scolarium Parisiensium ad tractandum, prosequendum, disponendum libere super statu studii Parisiensis et super hiis, de quibus inter dictos scolares et predictos priorem et fratres contendebatur constitutorum, presentibus litteris sigilla nostra apposuimus in testimonium et robur perpetue firmitatis. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, prima die Martii[2].

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^{b}, n° 41. Ex quatuor sigillis cereis taeniolis membraneis appensis restat unius fragmentum viridi coloris, et trin taeniola. Pertinebat ad Arch. Univers. — Bibl. Colleg. Corp. Christi Oxoniae, ms. 283 (saec. XIII), fol. 156. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 61^{b}. Deest in Cod. Vat. Reg. — Bibl. Collegii Corporis Christi Cantabrigiae, ms. 107. Bulaeus, III, 296.

1. Ex libro *Regestrum Visitationum archiep. Rothomag.* (ed. Bonnin, p. 240) liquet Odonem a 25 Febr. usque ad 2 Martii Parisiis fuisse. Iste fuit celeber Odo Rigaldi, Ord. Min., qui ante electionem ad sedem archiepiscopalem actu regebat in theologica facultate Parisiis. Cf. supra n° 178, nota 4. — 2. De ista compositione loquitur etiam Guillelmus de S. Amore in suis *Responsionibus*, *opp.* ed. Constantiae, p. 94 sq.

---

269. *Alexander IV praecipit Reginaldo episcopo Parisiensi omnes excommunicandos magistros, qui scholares fratrum Praedicatorum et fratres ipsos lectionis et disputationis tempore suas scholas intrare et alia facere non permittunt.*

1256, Martii 3, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. De quibusdam magistris et scolaribus ac auditoribus

Parisiensibus evidenter agnoscitur, quod ipsi non pacifici, sed auctores scandali, non Dei sed sathane vocari filii delectantur, caritatis ordinem adeo pervertentes, quod non solum a seipsis, sed etiam ab aliis excludunt dampnabiliter pietatis studium, et desiderabilem nobis super omnia salutem impediunt animarum. Sane pervenit ad notitiam nostram, quod predicti magistri, scolares et auditores nequiter impedire presumunt, ne aliqui dilectis filiis .. priori et fratribus Ordinis Predicatorum Parisiensium elemosinas largiantur, vel ab eis aut in domo ipsorum sermones seu lectiones, disputationes audiant, vel confiteantur ipsis peccata propria, etiamsi a te loci diocesano vel a proprio sacerdote super hoc habeant facultatem. Preterea dicti magistri scolares fratrum ipsorum et fratres eosdem suas intrare scolas lectionis et disputationis tempore non permittunt. Unde sequitur, quod in mentibus devotorum ac Deum timentium et potissime laicorum grave scandalum generatur. Nobis etiam exinde materia vehementis admirationis producitur et stuporis, presertim, cum predicti magistri et scolares ac auditores deberent in virtutum Domino consequi affluentiam gaudiorum, quod iidem fratres, viri utique sancte conversationis et vite, per quorum ministerium salus potissime proficit animarum, tam laudabiliter in theologica proficiunt facultate, quod et digni magistrali reputantur honore et quasi ubique terrarum habentur in conspectu Dei et hominum gratiosi. Nec mirum, quia ipsorum sub extrema paupertate viventium pia semper ad hoc desudat intentio, quod perpetui vigoris augmentum religio christiana suscipiat et eorum doctrinis sancta Dei ecclesia jugiter illustretur. Ex hujusmodi quidem meritorum claritate procedit, quod nos tam enormem et atrocem fratrum ipsorum pati molestiam nequeuntes, immo nullatenus sustinere volentes illius temeritatis vitium, quod vergit in periculum animarum, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus in omnes, qui statuti vel ordinationis aut cujuscunque alterius cause pretextu impediunt, vel decetero impedire presumpserint, ne predictis fratribus presbyteris fiat a volentibus libera confessio peccatorum, si nostra seu legati sedis apostolice, aut tua vel proprii sacerdotis super hoc habeatur auctoritas, aut ne sermones et lectiones ac disputationes audiantur eorum, vel quod scolares magistrorum ipsorum fratrum et iidem fratres lectionis et disputationis tempore in scolis aliorum minime admittantur, monitione premissa excommunicationis sententiam sublato cujuslibet appellationis obstaculo non differas promulgare, quam postmodum sollempniter publices ac publicare facias, et usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter ab omnibus observari, non obstante quacumque indulgentia, per quam precepti nostri executio in hac parte impediri valeat vel diferri. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, si a magistris et scolaribus ac auditoribus memoratis contra mandati nostri tenorem super hiis aliquid fuerit attemptatum. Dat. Laterani v non. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 78. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». Bulaeus, III, 297, ubi hae litterae mancae inveniuntur.

39.

270. *Alexander IV laudat Haimericum cancellarium Parisiensem ob concessam fratri Thomae de Aquino licentiam docendi, eique mandat ut quamcito eum in Universitate Parisiensi regiminis principium habere faciat; conventum Ord. Praed. Paris. commendatum habeat.*

1256, Martii 3, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Delectabile nobis est auditu percipere, quod te in hiis promptum reddis et vigilem, que pietatem continent vel sapiunt honestatem, prout ex eo patenter agnoscitur, quod dilecto filio fratri Thome de Aquino Ordinis Predicatorum, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis scientie per Dei gratiam assecuto, dedisti licentiam in theologia facultate docendi, priusquam illuc nostre littere pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus[1]. Quia vero condecens est, ut hujusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum festinum habeat exitum et felicem, devotionem tuam rogandam duximus et monendam per apostolica scripta tibi mandantes, quatinus eundem fratrem in predicta facultate cito facias regiminis habere principium, et dilectos filios .. priorem et conventum Parisienses ejusdem ordinis habeas pro divina et nostra reverentia commendatos eosque favoris opportuni presidio prosequaris; maxime cum ipsi pro turbatione studii, per quosdam iniquitatis filios nequiter procurata, in multa vexatione hactenus extiterant et existant, Parisiensi ecclesia de ipsorum laboribus, sicut nosti, utilitatem non modicam consequente. Preces autem et mandatum nostrum sic adimpleat tua sinceritas, quod nos qui letitiam de predictorum fratrum prosperitate concepimus, de tua benivolentia gratiosa circa ipsos exhibita speciales tibi gratias referamus. Dat. Laterani v non. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

In *Collectione* Marini de Ebolo, Arch. Vat. arm. 31, nº 72, ep. 2340, sine nomine papae et sine temporis nota. Arch. S. Petri C. 117, fol. 227. Cod. Colbert. 128 (hodie Bibl. nat. Paris. ms. lat. 4184), ex quo Baluze in *Vitae paparum Avenionens.*, II, 5, hanc epistolam edidit, eamdem Collectionem Marini de Ebolo (lib. 3-5) repraesentat. Spondanus, *Ann. eccl.*, 1255, nº 7, refert epistolam ut supra ad « v non. Mart. »; Ripoll tamen *Bull. Ord. Praed.*, I, 298, ubi temporis nota saepe falsa affertur, ex apographo ad « v id. Martii », id est ad 11 Mart.

1. Hae litterae ad nos non pervenerunt. Guillelmus de Tocco (*AA. SS.* Mart., I, 664, nº 17) et Bernardus Guidonis (*Legenda S. Thomae* in Cod. Vat. lat. 1218, fol. 149b) narrant cancellarium ipsum notum fecisse priori S. Jacobi, ut fr. Thomam praesentaret. Thomas circa an. 1248 Coloniam ad studendum missus est, ubi eodem tempore Albertus Magnus studium generale Ordinis pro Germania instituit. Cf. supra nº 179. Circa an. 1251-1252 venit Parisios ad *Sententias* legendas. An. 1256 fit magister in theologia. Veteres vitae S. Thomae descriptores paucis exceptis in ultimo tantum facto inter se concordant (dicunt « an. 1255 » secundum supputationem veterem), minime in praecedentibus, ut alias disseremus.

---

271. *Alexander IV magistros, scholares auditoresque Parisienses admonet ut erronea vestigia declinantes, partibus seductorum, praecipue magistri Guillelmi de Sancto Amore derelictis, litteras apostolicas reverenter observent.*

1256, Aprilis 4, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris, scolaribus et auditoribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Si filialis obedientie

promptitudo nobis parit cumulum gaudiorum, profecto inobedientium rebellis audacia cor nostrum sauciat et affligit. Ecce sicut accepimus vos ordinationem nostram super conservatione studii Parisiensis editam sollempni cum fratribus nostris deliberatione premissa et alias litteras nostras propter quasdam appellationes et exceptiones frivolas interjectas a vobis obstinato animo non servantes, nostre intentionis effectum circa ordinationem ipsam calumpniosis adinventionibus presumitis impedire, dampnabile inobedientie vitium et judicium sententiarum, que sunt contra vestram rebellionem auctoritate apostolica promulgate, minime formidando. Et certe nisi motum mentis nostre, quem transgressionis vestre[1] stimulus concitavit, a pena vindicte vobis merito infligende hoc potissime temperasset, quod simplicitatem vestre multitudinis ab astuta malitia paucorum et precipue magistri G. de Sancto Amore credimus fuisse seductam, oculus vester, quem caligo superbie nimium obumbravit, virga correctionis debite illustratus patenter agnosceret, quam stultum sit et detestabile apostolice sedis equissimis ordinationibus et litteris contumaciter obviare. Sane quia filiorum errantium disciplinam magis cupimus quam vindictam, universitatem vestram affectione paterna rogamus per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus noxia seductorum vestrorum consilia et erronea vestigia penitus declinantes juramento seu statuto vel quacumque obligatione, per que precepti nostri executio impediri valeat vel differri, nequaquam obstantibus, prefatas ordinationem et sententias reverenter et humiliter omni occasione postposita post susceptionem presentium observetis. Alioquin vestram inobedientiam, que nullius excusationis auxilio poterit amodo palliari, et seductorum ipsorum superbiam taliter auctore Domino corrigemus, quod pena justa docente vobis patebit et aliis, qualis reverentia et etiam diligentia in observantia statutorum ac litterarum sedis apostolice a fidelibus universis et precipue clericis semper debeat adhiberi. Dat. Laterani ij non. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 84. Restant fila cannab. — Bulaeus, III, 298.

1. Originale dilaceratum. Desunt verba : « mentis... vestre ».

---

272. *Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat, compellat quosdam clericos Parisiis commorantes, qui impio diffamationis morsu Ordinem Praedicatorum lacerabant et nonnullos fratrum ejusdem sacrilegis ibidem manibus verberibus affecerant, ut dictis fratribus plenarie de praemissis satisfaciant et ab eorum molestatione desistant.*

1256, Aprilis 4, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii fratres Predicatores pro divini amore nominis relictis mundanis illecebris abnegarunt totaliter semetipsos, ut soluti vinculis terrenorum ad celestia expeditius extollantur, et de inferiorum compede tracto pede ad

superna consurgant. Ne igitur tâm pii propositi prosecutio alicujus obice impedimenti turbetur, dignum est ipsorum quiete prepeditionis obstacula removeri, ut eo devotius quo quietius Domino famulantes gratiora sibi prestent obsequia, et devotioribus se obsequiis exhibeant gratiores. Sed, ut nuper relatione fidedignorum accepimus, nonnulli clerici Parisius commorantes in offensam Dei non modicam religionis emuli, turbatores quietis et eorum operum temerarii detractores ipsorum famam laudis dignam preconio falsis satagentes oblocutionibus offuscare, varias litteras, per quas ipsos et eorum ordinem quos vite commendat puritas suis gratis approbatum fructibus, impio diffamationis morsu dilacerant, diversarum prelatis partium scribere presumpserunt[1]. Et ut nichil pretereant inoffensum, adeo in eorum cordibus malitia ebullitur, quod nonnullos ex fratribus ipsis Parisiensibus divino timore postposito et modestie clericalis honestate abjecta sacrilegis manibus verberibus affecerunt. Ipsi etiam his excessibus non contenti sed in sue iniquitatis nequitia potius obstinati, quod eis pejora et graviora inferrent nequiter comminantur. Unde fit quod fratres jam dicti ordinis Parisius existentes, qui fidelium dumtaxat elemosinis sustentantur, eorumdem clericorum timore perterriti vix claustrum suum audent egredi pro acquirendis alimoniis eorum victui oportunis. Attendentes igitur quod nonnunquam culpa contraitur, dum vindicte detrahitur, et qui commissa dimittit inulta, pandit aditum ad pejora : ne forte clericorum ipsorum audax insolentia per morosam tolerantiam invalescat, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus clericos predictos, ut eisdem fratribus satisfaciant plenarie de premissis et ab eorum molestatione desistant, monitione premissa canonice animadversionis vigore compellas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Dat. Laterani ij non. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, n° 85. Bulla plumb. filis cannab. appenditur. — Apud Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 301, n° 84, legitur « iij kal. Aprilis », n° 86, tamen apponit temporis notam ut supra.

1. Supra n° 230.

---

273. *Humbertus, mag. generalis Ord. Praed., scribit priori et fratribus conventus Aurelianensis ejusdem Ordinis de angustiis fratrum Parisiensium ab Universitate Parisiensi illatis.*

1256, [circa principium Aprilis].

Reverendis in Christo patribus priori et aliis fratribus Aurelian. de Ordine Predicatorum frater Humbertus[1] ejusdem ordinis magister licet indignus salutem et compassionis spiritum in adversis. Circumdederunt nos pariter graves cordis gemitus et dolores, et animas oppressorum acrioris angustie gladius pertransivit. Nostri cordis arcanum grandis pulsat molestia et mentis nostre quietem vexat continue persecutio inquieta, dum dissentionis patres pacem filiis pacis tollunt, justorum confunditur natio, opprimuntur filii obedientie, et justorum semita quasi lux splendens sub pedibus conculcatur. Ecce Satanas, ut cribraret nos sicut triticum, expetivit, et nisi nos inter tot agonum insultus

divine virtutis clypeus protexisset, defecisset forsitan virtus nostra. Ecce Leviathan serpens tortuosus ut nequam de gravi somno evigilet, sternutare videtur, ut sternutationis sue fortitudine ac terrore filiis lucis horrorem incutiat et incutiat cedros Dei. Ecce Belial, hostis justitie, innocentie impugnator, sevitie sue manum presumit extendere ad desiderabilia desiderii collium eternorum, ut iniquitatis sue ministris non careat ecclesia senescente, cujus ortum et vexavit hostiliter et multipliciter impugnavit. Impugnavit vitem frondosam, fructiferam et fragrantem de[2] silva seculi egressus aper ferus invidie et furiosus impetit, et efferatis animis funditus satagit demoliri, que nitore pulchrior, odore suavior, dulcior vero fructu delectat, reficit, inebriat orbem totum. Olivam uberem, gemma vite ac scientie ubertate universam terram arentem et aridam fecundantem celestis agricole dextera per gloriosum patrem nostrum confessorem Dei Dominicum, celitum unitatem, in agrum plantavit ecclesie militantis. Proh dolor ad vocem loquele grandis, fame quidem excelse preconium, ira die ignis exarsit in ea, paratus, ut videtur, non tam frutecta ejus comburere quam radices; animalibus enim oculatis coram Deo discurrentibus indefesse in similitudinem fulguris coruscantis, adversus Christum et christos ejus discidii principes convenerunt in unum, ut errantibus in invio et non in via custodientibus vias duras scandalum ponerent juxta iter et rete jacerent ante oculos pennatorum.

Sane plerique magistri theologie Parisius doctorum nostrorum pluralitatem atque multitudinem scolarium et doctrine gratiam emulantes[3], congregatione clandestina olim quedam iniqua statuta, cum tamen nichil possent de jure statuere, ediderunt in nostrum et omnium religiosorum enorme prejudicium et gravamen, contemptum Parisiensis ecclesie, animarum ac theologici studii periculosum et evidens detrimentum[4]. Pacis emuli, domestici hominis inimici, ut robur dictis statutis ex consensu multorum acquirerent in Universitate Parisiensi contra nos et magistros nostros (nolentes conscientie metu dicta jurare statuta) cum inimico homine discordiarum superseminante zizania, fermento malitie ac mendaciis corrumpentes aurium et cordium simplicium puritatem, graves molientes injurias, pauperum innocentie insidiosi, insidias tetenderunt, ut prevaricantes a studiis, lassatos angustiis, ad jurandum statuta iniqua compellerent, et sic cogerent nos doctrine cedere veritatis. Et quidem post excommunicationem magistris nostris objectam mendaciter, quod noluerunt se ad illa inique facta statuta vinculo temere obligare, post ejectionem ipsorum a consortio magistrorum, et [post] comminationes terribiles ac diras in eosdem magistros sententias[5] et nos ipsos et scolares ipsorum per omnes scolas Parisienses publice promulgatas, post insultum cum armis, quem in nos et scolares in scolis nostris nonnulli ipsorum cum Universitatis consensu temere presumpserunt: licet summus pontifex ad dictos magistros suas dederit litteras et mandata, ut eos ad Universitatis collegium reciperent sicut prius[6], ipsi tamen dictam domini pape restitutionem et mandatum penitus negligentes in nos impetuosius se gesserunt. Post multas quippe infamationes nostras tam de scientia quam de vita, quas in predicationibus publicis presentium

auribus intulerunt, contra nos ad universos mundi prelatos litteras mire magnitudinis, falsitatis et infamie conscripsere, quibus claritatem ordinis denigrantes, nos ipsis reddiderunt non mediocriter odiosos[7]. Hac igitur controversia, per nos emissa appellationis voce, ad sedem apostolicam devoluta et ibi diuturnius ventilata, domino Innocentio de presenti vita subtracto, beatissimus papa Alexander successor ipsius dicte controversie de consensu patrum finem volens imponere, predictorum magistrorum statutis penitus resecatis et penis omnibus prolatis ab ipsis omnimode revocatis, magistrisque nostris restitutis Universitatis collegio et consortio magistrorum, de studio Parisiensi ordinationem edidit providam et salubrem[8], memoratis magistris precipiens firmiter, ut infra quindenam ab apostolici susceptione mandati magistros nostros et auditores ipsorum ad consortium proprium reciperent et eos deinceps curarent in dulcedinis ubere pertractare, alioquin ex tunc suspensionis ab officiis et beneficiis sententie subjacerent[9]. Ipsi vero spiritu ad contumatiam obfirmato, summi pontificis precepto, sententia et ordinatione contemptis, se, cum tamen eos jam mandatum apostolicum apprehendissent, ab ipsius Universitatis collegio in elusione mandati apostolici sequestrantes, in ipsos omnes jam, nisi parent ordinationi et mandato predictis, per executores summi pontificis excommunicationis sententia promulgata, novam quamdam societatem, nomine Universitatis verbo tenus extincto, pariter inierunt, ad sedem apostolicam appellantes[10]. Ceterum summus pontifex appellationem predictam frivolam reputans et inanem[11], adversus ipsos tanquam excommunicatos et mandati apostolici publicos contemptores justitia exigente, mandatis altioribus insurrexit[12]. Ante vero quam ipsa mandata deducerentur in publicum senatum, presumente conscientia ipsorum perturbata, memorati magistri theologie et artium lectiones intermiserunt omnino, ut contra nos multitudinis turbatione, furore et scandalo suscitatis, non permittamur mandatum apostolicum publicare. Quod illo procurante sunt continuo assecuti, cujus aguntur consilio et instinctu, cujus invidia mors in orbem terrarum introivit, cujus superbia nec superiorem patitur nec consortem. Mandatis siquidem impiis non contenti (quibus jam prohibuerant scolaribus universis, quod nullus ex ulla causa ad domum nostram accederet, quod nos non susciperent ab ipsis in domibus propriis accedentes, quod nulli nostrum auderent propria confiteri peccata, quod nobis non presumerent aliquam eleemosinam elargiri, quod nullus apud nos eligeret sepulturam, quod nullus ad predicationes nostras accederet vel sermones[13] que omnia salutis proprie prodigi diligentius custodiunt et observant), in tantûm furie et furoris baratrum devenerunt ut in nos ubique contumeliosis clamoribus irruentes, fratres per civitatem incedere non permittant, ex omnibus vicis, domibus et hospitiis tam clericis quam laicis, omnis sensus pariter et etatis, properantibus ad spectaculum, concurrentibus ad clamorem. Ibi audiretis clamoris tumultum, latratus canum, ursorum rugitum, serpentum sibilum et omni genere confusionis opprobria manifesta. Ibi videretis ex omni parte concursum, strepitum et insultum. Per vicos siquidem incedentes in faciem cum

Christo conspuimur, cedimur colaphis, impingimur, trahimur, tendimur, blasphemamur. In pauperes Christi palee jaciuntur et stramina, et tam in domo quam extra domum, et nocte et die, Israël filii in luto et latere lapidantur[14]. In domum etiam nostram sagitte manu balistarii jaciuntur. Non est nobis alicubi securitas ulla hora. Propter quod et dominus rex domum nostram die noctuque armata manu per balistarios quasi castrum obsessum facit continue custodiri. Et quod altiori turbatione nos tangit, ipsi theologie magistri pauperum fidem, vitam et famam coram omni populo, baronibus et prelatis, etiam coram rege accusant, dilacerant et corrodunt; fidei defensoribus, predicatoribus veritatis et fidei agonistis (et nonnullis proprii sanguinis effusione consecratis) infidelitatis crimen impingunt, in ipsis doctrinam conantur exemplis [monstrare] erroneam, et animo irruenti et facie obfirmata generationem claram multe merito puritatis flagitiosis turpitudinibus coram omnibus et ubique publice criminantur; falsi fratres, de quibus dicit apostolus, predicimur et prenuntii antichristi futuri et ultima persecutione fidei subversores[15]. Cum auctoritate docendi nihil esse commune Predicatorum ordinis ministerio religiosis quibuslibet dogmatizant. Quin immo ipsi theologie doctores predicant populo per capellas, quod nobis predicationis officium usurpamus, adversus nos a domino rege petunt provinciale capitulum convocari, se predicta de nobis probare paratos ore sacrilego mentientes[16]. Et licet super omnes religiosos hoc cantica congerantur, tamen nos soli pro veritate contra veritatis hostes perstitimus[17], quibus, ut evangelii veritas apud nos teneat, ad horam non cessimus nec cedimus; et si quid amplius, nos fecerunt illate injurie fortiores, quo manifestius novimus in Dei fidei veritatis et ordinis iniquas injurias attemptatas. Pro certo quippe discamus ex majorum ipsorum [ore] vel expressis et [ex] operibus, eorumdem in nostra persecutione intentionem et propositum perversum. Ambitionis enim spiritu pleni, alienis honoribus invidentes, intendunt, ut nullus religiosus possit docere publice vel etiam predicare. Ipsos religiosos tam contemptibiles reddiderunt[18], ut ipsis alicubi non credatur, quod jam ad plenum Parisiis obtinent; et nisi Deus apponat remedium, ubique ut videtur in Francia obtinebunt. Et si plerique eorum ab injuriis corporalibus manum cohibent, rarus tamen vel nullus a contumeliis vel opprobriis continet linguam suam. Sic in beneficos[19] recalcitrant, furibundi furiunt in mites, contemnunt pauperes opulenti, et pauperes imbecilles potentes opprimunt violenter. Sic in Abel Caïn funestus insurgit, in Joseph fraterni livoris virus effunditur, et in peculiarem populum Domini Aman insiliit furibundus. Sic in David Absalonis ambitio molitur insidias, Semei blasphemias congerit et Saul mortis dispendium machinatur. Sic Petrus in carcere clauditur, verberibus Paulus afficitur, relegatur Joannes exilio, primitie martyrum Stephanus lapidatur. Proinde gaudendum est nobis et gaudendum omnino, cum in Domini vinea, quam plantavit Dominicus, refulget imago ecclesie primitive. Illic in apostolorum exitium pharisei successor insanit, insanus protervit, temerarius debacchatur. Nunc, nunc igitur imitatur militia principem, sequntur agoniste summi signum, et

sub vexillo fidei membra fidelia Christo capiti conformantur. Nunc igitur miles exercitatur ad pugnam et tunsionibus[20] bellicis examinatur athleta, eligitur ad certamen. Nunc in tribulationis fornace succensa peccatorum nostrorum scoria excoquitur, probatur patientie virtus et meritorum gloria cumulatur. Jam novissimi temporis hora videtur instare novissima, in qua reprobis facultas dabitur seviendi, inferetur persecutio justis et in electis persecutorum rabies exardescet. Jam soluto Sathana satellites Sathane concurrunt ad predam, suspirant ad cedem, ad interitum inhiant et sic inito federe conspirationis inique sanguinem sitiunt innocentem. Sed in his omnibus tanto de omnipotentis Dei misericordia, in quem totam jactamus ancoram spei nostre, firmiorem fiduciam obtinemus, quanto pro certo cognoscimus nos pro sola defensione veritatis et justitie ista pati. Nam etsi ad probationem patientie nostre opporteat nos modicum tribulari, qui tamen novit suos de tribulatione eripere, cum viderit opportunum, succurret potentius tribulatis faciens insuper cum tentatione proventum gratie amplioris.

Hec pauca superne caritati vestre ultra quam credi possit scribi vel dici in profundo tribulationum pelago constituti duximus intimanda, ut processum dicti negotii aliqualiter cognoscentes, superna pietate et compassione commoti apud Christum ac Virginem matrem ejus, ordinis advocatam, et beatum Dominicum patrem nostrum et sanctum Dei Petrum martyrem gloriosum, cujus sanguis noviter fusus ad Deum sicut confidimus pro ordine suo clamat (cum in hoc negotio diabolo procurante ruina toti ordini preparetur) preces precibus cumuletis, nobis immo toti ordini in nobis, ab aliis orationum suffragia impetrantes et nostram innocentiam, ubi necesse videritis, excusantes, sicut viri prudentia prediti ex presentibus capiatis[21] aliquid de futuris. Valete.

Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), *Cartulaire* des Dominicains, H. 221, fol. 111. In eo cod. (saec. XIV), qui mendis scatet, invenitur inter epistolas Johannis Vercellensis, successoris Humberti in generalatu (1264-1284), ipsique Johanni perperam ascribitur, sicut et Guillelmus de Tocco in *Vita S. Thomae* (*AA. SS.* Mart., I, 666) omnes disceptationes contra Guillelmum de S. Amore falso ad aetatem Clementis IV et Johannis Vercellensis refert. Has litteras esse scriptas circa hoc tempus liquet ex epistolis, ad quas remittit, et verisimiliter papa relationem de gestis Parisiis accepit ab Humberto, qui tunc in curia morabatur. Sicut papa ita et Humbertus compositionem factam (vide supra nº 267) ignorabat.

1. Cod. : « Johannes ». — 2. Cod. : « et ». Sententia desumpta est ex Psalm. 79, 14. — 3. Narrat hoc etiam Thom. Cantimpr., *De apibus*, lib. 2, c. 10, nº 21 sqq., et Alexander IV in pluribus epistolis. — 4. Cf. supra nos 200, 219. — 5. Cod. : « sententias magistros ». — 6. Supra nos 222, 225. — 7. Supra nº 230. — 8. Supra nº 247. — 9. Supra nº 249. — 10. Supra nº 256. — 11. Supra nº 271. — 12. L. c. et nos 261, 262. — 13. Supra nº 269. — 14. Cf. supra nº 272. — 15. In Guillelmi de S. Amore *Tractatu de periculis noviss. temporum*, et in ejus atque aliorum sermonibus. — 16. Vide supra nº 256. — 17. Cf. supra ad nº 230. — 18. Cod. : « reddere ». — 19. Post « beneficos » in Cod. verbum obscurius, sicut « premoti ». — 20. Cod. : « tussionibus », vocabulum ex hymno Dedicationis eccl. desumptum. — 21. Parum clare in Cod.

274. *Alexander IV disponit de jure patronatus a Johanne de Lessington studentibus Ord. Cisterc. Paris. collato.*

1256, Aprilis 5, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Clarevallis Cisterciensis Ordinis Lingonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Salubri consideratione dilectus filius nobilis vir Johannes de Lessington[1], dominus de Eston, intelligens in loco vestro Beati Bernardi in Cardineto Parisiensi talentum sacre pagine ad decorem sponse Christi et illustrationem fidei dispensari, vobis pro hujusmodi Dei opere exequendo jus patronatus, quod in medietate ecclesie de Roderham Eboracensis diocesis obtinebat, liberaliter noscitur concessisse[2]. Ut igitur ipsius nobilis oblatio juxta laudabile votum ejus fructuosa reddatur, nos vestris supplicationibus benignius annuentes presentium vobis auctoritate concedimus, ut medietatem ipsam cedente vel decedente rectore ipsius usibus fratrum vestri ordinis in predicto loco theologice facultatis studio insistentium cum omnibus suis juribus et pertinentiis applicare ac ejus possessionem auctoritate propria ingredi et retinere libere valeatis, episcopi diocesani et capituli Eboracensis vel loci archidiaconi seu cujuscumque alterius assensu minime requisito. Proviso tamen, quod ydoneo capellano in eadem ecclesia Domino perpetuo servituro competens per vos de ipsius proventibus portio, ex qua congrue sustentari ac alia ipsius ecclesie onera sustinere valeat, assignetur. Nos enim nichilominus decernimus irritum et inane, si quid de predicta medietate secus fuerit attemptatum. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis et constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani non. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo[3].

Originale in Arch. départ. de l'Aube (Troyes), 3H/260. Deest bulla plumbea. In membrana aversa : « R. ccxxxviij capitulo anno secundo ». Revera invenitur Reg. Vat. Alex. IV, an. 2, ep. 438 (sunt duae epistolae inscriptae abbati Cistercii), fol. 161. — D'Arbois de Jubainville, *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterc.*, p. 305.

1. In Reg. : « Lesenton ». — 2. Cf. supra nº 232. — 3. In Arch. départ. de l'Aube l. c. occurrit epistola Nicolai IV viij kal. Maii an. 1 ad eosdem de eodem argumento. Cf. D'Arbois de Jubainville, l. c., p. 367.

---

275. *Alexander IV Ludovicum regem Francorum hortatur ut Reginaldo episcopo Parisiensi ad cohibendam insolentiam clericorum quorumdam Parisiis commorantium, qui sacrilegis manibus fratres Ord. Praed. Parisienses verberibus affecerant, impendat auxilium.*

1256, Aprilis 12, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii fratres Predicatores, *etc. sicut supra* nº 272, *usque* invalescat. *Deinde :* Venerabili fratri nostro .. episcopo Parisiensi nostris injungimus litteris, ut clericos predictos, quod eisdem fratribus satisfaciant plenarie de premissis, et ab eorum molestatione desistant, monitione premissa canonice

animadversionis vigore compellat, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Cum autem ad regie salutis augmentum pertineat dictos fratres divine considerationis obtentu a perversorum conatibus defensare, ecce regiam celsitudinem rogamus et hortamur attente, quatinus eidem episcopo, cum ab eo requisitus fueris, ad cohibendam hujusmodi clericorum ipsorum insolentiam pro Dei et nostra reverentia impendas favorem et auxilium opportunum. Dat. Laterani ij id. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 86. Supersunt fila cannab. In membrana aversa: « Predicatorum ». — Bulaeus, III, 298.

---

276. *Litterae Alexandri IV abbati Johanni Fossatensi de observandis quibusdam ordinationibus factis inter fratres Praedicatores et universitatem magistrorum et scholarium Paris.*

1256, Maii 5, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati Fossatensi[1] Parisiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut venerabilis frater noster episcopus et dilecti filii capitulum ecclesie Parisiensis sua nobis petitione monstrarunt, dudum inter dilectos filios priorem et fratres Ordinis Predicatorum ex parte una, et universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium ex altera super diversis articulis orta fuisset materia questionis, et nos de fratrum nostrorum consilio quedam super hec ordinaverimus, que noscuntur in utilitatem studii et libertatem Parisiensis ecclesie redundare, nos eorundem episcopi et capituli precibus favorabiliter annuentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ordinationem hujusmodi facias auctoritate nostra firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Laterani iij non. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Magnum Chart. eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 182. — Bulaeus, III, 302.

1. Saint-Maur-les-Fossés, Ord. S. Benedicti.

---

277. *Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi dubitanti iterum mandat ut Introductorium in Evangelium aeternum et schedulas quasdam curet abolendas.*

1256, Maii 8, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet super quodam libello, qui in libros Joachim *Introductivus* dicebatur, et cedulis[1] quibusdam, in quarum nonnullis multa que in libello non continebantur, eodem nequiter ascripta fuisse dicuntur, penitus abolendis tibi nuper direxerimus[2] scripta nostra[3] : quia tamen dubitas, qualiter circa horum abolitionem mandatum apostolicum exequi debeas, ejusdem executioni supersedere curasti, quousque

super hoc apostolicam sedem duceres consulendam. Ut igitur procedas certius et securius in hac parte, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum libellum et omnes hujusmodi cedulas a cunctis illas habentibus tibi auctoritate nostra precipias exhiberi, eos ad exhibenda hec infra certum terminum, quem ad hoc prefixeris, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, et inhibendo districtius sub interminatione anathematis, ne quis decetero similes conscribere vel componere seu apud se retinere presumat, et que tibi de hiis fuerint exhibita, vocatis ad tuam presentiam dilectis filiis .. cancellario Parisiensi et decem aliis providis viris, secundum quod discretio tua expedire viderit, coram ipsis, ita quod ex hoc infamia vel scandalum non consurgat, studeas abolere. Dat. Laterani viij id. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Magnum Chart. eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 189, sub rubrica : « Littera Alexandri pape super quodam libello, qui in libris Joachim introductivus dicebatur ». — Bulaeus, III, 302.

1. In ms. : « cordulis », et sic postea. — 2. Ms. : « duxerimus ». — 3. Vide supra nos 257, 258.

---

278. *Statutum capituli generalis*[1] *Ord. Praed. sub Humberto celebrati de delendis erroribus anno 1241 condemnatis. Scripta fratrum errores continentia mittantur magistro Ordinis. Reprobatur correctio Bibliae Senonensis.*

1256, medio Junio, Parisiis.

Injungimus districte omnibus fratribus, sicut etiam olim injunctum fuit[2], quod articulos condempnatos per episcopum et magistros Parisienses deleant de scriptis suis, in quibuscunque fuerint, et etiam quod priores provinciales vel eorum socii transportent scripta eorum ad provincias suas. Quicumque etiam fratrum aliquid erroneum secundum conscientiam suam sciverit in scripto alicujus fratris, mittat illud in scriptis magistro ordinis.

Item correctionem bibliothece Senonensem non approbamus, nec volumus quod illi correctioni fratres aliquatenus innitantur[3].

Ms. Rom. Capp. gener. Praed. ad Ord. pertinens. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1714, nos 8, 23. — In hoc capitulo injunctum est praeterea, ut in quolibet conventu septem psalmi (paenitentiales) cum letania a fratribus prostratis pro bono statu Ordinis dicantur. Martène, l. c., no 24. Celebres sunt istae « litaniae Praedicatorum » apud historicos coaevos.

1. Hoc capitulum medio Junio celebratum esse conjicimus ex epistola Humberti ad regem directa 20 Junii ejusdem anni. *Layettes du trésor des chartes*, no 4263. — 2. Cf. supra no 130. — 3. Sic in ms. Rom.; at mss. Rutenens., Cracoviens. (ad ord. Praed. pertinentes), Tolosan. 490 : « correctiones ». Huc usque docti, auctoritate textus apud Martène inducti, credebant mentionem hic fieri « correctionum *Bibliae Senonensis* », nec explicare poterant, quaenam fuisset haec Biblia. At supra minime de quadam Biblia Senonensi quaestio est, sed « de *correctione* bibliae *Senonensi* », ut in tribus mss. ultimo relatis insuper in margine legitur. Biblia, quam fratres Praedicatores, et postea alii, correxerunt, fuit *Biblia Parisiensis*, seu ut verbis Rogeri Baconis utamur, exemplar Parisiense, id est Biblia in ea forma, qua Parisiis post initium saec. XIII in usu theologorum et studiosorum erat, cum rationabiliori praeterea capitum distinctione (a Stephano Langton verisimiliter introducta, cf. supra ad num 41), quam exemplaria saeculorum priorum afferebant. Cum ex omnibus mundi partibus studiosi Parisios ad audiendam « sacram paginam » confluerent, imaginari possumus quam cito textus Bibliae Parisiensis ubique divulgata et recepta fuerit. Exemplar Bibliae vulgatum, et Biblia Parisiensis idem sonabant, ut liquet ex *Opere tertio* Rogeri

Baconis, ed. Brewer, p. 92, et ab isto tempore nomen *Vulgatae* usum obtinuit. Biblia Parisiensis vero diffusa est non solum cum omnibus erroribus, quibus jam prius scatebat, sed etiam cum novis per incuriam theologorum et stationariorum Pariens. introductis, teste Rogero Bacone scribente : « Circa quadraginta annos [ante an. 1230] multi theologi infiniti et stationarii Parisius parum videntes hoc proposuerunt exemplar, qui [stationarii] cum illiterati fuerint et uxorati, non curantes, nec scientes curare de veritate textus sacri proposuerunt exemplaria vitiosissima, et scriptores infiniti addiderunt ad corruptionem multas mutationes », *etc. Opus minus.*, ed. Brewer, in *Opp. ined.*, p. 333. Fratres Praedicatores, corruptionem textus sacri perspicientes, isto tempore primi omnium Bibliam Parisiensem corrigere conati sunt, et Capitulum generale Parisiis an. 1236 celebratum statuit : « Volumus et mandamus, ut secundum correctionem, quam faciunt fratres, quibus hoc injungitur in provincia Francie, alie biblie ordinis corrigantur et punctentur ». Ms. Rutenens. (Martène, IV, 1676, nº 34, mendose). Nescimus quo anno fratres hanc correctionem incoeperint; haud dubie tamen conventum Ord. Praed. Senonensem incolebant. Istam correctionem, quam postea *Corr. Senon.*, vel simpliciter *Senon.* nominaverunt, ut minus sufficientem, Cap. gen. an. 1256 abrogavit. De quo Rogerus Baco : « Cum ad duodecim annos Praedicatores redegerunt correctionem in scripturis, jam venerunt alii, et novam ordinaverunt correctionem, que continet plus medietate unius biblie; et quia vident se errasse in antiqua correctione, jam fecerunt statuta, quod nullus ei adhereat ». *Op. maj.*, ed. Jebb, p. 49. Cf. *Opus tert.*, ed. Brewer, p. 94. Ab ista correctione, quam invenire non potuimus, diversa est *correctio Parisiensis Cardinalis Hugonis*, compendiose in octo mss. nobis notis conservata, et alia, utique Praedicatorum, in quatuor voluminibus Bibl. nat. Paris., mss. lat. 16719-16722, contenta, quae tamen plurima ex *correctione Senonensi* desumpsit.

---

279. *Humbertus magister Ord. Praed. fratribus sui Ordinis de fratribus, qui linguas orientales addiscunt, et de persecutione Parisiensi, jam aliquatenus temperata.*

1256, medio Junio, Parisiis.

Dilectis in Dei Filio fratribus Predicatoribus universis fr. Humbertus eorum servus inutilis salutem et gaudium in Sancto Spiritu. Imposita fragilitati mee cura regiminis animarum vestrarum requirit, ut non solum paterna sollicitudine vos ad meliora provehere sanctis exhortationibus studeam, sed in affectu materno vobis intendam pro tempore consolandis, ut spiritus vestri in Domino confortati ad omnia sustinenda se recipiant fortiores. Hinc est, carissimi, quod sollicitudinem omnem gerens vobis de communi vestra consolatione quedam etiam de profectu ordinis et animarum salute, que michi notificata magno fuere solatio, vel innotescere dignum dixi, ut et vos mecum in Domino gaudeatis. Ecce, dilectissimi, sicut ad nostram devenit notitiam per multiplices litteras multorum narratione veridica, fratres per orbem jam multiplicantur per gratiam ejus qui eos vocavit, et mire proficiunt coram Deo et hominibus, et fructum quam plurimum in aliis faciunt, qui non parvi, sed numerus tante multitudinis satis paucam materiam gravium corrigendorum excessuum nobis in nuper capitulo preterito, ministravit. Quis autem plene exprimeret quanto benevolentie favore ordinem nostrum et nos qui stamus in sancta vocatione, sancta romana prosequitur ecclesia? Quanta benevolentia prelati quamplures complectantur? Quanto venerationis honore reges, principes et magnates, quanta caritate fere omnes religiosi pertractent? Quantam denique devotionem exhibeant ubique terrarum populi christiani? Porro pauci illi perditionis filii, qui imitatores apostate angeli suum deliquerunt domicilium, non solum cum eo solvent penas eternas, sed in presenti etiam seculo, justo Dei judicio in oculis omnium dolorum initia pregustantes perfusi confusione et ignominia, miserabilem vitam miserabiliori claudunt exitu, sicut constat vobis per casus

varios evidenter. Scripsimus namque in preterito capitulo quod fratres qui voluntarium habent animum ad relinquendam nationem suam et transeundi ad barbaras nationes, atque ad desudandum in addiscendis litteris et linguis extraneis propter nomen Domini nostri Jesu Christi ac ejus gloriam dilatandam, suum nobis propositum intimare curarent[1]. O quantum vestra caritas una mecum gauderet super fratrum sancto fervore! si sciretis quot et quanti, de diversis provinciis, ad labores hujusmodi ardentissimo desiderio se obtulerunt, mortis etiam pavore contempto! Neque etiam desperandum est de profectu in iis, qui variis seducuntur erroribus, cum fructus plurimus jam in eis appareat manifeste. Profecerunt siquidem et proficiunt fratres, qui laborant in diversis provinciis ad extirpationem heretice pravitatis, in tantum ut paulo ante incredibile videbatur id posse fieri quod per eos jam Dominus dignatus est operari a duobus annis et citra. Cumanorum, circa quos fratres fuerunt solliciti, baptizata est plurima multitudo. Maronitarum etiam populi diu scismatici et subversi libros suos dicuntur obtulisse corrigendos omnino ad voluntatem fratrum provincie terre sancte qui circa eorum rectificationem solliciti extiterunt. Fratres vero qui proficiscuntur ad Tartaros de via sua michi prospera nunciaverunt. Fratres nostri magne auctoritatis, et mirabilium viri virtutum, qui jam inter Georgianos in remotissimis partibus Orientis xviij annis et amplius vitam asperrimam duxerunt, suis litteris cum caritatis ardore repletis et exemplis mirificis, nostram miserabilem inertiam reprehendunt. In Yspaniis partibus fratres, qui jam multis annis inter Saracenos in arabico studuerunt, non solum laudabiliter in lingua proficiunt, sed quod est laudabilius, ipsis Saracenis ad salutem cedit cohabitatio eorumdem, ut patet in pluribus qui jam baptismi gratiam susceperunt. Prutenorum maxima natio, de novo subjugata dominio christianorum, illorum multi, paganorum ritu relicto, ad baptismi gratiam convolant. Quis igitur his consideratis non sperabit de fructu faciendo in nationibus errabundis? Nam mandatum in preterito capitulo, ut magnalia gesta in ordine, vel occasione ordinis, nondum in scriptis redacta, intimarent michi, qui eorum habent notitiam, ut per diligentiam nostram scripto mandarentur, opportuno tempore publicanda. O quantum cordibus vestris ingererent letitiam que jam michi scripta sunt super istis, si tempus sufficeret ad scribendum! Sed hec vobis nota fient Domino concedente.

Consolamini igitur invicem in Domino et gratias agite incessanter. Non conturbet vobis si audieritis fratres nostros tribulationem interdum alicubi sustinere. Ipsi enim scitis quod in hiis majorum virtutum occasio ministratur et in hoc positi sumus, si volumus esse discipuli Salvatoris. Nec latet nos etiam quod hec in brevi momentanea finem habent. Numquid non recolitis, quam cito imposuit Dominus finem tribulationibus magnis nobis in curia summi pontificis suscitatis[2]? Fratrum nostrorum Parisiensium tribulationes graves jam sunt per Dei gratiam temperate, licet quedam supersint reliquie ad exercitium nostrum, de quibus confidimus in Domino, quod ad utilitatem animarum et honorem ordinis debeant terminari. Tantum fecit Dominus fratribus ipsis cum tentatione proventum,

quod tempore pacis nunquam largius provisum fuit in necessariis Parisiensi conventui, sicut dicitur fuisse factum tempore tribulationis sive persecutionis supradicte[3]; quia tantus fuit concursus secularium ad sermones et generale capitulum nuper ibidem celebratum, tanta visitatio nuper Francorum regis, prelatorum, principum et magnatorum recommandantium se devote orationibus fratrum, quod nunquam aliud capitulum cum tanta solempnitate vidimus celebrari. Sed et reliquie beati Petri Martyris, presente rege cum archiepiscopis et episcopis multis, principibus et populi multitudine copiosa, preter morem Parisiensem cum tanta tunc temporis recepte sunt devotione et reverentia, quod vix antea credi potuisset. Sic non obliviscitur Pater misericordiarum suis post tempestatem tranquillum facere, et consolationem adducere post dolorem[4]..... Vos autem, fratres carissimi, qui vos ad transeundum ad extraneas nationes et ad linguarum studium subeundum tam devote voluntarie obtulistis, quorum ad presens desideria non implentur, rogo quod patienter feratis. Tanta enim multitudo fuit se offerentium ad predictum quod, licet ad hoc sint plures assumpti, omnes tamen instanti necessitate necessarii non fuerunt. Vos igitur per bonam erga Deum voluntatem indubitanter multum meritum acquisistis. Me servum vestrum multis propter vos expositum periculis, precibus vestris recommendo. Sciatis igitur cccxx fratres hoc anno migrasse ad Dominum, quorum sunt obitus nuper in capitulo preterito recitati. Ex quibus duo a paganis sunt pro justitia interfecti; duo a Saracenis decapitati sunt in terra sancta, quorum nos orationibus magis quam ipsi nostris forsitan indigemus. Bene valete. Datum Parisius anno Domini M°CCLVI in Capitulo generali.

Ms. Rom. Capp. general. Ord. Praed. ad Ord. pertinens. Deest in compilatione Capp. general. a Bernardo Guidonis facta.

1. Vide epistolam an. 1255 apud Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1706. — 2. Deceptus est. Vide infra n° 311. — 3. Contrarium scribit Matth. Paris., *Hist. maj.*, ed. Luard, V, 599, Mendicantibus omnino offensus : « Subsannavit populus, elemosynas consuetas subtrahendo, vocans eos hypocritas, antichristi successores (nuntii?), pseudopredicatores », *etc.* — 4. Sequitur notitia de libris liturgicis Ordinis.

---

280. *Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem directis compositionem inter fratres Praedicatores et magistros Parisienses initam reprobat, Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro super Albam, Christianumque tanquam contumaciae fautores omnibus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis privat, quos de regno Franciae amoveri, ceterosque magistros ni pareant et dictis fratribus ipsorum consortio interdicant, excommunicari jubet.*

1256, Junii 17, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cunctis processibus et ordinationibus vel statutis, que malitie sunt plena tribulis et ordine carentia rationis, vel que apostolice sedis auctoritati derogant et multos Christi fideles enormiter scandalizant, ac in divine legis vertunt prejudicium et evidens continent periculum animarum, prompto spiritu debemus obsis-

tere, ut nulla prorsus gaudeant firmitate, sed redigantur ad nichilum, ne transeant aliis in exemplum, inflicta nichilominus tali pena temerariis actoribus eorundem, quod sit eis omnino necessitas de sua presumptione dampnabili humiliter et propere penitendi. Sane pro dilectissimo nobis Parisiensi studio in vigore debito conservando quedam olim circa ipsum de fratrum nostrorum consilio diligenti examinatione premissa provide duximus statuenda, sicut in specialibus litteris nostris inde confectis, quarum principium est *Quasi lignum vite,* plenius continetur[1], certis super hoc executoribus deputatis. Dilectis etiam filiis magistris Parisiensibus per litteras nostras dedimus in mandatis, ut dilectos filios fratres Predicatores regentes Parisius in theologica facultate, qui per felicis recordationis I. papam predecessorem nostrum et subsequenter per nos restituti fuerunt, infra quindecim dies post receptionem litterarum ipsarum ad consortium jam dictum admitterent, alioquin ab officiis et beneficiis essent ipso facto suspensi[2]. Dicti vero et quamplures alii magistri et scolares Parisienses restitutionis, ordinationis et litterarum ac sententiarum executorum ipsorum temerarii transgressores in delusionem earum ab Universitate nequiter recesserunt, et preter ipsam Universitatem, ut dicebant, in quadam societate seu congregatione morantes Parisius, actumque legendi postmodum ex sola malitia suspendentes, licet nos nomine Universitatis in dicta ordinatione nostra sepius iterata intelligamus et velimus intelligi omnes magistros et scolares Parisius existentes, asserebant, se cum de Universitate non essent, ad restitutionis, ordinationis et litterarum ac sententiarum ipsarum observantiam non teneri, frustratorie, ne super hoc in prejudicium ipsorum aliquid fieret, appellando, prout in litteris eorum transmissis nobis et fratribus nostris perspeximus contineri[3]. Juraverunt etiam, ut fratres Predicatores et scolares fratrum regentium in scolis suis et ad scolasticam societatem nunquam reciperent, nisi prius quod possent ad hoc recipi esset per ecclesiam diffinitum. Et sic hujusmodi ac aliis malitiosis exceptionibus et appellationibus interjectis, quas frivolas reputamus, prefatas restitutionem, ordinationem, litteras et sententias obstinato animo non servantes, nostre intentioni circa effectum ordinationis ipsius presumunt calumpniosis adinventionibus obviare, ad tantam nichilominus prorumpendo vesaniam, quod in proprie salutis dispendium et scandalum plurimorum conati sunt per dampnabilem astutiam impedire ne aliqui predictis fratribus elemosinas largirentur, vel ab eis vel in domo ipsorum sermones seu lectiones aut disputationes audirent, vel confiterentur ipsis peccata propria, etiamsi licentia super hoc a nobis vel a te loci diocesano aut sacerdote proprio haberetur. Preterea in divinam et nostram offensam non modicam, ipsi sacre religionis emuli ac turbatores quietis ac laudabilium operum quibus dicti fratres ferventer invigilant, nefarii detractores, claram et celebrem illorum famam obfuscare falsis obsequiis molientes, litteras, per quas ipsos, virtutum odore perfusos, ac pium et sanctum eorum ordinem quasi quoddam sydus in ecclesia Dei refulgentem, qui a longis retro temporibus per sedem apostolicam solempniter approbatus fructus desiderabiles et felices in eadem

ecclesia continua fecunditate producit, odibiles redderent et despectos, prelatis diversarum partium et nobis etiam ac fratribus nostris dirigere presumpserunt, illa ducti crudelitate nequissima, quod doctrina catholica et salubris ac predicatio fratrum ipsorum Deo gratissima et delectabilis eum timentibus contempnatur, ac invalescat hereticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter et omnimode confutanda dicti fratres velut strenui pugiles orthodoxe fidei sunt ita vigiles et intenti, quod ducunt pro deliciis, si hac de causa bibant aliquando calicem passionis. In quosdam etiam de fratribus eisdem quidam ex scolaribus supradictis maligno concitati spiritu, vel quasi frenetico furore possessi, violentas manus, ut dicitur, injecerunt, et ipsos alias tot affecerunt injuriis, ut vix de claustro suo auderent egredi pro cotidianis elemosinis in sue pauperis vite remedium acquirendis[4]. Demum vero iidem fratres tam duris afflicti molestiis et obprobriis lacessiti ad quandam compositionem cum dictis magistris et scolaribus sine conniventia sedis apostolice minus provide devenerunt, per quam inter alia reprobatione dignissima dicti fratres et scolares a scolis et scolastica societate magistrorum et universitatis contemptibiliter excluduntur[5], quod est apertissime in contumeliam creatoris et animarum jacturam ac discrimen fidei, et in favorem heretice pravitatis; maxime cum non solum virtuosi et religiosi viri, sed etiam judei et quicunque alii christiani nominis inimici libere in scolis legis divine recipi et etiam ad hoc deberent precibus invitari, ut ibi lumen fidei et morum susciperent disciplinam. Quid plura? Predicti magistri et scolares hujusmodi concordiam stimulis discordie circumseptam observare, sicut accepimus, non curarunt, illis qui volunt fratrum ipsorum lectiones et disputationes ac predicationes audire, necnon et illis qui dilecti filii fratris Thome de Aquino voluerunt interesse principio, se nequiter opponendo. Licet igitur ex parte dictorum fratrum, qui pacem cum omnibus habere cupiunt, et persecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur, nobis fuerit humiliter supplicatum, ut sententias occasione ipsorum in eosdem magistros et scolares prolatas et expressum superius juramentum, cum pax esset inter eos ad invicem reformata, relaxare misericorditer dignaremur, quia tamen pacem ipsam nobis irrequisitis initam seu presumptam, quod nullo modo provenire debuit, omnino duximus reprobandam, cum sit iniqua et attemptata contra ordinationem nostram, quam illibatam et firmam semper volumus observari, preces ipsorum fratrum super hoc decrevimus nullatenus admittendas. Quinimmo ne tante rebellionis vitium contra Romanam ecclesiam ausu detestabili attemptatum, quod diu apud nos sub nimia dissimulatione preteriit, possit esse aliis occasio scismatis et contumacie perniciose fomentum, Guillermum de Sancto Amore et Odonem de Duaco[6], doctores theologie, ac magistros Nicolaum de Barro super Albam[7], et Christianum canonicum Belvacensem[8] tanquam principales hujusmodi rebellionis et contumacie incentores omnibus dignitatibus et beneficiis suis ecclesiasticis ac officio magistrali, dictumque G. capellania nostra privamus sub pena simili districtius inhibentes, ne aliquem ipsorum quis audiat, si forsan contra inhibitionem hujusmodi docere

presumpserit aut cathedram ascendere magistralem. Ipsos etiam doctores et magistros jam dictis beneficiis et aliis indignos reddimus, ac de toto regno Francie precipimus amoveri. Alios autem hujusmodi rebellionis consortes pari vel acriori pena, prout nobis videbitur, puniemus, nisi reverenter et humiliter infra quindecim dies, postquam presentes fuerint Parisius publicate, restitutioni, ordinationi et litteris ac sententiis memoratis parere studuerint, ac de prestanda nobis super hiis juxta beneplacitum nostrum satisfactione plenaria vel condigna se tibi sufficienter duxerint obligandos. Juramenta quidem aut obligationes quascunque a dictis doctoribus ac magistris et scolaribus, sive de non recipiendo ad scolas vel scolasticam societatem dictos fratres et scolares fratrum ipsorum regentium, sive alias contra prefatam nostram ordinationem facta decernentes penitus non tenere, predictorum executorum sententias in doctores et magistros ac scolares eosdem aut ipsorum aliquos promulgatas appellationibus nullis obstantibus auctoritate apostolica confirmamus. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie ac etiam sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, quatinus tenorem presentium omni dilatione et occasione postposita per te vel per alios studeas Parisius publicari. Si prefati doctores et magistri, que premisimus, non duxerint omnimode adimplenda, ipsos ex tunc excommunicatos denuncies et denunciari facias, ubicunque videris expedire, ac illis, ad quos dignitatum ac beneficiorum ipsorum collatio dinoscitur pertinere, per litteras tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies post receptionem litterarum omni occasione cessante dignitates et beneficia ipsa conferant personis idoneis ecclesie Romane devotis. Quod si facere forte neglexerint, tu illa conferre auctoritate nostra infra dies totidem non postponas. Carissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem Francie, cui super hoc scripta nostra dirigimus, diligenter moneas et inducas, ut dictos doctores et magistros tanquam ecclesie Romane rebelles et Parisiensis studii turbatores de toto regno suo postposita tarditate propellat, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus appellationibus et exceptionibus aut occasionibus supradictis vel aliis quibuscunque sive litteris vel indulgentiis ab apostolica sede concessis, per quas precepti nostri executio in hac parte impediri valeat vel differri, aut de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, seu etiam, quod dicti fratres omnibus litteris apostolicis impetratis et impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositione hujusmodi consenserunt, presertim cum ipsam nullam esse ac jam dictas apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, et ipsas tibi ac eisdem fratribus ab earum detentoribus exhiberi, quos ad id si necesse fuerit per censuram eandem appellatione remota compellas. Preceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientie gaudeamus in te promptitudinem invenisse. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu predicte pene contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, gravissime provocabis.

Quod autem super hoc inveneris et feceris, nobis fideliter rescribere non omittas. Dat. Anagnie xv kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 95. Supersunt fila cannab. — *Magnum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 559. Cod. privilegia Ord. Min. continens (saec. XIV) et ad Ord. Servorum Mariae pertinens. Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 243. *Cartulaire* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 67; ibique, liasse 930, *vidimus*, an. 1256. *Layettes du trésor des chartes*, nº 4262. *Vidimus* episcopi Paris. mensis Aug. anni 1256 in *Annales de Burton*, ed. Luard, p. 430. Bulaeus, III, 302.

1. Supra nº 247. — 2. Supra nº 248. — 3. Supra nº 256. — 4. Supra nºs 269, 272, 273. — 5. Supra nº 268. — 6. Matth. Paris., ed. Luard, V, 599, adjungit : « qui nobiliter rexerant in artibus, in decretis (de Guillelmo v. supra nºs 122, 174, 175), et tunc in theologia ». — 7. Matth. Paris, l. c. : « qui rexerat in artibus, legibus et decretis, ad legendum in theologia praeparatus ». — 8. Christianus Belvacensis fuit, quod viros doctos hucusque fugit, sectator Millenariorum. Scribit enim Albertus Magnus in Matth. 6, 13 (*Opp.*, t. IX, p. 148) : « Dixit tamen Christianus Belvacensis, quod aliquando in ista petitione (*sed libera nos a malo*) ecclesia exauditur, quia ante finem mundi sancti erunt sine originali, et Christus cum eis corporaliter comedens et bibens, et liberi ab omnibus malis per mille annos. Sed iste error ab ipsomet et a nobis et aliis multis condemnatus est ». De eodem Matth. Paris., l. c. : « qui maximus quasi philosophus emeritus, postquam in artibus rexerat, in theologia lecturivit ».

---

281. ***Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat, fratres Praedicatores et Minores in collegium aliorum magistrorum admittendos esse, studium alio non transferendum, omnesque ordinationes, quae contra constitutiones apostolicas factae sint, irritas fore.***

1256, Junii 27, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet olim pro studii Parisiensis conservatione quedam circa studium ipsum de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda prout in litteris nostris exinde confectis, que *Quasi lignum vite* incipiunt, plenius continetur, nonnulli tamen magistri et scolares Parisienses quasdam colligationes et obligationes nefarias ad invicem, ut audivimus, inierunt, per quas scolares religiosi et alii non possunt libere sicut volunt scolas maxime sacre legis pro lectionibus et disputationibus audiendis intrare. Alias etiam non sine apostolice sedis injuria et impedimento dicti studii ac salutis animarum dispendio intentionem nostram circa effectum ordinationis ipsius evacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur et auctoritate presentium statuentes quod scolares omnes tam religiosi, qui de prelatorum suorum licentia morantur in studio, quam etiam seculares, libere valeant ubi volunt lectiones et disputationes audire, quodque prefata nostra ordinatio ab omnibus magistris et scolaribus Parisius existentibus reverenter et humiliter observetur, necnon quod dilecti filii Predicatorum et Minorum ordinum fratres ac alii religiosi qui Parisius fuerint pro tempore doctores theologice facultatis, seu scolares ipsorum in consortium et collegium seu societatem aliorum magistrorum et scolarium Parisiensium recipiantur, simpliciter et efficaciter habeantur, et quod Parisiense studium preter tenorem ordinationis ejusdem aut absque sedis apostolice licentia speciali nullatenus alibi transferatur, omnes qui contra hoc salubre statutum nostrum venire vel occasione presentium aut aliarum litterarum nos-

trarum directarum tibi, que incipiunt *Cunctis processibus*[1], studium ipsum conturbare presumpserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis decernimus esse privatos et ab ordinum executione suspensos. Omnes autem obligationes etiam juramento firmatas a magistris et scolaribus memoratis contra ordinationis aut litterarum superius expressarum seu presentium tenorem presumptas vel in posterum presumendas necnon et compositionem inter eosdem fratres Predicatores ex parte una ac magistros et scolares ex altera contra ordinationem ipsam nobis irrequisitis initam tamquam iniquam et temerariam penitus irritamus. Ut igitur a supradictorum observantia nullus se possit per ignorantiam excusare, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus tenorem presentium qualibet occasione et dilatione ac appellatione cessante per te vel per alios publicare Parisius non omittens, si qui contra predictorum aliquod venientes privationem incurrerint memoratam, tu illos ad quos beneficiorum ipsorum collatio spectare dinoscitur per litteras tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies post receptionem ipsarum omni occasione cessante beneficia illorum, de quibus videris expedire, conferant personis idoneis et ecclesie Romane devotis. Quod si facere neglexerint, tu illa conferre personis hujusmodi non postponas. Non obstantibus appellationibus et exceptionibus aut occasionibus quibuscumque sive litteris vel indulgentiis ab apostolica sede concessis, *etc. ut supra* n° 280, *usque* provocabis. *Deinde :* Quod enim super hoc inveneris et feceris nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Dat. Anagnie v kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, n° 96. Supersunt fila cannab. Alterum ibid. M. 257[a], n° 8. Deest bulla plumbea. — Reg. Vat. Alex. IV an. 3, ep. 246, fol. 33. *Magnum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 562. Cod. privil. Ord. Min. continens (saec. XIV) et ad Ord. Servorum Mariae pertinens. Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 240. Haec epistola sicut et praecedens inserta est praeterea litteris, *vidimus* vulgo dictis, Reginaldi episcopi Paris. in Arch. nat. Paris. J. 153, n° 24. *Vidimus* electi Cusentini an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. Ibid. *Cartul.* des Dominicains, H. 221, fol. 71[b]. *Layettes du trésor des chartes,* n° 4264. In Bullario Rom. ed. *Taurin.*, III, 649, hae litterae perperam ad tertium annum pont. Alexandri referuntur et quidem e Regesto Vat. citato, ubi quidem inter litteras tertii anni exstant, sed cum temporis nota ut supra. Bulaeus, III, 305.

1. Supra n° 280.

---

282. *Alexander IV Ludovico regi Francorum mandat ut Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro super Albam, Christianumque, nisi pontificis mandatis paruerint, de regno Franciae expellat, Guillelmum etiam et Christianum carceri mancipet.*

1256, Junii 27, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Vere fidei et pie devotionis sinceritas, quam geris erga Deum et Romanam ecclesiam, evidentibus et credibilibus nimis sanctorum operum testimoniis comprobata cor nostrum mira perfundit suavitate letitie, ac nobis, quod excellentiam tuam ad omne bonum promptam semper experiri possimus, efficacissime persuadet. Inter alia vero tuam regiam celsitudinem commendant clarius dilectionis et

pietatis viscera, que in omnes Christi pauperes et precipue in dilectos filios Predicatorum et Minorum ordinum fratres affectuosus effundis : in quo utique ipsius Christi te imitatorem exhibens, ipsum et ejus ecclesiam, cujus illi officiosa sunt membra, et eo cariora, quo sibi firmius coherentia, letificas et honoras. Sane licet pro dilectissimo nobis Parisiensi studio in vigore debito conservando quedam olim circa ipsum de fratrum nostrorum consilio diligenti examinatione premissa provide duxerimus ordinanda, sicut in specialibus litteris nostris inde confectis plenius continetur, certis super hoc executoribus deputatis, quamplures tamen magistri et scolares Parisienses sue potius quam Christi glorie cupidi, pro eo quod super injuriosa separatione dilectorum filiorum magistrorum fratrum Predicatorum Parisiensium et scolarium eorundem a magistrorum consortio et Universitatis collegio ac quibusdam eorum statutis iniquis et non sine offensa Dei et animarum periculo artantibus studium sacre legis apud nos non potuerunt, quia nec debuerunt, consequi votum suum, irrationabili commotione ac superba indignatione turbati non solum dictos fratres Predicatores, quorum felicibus profectibus invidebant, crudeliter et nequiter afflixerunt, ac eorum ordinem fecundum fructibus sanctitatis et quasi quoddam sydus[1] in Dei ecclesia refulgentem apud nos et alios conati sunt verbis et litteris sacrilegis diffamare, sicut tua serenitas, ut credimus, non ignorat, verum etiam, quod est detestabilioris audacie, nobis se contumaciter opponere presumentes, adinventionibus fraudulentis et frivolis appellationibus, prout nobis per suas litteras constitit, prefate ordinationis effectum impedire contra intentionem nostram multipliciter attemptarunt, litteras nostras et excommunicationis ac suspensionis sententias in eos culpis suis exigentibus auctoritate sedis apostolice promulgatas rebellione dampnabili contemnendo. Sed quia hujusmodi superbie filii diu sub quadam pia dissimulatione a nobis ut resipiscerent expectati sue cervicis obstinate duritiam ad obediendum nobis flectere non curarunt, nos ne tante temeritatis vitium contra Romanam ecclesiam ausu detestabili attemptatum possit esse aliis occasio scismatis et contumacie perniciose fomentum, et ne Parisiense studium violato tenore ordinationis nostre pro aliquorum libito dissolvi valeat vel transferri : nos citra culparum suarum exigentiam processimus contra ipsos, et venerabili fratri nostro .. Parisiensi episcopo scripta nostra direximus, ut processum ipsum Parisius publicare studeat, ac alia quedam circa hoc diligentius exequatur[2]. Ut autem hujusmodi processus nostri votiva executio proveniat sine mora, serenitatem tuam, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, omni qua possumus affectione rogamus, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatinus prefato episcopo ad exequendum super hoc preceptum nostrum pro divina et nostra reverentia tui brachii triumphali virtute subveniens, in auxilium salutaris et ecclesiastice discipline divinitus tibi data, Guillermum de Sancto Amore et Oddonem de Duaco doctores theologie, ac Nicolaum decanum de Barro et Christianum canonicum Belvacensem tanquam ecclesie Romane rebelles et aliorum rebellium incentores ac turbatores Parisiensis studii, nisi ad mandatum nostrum juxta formam ipsi episcopo traditam

redeant reverenter, omni dilatione et occasione seu appellatione cessantibus, de toto regno Francie propellere non omittas. Vellemus ad hec, si tue celsitudini videretur, ut dictos Guillermum de Sancto Amore et Christianum, qui sunt in perversitate hujusmodi potiores, faceres usque ad beneplacitum nostrum in carcere detineri, ceteros de magistris et scolaribus supradictis prefate ordinationis nostre et ejusdem studii turbatores ac fratrum ipsorum vexatores improbos et iniquos tua prepotenti dextera, prout tibi videbitur, coercendo, ut ipsorum punita malignitas alios doceat quiete vivere et ecclesie Romane humiliter obedire; preces nostras in hac parte sic efficaciter impleturus, quod nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti, tuis, cum opportunum fuerit, libentius annuamus. Dat. Anagnie v kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 97. Supersunt fila cannab. — *Cartulaire* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 78ᵇ. Cod. privilegia Ord. Min. continens et ad Ord. Servorum Mariae pertinens (saec. XIV). Bulaeus, III, 306.

1. Or.: « sydum ». — 2. Supra nºˢ 280, 281.

---

283. *Alexander IV rogat decanum et capitulum Parisiense ut Joannem et Rogerum et Blasium nepotes suos, disciplinis scholasticis Parisiis vacaturos, in domibus claustralibus ecclesiae Parisiensis morari patiantur.*

1256, Junii 29, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. decano et capitulo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectos filios Johannem, Rogerum et Blasium nepotes et capellanos nostros Parisius duxerimus destinandos disciplinis ibidem scolasticis vacaturos, attendentes quod ex conversatione bonorum morum formatur honestas, ac propter hoc eorum profectibus expedire, quod iidem in loco morentur congruo et cum personis conversentur honestis : universitatem vestram duximus attente rogandam per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsos cum eorum familia in domibus claustri ecclesie vestre morari pro reverencia nostra benignius permittatis, statuto contrario, quod habere dicimini juramento firmatum, ne quis nisi canonicus vel in expensis canonici in domibus ipsis manere valeat, non obstante. Preces nostras taliter impleturi, quod vestra exinde possit devocio merito commendari. Dat. Anagnie iij kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Magnum Pastorale in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 567. — Bulaeus, III, 307. Apud R. de Lasteyrie, *Cartulaire général de Paris*, I, 368, nº 424, haec epistola perperam Alexandro III ascribitur et ad. an. « 1161, 29 mai » refertur.

---

284. *Alexander IV priori et fratribus Ord. Praed. Paris. compositionem inter ipsos et magistros Paris. initam significat irritam fore, eosque ad scholas praecipue theologicas et scholasticam societatem esse admittendos.*

1256, Julii 1, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori et fratribus Ordinis Predicatorum Parisiens. salutem et apostolicam benedictionem. Vehementi admiratione ducimur, et etiam non immerito conturbamur, quod licet sedes apostolica vos pro sacre religionis vestre meritis complectatur affectu benivolentie specialis, ac viros reputet honestate multa conspicuos et circumspecta discretione preclaros, ad illius tamen inconsulte simplicitatis prorupistis excessum, ut cum magistris et scolaribus Parisiensibus effectum ordinationis pro communi utilitate studii Parisiensis a nobis edite de fratrum nostrorum consilio dolose ac nequiter molientibus impedire non solum presumpseritis absque conniventia nostra componere[1], sed etiam nimis improvide postmodum petivistis, ut sententias in prefate ordinationis temerarios transgressores auctoritate nostra prolatas pretextu compositionis hujusmodi relaxare de speciali gratia dignaremur, licet ipsi adhuc in sua contumacia dampnabiliter perseverent. Sane nisi nos propter enormes et atroces quas ferebatis injurias ad consensum compositionis ejusdem quasi violenter inductos de quadam pietatis habundantia crederemus, debite severitas discipline vos instrueret, quod in hoc non leviter deliquistis. Preces igitur non improvidas et indignas, quas nobis in hac parte porrigere attemptastis, nullatenus admittentes obligationes de non recipiendo ad scolas vel societatem scolasticam vos seu quoscumque alios religiosos aut seculares, sive alias contra prefatam ordinationem nostram a dictis magistris et scolaribus attemptatas, etiam si juramento vel quacumque firmitate alia roborate, penitus irritamus, declarantes auctoritate presentium quod vos et alii religiosi, qui de prelatorum suorum licentia in studio commorantur, ad scolas precipue theologice facultatis et scolasticam societatem libere sicut alii seculares recipi valeatis, presertim cum ad hec infideles ipsi non solum affectu deberent admitti promptissimo, sed etiam induci precibus et muneribus invitari, ut ibi lumen fidei et morum susciperent disciplinam. Dat. Anagnie kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 250, n[os] 99 et 100. Restant fila cannab. In membrana aversa posterioris legitur : « Priori provinciali fratrum Pred. in Francia ». — *Vidimus* an. 1256, in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. Cod. privil. Ord. Min. continens (saec. XIV) et ad Ord. Servorum Mariae pertinens. Bulaeus, III, 307.

1. Supra n° 268.

285. *Ordinatio facta in capitulo provinciali provinciae Provinciae Ord. Praed. de erroribus Parisiis anno 1241 damnatis.*

1256, Julii 22, Avenione.

Errores condempnatos Parysius a singulis prioribus deportentur et diligenter attendant lectores, si forte aliqui de hujusmodi invenerint in scriptis suis et emendent... Isti sunt errores condempnati Parysius ab episcopo Parisiensi et magistris theologie regentibus Parysius anno Dom. M°CC°XL : Primus error est, quod divina essentia in se nec ab angelo nec ab homine videbitur. Secundus est [*etc. Sequuntur decem errores supra* n° 128 *memorati*].

Bibl. Tolos., ms. 490, fol. 291. Bibl. Avenion., ms. 229, fol. 86^b, ambo capp. provinc. Provinciae et Tolosan. provinciarum continentes.

---

286. *Alexander IV praecipit, commendata magnopere Summa theologica fratris Alexandri de Hales, ministro Ord. Minorum in Francia, ut ad eam perficiendam mandato fr. Guillelmo de Melitona fratres idonei adjutores Parisiis assignentur.*

1256, Julii 28, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. ministro fratrum Ordinis Minorum in Francia salutem et apostolicam benedictionem. De fontibus Paradisi flumen egrediens, exuberans videlicet sacrarum intelligentia scripturarum, per os recolende memorie fratris Alexandri ordinis tui temporibus nostris largo profluxit letitie impetu super terram, in lucem manifestius editis thesauris scientie ac sapientie salutaris. Idem siquidem frater, ut ex hiis, que scripsit et tradidit, comperimus, Deo plenus (nemo enim nisi in spiritu Dei loquens eterne veritatis misteria ea inquisitionis indagine attigisset) studia sua publicis utilitatibus commodavit, et laboriosi operis sanctum aggrediendo propositum super questionibus theologicis utiliorem utique quam prolixam molitus est *Summam* profectibus in lege Domini studere volentium compendiosius profuturam, in qua sententiarum irrefragabilium ordinate sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiose pervicaciam falsitatis. Prolixitatem quippe, si quam in eadem Summa lector delicatus abhorret, studiosis nobis in ea sic reddit continua partium suarum utilitas brevem, ut in tanto verborum agmine, quod immensa videtur divine profunditatis eloquia continere, non aliud nos rationabiliter possit offendere, quam quod Deo ejusdem fratris laboribus finem, antequam suscepti operis dietam perficeret, imponente, et ad statutum reposite mercedis evocante denarium, perfecte pietatis imperfectus est labor, quo et pauca videntur, et ad satietatem anime insufficentia universa que scripta sunt, nisi destinatum et ad quem animos legentium pars suspendit exhibita, principii sui finem moles tanti operis sortiatur. Quocirca discretioni tue in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus considerans prudenter, quod indecenter relinquitur, si negligenter omittitur mutilum opus Dei, quod nonnisi celestis sapientia per ministerium servi sui tam clara jam

digeste partis iniit venustate, de consilio discretorum fratrum studentium ad perfectionem ejusdem Summe necessarios pro numero et idoneos pro merito convoces Parisius ex quibuslibet administrationis tue locis ordinis tui fratres, quibus ex parte nostra in remissionem injungas peccaminum et ad suorum cumulum meritorum, ut dilecto filio fratri Guillermo de Milletona[1] huic sollicitudini deputato sedule assistentes, ipsumque ac se mutuo adjuvantes sine dilationis dispendio predicte Summe opus finaliter exequantur, ad hoc uno et eodem Domini spiritu, qui gratis mira scientiarum dona distribuit, adjuvante. Dat. Anagnie v kal. Augusti, pontificatus nostri anno ij.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15751, fol. 120[b], post 1 partem Summae Alexandri de Hales (saec. XIII). In fine epistolae legitur : « Explicit copia de verbo ad verbum, quam ego habui et tenui et palpavi bullas pape, et transcripsi et fuit papa Alexander IV ». Originale in conventu fratrum Min. Parisiis asservatum fuit, ut legitur in opere *Firmamenta trium ord. S. Francisci*, (Parisiis, 1512), parte 1, fol. XLII. Apographum in cod. Paris. est saec. XIV et forte anni 1373, qui annus legitur in principio Summae (fol. 2[b]) in fine indicis titulorum. Facile recognoscitur hic illicque eadem manus. — Quétif-Echard, *SS. ord. Praed.*, I, 321. Sed jam auctor *Chron. XXIV general. ord. Minor.* saec. XIV hujus epistolae meminit. (Bibl. Riccard. Florent., ms. 279). — Quidquid sit de ipsa epistola, sane Rogerus Baco scribit : « Ex suo (Alexandri) ingressu (in ord. Minorum) fratres et alii exaltaverunt in celum, et ei dederunt auctoritatem totius studii, et adscripserunt ei magnam Summam illam, quae est plus quam pondus unius equi, quam ipse non fecit sed alii. Et tamen propter reverentiam ascripta fuit [ei], et vocatur *Summa fratris Alexandri* ... Exemplar apud fratres putrescit et jacet intactum ». *Rogeri Bacon opp. inedita*, ed. Brewer, I, 326. Meram fabulam vero esse opinamur traditionem, « opus Alexandri a 72 (vel 60) magistris scriptura propria ac sigillis esse approbatum », ut refert Bartholomaeus de Pisis, *Liber conformitatum* (Bononiae, 1590), fol. 160, adjungens haec documenta conservari in sacristia conventus Parisiensis.

1. Ms. : « Millerona ». Fuit saltem 1248 magister regens actu Parisiis (vide supra nº 178, nota 4) et unus de celeberrimis theologis sui temporis, cujus adhuc supersunt *Quolibeta* et *Quaestiones* (Bibl. S. Anton. Patav., ms. 152).

---

287. *Episcopi provinciarum Senonensis ac Remensis notum faciunt se vocatis Guillelmo de S. Amore et quibusdam viris scholasticis fratribusque Praedicatoribus obtulisse ut ad litem dirimendam Concilium celebraretur; Guillelmum acceptasse, Praedicatores vero renuisse.*

1256, Julii 31; Augusti 4.

R. Dei gratia Morinensis[1] ecclesie minister humilis universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis nos litteras infrascriptas sub sigillo venerabilium patrum episcoporum ibidem nominatorum verbo ad verbum legisse et earum concessioni nos presentes extitisse et sigillum nostrum una cum aliis apposuisse.

H.[2] Dei gratia Senonensis archiepiscopus, N.[3] Suessionensis, G.[4] Belvacensis, V.[5] Noviomensis, J.[6] Attrabatensis, G.[7] Ambianensis, R. Morinensis provincie Remensis eadem gratia episcopi, M.[8] Carnotensis, R.[9] Parisiensis, G.[10] Aurelianensis, A.[11] Meldensis, N.[12] Trecensis, Senonensis provincie eadem gratia episcopi, et G.[13] de eadem provincia electus Neverensis universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum magister Ordinis Predicatorum[14] coram nobis Parisius constitutus denuntiasset nobis, quod quidam seculares magistri theologie Parisienses docuissent et predicassent publice multa falsa et erronea contra bonos mores, quorum quedam in derogationem ordinis eorumdem redundabant : nos vocato magistro G. de Sancto Amore regente in

theologia Parisius una cum magistro Laurentio[15] in eadem facultate regente ac quibusdam aliis probis viris scolasticis, quesivimus a predicto magistro G., si que contra bonos mores falsa vel erronea predicasset vel docuisset, vel Ordinem fratrum Predicatorum, qui a domino papa erat approbatus, reprobasset. Predictus G. predicta negavit, asserens quod nichil contrarium saluti animarum, nec erroneum, nec falsum predicasset, nec Ordinem approbatum a Romana ecclesia reprobasset, offerens quod paratus erat vel defendere, si vera essent que predicaverat, vel revocare vel corrigere, si revocanda vel corrigenda viderentur a nobis. Nos vero habita deliberatione dicto magistro G. optulimus quod, si predicti magister et fratres Predicatores acceptarent, celebraremus Concilium, et convocatis juris peritis et theologis necnon aliis rogatis, qui essent in aliis provinciis circumjacentibus in eisdem facultatibus periti, ut quod per Concilium diffiniretur, observaretur; quod dictus magister G. gratanter acceptavit et etiam instanter supplicavit, paratus corrigi super quibus Concilium diceret corrigendum. Et a predicto magistro Ordinis Predicatorum fratribus ejus secum astantibus requisivimus, si placeret eis adquiescere diffinitioni Concilii memorati. Qui nobis responderunt, quod eis non placebat, cum in provincia solummodo Senonensi Concilium haberet auctoritatem, nec in aliis provinciis forte observaretur, quod a Concilio Senonensi esset diffinitum, et Ordo ipsorum, in cujus derogationem dicebant multa esse predicata, per omnia regna erat diffusus. Supplicavit nichilominus dictus magister G., tam nomine suo, quam nomine universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, ut cum multa pericula imminerent ecclesie Gallicane per pseudopredicatores et penetrantes domos, de periculis illis inquireremus et ab ecclesia Dei repellere curaremus, et decerneremus, utrum predicta facienda essent vel non facienda, predicanda vel non predicanda. Et ad instantiam dicti magistri G. tam nomine suo quam nomine ceterorum scolasticorum Parisiensium presentibus literis sigilla nostra apposuimus anno Domini M° CC° L sexto, pridie kal. Augusti.

Nos autem ad peticionem dicte Universitatis quod audivimus et vidimus hoc testamur et presenti scripture sigillum nostrum apposuimus in testimonium veritatis. Datum in crastino revelationis sancti Stephani, anno Domini M° CC° L° sexto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67 b, n° 42. Superest fragmentum sigilli cerei taeniola membr. apponsi. Pertinebat ad Arch. Univers. — Bulaeus, III, 309, qui hic textum operis magistri Guillelmi de Sancto Amore *Opera omnia* (Constantiae, 1632), p. 34 sq. sicut passim alibi exscripsit. Originale instrumenti ipsius dati 31 Julii jam isto tempore, ut videtur, reperiri non potuit. — Tenor litterarum concordat cum relatione Guillelmi de S. Amore in suis *Responsionibus*, ed. Constant., p. 106, ex qua praeterea comperimus, praedictos episcopos Parisiis Concilium celebravisse, quod collectores Conciliorum hucusque fugit.

1. Radulphus, episcopus Morinensis (de la Thérouanne). — 2. Henricus. — 3. Nivolon. — 4. Guillelmus. — 5. Vermundus. — 6. Jacobus (d'Arras). — 7. Gerardus. — 8. Mattheus. — 9. Reginaldus. — 10. Guillelmus. — 11. Alermus (de Meaux). — 12. Nicolaus. — 13. Guillelmus. — 14. Humbertus. — 15. Ejusdem magistri Guillelmus etiam de S. Amore ad an. circiter 1256 mentionem facit in suis *Responsionibus*, l. c., p. 103. Fratribus Praedic. Laurentius erat infensus, teste Thoma Cantimpr., *Liber apum*, II, c. 10, p. 179, tandem vero « datis librorum suorum copiis fratribus Praedicatoribus Parisius, moriturus apud eos mire poenitens delatus est et sepultus », quod utique ante an. 1263 accidit, cum *Liber apum* hoc anno compositus sit.

42.

288. *Alexander IV condemnat libellum Guillelmi de S. Amore cui titulus : « Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum. »*

1256, Octobris 5, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex de summi apostolatus specula Urbi et Orbi debita servitute prospiciens curis occupatur innumeris, et cogitationibus rapitur infinitis; quia eminentior ceteris sedes ejus sollicitudines sibi vehementiores accumulat, et ipsius auctoritas potior meditationes ei multiplicat ampliores; quo enim altius presidet, eo longius latiusque circumspicit, et quanto plus potest officio, tanto majoris vigilantie sibi sarcina incumbente plus pensat, quoniam maxime dignitati potissima sollicitudo coheret, et altiorem honorem onus gravius comitatur, curaque profusior ardentioribus stimulis mentem urget. Unde cum aliis plebium fidelium pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum ecclesiarum eminentia vigilanter ad suas oves attendere, incumbit utique Romano presuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi ecclesiarum vertice, sede scilicet apostolica, propensius ad illum, et instantius intueri; quia cum hii suis limitatis populis presint, singuli quidem singulis, hic sine distinctione prelatus est pontifex universis, dominice quidem vinee custos generalis et cultor, et totius ovilis catholici pastorumque omnium summus pastor.. Incumbente itaque sibi generali sollicitudine super omnes, cum ex hoc sue mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, et sub tam gravis et difficilis cure pondere contremisit (*sic*), quod posset sufferre, ut convenit, vis nature occidue vix confidit. Ad eum namque negotia undique confluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur, et destinantur implacita et perplexa; nec unquam horum influens torrens cessat, nec hujus alti pelagi valide infesteque procelle quiescunt; sed hiis que imminent nunc expeditis, mox alia subsecuntur; nec tot implexarum questionum nodi decisione apostolica solvi possunt, quin et alie irretite et nodose superveniant, deliberatione matura et consulta diffinitione solvende. Immo ex quo de instantibus, difficilibus, et obscuris dubietatis caliginem verbo sue declarationis amoverit, statim nova et recentia turbulenta ingruunt apostolico dilucidando oraculo et ambiguis ac incertis mentibus clare dissertionis lumine serenanda. Propter quod inest Romano antistiti sollicitudo sine otio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo, ingens et sedula meditatio et vigilia sine sompno. Nec ad modicum etiam sua cotidiana intermissionem habet instantia, que nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, urget continue; quia cogitandi materia semper adest, nec successu temporis desinit, sed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur. Nam et hostis antiquus argutus quidem insidiator callidusque deceptor animarum vehementis et ardentis sollicitudinis causam prebet, humane quippe pacis emulus, fraterne invidus caritatis, divisionum actor, dissipator unionum, et

tranquilli status fidelium ancxius persecutor, interserit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, jurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones, et dissensiones procurat, et illorum etiam, qui perfectiores et firmiores esse creduntur, interdum corda subvertit, et ibi magis impietatis sue machinas erigere ac nequitie faces accendere nititur, ubi fore plus estimat malignitatis sue conamina obfutura. Jacit iniquus laqueos, pedicas obicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat et captivet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitie, dissidia prodeunt, et scandala generantur. Unde sic jam seculum declinavit ad malum, quod excrescentibus et invalescentibus in eo noxiis quasi vix locus in ipso salutaribus invenitur; et exclusa fere inde concordia, quasi stabilem ibi habet discordia mansionem. Quare oportet cura incessabili vigilare, ut detorta et corrupta per maliciam bonitatis virtute rectificentur et reformentur, divulsa per odium caritate ligentur, et commota sistant et pausent; habeant turbata tranquillum, et status fidelium semper in melius roboretur. Sane quidam scripture sacre intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, cogitaverunt nuper malitiam, et contra innocentes et rectos iniquitatem maximam sunt locuti, exarserunt in cordibus suis, et lingua eorum maliloqua dolum et nequitiam concinnavit; surgentes adversus fratres detraxerunt, et contra dilectos matris ecclesie filios scandalum posuere. Prodiere, inquam, et in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quendam valde perniciosum et detestabilem temere componentes[1], libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem, non veritatis, sed mendacii, non eruditionis, sed derogationis, non monentem, sed mordentem, non instruentem veraciter, sed fallentem, quem nos ad sedem delatum apostolicam venerabili fratri .. episcopo Tusculano[2] et dilectis filiis nostris J.[3] tit. Sancti Laurentii in Lucina, et H.[4] tit. Sancte Sabine presbyteris, et J.[5] Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinalibus examinandum commisimus, ut plene ipsum inspicerent, et universa contenta in eo perfecte attenderent et discuterent diligenter. /Quo studiose perlecto et mature ac districte examinato[6], nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quia in ipso quedam perversa et reproba contra potestatem et auctoritatem Romani pontificis et coepiscoporum suorum; et nonnulla contra illos, qui propter Deum sub artissima paupertate mendicant mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes; alia vero contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter et sacris studiis procurantes multos in ecclesia Dei operantur spirituales profectus, et magnum faciunt ibi fructum; quedam autem contra salutem[7] pauperum seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dilecti filii fratres Predicatores et Minores, qui vigore spiritus seculo cum suis divitiis derelicto ad solam celestem patriam tota intentione suspirant; necnon et alia plura inconvenientia digna utique confutatione ac confusione perpetua manifeste comperimus contineri; quia etiam idem libellus magni scandali seminarium et multe turbationis materia existebat et inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret a devotione solita et consueta, elemosinarum largitione ac a conversione et religionis ingressu fideles : nos

libellum eundem, qui sic incipit : *Ecce videntes clamabunt foris*, quique secundum ipsius titulum : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*[8], nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum et execrabilem, et institutiones ac documenta in eo tradita utpote prava, falsa et nefaria de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica reprobamus et in perpetuum condempnamus, districte precipientes, ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem et condempnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parte comburere et abolere procuret. Et in illos[9] qui hujus nostri precepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, firmiter in virtute obedientie prohibendo, ne quisquam predictum libellum ore apostolico jam dampnatum approbare vel quomodolibet defensare presumat. Si quis presumpserit, tanquam contumax, inobediens et rebellis Romane ecclesie ab omnibus fidelibus habeatur, et nos nichilominus alias contra eum taliter procedemus, quod pena condigna temerarium feriet, et alii ea perterriti a similibus frenabuntur. Nulli ergo, *etc.*, nostre reprobationis, condempnationis, precepti et inhibitionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie iij non. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 109. Bulla plumbea filis sericis flavi et rubei coloris appenditur. In membrana aversa : « Predicatorum ». — *Vidimus* an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. Ibid. *Cartulaire* des Dominicains, H. 221, fol. 80[b]. Arch. départ. de la Gironde (Bordeaux), fonds Dominicains, 651[bis] (saec. XIII), p. 82. Cod. Vat. Ottob. 15, fol. 208. Ottob. 56, fol. 141 (iiij id. Febr. an. 3). Cod. privil. Ord. Min. ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV). Notatu dignum est, hanc celebrem epist. deesse in Reg. Vat. Alexandri IV. — Bulaeus, III, 310.

1. Ei per duos magistros Paris. ex parte regis Ludovici transmissum. Vide infra nº 289. — 2. Odoni de Castro Radulphi. — 3. Johanni de Tolleto (Ord. Cisterc.). — 4. Hugoni de S. Charo (Ord. Praed.). — 5. Johanni Gaietano. — 6. Adfuerunt tunc in curia inter alios Humbertus, mag. Ord.; Albertus Magnus (Thomas Cantimpr., *De apibus*, l. 2, c. 10, nº 23; *Vitas Fratrum*, l. 4, c. 24, nº 6); Thomas Aquinas (Guillelmus de Tocco in *AA. SS. Mart.*, I, 666); minister gen. Ord. Min., scil. Johannes de Parma (Thom. Cantimpr. l. c., ubi dicitur « Bonaventura »; ast Bonaventura an. 1257, Febr. 2, in Min. gener. electus est, ut liquet ex Salimbene, *Chron.*, p. 137. Codd. melioris notae *libri apum* supprimunt nomen ministri gen. Ord. Min., sic Cod. Vat. lat. 4846, fol. 40; Bibl. Univers. Bonon. 1674, fol. 33; Bibl. Paris. mss. lat. 3309, fol. 39; 3585, fol. 30[b]; Bibl. capit. in Oviedo, *etc.*). Guillelmus de S. Amore ipse non adfuit; utique tamen post condemnationem, ut patet ex suis *Responsionibus*, p. 109. — 7. Al. : « salutarem ». — 8. Vide supra nº 256, n. 6. — 9. Or. addit « enim ».

---

289. *Alexander IV Ludovico regi Franciae fratres Praedicatores et Minores commendat atque ei denuntiat librum per nuntios suos transmissum, cui titulus : « De periculis novissimorum temporum », a se reprobatum et condemnatum esse.*

1256, Octobris 17, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. illustri regi Francie salutem et apostolicam benedictionem. Veri solis radius in te vere fulgere conspicitur, qui depulsis penitus pravis actibus in lucis operibus delectaris, qui vitatis omnino noctis tenebris in diei lumine ambulas, orrendo vitia, et amplexando virtutes, fugiendo a noxiis et salutaribus inherendo. Revera clarent in te firma fides, et pura devotio erga celestem regem, cujus dono regnum terrenum nosceris obtinere, dum sic ejus beneplacitis te coaptas, quod ad eum dirigens mentem tuam et ipsum in tuis actionibus constituis

fundamentum, ad illa tuum libitum convertis et studium, que in ejus conspectu sunt placida, sibique delectabilem referant suavitatem odoris, in benignitate, clementia, misericordia, et caritatis subsidiis te principaliter exercendo. Sed et si hec in persona tua velud sidera luminosa resplendeant, est tamen ibi aliud, quod ampliori fulgore rutilat, et sicut luminare majus et altius profert jubar inter alia in te lucentia, quasi solis innuens majestatem, illa videlicet ardens et lucens caritas, qua personas religiosas et divinis mancipatas servitiis gratiose prosequeris, eas tenere diligendo, favore muniendo regio, multis beneficiis confovendo, amplectendo libenter conversationem ipsarum et eas in tua familiaritate specialiter retinendo. Inter quas dilectos filios fratres Predicatores et Minores, tanquam perfectos Christi servos, cultores fidei eruditos et prudentes ac providos consiliarios animarum tue mansuetudini precipui amoris vinculo astrinxisti. Certe congruit et expedit, quod princeps tam catholicus familiares habeat tam electos, quod in ipsius munda et nitida curia viri sine nota et macula conversentur, quodque domus ejus generali preconio laudata per orbem etiam ex famulorum et ministrorum domini societate ac presentia commendetur. Horum namque fratrum clari Ordines jamdudum a sede apostolica sicut sacri et conspicui approbati velut eminentia candelabra et duo magna luminaria in ecclesia Dei lucent, quoniam ab hiis sancte doctrine lumen ubique per mundum copiose diffunditur, ab hiis Christi Evangelium ardenter et efficaciter predicatur, ab hiis recta et sana consilia et exempla salutaria exhibentur. Convenienter itaque regia serenitas in tam proborum virorum et religiosorum tam illustrium consortio iocundatur, quia ex hoc ipsa et merito crescit et fama, et principibus aliis ad honestum et bonum materia est et index. De tanta ergo benivolentia et gratia, quam eisdem fratribus sincere ostendis et exhibes, celsitudinem tuam multipliciter in Domino commendantes, dignas tibi gratiarum referimus actiones, recognoscentes, nos fore tibi de hoc specialius obligatos, quia tu es ipsis in necessitate plenum subsidium, contra molestias tutum presidium, et in adversitate sui status solidum firmamentum. Sane dilectos filios magistros Johannem et Petrum clericos et nuntios tuos, quos ad sedem apostolicam destinasti, affectuose recepimus, et in hiis que proposuerunt et petiverunt ex parte tua pro eisdem fratribus, benigne ipsos audire curavimus et efficaciter exaudire. Et ecce libellum illum perniciosum et detestabilem, quem quidam sacre scripture intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, contra Christi pauperes vite sue subsidia salubriter mendicantes, componere presumpserunt, delatum ad nos per eosdem nuntios, tanquam iniquum, scelestum et execrabilem, et instructiones et documenta in eo tradita utpote prava, falsa et nefaria, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica presente magna fidelium multitudine, reprobanda duximus, et in perpetuum condempnanda, districte precipientes, ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem et condempnationem sciverit, prorsus destruere et abolere procuret, et in illos, qui hujus nostri precepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgantes, firmiter

in virtute obedientie prohibendo, ne quisquam predictum libellum ore apostolico jam dampnatum approbare vel quomodolibet defensare presumat, et si quis presumpserit, tanquam contumax, inobediens et rebellis Romane ecclesie ab omnibus fidelibus habeatur, sicut hec omnia in litteris nostris de predicta reprobatione ac condempnatione confectis, quas tibi transmittimus, plenius continentur[1]. Ideoque magnificentiam tuam omni qua possumus affectione rogamus, quatinus memoratos fratres consueta benignitate ac gratia prosequaris, eos tanquam probatos et acceptos Christi ministros habeas attentius commendatos, et ab injuriis et molestiis protegas et preserves, ita quod tuo securi munimine quietam et gratam impendere Domino valeant servitutem. Dat. Anagnie xvj kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 111. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — *Vidimus* an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. Ibid. *Cartul.* des Dominicains, II. 221, fol. 87. Cod. privil. Ord. Min. continens et ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV). Bulaeus, III, 312. — Ignace de Jésus-Maria, *Histoire des comtes de Ponthieu*, p. 183, narrat papam eadem die regi scripsisse, se concessisse ejus nuntiis, quae pro frat. Praed. postulaverant, hortatumque eum esse, ut fratribus protectionem suam servaret. Ast hoc fecit etiam in epistola supra publicata.

1. Supra nº 288.

---

290. *Alexander IV Ludovicum regem Franciae rogat, praebeat Turonensi et Rotomagensi archiepiscopis ac Parisiensi episcopo manum auxiliarem, ut mandata apostolica in gratiam fratrum Praedicatorum et Minorum exsequantur.*

1256, Octobris 19, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. illustri regi Francie salutem et apostolicam benedictionem. Non sine multa cordis amaritudine animique turbatione audivimus quod nonnulli magistri et doctores ac alii acuentes ut gladium linguas suas et venenum aspidum gerentes sub labiis, ad infamiam, gravamen, et dispendium innocentum illud in suggillationem et lesionem dilectorum filiorum fratrum Predicatorum et Minorum nequiter vomuerunt. Et licet ipsos distincte non nominaverint, nec vocabulis propriis expresserint, eos tamen quibusdam verborum involucris, et certis et cautis circumlocutionibus apertius innuerunt, ita quod ex talibus eorum dictis manifeste tanquam si expressim illos nominassent, innotuit, quod de ipsis fratribus loquebantur; fuderunt, inquam, virus, et contra eos in scolis, predicationibus et alibi asserere presumpserunt quod in statu et via salvandorum non erant, nec meritoria, nec salutifera existebat ipsorum mendicitas et paupertas, cum deberent valitudine corporali et aliis justis impedimentis cessantibus, propriis manibus operari, sub spe alieni subsidii non torpendo, nec pro sustentatione vel pro necessariis, extranea mendicando suffragia, seu ab aliis vite amminicula expectando; quodque de licentia vel commissione Romani pontificis seu diocesanorum episcoporum predicationis exercere officium et confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc sacerdotibus parrochialibus prejudicium inferretur, ad alia nichilominus prava et iniqua in detractionem eorum et suorum Ordinum derogationem

ora maliloqua relaxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum a sede apostolica sicut sacri, clari et conspicui approbati, ex quibus jam nonnulli fratres ad supernam provecti patriam in sanctorum numero sunt ascripti et velut eminentia candelabra et duo magna luminaria in ecclesia Dei luceant, ac ab ipsorum fratribus, et cultoribus sancte doctrine lumen diffundatur ubique per orbem, Christi evangelium ardenter et efficaciter predicetur, ac recta et sana consilia et exempla salutaria prebeantur; cum etiam dicti fratres sacre scripture ac verbi Dei studio et animarum profectibus necnon divinis officiis et orationibus instanter et incessanter intendant, nequaquam marcentes otio, sed opere se optimo et potissimo exercentes, cum sapientia opus existat maximum, nec sint pluris qui operantur exterius, quam qui studium cognoscende divinitatis exercent (unde et Dominus ministrante ac operante Martha, Marie audientiam, attentionem, et studium circa verbum ipsius precipue commendavit), ex quo liquido patet, fratres ipsos ad operandum suis manibus non teneri : quinimmo si hiis intermissis laborent manibus, potiora utique et utiliora in minora minusque utilia opera non sine animarum dispendio commutarent; cum insuper iidem fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vite subsidia mendicantes Christumque imitentur pauperem, perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos in statu existere salvandorum, et per sue religionis observantiam, que quidem ipsius perfectionis evangelice tenet formam, eterna premia promereri; cum etiam de licentia vel commissione aut concessione Romani pontificis seu legatorum ejus vel ordinariorum locorum licite possint predicare populis, et confessiones audire, ac penitentias injungere salutares[1] : venerabilibus fratribus nostris .. Turonensi[2] et .. Rothomagensi[3] archiepiscopis ac .. episcopo Parisiensi[4] damus nostris litteris in virtute obedientie firmiter in preceptis[5], ut omnes magistros, doctores, et alios, qui sive in scolis, sive in predicationibus, sive alibi, premissa dicere attemptarunt, ex parte nostra monere procurent, ut infra certum terminum ab ipsis archiepiscopis et episcopo prefigendum eisdem dictum suum in hiis publice revocent, male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus et retractent, asseverando constanter contrarium, et illud etiam fideliter predicando. Quod si non fecerint, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis, et perpetue privationis beneficiorum suorum ecclesiasticorum sententias sublato cujuslibet appellationis obstaculo efficaciter procedere non omittant; laicos de hoc culpabiles vel fautores hujusmodi presumptorum animadversione debita percellentes. Ideoque celsitudinem tuam affectuose requirimus et rogamus, quatinus predictis archiepiscopis et episcopo, cum ab eis requisitus fueris, tuum favorem et auxilium magnifice largiaris, ita quod tua eis favente potentia mandatum apostolicum sibi directum efficaciter exequi valeant, et nos magnificentiam tuam exinde dignis in Domino laudibus commendare possimus. Dat. Anagnie xiiij kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 112. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». Alterum

originale in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Cordeliers, liasse 907. In membrana aversa : « Minorum ». — Bulaeus, III, 315, affert nonnisi tenorem. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 320, nº 124.

1. Id Alexander IV saepe repetit in subsequentibus epistolis. An. vero 1259, Jan. 18 et Maii 13 in suis ad Praedicatores et Minores directis bullis expresse de hoc scribit, adjungens : « sacerdotum parochialium assensu minime requisito ». Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 369. Sbaralea, *Bull. Francisc.*, II, 347. Cf. infra nº 306. Hoc privilegium jam isto tempore, non solum postea sub Martino IV, multum rumoris in Universitate Paris. suscitavit. Magister Gerardus de Abbatisvilla scribit in suo *Quolibeto* XII circa istud privilegium : « Quoniam Bernardus [Parmensis, in X *de poen. et remiss.*, V, 38, 12] patenter contradicit privilegio Alexandri IV, vere difficile precipit, quod contrarium sentiatur, predicetur, asseratur. Ideo sustinendo privilegium et sequendo verba Alexandri possumus dicere », *etc.* Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16405, fol. 92ᵇ. Cod. Vat. lat. 1015, fol. 86ᵇ. — 2. Petro de Lamballe, qui tamen 24 Octob. jam obiit. — 3. Odoni. — 4. Reginaldo. — 5. Hae litterae tamen non ante Octob. 30 scriptae sunt (vide infra nº 294), nam illae nº 291 non respiciunt supra dicta.

---

291. *Alexander IV praecipit Petro Turonensi et Odoni Rotomagensi archiepiscopis et Reginaldo Parisiensi episcopo, ut libellum cui titulus : « Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum », de errore damnatum cunctis denuntient.*

1256, Octobris 21, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Turonensi et .. Rothomagensi archiepiscopis ac .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Quidam scripture sacre intelligentiam se habere fatentes, *etc. ut supra in medio epistolae* nº 288, p. 332, *usque* sed fallentem. Nos autem libellum ipsum ad sedem delatum apostolicam venerabili fratri nostro .. Tusculano episcopo et dilectis filiis nostris J. tituli Sancti Laurentii in Lucina, et H. tituli Sancte Sabine presbyteris, et J. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconis cardinalibus examinandum commisimus, *etc. ut supra* nº 288, *usque* fideles. *Deinde :* Libellum eundem, qui sic incipit : *Ecce videntes clamabunt foris,* quique secundum ipsius titulum : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum et execrabilem et instructiones ac documenta in eo tradita utpote prava, falsa et nefaria de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica presente magna fidelium multitudine duximus reprobanda et in perpetuum condempnanda, districte precipientes, ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem et condempnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parte comburere ac omnino abolere procuret, et in illos, qui hujus precepti nostri fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgantes firmiter in virtute obedientie prohibendo, ne quisquam predictum libellum ore apostolico jam dampnatum approbare vel quomodolibet defensare presumat, et si quis presumpserit, tanquam contumax, inobediens, et rebellis Romane ecclesie ab omnibus fidelibus habeatur, et nos nichilominus alias contra eum taliter procedemus, quod pena condigna temerarium feriet, et alii ea perterriti a similibus frenabuntur. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus hujusmodi nostram reprobationem, condempnationem, preceptum, et prohibitionem ac premissa omnia Parisius sollempniter publicetis et faciatis per alios in omnibus locis, in quibus expedire

videritis, publicari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Anagnie xij kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 113. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Cod. privil. Ord. Min. continens et ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV). Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed. ad Ord. pertinens, p. 204. *Cartul.* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 89, ubi « xv kal. Novemb. ». Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 322, nº 127. Jourdain, nº 144, ex Bulaeo, III, 314, falso refert, has litteras habere initium « Romanus pontifex ». Nihilominus sunt ex constitutione cum initio « Romanus pontifex » (supra nº 288) desumptae.

---

292. *Alexander IV hortatur archiepiscopos, episcopos et ecclesiarum rectores per regnum Franciae, Burgundiam, Picardiam, etc., constitutos, ut fratres Praedicatores et Minores, quibus nonnulli magistri, doctores aliique sive in scholis sive in praedicationibus detrahunt, omni benevolentia et gratia prosequantur.*

1256, Octobris 21, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis cujuscunque ordinis vel professionis per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britaniam et Normanniam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Non sine multa cordis amaritudine, *etc. sicut* nº 290, *usque* percellentes. *Deinde :* carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie ad hec, si necesse fuerit, auxilio invocato. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus memoratos fratres omni benivolentia et gratia prosequentes eos tanquam probatos et acceptos Christi ministros habeatis pro divina et nostra reverentia propensius commendatos, ipsos ab injuriis et molestiis oportunis presidiis defendentes, ita quod ex hoc vobis et vestris ecclesiis fortius obligemur. Dat. Anagnie xij kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 250, nº 114. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Bulaeus, III, 313. — In eumdem modum existunt litterae ad praelatos per Bituricensem, Ebredunensem, Aquensem, Burdigalensem, Narbonensem, Arelatensem et Viennensem provincias. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 320, nº 120. In ms. Privil. Ord. Min. ad Ord. Serv. Mariae pertinenti eaedem litterae exstant ad omnes patriarchas, archiepiscopos, episcopos, *etc.*, directae et datae « v kal. Julii an. secundo » (1256, Jun. 27).

---

293. *Capita, quae magistri Odo de Duaco et Christianus canonicus Belvacensis praesentibus cardinalibus se observaturos esse Anagniae juraverunt.*

1256, Octobris 23, Anagniae.

In nomine Christi Amen. Anno Domini Mº CCº LVI, vicesimo tertio die mensis Octobris, xv indictione, Anagnie in palatio domini pape venerabiles patres domini Hugo tituli Sancte Sabine presbyter et Johannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis presentibus et audientibus me Bernardo de Littera notario et testibus infrascriptis,

scilicet providis viris Johanne archipresbytero ecclesie sancte Marie de Castro Cerveteris, Thomasio de Rivofrigido canonico Casleten., Johanne presbytero canonico Capuan. et quampluribus aliis ex parte sanctissimi patris domini Alexandri pape iiij providis viris magistro Odoni de Duaco theologice facultatis doctori et Christiano canonico Belvacensi[1] in eorum presentia constitutis (qui etiam octavodecimo die mensis ejusdem juraverant corporaliter coram eisdem dominis cardinalibus et me predicto B. notario stare precise mandatis dicti domini pape in virtute presliti juramenti) mandaverunt, *primo* scilicet quod salvis aliis mandatis, que eidem domino pape semel vel pluries ipsis magistris mandare placuerit, et salvo, si circa infrascripta idem dominus aliter ordinaret, ipsi magistri quantum in eis esset ex tunc reciperent et publice Parisius recipiant, cum ibi fuerint, ex tunc obedirent et obediant in posterum ordinationi prefati domini pape, que incipit *Quasi lignum vite, etc.*, et quod contra eam scienter non veniant nec contradicentibus ordinationi predicte in contradicendo auxilium vel consilium prestarent publice vel private. *Secundo,* quod fratres Predicatores et Minores Parisius degentes, magistros et auditores eorum et specialiter ac nominatim fratres Thomam de Aquino de Ordine Predicatorum et Bonaventuram de Ordine Minorum doctores theologie ex tunc quantum in eis esset in societatem scolasticam et ad Universitatem Parisiensem[2] reciperent, et expresse doctores ipsos reciperent ut magistros, et quod cum Parisius fuerint faciant publice illud idem, ipsosque juxta ordinationem predictam ab Universitate seu magistris et scolaribus Parisius commorantibus procurent recipi bona fide, et contra predicta numquam prestent consilium vel assensum. *Tercio,* quod scienter juramenta, statuta vel obligationes non faciant seu a religiosis vel aliis exigant vel quantum in eis fuerit exigi permittant, per que vel quos infringatur ordinatio supradicta, seu contra eam modo quolibet veniatur. *Quarto*, quod non procurent nec quantum in eis est fieri permittant, quod Parisiense studium absque licentia domini pape occasione cujusquam preterite turbationis seu facti dissolvatur seu alio transferatur. *Quinto*, quod tam in Romana curia quam Parisius bona fide ac sine fraude non adiciendo aliquid scienter, quod sapiat aliquid principaliter vel consequenter, sed ista que eis in hoc articulo injunguntur predicent publice et in civitate Parisiensi pluries et in diversis locis, et asseverent fideliter in ipsis predicationibus infrascripta, scilicet : quod reprobent libellum in ipsis predicationibus, qui nuper fuit per summum pontificem condempnatus, et errores in ipso contentos, qui sunt contra infrascripta, que in ipsis predicationibus asserant et affirment, videlicet de potestate Romani pontificis, quod possit predicatores et confessores mittere ubique per mundum juxta sue beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum prelatorum quorumcumque seu parrochialium sacerdotum; item quod archiepiscopi et episcopi in suis diocesibus licentiam dare possint predicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quodque predicatores et confessores sic missi possint libere predicare et licite confes-

siones audire ac absolvere penitentes. Item de mendicitate, quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis. Item quod religiosi pauperes, qui omnia relinqunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, legendo, disputando, predicando. Item quod ea, que continebantur in libello predicto et quibusdam articulis a magistro Christiano prefato confectis, que explicite vel implicite videbantur seu poterant in predictorum ordinum infamiam redundare, sicut de pseudoprophetis et apostolis et de nuntiis antichristi, de penetrantibus domos et periculis novissimorum temporum[3], non intelligunt nec intellexerunt de fratribus ordinum predictorum, quod tales ipsi sint vel fuerint vel etiam sint futuri, sed fateantur ordines ipsos esse bonos et ab ecclesia approbatos, et inter cetera asserant et affirment, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula, scilicet que per sanctos utriusque ordinis sanctorum cathalogo per Romanam ecclesiam canonice, legitime, fideliter ac rite ascriptos est misericorditer operari dignatus. In cujus rei testimonium ego prefatus Bernardus, apostolice sedis auctoritate notarius, qui premissis rogatus interfui, de mandato dictorum dominorum cardinalium hoc presens publicum instrumentum propria manu scripsi ac in publicam formam redegi et signum meum apposui.

Charta litteris Alexandri IV vj non. Octobris anno tertio infra n° 320 inserta in Arch. nat. Paris. L. 251, n° 156. — Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed. ad Ord. pertinens, p. 256[b] (ibi refertur perperam ad 24 Octob.). — Bulaeus, III, 315.

1. Ejus super hanc rem Parisiis sententiam prolatam vide infra n° 317. — 2. Ea vox non ab ipso papa adhibetur. — 3. Vide n° 317 Christiani declarationem.

---

294. *Alexander IV Turonensem et Odonem Rotomagensem archiepiscopos ac Reginaldum episcopum Parisiensem monet ut in fratribus Praedicatoribus et Minoribus defendendis totam curam intendant.*

1256, Octobris 30, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Turonensi[1], .. Rothomagensi archiepiscopis et .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Non sine multa cordis amaritudine animique turbatione audivimus, *etc. ut supra* n° 290, *usque* amplexando[2]; propter quod evidenter apparet eos in statu non solum existere salvandorum, set per sue religionis observantiam evangelice perfectionis eterna premia promereri; cum etiam de licentia vel commissione aut concessione Romani pontificis seu legatorum ejus vel ordinariorum locorum licite possint predicare populis et confessiones audire ac penitencias injungere salutares : volumus et presentium vobis auctoritate in virtute obediencie districte precipiendo mandamus quatinus omnes magistros, doctores et alios, qui sive in scolis, sive in predicationibus seu alibi premissa dicere attemptarunt, ex parte nostra monere curetis, ut infra certum terminum a vobis prefigendum eisdem dictum suum in hiis publice revocent male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus

et retractent, asserendo constanter contrarium et etiam predicando. Quod si non fecerint, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis et perpetue privationis beneficiorum suorum ecclesiasticorum sententias sine cujuslibet appellationis obstaculo efficaciter procedatis, laicos de hoc culpabiles vel fautores hujusmodi presumptionum animadversione debita percellentes, carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie ad hoc si necesse fuerit auxilio invocato. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Anagnie iij kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Litterae insertae chartae Odonis archiepiscopi Rotomagensis et Reginaldi episcopi Parisiensis an. 1256, Dec. 31, in Arch. nat. Paris. M. 67 b, nº 40. Vide infra nº 297. Alterum *vidimus* electi Cusentini an. 1256 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930. — Cod. privil. Ord. Min. ad Ord. Serv. Mariae pertinens, ubi praemittitur : « Reginaldus miseratione divina Paris. episcopus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino ». In fine : « in hujus igitur inspectionis testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum apud S. Clodoaldum anno Domini MCCLVI feria vj post festum S. Lucie virginis » (15 Dec.).

1. Sedes archiepiscopalis tunc temporis vacabat. Vide supra ad nº 290, n. 2. — 2. Occurrunt aliquae lectiones variantes nullius momenti, excepta sententia : « et contra eos determinando in scolis, predicationibus et alibi asserentes presumpserunt », *etc.*

---

295. ***Litterae capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciae Remensis ad Alexandrum IV, ut poenam magistris et scholaribus Paris. specialiter Guillelmo de S. Amore, Odoni de Duaco, Nicolao de Barro et Christiano Belvacensi inflictam relaxet.***

1256, mense Octobri.

Sanctissimo patri ac domino Alexandro Dei gratia summo pontifici, et reverendis patribus sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus universis omnia capitula ecclesiarum cathedralium provincie Remensis, quorum sigilla presentibus sunt appensa, cum omni reverentia, obedientia et honore pedum oscula beatorum. Parens scientiarum paris nescia Parisius velud altera Cariatheffer (*sic*) cyvitas litterarum clara claret, magna quidem, sed de se majora facit optari docentibus et dicentibus (*sic*) gratiosa, in qua utique tanquam in officyna sapientie speciali habet argentum venarum suarum principia et auro locus est, in quo rite conflatur, ex quibus prudentes eloquii mistici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes et fabricantes monillia ornata lapidibus preciosisque immo nulli precio comparandis sponsam Christi décorant et decórant. Ibi ferrum de terra tollitur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus et cetera, inde fit christiane militie armatura, potens adversus aereas potestates. Et lapis calore solutus in es vertitur, quia corda lapidea Sancti Spiritus afflata fervore, dum ardent incendunt, et fiunt predicatione sonora preconizantia laudes Christi. Quare non est dubium, quin Deo et hominibus graviter displiceret, quisquis in cyvitate predicta gratiam tam insignem niteretur ullatenus disturbare vel disturbantibus se pro viribus non opponeret et patenter[1]. Cum igitur dissentione inter fratres Predicatores et predicte cyvitatis magistros et scolares dudum dyabolo instigante exorta, que quidem quieti studentium vitam pariens

inquietam, non solum universalis ecclesie scandalum minatur, sed etiam scismatici dissidii et pravitatis heretice incentivum, reverendi patres Th.[2] Remensis ecclesie, et H.[3] Senonensis Dei gratia archiepiscopi et eorum suffraganei partium questionibus ad eos delatis diligenter auditis et plenius intellectis, pensatis scandalis, periculis imminentibus atque dampnis, paci cordium et tranquillitati studii precavere volentes, ipsos ad instantiam domini regis et quamplurium bonorum induxerunt ad compositionis et concordie unionem, que de partium ipsarum voluntate concordi post multiplices reformata tractatus ac per supradictos patres Remensem et Senonensem necnon et venerabiles patres Rothomagensem et Bituricensem archiepiscopos in publicum testimonium suis roborata sigillis et tam ab eisdem partibus quam a domino rege fuit unanimiter acceptata[4]. Eapropter sanctitatem vestram devotione qua possumus humiliter exoramus quatinus formam et causas compositionis ipsius plenius attendentes, scandalis et periculis atque dampnis, que non solum partibus ipsis, sed etiam universali ecclesie ex tanta discencione inminent, paterna providentia precaventes, penam magistris et scolaribus inflictam a vobis et specialiter honorabilibus viris et discretis, fide firmis, Guillermo de Sancto Amore, Odoni de Duaco, claris theologie doctoribus, ac magistris Nicholao decano de Barro super Albam et Christiano canonico Belvacensi, presertim cum tante[5] et tam venerande multitudinis nimietas sit in causa[6], dignemini misericorditer relaxare, ac ipsos et eorum nontios, qui parati sunt mandatis vestris secundum Deum et justitiam in omnibus obedire, in suis justis petitionibus favorabiliter exaudire. Conservet vos Dominus nobis et ecclesie sue sancte per tempora longiora. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense Octobri.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^b, n° 43. Supersunt quinque taeniola membranacea ex novem, quibus appensa erant sigilla. — Apud Bulaeum, III, 309, occurrit hoc documentum omnino mancum.

1. Verba hucusque relata, non accurate, desumpta sunt ex litteris Gregorii IX anni 1231, 13 April. Supra n° 79. — 2. Thomas. — 3. Henricus. — 4. Vide supra n° 268. — 5. Or. : « contate ». — 6. Vide de hoc Reg. Vat. Honorii III, an. 1, ep. 44.

---

296. *Alexander IV in litteris ad magistros Parisienses mirifice studium Parisiense laudat, Praedicatorum et Minorum defensionem suscipit, libellum Guillelmi de S. Amore damnatum denuntiat ac ne studium alio transferatur cavet.*

1256, Novembris 10, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Parisius peritie summe sinus de sue scientie plenitudine replens orbem et tanquam fulgidus sol doctrine per totum orbem[1] clare intelligentie lumen fundens, depellit ignorantie tenebras, ruditatis abstergit caliginem, aufert imperitie nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit secretum, et lucidum scientie monstrat diem; rigat documentorum suorum fluentis Pari-

risius omnem terram, et bonorum influentia dogmatum instituit et imbuit universum, copiosis et dulcibus sapientie fructibus reficiens ecclesiam, mundum pascens, quia de Parisius velut de parientis sinu partus scientiarum plurimi prodeunt, de ipso recte ac perfecte discipline soboles gignitur. Hinc procedit inclyta doctorum prosapia, hinc alta progenies provenit peritorum, quibus christianus illustratur populus et fides catholica roboratur. Hunc profecto amenitatis et commoditatis locum universe artes de totius orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt, et consideratis ceteris seculi mansionibus quasi deliberatione concordi suam ibi fixerunt immobilem stationem. Hec est igitur egregia litterarum civitas, artium urbs famosa, eruditionis scola precipua, summa sapientie officina et potissimum gygnasium studiorum. Hic conversantur et degunt scientie, hic firma et leta societate convivunt, hic suas habent et possident cathedras, hic sua profunda et arcana veritatis magisterii insinuatione revelant, et cujusque ipsarum propria virtus suo sibi proprio innotescit effectu, inter quas sacra et venerabilis theologia locum obtinet altiorem. Preest enim reliquis sicut superior, et tanquam inferiores cetere sibi subsunt; imperat aliis ut domina, et ille sibi ut famule obsequuntur; gubernat alias ut prelata, et ipse sibi tanquam subdite reverenter intendunt. Ad hanc singule in viis suis levant et habent intuitum, ut juxta permissum ejus se metientes inoffense incedant, et gressum ad aliquod inconveniens non impingant. De Parisius itaque fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum. Ibi erumpit altus puteus scripturarum, de quo profunde intelligentie pocula mundus haurit. Cum igitur civitas ipsa Parisiensis tanquam arbor fructifera in campo fidei ubertate prepollens tantam spiritualium proventuum copiam ecclesie afferat generali, cum honorabilis universitas magistrorum et scolarium civitatis ejusdem quasi vite vitis in vinea ecclesie vivo liquore affluens vitalis potus abundantiam catholice plebi propinet : convenit quidem et expedit ut ad eas multipliciter interne caritatis extendentes et ostendentes affectum ad perpetuam ipsius Universitatis preservationem, ut firma semper stabilitate vigeat et pleno vigore assidue convalescat, totius diligentie studium impendamus, quatinus apostolica sollicitudine continue procurato sibi munimine contra noxia quelibet et adversa solida permaneat et secura, ut sua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur, nec corrumpatur sinceritas, nec unitas dividatur. Sane ad id in civitate ipsa generalis studii fundamenta divino nutu olim locata et stabilita esse noscuntur, quod ex omnibus gentibus illuc pro acquirendis magnis scientie opibus confluat continue multitudo, ut virtute ac eruditione ibi proficiens ex suo exercitio thesaurum tam pretiosum, in cujus conservatione furum nullatenus timentur insidie, assequatur, et ex labore sapidum sapientie fructum reportet, qui summe pascendo[2] reficit, nec unquam afficit tedio comedentem : immo quanto plus editur, tanto ad sui esum accendit edentis fortius appetitum, nec usu quidem consumitur, sed servatur potius et augetur. Ob hoc enim longa tempora sub vigiliis et laboribus in eadem civitate decurritis, bona ibi propria expendendo; ideo parentes et propinqui vestri

sedula vobis ibidem subsidia de suis facultatibus subministrant, subtrahentes interdum sibi, ut plenius possint vestris necessitatibus subvenire, quod inibi tanquam in odoramentorum delectabili paradiso cum aviditate legentes reficiamini jugiter suavibus et electis epulis litterarum, proficientes cotidie bonitatis augmento et crescentes in viros morum honestate compositos et scientiarum cognitione perfectos, ut tandem labor vester et studium ad laudem Dei vestrumque honorem et commodum et propinquorum gaudium elucescat. Sed sunt quidam, qui vos in his frivolis occasionibus adinventis impedire conantur vestrumque laudabilem in studii exercitatione processum immissione dissidii et scandali concitatione turbare, sicut hiis diebus aliqui spiritu malignitatis impulsi fecerunt, qui statum vestrum integrum et tranquillum novis procuratis divisionibus immutarunt, adducentes in vos commotionis turbinem et inferentes discordie tempestatem, crebras faciendo convocationes, prava conventicula ordinando, et vos ad hec iniquis et callidis suggestionibus pertrahendo, ita quod cum debeatis in silentio et quiete imminere libris et lectioni vacare, oportebat vos propter ista studio intermisso clamoribus et strepitibus interesse, ac pro vanis et incongruis tractatibus inutiliter evagari. Si ergo viros tam pestilentes corripimus, si ecclesiastica districtione talium temeritatem arcemus, si horum maligna molimina apostolica potestate conterimus, impias colligationes dissolvimus et reproba consilia dissipamus, orditas[3] malitie sue machinas confringentes, ne libere feriant et preconceptas inferant lesiones : de hoc vehementer gaudere debetis, et tanquam de magni beneficii dono communiter exultare, quia resistendo taliter hiis perversis, etsi bonum generale agimus, vestrum tamen profectum specialiter procuramus. Porro cum dilecti filii fratres Predicatores et Minores Parisius sacre scripture studio sedulo inherendo sibi et aliis multum proficiant, insignia lucis opera de sua instanti vigilantia et instantia vigili proferentes, propter quod ex ipsis Parisiense studium grande augmentum recipit et eximium vestra Universitas ornamentum[4], turbamur quamplurimum et vobis etiam debet non modicum displicere, cum aliqui sui emuli statum ipsorum humilem et quietum subvertere moliuntur, et vos adversus eorum innocentiam commovere, quorum profecto multi fuerunt ex vobis et de vestro consortio, qui ad regulare collegium transierunt, quorumque necessitatibus de vestre caritatis elemosinis et subsidiis potissime subvenitur, et qui pro vobis divinam clementiam devota et assidua supplicatione deposcunt. Unde quia intelleximus, quod aliqui contra eosdem fratres quantum ad predicationem et confessionum audientiam, mendicitatem ipsorum et quoad alia in scolis, predicationibus, et alibi linguas relaxare maliloquas presumpserunt, non ipsos forte propriis exprimendo vocabulis, sed aperte quibusdam circumlocutionibus certis innuendo : nos attendentes, quod dicti fratres sacris scripturis et verbi Dei studio ac animarum profectibus necnon divinis officiis et orationibus instanter et incessanter intendant, nec torpent otio, sed opere optimo seipsos exercitant, cum sapientia opus existat maximum, nec sint pluris qui operantur exterius, quam qui studium cognoscende divinitatis exercent

(nam et Dominus, ministrante ac operante Martha, Marie audientiam, attentionem et studium circa verbum ipsius precipue commendavit), per quod liquido patet, quod iidem fratres ad operandum suis manibus non tenentur : quinimmo si hiis intermissis laborarent manibus, potiora utique ac utiliora in minora minusque utilia opera non sine animarum dispendio commutarent; considerantes etiam, quod reliquerunt omnia propter Deum, exilia vite subsidia salubriter mendicantes, Christumque pauperem imitentur perfectionem evangelicam amplexando, ex quo evidenter apparet, quod in statu salvandorum existant, et per sue religionis observantiam, que quidem ipsius perfectionis evangelice tenet formam, eterna premia promerentur; pensantes insuper, quod de licentia vel commissione aut concessione Romani pontificis seu legatorum ejus vel ordinariorum locorum licite possint predicare populis et confessiones audire ac penitentias injungere salutares[5] : contra omnes, qui adversus predictos fratres stulte in iis et improvide sunt locuti, efficaciter procedi mandavimus[6] gravesque ipsis penas infligi, nisi per sufficientem satisfactionem sibi duxerint celeriter consulendum. Libellum etiam quemdam valde perniciosum et detestabilem temere de novo compositum post plenam ipsius examinationem, quia in eo quedam contra auctoritatem Romani pontificis et coepiscoporum suorum, et aliqua contra salutarem pauperum seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt fratres prefati, ac alia plura nefaria et perversa manifeste comperimus contineri; cum etiam gravis scandali seminarium et materia multe turbationis existeret : tanquam iniquum, scelestum et execrabilem de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica reprobandum duximus et in perpetuum condempnandum, excommunicando cunctos, qui libellum ipsum habuerint, nisi eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem et condempnationem sciverint, curaverint penitus abolere. Ideoque universitatem vestram, quam affectione paterna prosequimur, requirimus et hortamur per apostolica vobis scripta mandantes quatinus sicut viri prudentes cogitantes discrete, quod juste ac digne processimus in premissis, et quod vestram in hoc utilitatem operati sumus deprimendo Universitatis ejusdem tam noxios turbatores, ac exinde pariter congaudentes virtutum et scientie studio principaliter intendatis, vestros ad hoc affectus convertentes totaliter et firmantes, a detractionibus, oblocutionibus et dolosis persuasionibus aures et animos avertendo, et evitando ac repellendo longius seditiosos et perniciosos viros, quibus amenum et deliciosum esse videtur adinvenire dissensiones et discordias procurare. Ac supradictos fratres tanquam acceptos Christi ministros et intercessores ad Deum pro populo efficaces habentes attentius commendatos nullis eos vexetis aut inquietetis molestiis, sed pro divina et nostra reverentia sueque sacre religionis intuitu fraterna ipsos prosequamini caritate, ac piis vestre benevolentie suffragiis foveatis, quia ex hoc et retributorem bonorum omnium reddetis vobis magis propitium, et favorem nostrum plenius acquiretis. Ad hec quia studium in civitate predicta faciente Domino prosperis semper excrevit augmentis et optimos produxit effectus, unde nullatenus expediret ipsum

exinde removeri, sed valde dampnosum existeret, si forsitan alibi transferretur : de vestra et ipsius translatione studii ad locum alium nichil, hiis pensatis, statuatis penitus nec firmetis. Nos enim parati sumus in omnibus, que ipsius Universitatis honorem et bonum respiciunt, vobis apostolice gratie januam liberaliter aperire. Dat. Anagnie iiij id. Novembris[7], pontificatus nostri anno secundo.

Cartulaire des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), H. 221, fol. 59. Cod. saec. XIV privilegia Ord. Min. continens ad Ord. Serv. Mariae pertinens. — *Firmamenta trium ord. S. Francisci* (Parisiis 1512), parte 2, tr. 2, fol. LXIII, ubi etiam dicitur, originale exstitisse Parisiis. Idem Ripoll. Wadding, *Ann. Minor.* ad an. 1256, n° 36. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 322, n° 128. Sbaralea, *Bull. Francisc.*, II, 169. Omnes textum offerunt puriorem quam Bulaeus, III, 331.

1. Deest in mss. — 2. In mss. et *Firmamenta* : « profecto ». — 3. Mss. et *Firmamenta* : « ordinatas ». — 4. Mss. Minorum : « tornamentum ». — 5. Antecedens, demptis non paucis lectionibus diversis, concordat cum n° 290. — 6. Ubique : « mandamus ». — 7. Sic ms. Minor. et *Firmamenta*. *Cartul.* vero et Ripoll : « xvij kal. Decemb. », Wadding : « xv kal. Decemb. ».

---

297. *Odo archiepiscopus Rotomagensis et Reginaldus episcopus Parisiensis notum faciunt, se publicasse Parisiis litteras summi pontificis « Non sine multa cordis amaritudine ».*

1256, Decembris 31, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis fr. Odo permissione divina Rothomagensis ecclesie minister indignus et Reginaldus ejusdem miseratione Parisiensis ecclesie minister indignus salutem in Domino Jhesu Christo. Noveritis nos litteras domini pape recepisse sub hac forma : « Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Turonensi, .. Rothomagensi archiepiscopis et .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Non sine multa cordis amaritudine, *etc. sicut supra* n° 294. Dat. Anagnie iij kal. Novembris, pontificatus nostri anno secundo. » Nos autem duo predictum mandatum nullo archiepiscopo in ecclesia Turonensi presidente[1] fuimus executi omnia contenta in predictis litteris die dominica post Natale Domini Parysius sollempniter publicantes. Actum et datum Parysius[2] anno Domini M°CC° quinquagesimo sexto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^{b}, n° 40. De duobus sigillis taeniolis membr. appensis superest fragmentum unius et unum taeniolum. Pertinebat ad Arch. Universitatis.

1. Vide supra ad n° 290, n. 2. — 2. Odo archiep. Rotomagensis revera tunc Parisiis morabatur. Vide *Regestrum visitationum archiepisc. Rothom.*, ed. Bonnin, p. 267. Episcopus Parisiensis tamen has litteras jam 15 Decemb. publicavit (vide supra ad n^{um} 294), nunc autem una cum archiep. Rotomag.

---

298. *Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, ut regendi Parisiis in aliqua facultate licentiam nulli tribuat, nisi ei qui promiserit se litteras apostolicas « Quasi lignum vitae » inviolabiliter observaturum.*

1257, Januarii 7, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim pro studii Parisiensis conservatione quedam

circa studium ipsum de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis, que *Quasi lignum vite* incipiunt, plenius continentur, nonnulli tamen magistri et scolares Parisienses ordinationem ipsam, ut audivimus, observare non curant, immo in ipsius studii perturbatione contra ipsam multipliciter moliuntur. Volentes igitur ut prefata nostra ordinatio ab omnibus reverenter et simpliciter observetur, discretioni tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatinus regendi Parisius in aliqua facultate nemini licentiam tribuas, nisi prius tibi bona fide promiserit predictam ordinationem nostram et mandata in ea contenta se firmiter et inviolabiliter servaturum. Dat. Laterani vij id. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 116. Restant fila cannab. — Cod. privilegia Ord. Min. continens ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV). Bulaeus, III, 334, ubi tamen textum epistolae Mart. 10 datae (infra nº 303) exscripsit.

---

299. *Alexander IV ad cancellarium S. Genovefae de eodem argumento.*

1257, Januarii 7, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario S. Genovefe Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim, *etc. sicut in litteris praecedentibus*. Dat. Laterani vij id. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 115. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Cod. privil. Ord. Min. continens ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV).

---

300. *Alexander IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, nomina omnium magistrorum, qui infra quindecim dies post publicata mandata apostolica, ea se observaturos illi non promiserint, ad ipsum rescribat, ut rebellibus debita poena rependatur.*

1257, Januarii 13, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod licet per quasdam nostras litteras, que incipiunt *Cunctis processibus*[1] et *Licet olim*[2], tibi directas, quosdam de magistris et scolaribus Parisius existentibus ordinationem nostram pro conservatione studii Parisiensis de consilio fratrum nostrorum editam non servantes duxerimus graviter puniendos, aliis penam similem nichilominus comminantes, quamplures tamen de magistris et scolaribus memoratis adhuc perdurantes in rebellione pristina dictam ordinationem servare non curant appellationibus frivolis innitendo. Cum autem nos omnes appellationes a quibuscumque interpositas et interponendas, per quas impeditur ne prefata ordinatio ab omnibus magistris et scolaribus Parisius pro tempore commorantibus firmiter observetur, auctoritate presentium decernamus irritas et inanes, fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatinus tenoribus

presentium et quarundam aliarum nostrarum litterarum dictis magistris et scolaribus directarum, que incipiunt *Parisius peritie summe sinus*[3], in civitate Parisiensi per te vel per alios sine more dispendio sollempniter publicatis, nomina omnium magistrorum, qui infra quindecim dies a tempore publicationis hujusmodi tibi bona fide non promiserint, quod supradictam ordinationem nostram tam in recipiendo ad suum collegium seu consortium dilectos filios fratres Ordinis Predicatorum et eorum scolares, quam in omnibus aliis in eadem ordinatione contentis decetero firmiter observabunt, nobis rescribere fideliter non postponas, ut hujusmodi rebellibus pena que ipsis pro sua debetur protervia rependatur, supradictis nostris litteris scilicet *Cunctis processibus*, et *Licet olim* in suo semper robore duraturis. Non obstante quod iidem rebelles a te appellasse dicuntur aut quibuscumque appellationibus eorumdem seu compositione, que inter ipsos ex parte una et supradictos fratres Predicatores ex altera intervenisse refertur[4], cum eam tanquam iniquam et initam contra prefatam ordinationem nostram duxerimus irritandam[5]. Dat. Laterani id. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 118. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 261. Cod. privil. ord. Minor. continens et ad ord. Servor. Marino pertinens (saec. XIV).

1. Supra nº 280. — 2. Supra nº 281. — 3. Supra nº 296. — 4. Supra nº 268. — 5. Supra nis 280, 284.

---

301. *Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut inhibeat, ne quis quidquam conferat pro expensis, quas ad litem contra fratres Ord. Praed. sustinendam Universitas facit.*

1257, Februarii 2, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Olim felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster .. cantori Belvacensi et magistro Roberto de Duaco canonico Silvanectensi suis, ut dicitur, dedit litteris in mandatis, quod ipsi scolares auditores et doctores studentes Parisius per censuram ecclesiasticam coartarent, ut in expensis factis et faciendis ab universitate magistrorum et scolarium Parisiensium occasione questionis, que inter ipsos ex parte una, et .. priorem et conventum fratrum Predicatorum Parisiensium ex altera super certis articulis vertebatur, contribuerent pro rata singulos contingente[1]. Verum quia Parisiense studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat longiores presertim in theologica facultate, ut sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, causam ipsam ordinationis diffinitive calculo deliberatione provida duximus terminandam[2], licet nonnulli de dictis magistris et scolaribus indurato animo predicte ordinationi non pareant ut tenentur, non attendentes quoniam scelus ydolatrie est nolle acquiescere, et peccatum ariolandi pertinaciter repugnare. Ne igitur per hujusmodi contributionis subsidium in

rebellionis sue pertinacia diutius perseverent, nos prefatas litteras penitus revocantes tibi, de cujus circumspectione fiduciam in Domino gerimus pleniorem, in virtute obedientie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus Parisius et in aliis locis ubi expedire videris, sub eadem districtione publice inhibeas et per alios facias inhiberi, ne quis in expensis hujusmodi aliquid ulterius conferre presumat. Nos enim nichilominus decernimus irritum et inane, quicquid per predictos cantorem et R. de Duaco circa contributionem hujusmodi faciendam decetero contigerit attemptari. Dat. Laterani iiij non. Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 251, nis 120 et 121. Restant fila cannab. In utraque membrana aversa : « Predicatorum ». — *Mém. de la Soc. de l'histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 262. Cod. privil. Ord. Min. continens et ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV).

1. Supra n° 239. — 2. Supra n° 263.

---

302. *Ludovicus IX Francorum rex notum facit, se magistro Roberto de Sorbona dedisse ad opus scholarium domum sitam Parisiis in vico de Coupe-Gueule ante palatium Thermarum.*

1257, mense Februario, Parisiis.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod nos magistro Roberto de Sorbone[1] canonico Cameracensi dedimus et concessimus ad opus scolarium, qui inibi moraturi sunt[2], domum que fuit Johannis de Aurelianis cum stabulis que fuerunt Petri Poinlane[3] contiguis eidem domui, que domus cum stabulis sita sunt Parisius in vico de Coupe-Gueule[4] ante palacium Termarum. Preterea permutavimus cum dicto magistro decem solidos augmentati census, quos habebamus super granchiam, que fuit Johannis de Balneolis, sitam in dicto vico ad decem solidos augmentati census, quos idem magister habebat super domum que fuit Philippi de Fontaneto in eodem vico sitam, quos decem solidos idem magister nobis omnino quitavit et concessit, et nos similiter eidem quitavimus et concessimus imperpetuum alios decem solidos antedictos. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo CC° quinquagesimo sexto, mense Februario.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 85. Deest sigillum ; restant fila seric. rubei coloris. *Mém. de la Soc. de l'histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 252, ubi specimen documenti. — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069 (*Cart. de la Sorbonne*), fol. 1, ubi perperam an. 1250 assignatur, sicut et a Bulaeo, III, 224, et ab aliis fit. Recte Jourdain, n° 150. Juxta quamdam domus Sorbonae memoriam haec donatio evenit an. 1253. Cf. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 10983, fol. 5^{b}; 16574, fol. 39^{b}. Quid rationis habeat cum Universitate hoc Collegium vide infra n° 378, not. 4.

1. Vide de ipso supra n° 242. — 2. Hoc primum documentum est eorum, quae referuntur ad fundationem Collegii Sorbonae, in quo scholares ibi moraturi nominantur, et haec est una de causis, quibus generatim *Charta fundationis domus Sorbonae* vocatur. Finis fundationis fuit sustentatio « pauperum magistrorum (et scolarium) studentium Parisius in theologica facultate », ut in documentis posterioribus plerumque repetitur. Diu, et adhuc saec. XIV, restabat simplex collegium, ut et quandoque in actis nominatur (« collegium » seu « congregatio pauperum magistrorum », etc.), utique celebrius quam

cetera. Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Laurentium Anglicum, *etc.*, in domo Sorbonne theologiam docuisse vana opinio est, sicut et eos fuisse socios vel hospites Sorbonae, ut legitur in Bibl. Arsenalis ms. 1228, p. 336, vel adversarios professorum mendicantium a Collegio Sorbonae prodiisse (Hemeraeus, *Sorbonae origines*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5493, fol. 68-74), cum Sorbona tribus tantum ultimis annis contentionis inter Universitatem et Mendicantes initium sumpserit. — 3. Iste (Petrus Pungensasinum) et Johannes de Balneolis nominantur etiam supra nº 242, et prior in *Cartul. de la Sorbonne* saepius occurrit, v. g. ad ann. 1254 (Arch. nat. S. 6213, nº 128), 1258 et 1260. Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 13. — 4. Vide supra nº 242.

---

303. *Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, ut regendi Parisiis in aliqua facultate licentiam nulli tribuat, nisi ei qui litteras apostolicas « Quasi lignum vitae » se firmiter observaturum promiserit.*

1257, Martii 10, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim, *etc. sicut supra* nº 298, *usque* servaturum. *Deinde :* non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis a sede apostolica impetratis, de quibus plenam et expressam oporteat in presentibus mentionem fieri, seu per quas mandati nostri executio in hac parte valeat impediri. Dat. Laterani vj id. Martii, pontificatus nostri anno tertio.

Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 24. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 22ᵇ. Ambo incipiunt : « Universis presentes litteras inspecturis cancellarius Parisiensis salutem in Domino. Noveritis nos vidisse litteras domini pape formam que sequitur continentes. » Post litteras superiores sequuntur aliae ad eundem directae viij kal. Aug. an. 5. — Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 248 : « v id. Maii ».

---

304. *Alexander IV ad cancellarium S. Genovefae Paris. de eodem argumento.*

1257, Martii 11, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario S. Genovefe Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos olim, *etc. sicut in litteris precedentibus*. Dat. Laterani v id. Martii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 126. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ».

---

305. *Alexander IV mandat Reginaldo episcopo Parisiensi ut illos magistros et scholares, qui renuerint contributionem facere et excommunicationis sententiam per cantorem Belvacensem et Robertum de Duacò in eos promulgatam incurrerint, absolvat, si promiserint mandata apostolica se observaturos.*

1257, Martii 13, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Olim felicis recordationis Innocentius, *etc. sicut supra* nº 301, *usque* presumat. *Deinde :* Nos enim eosdem magistros et scolares super facienda contributione in expensis, quas fecisse asseritur dicta Universitas a tempore

ordinationis nostre, cujus principium est *Quasi lignum vite*, volumus non teneri, decernentes irritum et inane, quicquid per predictos cantorem et R. de Duaco circa contributionem hujusmodi faciendam decetero contigerit attemptari. Ceterum si aliqui de prefatis magistris et scolaribus excommunicationis sententiam per eosdem cantorem et R. de Duaco aut eorum subdelegatos in eos qui portionem expensarum ipsarum contingentem eosdem persolvere denegant promulgatam hactenus incurrerunt aut notam irregularitatis contraxerunt exinde, cum ab eis humiliter requisitus fueris et tibi constiterit, quod dictam ordinationem nostram et mandata contenta in ipsa reverenter observent ac bona fide tibi promiserint, quod ea inviolabiliter observabunt, tu eis super premissis absolutionis et dispensationis beneficium auctoritate nostra per te vel per alium juxta formam ecclesie largiaris. Dat. Laterani iij id. Martii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 127. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ».

---

306. *Alexander IV ad Turonensem et Odonem Rotomagensem archiepiscopos ac Reginaldum episcopum Parisiensem ut in fratrum Praedicatorum et Minorum, quos omni laude cumulat, defensionem totam curam intendant.*

1257, Martii 30, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Turonensi[1] .. et .. Rothomagensi archiepiscopis et .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Non sine multa cordis amaritudine, *etc. sicut supra* nº 290, *usque* commutarent. *Deinde :* Constat igitur ex hiis, meritoriam existere mendicitatem eorum, et quod ipsi tam ab hiis, quibus predicant, quam ab aliis, elemosinas petere ac recipere illique ipsas possunt eisdem fratribus salubriter elargiri. Cum insuper iidem fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vite subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, et per sue religionis observantiam, que quidem ipsius perfectionis evangelice tenet formam, in eterne retributionis premio precellentem gloriam promereri; cum etiam de licentia vel commissione aut concessione Romani pontificis seu legatorum ejus, vel ordinariorum locorum licite possint predicare populis, et confessiones audire, ac penitentias injungere salutares, aliorum inferiarum prelatorum et rectorum ecclesiarum ac sacerdotum parrochialium assensu minime requisito : volumus et per apostolica scripta vobis districte precipiendo mandamus quatinus ad requisitionem dilectorum filiorum .. prioris fratrum Predicatorum et .. guardiani fratrum Minorum Parisius vel alterius eorum per vos aut alios inquirentes de plano et sine strepitu judicii super assertione et presumptione hujusmodi diligentius veritatem, omnes magistros, doctores, et alios, qui sive in scolis, sive in predicationibus seu alibi premissa vel aliquod ipsorum dicere attemptaverint, vel imposterum attemptabunt, ex parte nostra

monere curetis, ut infra certum terminum a vobis prefigendum eisdem dictum suum in his publice revocent, male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus et retractent, asserendo constanter contrarium, et illud etiam fideliter predicando. Quod si forte ipsi monitis nostris in hac parte acquiescere non curaverint, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis et perpetue privationis beneficiorum suorum ecclesiasticorum sententias sublato cujuslibet appellationis obstaculo procedatis, laicos de hoc culpabiles vel fautores hujusmodi presumptorum animadversione debita percellentes, auxilio brachii carissimi in Christo filii nostri .. regis Francie illustris si necesse fuerit invocato. Nos enim nichilominus auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quisquam premissa vel aliquod premissorum pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare presumat. Quicumque vero id presumpserit, tanquam contumax et ecclesie Romane rebellis ab omnibus fidelibus habeatur contra quem etiam taliter procedemus, quod pena condigna ipsum pro sua temeritate feriet, et alii ejus exemplo perterriti a presumptione simili frenabuntur. Ne autem aliquis ex ignorantia velamen excusationis assumat, vobis districte precipimus ut ad requisitionem dictorum prioris et guardiani Parisius et in aliis locis, in quibus expedire videritis, presentes litteras et earum tenorem publicetis et faciatis solempniter publicari, non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis alicui vel aliquibus personis ab apostolica sede concessis, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra suas civitates et dioceses seu loca in causam trahi non possint per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu quibuscumque aliis indulgentiis et litteris sedis ipsius, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, litteris venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis generaliter a nobis directis in suo robore duraturis[2]. Vos autem memoratos fratres omni benivolentia et gratia prosequentes eos tanquam probatos et acceptos Christi ministros habeatis pro divina et nostra reverentia propensius commendatos, ipsos ab injuriis et molestiis oportunis presidiis defendentes, ita quod ex hoc vobis et vestris ecclesiis fortius obligemur. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Laterani iij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 134. Restant fila cannab. — Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 334, nº 152.

1. Nescio an isto tempore sedes archiepiscopalis a Vincentio de Pilmil jam fuerit occupata. — 2. Infra nº 307.

---

307. *Alexander IV de eodem argumento ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos.*

1257, Martii 30, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedic-

tionem. Non sine multa cordis amaritudine, *etc. sicut supra* nº 306, *et mentio fit Praedicatorum et Minorum in omnibus civitatibus et diocesibus. Post* Concilio generali : Litteris venerabilibus fratribus nostris .. Turonen. et .. Rothomagen. archiepiscopis et .. episcopo Parisiensi super hoc directis[1] a nobis nichilominus in suo robore duraturis. Vos autem, *etc. usque* fortius obligemur. Dat. Laterani iij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio[2].

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 133. Bulla plumb. filis cannab. appenditur. Alterum orig. in Arch. départ. des Bouches-du-Rhône (Marseille), divis. Prêcheurs d'Arles. Deest sigillum. — *Vidimus* an. 1257, Septemb. 8, in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Dominicains, liasse 930. Ibid. *Cartul.* des Dominicains, H. 221, fol. 55. Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 249. Codd. Vat. Ottob. 15, fol. 206 : « kal. April. » ; 57, fol. 124 : « iiij id. Jun. ». Bulaeus, III, 334. — Vide supra ad nº 294, n. 2.

1. Supra nº 306. — 2. Cf. nº 292, nota.

---

308. *Alexander IV ad universos patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ut libellum Guillelmi de S. Amore : « Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum », de errore damnatum cunctis denuntient.*

1257, Martii 30, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Quidam scripture sacre, *etc. sicut supra* nº 291, *usque* frenabuntur *circa finem. Deinde :* Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus singuli vestrum ad requisitionem eorundem fratrum in civitatibus et diocesibus vestris manentium hujusmodi nostram reprobationem, condempnationem, preceptum et prohibitionem ac premissa omnia in locis earundem civitatum et diocesum, ubi expedire viderint, solempniter publicare studeant et faciant publicari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, litteris venerabilibus fratribus nostris .. Turonen. et .. Rothomagens. archiepiscopis et .. episcopo Parisiensi a nobis super hoc directis[1] nichilominus in suo robore duraturis. Dat. Laterani iij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 135. In aversa membrana : « Predicatorum ». Bulla plumbea filis cannab. appenditur, sicut et in altero originali in Arch. départ. des Bouches-du-Rhône (Marseille), fonds Dominicains d'Arles. Tertium orig. in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Cordeliers, liasse 907 (H. nº 49). In membrana aversa : « Minorum ». *Vidimus* 8 Sept. 1257 ibidem, fonds Dominicains, liasse 930 (H. nº 53). — Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 248. Cod. Vat. Ottob. 15, fol. 249. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 133, nº 151.

1. Supra nº 291.

---

309. *Alexander IV reprobat appellationes, quaecumque sint, magistrorum Parisiensium tanquam frivolas, decernitque ordinationem dictam « Quasi lignum vitae » inviolabiliter observandam.*

1257, Maji 12, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam memoriam futurorum. Circa frequens cotidiane sollicitudinis ministerium occupati supra vires nostras assiduis ingruentium undique disceptationum incursibus fatigamur, que nos inevitabili necessitate constringunt emergentibus litigiorum morbis varia remedia providere. Sed interdum pacem credimur dedisse negotiis, et eadem majori strepitu recidivant, dumque offensionis lapides, quibus que vite hujus inhorret asperitas, ut rationalium affectuum pietas liberius procurrat in Deum, salutaribus studiis removemus, hominis inimici malignitas petras aliquando scandali superjacit gravioris. Hinc utique fit, quod operosior cura plerumque nobis imminet circa plurima, que salubri sategimus curasse medela et propensior nos labor repetit post labores, quibus altam aliis studuimus preparare quietem. Dudum sane cum super quibusdam articulis statum Parisiensis studii contingentibus controversia emersisset, nos, qui ejusdem studii emolumenta zelamur, ut viri scolastici summotis altercationibus, que profectum discipline prepediunt, in pacis otio pacificis[1] sane doctrine occupationibus imminerent, per ordinationem quandam, que *Quasi lignum vite* incipit, suborta dissidentium jurgia duximus de fratrum nostrorum consilio dirimenda. Verum magistri atque scolares Parisienses ordinationem eandem, qua in plana curavimus aspera commutare, ad turbationis materiam assumentes adversus dilectos filios fratres Ordinis Predicatorum maxime in scandala surrexerunt, eidem ordinationi erecto inobedientie vertice resistendo, nec considerando prudenter ordinationi temere obviari divine, dum apostolice contradicitur potestati, ad quod eos credimus non tam voto communi quam particulari quorumdam seductione commotos, cum vix ad contumatiam pari consensu multitudo prorumpat, nisi forsitan incitetur a paucis, qui si possint peccare cum plurimis, impunitatem sibi suorum excessuum quos per hoc potius exaggerant repromittunt. Cum autem iidem fratres magistrorum atque scolarium infestationibus lacessiti et insecutionibus fatigati compositionem quandam cum illis in derogationem ordinationis apostolice subiissent, nos compositionem hujusmodi, que fratres ipsos excludebat a scolis magistrorum secularium reprobantes, ordinationem ipsam in cujus contemptu nostra vilipendebatur auctoritas, mandavimus inviolabiliter observari, cohercendo pena debita transgressores. Ipsi vero magistri atque scolares cum presumptioni peccatum, peccato contemptum, et contemptui pertinatiam adjecissent, tandem nuntios et procuratores ad sedem apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes suas coram nobis et fratribus nostris inter cetera proponere curaverunt, quod, cum ipsi de consortio universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, a qua omnino recesserant ejus renuntiando privilegiis et actum postmodum dimittendo legendi, non debeant reputari ordinationem

predictam, que in Universitatem ipsam promulgata extitit, observare, vel magistros aut scolares predictorum fratrum ad magistrorum consortium vel ejusdem Universitatis collegium, de quo jam esse desierant, admittere nullatenus tenebantur, preter id, quod ad societatem nemo est cogendus invitus, et ipsi fratres duobus non debent[a] Universitatis, videlicet scolarium et conventus Predicatorum, collegiis contineri, addentes quod dispar ipsorum professio eos eidem Universitati reddit incongruos et ad sustinenda ipsius onera, cujus gauderent commodis, efficit paupertatis conditio impotentes. Propter que necnon et alia quedam a prefata ordinationis aliorumque mandatorum nostrorum eandem ordinationem contingentium executoribus, ne contra ipsos procederent, fuerat pro parte ipsorum magistrorum et scolarium ad sedem apostolicam multotiens appellatum. Proponebant quoque, in mandatis apostolicis, que contra eos emanaverant, se gravatos injuste, per que ipsos puniri graviter constat, qui culpabiles non existunt et predictam compositionem, quam partes acceptaverant, irritari. Ad ultimum super hiis provideri sibi per sedem apostolicam postulantes. Sed fortius allegabat econtra rebellis eorumdem magistrorum et scolarium contumatia et pertinatia divulgata, qui non solum in nobis sed etiam in felicis recordationis I. papa predecessore nostro auctoritatem sedis apostolice contempserunt directis sibi pro memorati Ordinis fratribus in pagina sacra docentibus eorumque scolaribus ad sue Universitatis consortium admittendis ipsius predecessoris et nostris jussionibus resistendo. Aggravat autem culpam eorum exempli[b] contagium, quo fideles tam principes quam populi facile possent in debita Deo ejusque vicario obedientia et devotione corrumpi, si qua ex dissimulationis nostre patientia illorum inobedientie proveniret auctoritas, quibus fidem prebet in plebe fideli scientia fidei, qua eminere creduntur per doctrine studium et exercitium discipline. Insurgit quoque adversus eorum duritiam arguendam non solum nostre ordinationis, quam calumpniari conantur, equitas manifesta, communis utilitatis compendium omnibus afferens et private jacture dispendium cuiquam non importans, verum eciam juramentum, quo se contra ejusdem ordinationis tenorem, ne fratres ipsos reciperent donec, utrum sint in magistrorum et scolarium consortium receptibiles, diffinitum fuerit temere astrinxerunt, cum an iidem fratres receptabilitatis hujusmodi aptitudinem habeant, ipsius ordinationis auctoritas ambiguum non relinquat. De compositione sane predicta eis patrocinium adesse non debet, cum fuerit ex quadam impressionis improbitate presumpta. Nec possunt de revocatione ipsius aut de mandatorum nostrorum animadversione justam formare querelam, cum in derogationem ordinationis nostre ac impedimentum theologice facultatis eadem compositio attemptata fuisset, et per consequens in periculum fidei orthodoxe, que sicut proficiente sacre pagine studio incrementum recipit et vigorem, sic deficiente pernitiosum incurreret detrimentum. Cum etiam mandata predicta sub ea moderationis forma processerint, ut obtemperantes eisdem contenta in illis animadversionis severitas non feriret, apparet per ea non obedientium innocentiam vel preterite rebellionis culpas percuti, sed insolentes

contumatium ausus justissime cohiberi. Porro per hoc quod prefati magistri et scolares ab Universitate Parisiensis studii recessisse ipsiusque privilegiis renuntiasse dicuntur excusationis sue intentio non juvatur, cum constet, eos in elusionem mandati apostolici, quod jam de ipsa ordinatione servanda notitiam eorum attigerat, id fecisse. Ipsi etiam nichilominus Parisius remanentes studii scolastici occupationibus incumbebant, licet ad tempus actum legendi astute cogitationis consilio postmodum dimisissent. Unde ad removendum pallium, quod sibi ex hujusmodi recessione ac renuntiatione pretendunt, abnegantes verbis, quod operibus profitentur, omnes magistros et scolares, qui Parisius doctrine vel discipline studiis se exercent, intelligimus et intelligi volumus ejusdem Universitatis consortio, sive illam profiteantur sive abnegent, contineri. Nos igitur omnibus, que super premissis coram nobis fuere proposita, plenius intellectis excusationes et allegationes premissas ac appellationes quascumque magistrorum et scolarium predictorum tanquam elusorias, ineptas et frivolas de fratrum nostrorum consilio repellentes sententialiter decernimus, ordinationem sepedictam et omnia que continentur in ipsa, compositione et aliis in contrarium allegatis nequaquam obstantibus, ab omnibus magistris et scolaribus Parisius existentibus cessante contradictione qualibet integre et inviolabiliter observari, et apostolica rescripta que super ipsius ordinationis executione vel observatione processisse noscuntur habere sui roboris firmitatem. Insuper adiciendo statuimus ut scolares omnes tam religiosi de prelatorum suorum licentia Parisius gratia studii quandolibet commorantes, quam etiam seculares ubicumque voluerint lectionibus vel predicationibus audiendis sive questionibus disputandis libere valeant interesse, utque tam Predicatorum quam Minorum Ordinum fratres et religiosi alii, qui pro tempore Parisius doctores fuerint in theologica facultate, ac scolares ipsorum in societatem, consortium et collegium aliorum magistrorum et scolarium Parisiensium recipiantur plenarie semperque in eis efficaciter habeantur. Nulli ergo, *etc.*, nostre sententie ac constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Laterani iiij id. Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 251, nis 138 et 139. In utroque bulla plumbea filis serie. flavi et rubei coloris appenditur. In parte inferiore membranae rectae : « R. Plac. »; deinde in nº 138 : « Pro magistro Milo[ne] ». In membrana aversa amborum : « Predicatorum ». — Reg. Vat. Alexandri IV an. 3, ep. 318, fol. 42. *Vidimus* episcopi Reginaldi Paris. an. 1257, Septemb., in Arch. départ. de la Côte-d'Or, liasse 930. Ibid. *Cartul.* des Dominicains, II. 221, fol. 63b. Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 251. Bulaeus, III, 337.

1. Reg. : « spacificis ». — 2. Reg. : « debeat ». — 3. Orig. nº 138 : « exempla ».

---

310. *Alexander IV universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, etc., hortatur ut fratres Praedicatores benigne tractent, subditisque eorum innocentiam, neglecta accusatione magistrorum Parisiensium, exponant.*

1257, Maii 23, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, et

aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Celestis ille agricola summus actor fidei precipuusque protector, sacrum fratrum Predicatorum Ordinem quasi lignum fertile inseruit in ecclesie paradiso, ut delectaret amenitate, ubertate satiaret et fructuum suavitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fecundum et dulce lignum imbre superno rigatum pulchra plurima et dulcia poma profert, quorum odore ac sapore confortantur et convalescunt debiles, variisque detenti langoribus liberantur. In hoc utique vite ligno mortales carnis infirmitatibus pregravati pabulum salutis inveniunt, et internam recipiunt sospitatem. Hujus inquam ligni percepta fragrantia concurrerunt undique ad libamen ipsius innumeri professores fidei et concurrunt, qui perfruentes assidue illo et salutaribus ejus convescentes fructibus de ipsorum pregustata dulcedine ministrant et ipsi aliis suavia libamenta salutis. Hii sunt viri probati et plene in lege Domini eruditi, fratres videlicet dicti Ordinis, efficaces quidem in opere ac in predicatione potentes, quorum labia gratia celestis edocuit, ad propinandum salubrem doctrinam aliis, et exponendum commodum animarum. Unde ubique per mundum ipsorum ora intonant velut tube, ac in omnem terram exit sonus predicationis eorum, et usque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hii sunt viri preclari, conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sidera in ecclesie firmamento suis splendidis documentis insinuant mortalibus viam vite. Hii sunt fiale auree plene odoramentis, qui sua sacra conversatione suaviter redolentes hortantur per hoc alios, et inducunt excussa prorsus inertia surgere ac properare ad opera bonitatis. Pro hiis ergo ab universis ecclesiarum prelatis cunctisque Christi fidelibus diligendi sunt precipua caritate, ac tanquam venerabiles Dei ministri et populo suo necessarii honorandi condigne et favoribus specialibus muniendi. Sane, quia lingue maliloque detractorum consueverunt falsa confingere, ac illa pudicis etiam auribus instillare, ne per oblocutionem aliquorum ex livore latrantium, quod per fratrum ipsorum culpam discordia inter eos et magistros et scolares Parisienses emerserit, bone ac nitide fratrum eorundem fame valeat derogari, scire vos volumus, quod cum super hujusmodi discordia coram nobis et fratribus nostris diligens habita fuerit discussio, ipsos nequaquam culpabiles invenimus in hac parte, sed potius innocentes. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus dictos fratres Predicatores habentes de hoc penitus excusatos, et eorum in hiis innocentiam vestris subditis exponentes, ipsos ob reverentiam apostolice sedis et nostram tanquam speciales et amabiles ecclesie Romane filios ac salutis animarum fervidos zelatores cum omni caritate ac benignitate tractetis, et opportunis consiliis et subsidiis foveatis, ita quod affectum, quem ad nos et eandem habetis ecclesiam, ex hoc plenius agnoscentes reddamur exinde ad vestra et ecclesiarum vestrarum comoda promptiores. Dat. Viterbii x kal. Junii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, n° 141. Supersunt fila cannab. Aliud in Arch. départ. des Bouches-du-Rhône (Marseille), divis. Prêcheurs d'Arles. Bulla cum fil. cann. — *Vidimus* episc. Reginaldi Paris. Septemb. an. 1257 in Arch.

départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Dominicains, liasse 930 (H. nº 53). Ibid. *Cartul.* des Dominicains, H. 221, fol. 57b. Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed. ad Ord. pertinens, p. 229. Bulaeus, III, 339.

---

311. *Humbertus magister general. Ord. Praed. consolatur fratres suos de tribulatione maxime in partibus gallicanis circa Parisios gravescente. Commendat papam, regem et cardinalem Hugonem speciales amicos et defensores.*

1257, c. finem Maii, Florentiae.

Dilectis in Dei Filio fratribus Predicatoribus universis fr. Humbertus servus eorum inutilis cum revelationis plenitudine spiritualium gratiam gaudiorum. Quamdiu peregrinamur in hac valle tristitie, mutuis in Christo consolationibus nos invicem confovere debemus, ut inter vite et vie hujus varietates in loco peregrinationis nostre non deficiamus, sed cantantes in viis Domini leti ceptum iter ad patriam[1] perficere festinemus. Ad quod tanto me reputo vobis magis obnoxium, quanto me ducem vestri itineris elegistis, et me super vos officium matris consolantis filios sentio suscepisse. Certe, karissimi, philosophantibus in naturis liquet clare, quod quicquid est sub celo, ubi status est uniformis, vanitati subjacet et in statum alterum facile permutatur, sicut in aere nunc est quies, nunc perturbatio; in terris nunc temperies, nunc spiritus procellarum; in mari quoque nunc tranquillitas, nunc tempestas. Percurrentes veteres ystorias legistis quod Dei populus non in eodem statu permansit, sed nunc exaltatus, nunc dejectus, nunc permotus[2] extitit multipliciter, nunc afflictus. Recogitate statum ecclesie et progressum. Nonne et ipsa per prospera et adversa sibi continue succedentia hucusque pervenit? Sic Ordo noster in omni loco Dei dono dudum promotus et cum omni felici successu subcrescens, post roborationem et firmitatem omnimodam assecutam expositus est hiis temporibus tribulationibus in quibusdam regionibus, et maxime in partibus gallicanis circa Parisius, superna idipsum providentia disponente in bonum nostrum, ut ibi permitteret fieri conflictum graviorem, ubi major et melior nostra militia de diversis mundi partibus congregata, omni armatura abundans, resistere possit validius adversariis, ipsosque virilius impugnare. Nolite ergo vos, eterni regis Domini majestatis et Dei Sabaoth strenui bellatores, nolite, inquam, mirari, si persecutiones novas et tribulationes inconsuetas sentitis ... Salvatoris clementia faciente, qui cum tentatione facit proventus et de malis elicere bona novit, predicte momentanee tribulationes ad nostri profectum Ordinis accident, sacrosanta Romana ecclesia totius orbis magistra predictarum occasione profectionem ipsius evidentius declarante et statum firmum roborante, adversariis nostris multimoda confusione confusis, illustrissimo rege Francorum, specialissimo nostri Ordinis dilectore, immo totius veritatis ferventissimo zelatore, continue nobis et efficaciter assistente. Proinde tantis patrociniis non ingrati, pro eis orate devote, et specialissime pro domino papa beatissimo nostro, cujus benignatio ad Ordinem vix exprimi lingua posset. Deinde superest, fratres, ut in omnibus gratias agentes simus in persecutionibus patientes, et

Dominum pro ipsis persecutoribus exoremus ... Recommendo etiam vobis affectualiter[3] dominum Hugonem cardinalem, fidelissimum ac necessarium amicum Ordinis qui in negotiis Ordinis defferendis et promovendis infatigabiliter et perutiliter[4] perseverat; qui etiam sua presentia Capitulum nostrum multum honoravit, et consolatus est non mediocriter corda fratrum ... Datum Florentie, in Capitulo generali, anno Domini M°CC°LVII[5].

Ms. Rom. Capp. general. Ord. Praed. ad Ord. pertinens. Deest in compilatione Capp. general. Bernardi Guidonis. Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), *Cartul.* des Dominicains, II. 221, fol. 135.

1. « Ad patriam » om. ms. Rom. — 2. « Promotus » ms. Rom. — 3. « Affectualiter » om. Rom. — 4. « Et perutiliter » om. Rom. — 5. Ad patres capitulares Florentiae congregatos scripsit card. Hugo epistolam, in qua Ordinem redarguit propter aliquos praedicatores, qui « docent quod nesciunt, asserunt quod ignorant, unde plura suboriuntur scandala et cadit in ordinis infamiam fratrum opprobrium », *etc.* « Concursus etiam fratrum ad Rom. curiam notam dissolutionis inducit ... fame quoque religionis non modicum derogatur, cum sicut vestri dogmatizant adversarii, illuc versari debeant, qui mollibus vestiuntur », *etc.* (vide supra n° 256). Cod. continens Magistrorum Ord. Praed. aliorumque epistolas, I, 67, ad Ord. Praed. pertinens, et *Cartul.* des Dominicains cit., fol. 95 sq.

---

312. *Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. executionem praecipit eorum, quae a sede apostolica de frat. Praedicatoribus et Minoribus in consortium magistrorum Paris. recipiendis statuta fuerant.*

1257, Julii 14, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum adversus provisionis nostre ordinationem salubrem, que *Quasi lignum vite* incipit, super statu Parisiensis studii et nonnullis articulis illud contingentibus dudum de fratrum nostrorum consilio promulgatam seculares magistri et scolares Parisienses per duram rebellionis contumaciam in contemptum potestatis apostolice calcitrantes ex ipsa contra dilectos filios fratres Ordinis Predicatorum offensionis et scandali materiam quibusdam ad hoc ceteros instigantibus assumpsissent, tandem post culpas culpis adjectas et contemptus contemptibus aggregatos, nuntios et procuratores suos ad sedem apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes ipsorum, quibus se munire contra predicte ordinationis observantiam conabantur, plura fuere proposita coram nobis. Nos vero eis plenius intellectis excusationes et allegationes ac quascunque appellationes ipsorum tanquam illusorias, ineptas et frivolas de predictorum fratrum nostrorum consilio repellentes sententialiter decrevimus ordinationem prefatam et omnia que continentur in ipsa compositione et aliis in contrarium allegatis nequaquam obstantibus, ab omnibus magistris et scolaribus Parisius existentibus cessante contradictione qualibet integre et inviolabiliter observari, et apostolica rescripta, que super ipsius ordinationis executione vel observatione processisse noscuntur, habere sui roboris firmitatem. Insuper adiciendo statuimus ut scolares omnes tam religiosi de prelatorum suorum licentia Parisius gratia studii quandolibet commorantes, quam etiam seculares, ubicumque voluerint, lectionibus vel predicationibus audiendis, sive questionibus

disputandis libere valeant interesse, utque tam Predicatorum quam Minorum fratres et religiosi alii, qui pro tempore Parisius doctores fuerint in theologica facultate, ac scolares ipsorum in societatem, consortium et collegium aliorum magistrorum et scolarium Parisiensium recipiantur plenarie semperque in eis efficaciter habeantur, sicut ex litterarum nostrarum, que incipiunt *Circa frequens*[1], inspectione tibi liquido innotescet. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie ac etiam sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus quatinus presentium et litterarum ipsarum tenores omni dilatione et occasione postpositis per te vel per alios Parisius sollempniter publicans ordinationem, litteras et statuta predicta et que continentur in eis, facias integre et inviolabiliter observari, carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie ad hoc si opus fuerit auxilio invocato. Ne vero tante rebellionis vitium ulterius possit esse aliis occasio scismatis et contumacie perniciose fomentum, omnes magistros et scolares seculares et auditores Parisienses, qui expresse ac publice non paruerint restitutioni dictorum fratrum Predicatorum, per felicis recordationis Innocentium papam iiij predecessorem nostrum et postmodum per nos facte ordinationi, litteris, sententiis, statutis ac mandatis nostris infra unum mensem, postquam tenor presentium ut predictum est fuerit Parisius publicatus, omnibus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis ac officio magistrali, predicatione et doctrina privamus, et in posterum reddimus omnino indignos, decernentes eos ab ordinum executione et susceptione suspensos. Eos quoque, qui occasione presentium aut aliarum litterarum sedis apostolice pro dictis restitutione et ordinatione servandis, sive occasione Parisiensis studii directarum, ipsum studium dissipare aut turbare seu alibi sine sedis ejusdem speciali licentia contra tenorem ordinationis predicte transferre presumpserint, excommunicationis vinculo innodamus, quos et tu per te vel per alium excommunicatos denunties Parisius et ubicumque videris expedire. Si qui vero, quod absit, predicta non curaverint adimplere, aut alias in hiis contumaces fuerint vel rebelles seu quietis scolarium et studii turbatores, tu eorum nomina, ut nominatim graviori pena mulctentur, nobis intimare procures, hoc ipsum supradicto regi denuntians, ut ad bonorum pacem malorumque terrorem eos ut expedire viderit coherceat tradita sibi divinitus potestate. Juramenta quidem aut obligationes quascumque a dictis magistris et scolaribus seu ab ipsorum aliquibus et specialiter de non recipiendo ad scolas vel scolasticam societatem dictos fratres Predicatores vel scolares ipsorum fratrum regentium, sive alias presumpta contra prefatam ordinationem nostram, aut aliqua eorum, que continentur in ipsa seu contra statuta vel mandata nostra seu ipsorum aliquod, decernimus penitus non tenere. Non obstantibus appellationibus aut occasionibus quibuscumque preteritis vel futuris, aut etiam quod a te dato super hoc executore a nobis pluries appellasse dicuntur, sive processibus aliquibus aut litteris vel indulgentiis a sede predicta concessis, per que hujusmodi mandati executio in hac parte impediri valeat vel differri, aut de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum fieri oporteat in presentibus mentionem,

seu etiam, quod dicti fratres, quando consenserunt in compositione predicta, renuntiaverunt, ut dicitur, litteris apostolicis impetratis et impetrandis, quas in suo robore volumus permanere[1], ipsasque tibi et eisdem fratribus ab earum detentoribus reddi, quos ad id si necesse fuerit monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Preceptum nostrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, quod efficacis obedientie gaudeamus in te promptitudinem invenisse; alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu predicte pene contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, graviter provocabis, litteris nostris : *Cunctis processibus*[2], *Licet olim*[3], et *Ad nostram noveris*[4], tibi alias directis a nobis in suo robore nichilominus duraturis; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod enim super hoc inveneris et feceris, nobis fideliter rescribere non omittas. Dat. Viterbii ij id. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 142. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membrana aversa : « Predicatorum ». — *Vidimus* episcopi Reginaldi Paris. Septemb. an. 1257 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Dominicains, liasse 930 (H. nº 53). Ibid. *Cartul.* des Dominicains, H. 221, fol. 76. *Magnum Pastorale* in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 563. Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 254. Bulaeus, III, 340. Idem, p. 308, hanc epistolam perperam ad an. 2 refert, sicut et Jourdain, nº 138.

1. Supra nº 309. — 2. Supra nº 280. — 3. Supra nº 281. — 4. Supra nº 300.

---

313. *Alexander IV rogat Ludovicum, regem Francorum, ut Reginaldo episcopo Parisiensi in exsecutione mandatorum apostolicorum regaliter adsit.*

1257, Julii 31, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Bona meritoria, per que virtutum Domino placere desideras, religiosa multiplicat dilectionis caritas, qua humiles religiosasque personas, in quibus divine pacis spiritus requiescit, humiliter amplectitur mansuetudinis regie celsitudo. Hoc quippe in celis ad mercedis cumulum tibi signanter pura reponit intentio, quam pia desideriorum tuorum studia manifestant; hoc velut insigne imitationis exemplar fidelibus aperte proponitur ad profectum. Propterea si pro dilectis filiis Predicatorum et Minorum Ordinum fratribus qui Parisius in predicatione et doctrina evangelii laborantes in refrigerii tui consolatione respirant, protectionis regie presidium imploramus, credimus quod nostre petitionis instantia cum tuo voto concurrens regalem auditum aut animum non gravabit. Sane licet iidem fratres in executione mandatorum apostolicorum, que super statu studii ad convertendam seu conterendam secularium magistrorum et scolarium Parisiensium duritiam emanarunt, promptum invenerint auxilium regie potestatis, super quo et ipsi pro te Deo humilia pro tua salute vota persolvunt, et nos tue celsitudini gratias agimus copiosas : quia tamen quandam tulimus de novo sententiam et statuta condidimus, quibus turbatorum studii Parisiensis cohibetur impro-

bitas, et ipsis fratribus ac aliis studium diligentibus sancte quietis tranquillitas providetur, sublimitatem tuam rogamus et hortamur in Domino, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatinus venerabili fratri nostro .. episcopo Parisiensi, cui predictorum sententie et statutorum executionem commisimus, promptum et favorabile super hoc contra inobedientes et rebelles ac quietis studii turbatores et prefatorum fratrum vexatores prestare brachii tui cures auxilium, quo pax muniatur humilium, et insolentium cervicosa pervicacia confringatur, excludendo a regno Francie vel alias cohercendo prout videris expedire. Ac memoratos fratres manus regia prepotenti virtute ab omni molestia protegat et defendat, vivantque regio culmine tuti et sub tua protectione securi, inter inquietos pacifici, inter improbos innocentes, preces nostras in hac parte sic efficaciter impleturus, quod nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti tuis cum oportunum fuerit libentius annuamus. Dat. Viterbii ij kal. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 143. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Bulaeus, III, 341.

---

314. *Alexander IV Guillelmo de S. Amore regno Franciae interdicit, omnemque docendi aut praedicandi facultatem ei adimit.*

1257, Augusti 9, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei Guillermo de Sancto Amore in bonum dirigere gressus suos. Cum propter multiplices culpas et grandes offensas, quas temerario commisisti, et specialiter propter libellum pernitiosum et detestabilem a te compositum, et per nos olim de fratrum nostrorum consilio reprobatum et inperpetuum condempnatum, merueris graves penas, volumus et per apostolica tibi scripta in virtute obedientie sub debito juramenti, quod prestitisti de stando precise mandatis nostris, necnon et sub excommunicationis ac privationis perpetue ab officio et beneficiis penis, quas eo ipso te incurrere volumus, si contra hujusmodi preceptum nostrum venire temptaveris, salvis aliis mandatis tibi faciendis a nobis, districte precipiendo mandamus quatinus nullo umquam tempore regnum Francie absque sedis apostolice licentia speciali intrare presumas[1], et nichilominus omnem docendi ac predicandi auctoritate apostolica perpetuo interdicimus facultatem, ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero vel populo sine ipsius sedis permissione decetero audeas predicare. Dat. Viterbii v id. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 144. Restant fila cannab. Infra : « Hugo v ». In membrana aversa : « Predicatorum ». Cod. privil. Ord. Min. continens et ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV). — Bulaeus, III, 342.

1. Rex ipse rogavit papam, ut Guillelmo hoc interdiceret. Vide nº 315.

---

315. *Alexander IV ad Ludovicum regem Francorum, ne patiatur Guillelmum de S. Amore suum regnum intrare.*

1257, Augusti 11, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. illustri regi Francie salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter multiplices culpas et grandes offensas, quas Guillermus de Sancto Amore temerarie commisisse dinoscitur, et specialiter propter libellum pernitiosum et detestabilem ab ipso compositum, cujus principium : *Ecce videntes clamabunt foris,* et titulus : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, dicebatur, ac per nos olim de fratrum nostrorum consilio reprobatum et inperpetuum condempnatum, meruerit graves penas, eidem Guillermo nostris in virtute obedientie sub debito juramenti, quod prestitit de stando precise mandatis nostris, necnon et sub excommunicationis ac privationis perpetue ab officio et beneficiis penis, quas eo ipso eum incurrere volumus, si contra hujusmodi preceptum nostrum venire temptaverit, salvis omnibus aliis mandatis nostris, que sibi forsitan viva voce fieri fecimus, aut nuncio vel litteris duxerimus facienda, districte dedimus litteris in preceptis, ut nullo unquam tempore regnum Francie intrare presumat, et nichilominus omnem docendi ac predicandi sibi auctoritate apostolica perpetuo interdiximus facultatem, ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero vel populo decetero audeat predicare. Cum igitur nos celsitudo regia rogaverit, sicut a tua credimus memoria non elapsum, ut eidem Guillermo predicti regni interdiceremus ingressum, et nos hoc prout expressum est superius, duxerimus faciendum, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus prefatum Guillermum regnum ipsum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo novimus, quod dilectos filios fratres Predicatores et Minores speciali favore prosequeris, super quo te dignis in Domino laudibus efferentes gratiarum tibi referimus multiplices actiones, magnificentiam tuam omni qua possumus affectione rogamus quatinus eosdem fratres pro Christi reverentia, cujus sunt deputati obsequiis, habens benignitate solita commendatos, eos a quorumlibet injuriis et molestiis protegas et defendas, ita quod tua potentia communiti pace quieta et quiete pacifica pacis auctori valeant famulari. Dat. Viterbii iij id. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 145. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Infra : « Hugo v. » In membrana aversa : « Predicatorum ». — Bulaeus, III. 343.

---

316. *Alexander IV ad Reginaldum episcopum Paris. de eodem argumento.*

1257, Augusti 23, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter multiplices culpas et grandes

offensas, *etc. ut supra* n° 315, *usque* audeat predicare. *Deinde* : Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in ecclesia Parisiensi et alibi etiam ubi expedire videris per te vel per alium predicta publicare procures; et si tibi constiterit, quod dictus Guillermus contra tale preceptum nostrum in aliquo venire presumpserit, tu denuncians ipsum excommunicatum, perjurum ac perpetuo ab officio beneficiisque privatum injungas illis, ad quos beneficiorum suorum collatio pertinet, ut eadem beneficia, si qua eum habere contingit, personis idoneis et ecclesie Romane devotis libere conferant et assignent. Denuncies etiam publice dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium, quod non pro eo, quod idem Guillermus Universitatem ipsam defendit, aut quod pro ea forsitan in Francia vel apud sedem apostolicam laboravit (cum magistros et scolares predictos tanquam nobilia ecclesie membra sinceritatis precipue affectibus prosequamur), set pro prefatis excessibus et precipue pro predicto detestabili et a nobis dampnato libello sic contra eum processimus; et si adhuc id exegerit protervia contumacis, gravius auctore Domino procedemus. Latas autem alias in ipsum de mandato nostro suspensionis vel privationis beneficiorum suorum sententias persistere volumus in suo robore firmitatis. Contradictores autem si qui fuerint per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Dat. Viterbii x kal. Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, n. 148. Restant fila cannab. Infra : « Hugo v ». In membrana aversa : « Predicatorum ». — *Magnum Chart. eccles. Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 186. Bulaeus, III, 343. Apud Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, perperam « kal. Septemb. ».

---

317. *Declaratio magistri Christiani, canonici Belvacensis, Parisiis habita.*

1257, Augusti 12 et 27, [Parisiis].

Reginaldus miseratione divina Parisiensis ecclesie minister indignus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod anno Domini M° CC° L VII die dominica ante Assumptionem beate Marie virginis in pleno sermone facto in domo fratrum Minorum Parisiensium magister Christianus de Virdunio in presentia mandati nostri jurati ad hoc a nobis specialiter destinati dixit publice omnia et singula inferius annotata in hunc modum :

Duo intendo facere, primo dicam ad quid veni; postea faciam illud et incipio sic sicut alias incepi : « Curam habe de bono nomine; magis tibi proderit », *etc.* Nomen obedientis bonum est propter quinque, quia scilicet facit amicos Christi; in Joh. : « Vos amici mei estis », *etc.* Secundo quia facit a Deo provideri in necessariis; in Ys. : « Si volueritis et audieritis me », *etc.* Tertio quia Deus eos qui habent istud nomen protegit ne mala cooperentur eis in malum, sed in bonum; Eccl. : « Qui custodit preceptum », *etc.* Quarto quia qui vere habent istud nomen, se possint dicere victores juxta illud : « Vir obediens loquetur victorias ». Quinto quia introducit ad vitam eternam; Mat. : « Si vis

ad vitam ingredi, » *etc.*, et in Proverb. : « Melius est nomen bonum », *etc.* Ex quo nomen obedientis ita bonum est, bene custodiendum est, et si quis amisit illud, bene debet laborare quod reciperet. Aliqui suggesserunt domino pape, quod eram ei rebellis et quod essem incentor rebellionum, quod nunquam fui. Et tamen hoc credidit papa, et illi qui suggesserunt domino pape, nomen obedientis michi abstulerunt. Propter quod studui recuperare illud nomen. Nesciebam aliam viam, nisi quod ivi ad dominum papam ad excusandum me de inobedientia. Ad quod quatuor feci : primo dixi quod nunquam fueram rebellis, quod scirem. Secundo rogavi, ut ostenderetur michi, si in aliquo fuissem rebellis et agerem penitentiam. Quibusdam dicentibus quod non receperam fratres, dixi quod hoc fuit falsum. Immo postquam separati [fuerunt] ab Universitate, fui cum ipsis in scolis magistri Jacobi decani Turonensis, et apposui cum ipsis. Et ita me excusavi, quod quidam auditorum meorum in curia dixit, se habere me excusatum in publica audientia. Postea processi : volens me ostendere obedientem per omnia promisi pape quod in omnibus obedirem[1]. Secundo voluit quod ego jurarem. Ego dixi, simplex verbum et juramentum non differt christiano, et juravi quod facerem mandatum pape. Postea preceptum fuit michi, quod aliqua facerem in curia, et feci[1]. Item preceptum fuit michi, quod Bononie idem facerem[2], et fuit relaxatum, quia linguam ignorabam[3]. Item preceptum fuit michi, ut Parisius idem facerem. Ad hoc veni, ut dicam que precepta fuerunt michi ut dicerem. Illi qui abstulerunt michi nomen obedientis, vulneraverunt me, ut dicere possim illud Cant. : « Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum. » Vulneraverunt me quinque vulneribus : primum disponit ad mortem corporis, secundum impedit curationem ejusdem, tertium disponit ad mortem anime, quartum impedit curationem ejusdem, quintum repellit medicos ne accedant ad me curandum. Primum vulnus est procuracio privationis beneficii quo provisum erat michi in vite necessariis; secundum est procuracio, ut redderer indignus aliis beneficiis optinendis; tertium est procuracio, ne predicarem aut legerem, contra illud : « Spiritum nolite extinguere », et sic in me extinxerunt spiritum; quartum est procuracio, quod a regno Francie amoverer, quod impedit curacionem tertii vulneris, quia alias linguas ignoro; quintum est diffamacio, per quam a me repellebantur, qui me possent curare. Si ista sunt crudelia, judicate. Isti crudeliores fuerunt latronibus, qui vulneraverunt descendentem a Jerusalem in Jericho, quia illi dimiserunt eum semivivum, isti me totaliter interfecerunt. Melius esset michi, quod procurassent mortem meam, quia tunc non moverer ad odiendum illos et essem sine anime periculo; modo autem cotidie sum in periculo anime. Aliqui dixerunt, quod omnia, que dixeram de penetrantibus domos, revocarem in curia. Bene scit papa, quomodo est de hoc. Nunquam fuit michi aliquid oppositum in judicio, nec unquam fuit michi injunctum ut aliquid revocarem, quia nichil dixi contrarium hiis que dicturus sum, quia non dicam revocando, sed obediendo, quia michi injunctum est.

Quibus dictis legit idem magister Christianus publice ea, que inferius continentur[4] :

Ego magister Christianus, quantum in me est, ex nunc recipio et ex nunc obedio et obediam in posterum, nisi dominus papa aliter ordinaverit, ordinationi domini pape que incipit : *Quasi lignum vite*, *etc.*, et contra eam scienter non veniam nec contradicentibus ordinationi predicte auxilium vel consilium prestabo publice vel private. *Secundo* fratres Predicatores et Minores Parisius degentes, magistros ac auditores eorum ac specialiter et nominatim fratres Thomam de Aquino de Ordine Predicatorum, et Bonaventuram de Ordine Minorum, doctores theologie, ex nunc, quantum in me est, in societatem scolasticam et ad Universitatem Parisiensem recipio, et expresse predictos doctores recipio ut magistros, ipsosque juxta ordinationem predictam ab Universitate seu magistris et scolaribus Parisius commorantibus procurabo recipi bona fide, et contra predicta nunquam prestabo consilium vel consensum. *Tertio,* quod scienter statuta et obligationes et juramenta non faciam seu a religiosis vel ab aliis exigam, vel in quantum in me fuerit exigi permittam, per que vel per quos infringatur [ordinatio] supradicta seu contra eam quomodolibet veniatur. *Quarto,* quod non procurabo nec quantum in me est fieri permittam, quod Parisiense studium absque licentia domini pape occasione cujuslibet preterite turbationis seu facti dissolvatur seu alio loco transferatur. *Item* reprobo libellum secundum formam traditam in littera de libelli condempnatione, qui nuper fuit per summum pontificem condempnatus, et errores in ipso contentos, qui sunt contra infra scripta. Assero et affirmo, quod Romanus pontifex potest predicatores et confessores mittere ubique per mundum juxta sue beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum prelatorum quorumcumque seu parrochialium sacerdotum. Item quod archiepiscopi et episcopi in suis dyocesibus dare possunt licentiam predicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quodque predicatores et confessores sic missi possunt libere predicare et licite confessiones audire ac absolvere penitentes. Item quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis. Item quod religiosi pauperes, qui omnia reliquerunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, predicando, disputando, legendo. Item quod ea que continebantur in libello predicto et in quibusdam articulis a me confectis, que implicite vel explicite videbantur seu poterant in predictorum Ordinem infamiam redundare, sicut de pseudoapostolis, et de pseudoprophetis, de nuntiis antichristi, de penetrantibus domos, de periculis novissimorum temporum, non intelligo nec intellexi de fratribus Ordinum Predicatorum et Minorum, quod tales sint vel fuerint vel etiam futuri sint, sed fateor Ordines ipsos esse bonos et ab ecclesia approbatos, et assero et affirmo, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula scilicet, que per sanctos utriusque Ordinis sanctorum cathalago per Romanam ecclesiam canonice legitime fideliter ac rite ascriptos est misericorditer operari dignatus.

Quibus lectis dixit idem magister ea que sequuntur : Quando recepi mandatum, ut dicerem quod Predicatores et Minores non sunt nec fuerunt nec futuri sunt de discipulis antichristi, *etc.*, recepi mandatum hoc modo, et dixi coram cardinalibus, scilicet : « qui vivunt secundum ordinem suum ». Et ipsi dixerunt, quod ipsi nec aliter intelligebant. Fratres etiam dicunt, quod hoc aliter non intelligunt. Et peto a nuncio domini episcopi, ut det michi que dixi sub sigillo domini episcopi. Nos vero in testimonium predictorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum in vigilia beati Augustini anno predicto.

Nos Reginaldus Dei gratia episcopus Parisiensis ad omnem ambiguitatem tollendam, verbum litteris nostris insertum, quibus presens scriptura est annexa, quod est tale : « Nos vero in testimonium predictorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum », « in testimonium predictorum » ita intelleximus et intelligimus, id est, in testimonium, quod dictus magister Christianus ita proposuit in presentia mandati nostri; non enim constat nobis, quod cardinales dixerint vel quod fratres dicant, quod non aliter intelligebant vel intelligunt, quam dictus magister intellexerit de discipulis antichristi. Datum anno Domini M°CC°LVII, mense Augusto.

Codex privilegia Ord. Minorum continens et ad Ord. Serv. Mariae pertinens (saec. XIV.).

1. Vide supra n° 293. — 2. De Guillelmo de S. Amore summus pontifex scripsit etiam Bononiam. Vide infra n° 318. — 3. Ex hoc concludere possumus declarationem non tantum in lingua latina, sed etiam in vulgari fieri debuisse. — 4. Haec declaratio paene ad verbum cum illa supra n° 293 relata congruit; hic omnia referuntur tantum in prima persona, id est, in persona Christiani.

---

318. *Alexander IV Jacobo episcopo Bononiensi mandat ut sententiam in Guillelmum de Sancto Amore latam promulget ac magistris et scholaribus atque aliis Bononiensibus inhibeat ne dictum Guillelmum audiant, si forte praedicare vel cathedram magistralem ascendere praesumpserit.*

1257, Septembris 24, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Bononiensi[1] salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter multiplices culpas, *etc. sicut supra* n° 315, *usque* audeat predicare. *Deinde :* Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus in ecclesia Bononiensi et alibi, ubi expedire videris, per te vel per alium predicta publicare procures, ac magistris et scolaribus ac aliis Bononiensibus universis districtius auctoritate nostra sub excommunicationis pena studeas inhibere ne dictum Guillermum audiant, si forte contra hujusmodi inhibitionem nostram conventiones facere, aut predicare, vel cathedram presumpserit ascendere magistralem. Et si tibi constiterit, quod nominatus Guillermus contra tale preceptum nostrum in aliquo venire presumpserit, denuncies ipsum publice excommunicatum ac perpetuo officio beneficiisque

privatum. Latas, *etc. ut supra* nº 316. Dat. Viterbii viij kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Ex apographo originalis (olim in conventu S. Mariae ad Gradus Viterb. existentis) in Arch. Ord. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 349, nº 180. Bononiae, ubi etiam originale servari debebat, illud reperire non potuimus.

1. Magistro Jacobo de Buoncambio, Ord. Praed., qui sub Innocentio IV aliquo tempore fuit vicecancellarius S. R. E. et ab 31 Maii 1244 episcopus Bononiensis. Hieronymus Borselli dicit eum fuisse in curia, quando Guillelmi de S. Amore liber condemnatus fuit. *Chron.* in Bibl. Univ. Bonon., ms. 1999, fol. 53ᵇ.

---

319. *Alexander IV, petentibus fratribus Praed., Reginaldo episcopo Parisiensi concedit facultatem absolvendi magistros et scholares Paris. mandatis apostolicis obedientes.*

1257, Septembris 27, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii prior et fratres Predicatores Parisienses nobis humiliter supplicarunt, ut cum nonnulli magistri et scolares Parisienses pretextu discordie usque nunc Parisius habite et occasione detentionis cujusdam libelli olim dampnati a nobis, cujus principium erat: *Ecce videntes clamabunt foris,* dicantur excommunicationis sententiam incurrisse providere super hoc salubriter curaremus. Nos itaque sic volentes ipsorum in hac parte saluti consulere, ut equitati nostre sententie super hoc late nullatenus derogetur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnibus magistris et scolaribus, qui occasione dicte discordie ac prefati libelli interdicti, suspensionis, aut excommunicationis sententias nostra vel quavis auctoritate prolatas hactenus incurrerunt, postquam tibi plene constiterit, quod ipsi ordinationem nostram, quam pro conservatione studii Parisiensis de consilio fratrum nostrorum edidimus, et que continentur in ipsa, sententiam quoque ac statuta in ea per nos expressa diligenter et efficaciter ac sine aliqua fictione observent et caverint, quod decetero eadem observabuntur, ac dictum libellum prorsus in toto et in qualibet sui parte combusserint ac omnino curaverint abolere, auctoritate nostra juxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas, et dispenses cum eis super irregularitatibus, si quas forsitan occasione hujusmodi contraxerint. Dat. Viterbii v kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Magnum chart. eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 187. — Bulaeus, III, 344.

---

320. *Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. instrumentum transmittit, in quo juramentum Odonis de Duaco et Christiani Belvacensis continetur, eique injungit ut instrumentum publicet.*

1257, Octobris 2, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum olim apud sedem apostolicam constituti

magistri Octo de Duaco, doctor theologice facultatis, et Christianus, canonicus Belvacensis, coram dilectis filiis nostris fratribus H. tituli Sancte Sabine presbytero et Johanne Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinalibus juraverint, stare precise mandatis nostris, iidem cardinales prefatis magistris ex parte nostra quedam fecerunt mandata in virtute prestiti juramenti, prout in instrumento publico inde confecto, cujus tenor presentibus infra subnectitur, plenius continetur. Volentes igitur in publicam venire notitiam, quod in hac parte dictis magistris ab eisdem cardinalibus de speciali mandato salubriter est injunctum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus precepta hujusmodi sine more dispendio publices per te vel per alium Parisius et alibi, sicut videris expedire. Si vero dicti magistri precepta ipsa infra spatium unius mensis a tempore publicationis hujusmodi adimplere non curaverint Parisius efficaciter et simpliciter ac sine aliqua fictione[1], tu eos ibidem publice denuncies esse perjuros. Restitutionem quoque dicti magistri Octonis ad officia, beneficia et alia, quibus auctoritate quarumdam litterarum nostrarum, quarum principium est : *Cunctis processibus*[2], privatus fuerat, auctoritate nostra revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Instrumenti vero predicti tenor talis est : In nomine Christi Amen. Anno Domini M°CC°LVI, *etc. sicut supra* n° 293. Dat. Viterbii vj non. Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, n° 156. Deest bulla; restant fila cannab. In membranae rectae parte inferiore : « R. Plac. ». In membrana aversa : « Predicatorum ». *Vidimus* officialis curiae Vesontinae Decemb. an. 1257, in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Dominicains, liasse 930 (H. n° 53). Ibid. *Cartul.* des Dominicains, II. 221, fol. 73. Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., fol. 256. Bulaeus, III, 344.

1. Christianum Belvacensem jam antea mandatum Parisiis adimplevisse vidimus supra n° 317. — 2. Supra n° 280.

---

321. *Alexander IV archiepiscopis et episcopis et abbatibus, etc., ut sententiam in Guillelmum de S. Amore latam promulgent et servandam curent.*

1257, Octobris 13, Viterbii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, archipresbyteris, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter multiplices culpas, *etc. sicut supra* n° 315, *usque ad verba :* audeat predicare. *Deinde :* Ideoque universitati vestre in virtute obedientie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus singuli vestrum ad requisitionem dilectorum filiorum fratrum Predicatorum in vestris civitatibus, diocesibus seu locis aliis commorantium, per vos vel per alios in ecclesiis vestris presentes litteras sollempniter publicare curetis, universis Christi fidelibus vestris subditis auctoritate nostra sub excommunicationis pena districtius inhibentes, ne dictum Guillermum audiant, si forte convocationes, conventicula, parlamenta, collationes facere, aut predicare vel

cathedram ascendere presumpserit magistralem. Et si vobis constiterit, quod nominatus Guillermus contra tale preceptum nostrum in aliquo venire presumpserit, denuntietis ipsum publice excommunicatum, perjurum, ac perpetuo officio beneficiisque privatum. Notificamus etiam vobis, quod non pro eo, quod idem Guillermus universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium defendit, aut quod pro ea forsitan in Francia vel apud sedem apostolicam laboravit, *etc. ut supra* nº 316. Dat. Viterbii iij id. Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 251, nº 157. Dilaceratum. Infra : « R. Plac. ». In membrana aversa : « Predicatorum ». — Cod. privil. Ord. Min. continens et ad Ord. Servor. Mariae pertinens (saec. XIV). Inserta est epistola chartae officialis curiae Paris. Refertur tamen ibi ad « id. Octob. ». Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 353, nº 186.

---

322. *Statuta circa scholasticum Noviomensem, qui etiam singulis annis scholis Noviomensibus de rectore sufficienti, qui Parisiis in artibus rexerit, providere debet.*

Circa an. 1257, [Noviomi].

Prout a predecessoribus nostris canonicis est auditum et prout a scolasticis nostri temporis uti visum est pro pluribus, in hac pagina scripta sunt commendata et sigillatim notata omnia, que scolasticus Noviomensis quicunque pro tempore canonice substitutus ex antiqua consuetudine debet et solet facere ratione scolasterie tam in ecclesia quam extra. Debet siquidem esse diaconus vel presbyter infra annum, quo fuerit promotus. Debet in ecclesia continuam residentiam, sicut succentor illius, debet eciam per se vel per alium quociens opus est facere breve de legendo, sicut succentor de cantando. Debet in ecclesia per se vel per alium adimplere omnes defectus in legendo tam de die quam de nocte, sicut succentor in cantando. Debet per se vel alium ascultare omnes, qui debent legere, sicut succentor illos, qui debent cantare. Debet eciam omnes libros ecclesie servare, emendare, reparare, si opus est, sed ad sumptus ecclesie, sicut succentor libros cantus. Debet preterea omnes litteras in capitulo legendas legere et omnes litteras facere sub sigillo capituli faciendas tam cartas quam alias; sed scripture ecclesia solvit sumptus. Debet etiam dictus scolasticus extra ecclesiam singulis annis scolis Noviom. de rectore sufficienti, qui Parisius rexerit in artibus, ad annum futurum providere et provisum in die cene Domini capitulo post sermonem presentare, quem sermonem dictus scolasticus debet per se vel per alium facere. Preterea debet omnes et solos scolares Noviomensium scolarum adversus omnes justificare, et si eis injurietur, debet prout potest querere, ut eis emendetur ad sumptus eorum, quos causa tangit. Insuper dictus scolasticus non debet sustinere, quod aliquis de aliqua facultate legat vel quod scolas teneat in tota civitate vel in aliqua villa infra comitatum Noviomensem, nisi de ejus licentia speciali. Ita solet esse de scolis cantus in Quadragesima vel in alio anni tempore, quando scolares Noviomenses ad scolas cantus voluerint se transferre. Debet eciam dictus scolasticus ratione dicte

scolasterie habere proprium stallum in choro Noviomensi a dextris superius juxta archidiaconum, quod a tempore, cujus non est memoria, scolastici nostri temporis possederunt, licet antiquitus in eadem ecclesia scolasticus stallum habuerit ad pilarium dextrum, et succentor ad sinistrum.

Arch. départ. de l'Oise (Beauvais), *Cartul. du chapitre de Noyon*, G. 1984, fol. 358b. Sequuntur fol. 359-360 sex documenta, quae respiciunt ad idem officium scholastici. — Documentum chartae supra publicatae praecedit an. Dom. MCCLVII mensem Octobrem.

---

323. *Reginaldus episcopus Paris. concedit pauperibus scholaribus, qui Boni pueri nuncupantur, ut in domo eorum nova Parisiis oratorium possint construere.*

1257, [Parisiis].

Reginaldus miseratione divina Parisiensis ecclesie minister indignus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod nos ad preces et instantiam bonorum de auctoritate ordinaria concessimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis pauperibus scolaribus, qui Boni pueri vulgariter nuncupantur, ut in domo sua, quam de novo edificare Parisius inceperunt, possint construere oratorium[1] salvo jure presbyteri parrochialis Sancti Nicolai de Cardineto, infra cujus metas parrochie sita est dicta domus, ita quod omnes oblationes, quas ibi decetero fieri contigerit, per eosdem sive per alios, vel in pecunia vel in cera, sive alia specie, integre restituantur presbytero Sancti Nicolai supradicti; nec habebunt cimeterium vel aquam benedictam, nec anniversarium, nec annuale, nec panem benedictum, nec alicui ecclesiastica sacramenta, sive sit de domo sive de extra, exhibebunt sine licentia presbyteri Sancti Nicolai speciali; nec aliquam ad purificationem sive ad alia ecclesiastica sacramenta admittent, nec campanam habebunt, que possit extra audiri aperte, nec procurabunt verbo vel facto in fraudem presbyteri antedicti vel causa utilitatis ipsorum vel domus sue, quin in dicto oratorio fiant oblationes ad opus dicti presbyteri, vel facient ab aliis procurari. Et de omnibus premissis tenendis, firmiter custodiendis et similiter dicto presbytero restituendis custos vel procurator vel magister unus vel plures, si ibi fuerint, vel presbyter vel capellanus dicte domus, qui pro tempore fuerint, infra triduum, postquam ibidem fuerint instituti, presbytero Sancti Nicolai prestabunt corporaliter juramentum. In cujus rei testimonium et memoriam sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini Millesimo CC°L^mo septimo.

Magnum Chart. eccles. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 330. — Bulaeus, III, 217.

1. Pro domo, quam prius habitabant, vigebat jam facultas. Cf. supra n° 184.

---

324. *Alexander IV mandat Haimerico cancellario Parisiensi ut decem clericis pauperibus transmarinis Parisiis studentibus provideat.*

1258, Aprilis 22, Viterbii.

.. Cancellario Parisiensi. Felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster et nos etiam tibi litteras apostolicas sub certa forma pro dilectis filiis decem pauperibus clericis transmarinis dicimur pluries direxisse[1], ut eis Parisius insistentibus scolasticis disciplinis ac totidem aliis illarum partium, cum essent Parisius, ab aliquibus monasteriis vel ecclesiis regni Francie unicuique ipsorum videlicet in decem libris parisiens. annis singulis provideri et provisionem hujusmodi eis apud Parisius faceres assignari. Quia vero nonnulli Premonstratensis et Cluniacensis Ordinum ac majoris monasterii Turonensis abbates et conventus et membrorum ipsorum persone dicentes, sibi esse ab apostolica sede indultum, quod ad provisionem alicujus compelli non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam de dictis Ordinibus et monasteriis ipsorum ac de indultis hujusmodi de verbo ad verbum non fecerint mentionem, super exhibenda eis provisione hujusmodi ipsis imposita se propter hoc reddunt inflexibiles et molestos, pro parte dictorum clericorum ad nostram providentiam habitus est recursus. Cum itaque pietas apostolica intenta potissime consolationi pauperum, quod de predictis incepit clericis relinquere non debeat imperfectum, nos devotis eorum precibus inclinati mandamus quatinus non obstantibus predictis vel quibuscumque aliis indulgentiis cujuscumque tenoris existant, ad provisionem ipsorum per te vel alium procedas juxta traditam tibi formam. Dat. Viterbii x kal. Maii, anno quarto.

Reg. Vat. Alexandri IV an. 4, ep. 104, fol. 134. — Jourdain, nº 161.

1. Litteras Innocentii vide supra nº 180, ad Galterum cancell. directas; Alexandri vero litterae non sunt notae.

---

325. *Testamentum magistri Roberti de Duaco, legantis 1500 libras paris. omnesque suos libros ad opus scholarium in theologia studentium futurae domus Sorbonae et aliorum pauperum scholarium; inter testamenti exsecutores Robertus de Sorbona nominatur.*

1258, Maii 18, Parisiis.

A[1]. Dei gratia Silvanectensis episcopus universis presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constitutus dilectus noster magister Robertus de Duaco physicus[2] compos mentis sue testamentum suum condidit et ordinavit in hunc modum :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego magister Robertus de Duaco, physicus, canonicus Silvanectensis, compos mentis mee condo et ordino testamentum meum in modum qui sequitur. Inprimis lego ad opus quorumdam novorum scolarium, quod intendo facere de consilio magistri Roberti de Sorbona, in theologia studentium, qui boni

et ydonei inventi fuerint vel inveniri poterunt, de quacunque natione fuerint, mille quingentas libras parisiens. pro emendis redditibus eisdem scolaribus per manus executorum meorum inferius contentorum distribuendas, ubicumque studium se transferat[3]. Item eisdem scolaribus lego omnes libros meos de theologia, tam biblias, tam originalia, quam alios libros glosatos et assignabuntur eis coram magistris theologie, qui tunc legent. Et si contingat aliquem de scolaribus recedere, promittent bona fide, quod aliquem alium bonum loco illius substituent. Item lego ecclesie beati Mathurini Parisien. viginti libratas terre, quas mihi dedit dominus Matheus de Montemirabili, sitas in pedagio Feritatis Anculphi, et medietatem illius terre, quam ego emi in territorio de Challiaco, videlicet viginti septem arpenta terre arabilis, et tria arpenta et dimidium vinearum, et duo sextaria hordei ad moleudinum, et duo arpenta pratorum, et medietatem minuti census, quem ibidem habeo et hospitium. Aliam vero medietatem lego fratribus de Valle Scolarium ibidem commorantium, si fideliter ad hoc laborare voluerint, quod in manu mortua teneatur, quod bene poterunt. Item lego monialibus Beate Marie de Papelart vinee viginti libratas terre, quas mihi dedit comitissa de Bolonia in territorio de Roulers assignandas, et cum hoc duo miliaria halecium, que ego teneor accipere apud Boloniam, et volo quod ille viginti librate convertantur in vinum tempore vindemiarum ad opus monialium predictarum. Item lego ecclesie de Monte beati Martini Cameracensis diocesis decem modios avene ad mensuram Duacensem, et viginti modios bladi, quos mihi dedit domina comitissa modo in feudum, sed post mortem suam ad denarios censuales. Item lego ecclesie beati Quintini in Viromandia centum libras parisiens. pro anniversario meo singulis annis faciendo, et ecclesie beate Marie Silvanectensis sexaginta libras pro emendo reddita ad anniversarium meum singulis annis faciendum. Item assigno novem libras, quas ego habeo apud Duacum, que fuerunt de patre et matre mea pro majori parte ad constituendam capellaniam in ecclesia beati Petri Duacensis. Et volo quod emantur sexaginta solidi de meo annui redditus, ita quod capellania valeat duodecim libras cum distributionibus Beati Petri, que ad collationem canonicorum Beati Petri pertinebit. Veruntamen quia pauperem habeo fratrem, eam teneat quamdiu vixerit. Et si contingat aliquem invenire, de quo pater meus vel mater mea aliquid habuerint injuste et possit probari, volo quod de meo restituatur. Que autem manifesta sunt, oportet quod cito reddantur, sicut comitisse de Challiaco triginta sex libre, Manfredo centum solidi, Jacobo centum solidi, et si amplius petierint, usque ad septem libras, detur ei; Heluidi vero sexaginta solidi parisiens., et tantumdem domine Hodienne. Item lego ad injurias, si aliquibus feci, trecentas libras parisiens.; quod si quid remanserit per manus executorum meorum inferius contentorum, pauperibus minutis denariatim distribuatur. Item lego ecclesie beate Genovefe Parisiensis centum libras parisiens. ad emendos redditus pro anniversario meo singulis annis faciendo, qui erunt ad pictanciam fratrum. Item hospitali apud Duacum decem libras. Item hospitali Sancti Quintini decem libras. Item Domui Dei

Parisiensi viginti libras cum meliori culcitra et melioribus linteaminibus et meliori coopertorio quod habeo. Item lego ecclesie de Longumello, si a presbytero impetrari possit separatio de Longumello et Balenvillier, pro fundamento cujusdam ecclesie nove decem libratas terre. Si etiam a dominis terre impetrari possit, lego pauperibus de Loenceio quadraginta arpenta terre arabilis et decem arpenta vinearum de melioribus que habeam; si vero noluerint, omnia vendantur hec et alia, et pauperibus distribuantur. Item lego ecclesie beate Marie de Viromandia quadraginta libras pro anniversario faciendo. Item ecclesie beati Petri Duacensis viginti libras ad emendos redditus pro anniversario meo faciendo. Item viginti libras ecclesie beati Amati Duacensis similiter pro anniversario meo faciendo. Item omnia quecumque habeo in cupis et scyphis argenteis, et in uno scypho aureo et aliis, omnia vendantur per manus executorum meorum inferius contentorum, ita tamen, quod aliquis ipsorum vel aliquis attingens aliquem ipsorum de predictis nihil possit habere. Item lego Marie de Cauda, Loancio commoranti, decem arpenta terre et duo arpenta vinearum, et duo arpenta pratorum. Quod si ipsam decedere contigerit, eadem redibunt in manus executorum meorum, et ea vendent, et in usum pauperum Parisiensis, Silvanectensis, Atrebatensis dioces. reservabunt. Item lego monialibus Sancti Antonii Parisiensis [4] viginti libras parisiens. Item pauperibus hospitalibus diocesis Parisiensis, ubi celebratur, cuilibet decem solidos, ubi vero non celebratur, quinque solidos. Item leprosiis ejusdem diocesis quinque libras parisiens. Item fratribus Predicatoribus viginti libras. Item fratribus Minoribus viginti libras. Item fratribus de penitentia Jesu Christi decem libras. Item fratribus de Monte-Carmeli centum solidos. Item fratribus Cartusiensibus centum solidos [5]. Item pauperibus scolaribus in theologia studentibus quadraginta libras. Item trecentas libras per manus executorum meorum pauperibus denariatim distribuendas. Item in episcopatu sive in diocesi Silvanectensi hospitalibus et leprosiis centum libras, prout domino episcopo videbitur expedire. Item in episcopatu Atrebatensi ducentas libras per manus executorum distribuendas. Verumtamen volo et precipio quod omnia debita mea, que probari poterunt, ante hec omnia integre persolvantur. Ad hec autem omnia exequenda constituo executores meos magistrum Robertum de Sorbona, fratrem Symonem de Sancto Martino, celerarium Sancte Genovefe Parisiensis, dominum Joannem presbyterum de Benis [6], capellanum meum, volens et precipiens, quod repetant et recipiant omnia debita mea, quibus receptis omnia supradicta fideliter exequantur. Volens insuper, quod si mobilia mea et debita exequenda non sufficiant, immobilia mea vendantur per manus executorum meorum superius nominatorum et de pretio venditorum, si necesse fuerit, testamentum meum plenarie compleatur. Item de toto residuo mobilium meorum et immobilium, si que inventa fuerint preter ea, que in presenti testamento continentur, distribuatur familie mee et pauperi parentele et pro forefactis meis et alibi, ubi magis viderint executores mei saluti anime mee expedire. Rogo autem dominam meam M[7]. illustrem Francorum reginam, quatinus dignetur pro

salute anime mee ad ista omnia exequenda, confirmanda, consummanda prefatis executoribus meis prebere consilium et juvamen. In cujus rei testimonium ad petitionem magistri Roberti presenti testamento sigillum nostrum duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini M°CC°LVIII, sabbato post Pentecosten.

Bibl. nat. Paris., mss. lat. 5493, fol. 231ᵇ (inter alia continens scriptum Hemeraei *Sorbonae origines, disciplina, viri illustres*), et 9943, fol. 413ᵇ (Richerii, *Historia Parisiensis Academiae*, tom. I). Bibl. Arsen. ms. 1228, fol. 190, ex orig. Testamenta hujus generis non raro occurrunt in actis. Sic v. g. an. 1262, Jun. 23, mag. Johannes de Goudricuria canon. S. Johannis in Leodio (Originale in Arch. nat. Paris. M. 75, n° 128), specialiter tamen magister Nicolaus Wrigni, canonicus Constantiensis, scholaribus Roberti de Sorbona libros legant (ibid. n° 129). Gervasius dictus Niffus civis Parisiensis anno 1260 mense Aprili fecit testamentum et legavit bona inter alios fratribus Vallis Scholarium, frat. de Monte-Carmeli, Pauperibus scholaribus S. Nicolai de Lupara Paris., Pauperibus scholaribus S. Honorati Paris., frat. Praedicatoribus et Minoribus, *etc.*, et constituit Robertum de Sorbona executorem. Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 149. Quamplura occurrunt testamenta et legata (cf. et infra ad n^{um} 408), praecipue librorum, pro Collegio de Sorbona. Vide de istis Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 142 sqq. 165.

1. Adam, qui jam 20 Aug. hujus anni obiit. — 2. Vide supra ad n^{um} 241. — 3. Robertum de Duaco hic loqui de futuris scholaribus domus Sorbonae liquet ex *Necrol. Sorb.* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16574, fol. 33, ubi notatur ad xiij kal. Junii: « Obiit mag. Robertus de Duaco clericus; dedit ad fundandam domum mille et quingentas libras, pro pictancia x sol. ». Ex verbis supra relatis : « ad opus..., quod *intendo facere* de consilio magistri Roberti de Sorbona », apparet Robertum de Duaco praeprimis non immerito executorem propositi Roberti de Sorbona posse nominari. — 4. Ord. Cisterc. — 5. Nec fratres de Monte-Carmeli, nec Cartusiani hoc anno habitationem Parisiis proprie possidebant. — 6. Qui infra adhuc nominatur. Robertus de Sorbona et Johannes de Benis 11 Decemb. 1262 officio executorum testamenti Roberti de Duaco fungebantur (*Cartul. de la Sorbonne*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16574, fol. 126ᵇ), qui utique antea obiit, immo ante an. 1260, April. 26, si Robertus de Duaco idem est, quod vix admitti potest, atque ille in documento infra n° 362 allato, in quo duo alii executores testamenti nominantur. — 7. Margaritam, regis Ludovici uxorem, cujus medicus Robertus fuerat, teste Riolan, *Curieuses recherches, etc.*, p. 92.

---

326. *Capitulum gener. Ord. Praed. sub Humberto Tolosae celebratum studiis generalibus Ord. concedit privilegia scholarium Paris.*

1258, medio Maio, Tolosae.

Fratribus studentibus in iiij^{or} studiis solempnibus iiij^{or} provinciarum concedimus, ut ea libertate utantur, qua et studentes qui sunt ad studium Parisius deputati ... Item quod vacationes non fiant, ubi est studium solempne, ante festum S. Johannis Baptiste.

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. ad Ord. pertinentes. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1719, n°s 9, 29. — Hoc anno Praedicatores Parisiis pace fruebantur, ut ex epistola Humberti in Capitulo generali edita liquet : « Agamus magnificas gratias de magnis periculis liberati ». Martène, l. c., p. 1720.

---

327. *Ordinatio deputatorum priorum a Capitulo provinciali provinciae Provinciae Ord. Praed. de provisione studentium, de scriptis et libris eorum.*

1258, Tolosae.

Priores Tholosanus, Massiliensis, Agenensis positi a venerabilibus patribus priore provinciali et diffinitoribus capituli provincialis Tholose celebrati ad ordinandum de provisione studentium in scriptis, et de ipsorum scriptorum ordinatione, ordinaverunt hoc modo de predictis : Primo, ut quilibet conventus teneatur providere suo studenti in *Biblia*, *Sententiis* et xv libris turon., in *Questionibus* et *Postillis*[1], vel in x libris pro Questionibus, et conventus provideat in Postillis ad legendum tempore lectionis, ita quod

cum studens inceperit audire theologiam, conventus cui assignatus fuit teneatur sibi providere de prima Biblia vacante vel alia competenti loco illius; si autem non contingat aliquam Bibliam vacantem esse in ipso conventu, nichilominus teneatur conventus infra triennium, postquam ceperit theologiam audire, de Biblia providere, de sententiis vero infra unum annum ex quo accesserit ad studium theologie pro conventu. Item predictam provisionem pecunie teneatur solvere conventus infra iiij annos, ita quod quolibet anno solvat quartam partem pecunie, quam pecuniam ponant in tribus predictis de consilio magistri studentium Parisiensium, qui ibi ad studium fuerint assignati; qui autem alibi fuerint assignati, faciant hoc de consilio lectoris et magistri studencium ejusdem loci. Ordinaverunt etiam de scriptis faciendis hoc modo, ut omnes libri et scripta quecunque fratres habeant a conventibus suis quibuscunque, post mortem lectorum redeant ad ipsos conventus, a quibus habuerunt. Item ordinaverunt ut libri vel scripta, quos vel que frater habuerit vel acquisierit, redeant post obitum ad illum conventum, a quo ipsi habuerunt pecuniam vel de cujus predicatione, nisi fuerint sibi collata a consanguineis vel afinibus infra quintum gradum. Que autem a consanguineis fuerint data a gradu quinto vel supra vel manu propria scripta, illius conventus sint, ubi finiet vitam. Fratres vero scribant in fine librorum vel principiis, de qua predicatione fuerint acquisita, et si contingat aliquem fratrem, cui Biblia vel Sententie data fuerint in conventu aliquo, alicui vel alio conventui assignari pro studente, conventus ille teneatur Bibliam restituere conventui, cujus fuerit, infra biennium, et aliunde studenti providere, vel pro Biblia priori satisfacere et conventui cujus erat. Presentem autem ordinationem volumus observari in hiis, que deinceps contingent, ita ut posita removeantur secundum cursum consuetudinis precedentis.

Cod. Tolos. 490, fol. 292^{b}, adhibitisque Codd. Avenion. 229, fol. 87^{b}, Tolos. 488, Burdegal., 780.

1. Ad haec vide supra n° 57, ubi exstat ordinatio de libris aliquantum differens.

---

328. *Facultas artium statuit ut deinceps a determinatoribus et baccalareis incepturis non capiantur vadia, sed pecunia numerata, nec ipsi nec rector pecuniam illam publicam alienent.*

1259, mense Januario, [Parisiis].

Nos magistri artium de communi consensu magistrorum nostre facultatis nullo ex nobis contradicente anxiantes super status nostri lapsi reparatione ac ejusdem immutacione quoad quosdam articulos immutandos, considerantes nostram facultatem propter defectum pecunie frequenter subjacere periculis, quoniam penuriam frequenter passi sumus propter inordinatam ac minus expeditam procuratorum nostrorum ac examinatorum determinatorum refusionem, necnon propter superfluam pecunie reposite expansionem ac distributionem factam tam bedellis nostris, quam aliis supervenientibus: statuimus ut tam procuratores nostri, quam examinatores determinatorum, cum ad dicta officia

eliguntur, specialiter jurent coram tota facultate, quod nullum vadium pro bursis bachellariorum volentium incipere seu determinare recipient, sed bursas in quibus tenentur ab eis recipient in pecunia numerata procuratores bachellariorum, antequam eos ad ducendum per scolas admittant, [ac] examinatores determinatorum, priusquam eis licentiam conferant, nisi quis eorum pro bachellario seu determinatore ad primam citationem rectoris veniet[1]. Ne per aliquod predictorum valeat refusio impediri vel differri, jurabunt etiam, quod ad primam citationem rectoris hora determinata ad locum refundendi convenient parati ad refusionem faciendam, nisi legitima causa eo tempore fuerint alias occupati; et quod nulli et quod nullis bedellis nisi propriis nostris pecuniam dabunt, nec aliis quibuslibet ad locum refusionis confluentibus pecuniam dabunt, ex tunc per familiam, quam habent, vel per aliquem alium ad refusionem non destinabunt; sed etiam fideliter reservabunt ante depositionem et post pro suis viribus. Quo juramento rector, cum ad officium assumetur, pariter astringetur, videlicet quod pecuniam communem non alienabit nec alienari permittet, nisi illa alienatio pecunie cedat ad solutionem debitorum communitatis seu ad expeditionem negotiorum communitatis ejusdem. Quod si aliquis predictorum contra suum juramentum infringere predictorum aliquid presumeret, officio quolibet in nostra communione perpetuo sit privatus, et eo ipso se esse privatum ab omni officio cognoscat. Datum anno Domini M°CC°L octavo, mense Januario.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 70b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 67b. — Bibl. Carnot., ms. 602 (cod. Harcur.), fol. 115, ubi rubrica : « Statutum facultatis quod a determinatoribus et bacalariis incepturis non capiantur vadia sed pecunia numerata et que refundenda est rectori ad ejus primam recitacionem refundatur insuper quod rector pecuniam communem non alienet nisi ad expeditionem negociorum communium sub debito juramenti. » Arch. Univ. cod. 94, p. 60 et 61. Bulaeus, III, 347.

1. Repetitur in omnibus codd. : « in pecunia numerata ».

---

329. *Ludovicus IX, Francorum rex, concedit in perpetuum Roberto de Sorbona in excambium quarumdam domorum omnes domos, quas habebat Parisiis in vico de Coupe-Gueule ante palatium Thermarum.*

1259, mense Februario, Parisiis.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod cum dilectus clericus noster magister Robertus de Sorbona quasdam domos quas emerat a Guillermo dicto Mantel et Gileberto de Braya sitas Parisius in vico de Britonaria in parrochia Sancti Johannis de Gravia ad petitionem nostram contulerit fratribus de Sancta Cruce ab eisdem fratribus jure hereditario inperpetuum possidendas, nos, in excambium et recompensationem earum eidem magistro Roberto et eis qui causam habebunt ab eo concedimus in perpetuum jure hereditario possidendas omnes domos quas habebamus Parisius in vico de Coupe Gueule[1] ante palatium Termarum, secundum quod protenduntur a domo Guillermi Panetarii et Johannis de Hermanvilla usque ad finem

ejusdem vici, et etiam quasdam domos sitas juxta domum magistri Petri de Chambleyo in fine alterius vici eidem oppositi. Concedimus etiam quantum in nobis est quod possit claudere duos vicos domos includentes predictas[2] sine prejudicio alieno, et quod teneat in manu mortua domos que sunt in censiva burgensium Parisius existentes inter domos predictas, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras dicto magistro Roberto dedimus sigilli nostri impressione munitas. Actum Parisius, anno Domini M°CC° quinquagesimo octavo, mense Februario[3].

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 73. Deest nunc sigillum. — *Cart. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris., ms. 16069, fol. 1. Bulaeus, III, 224. Anno 1261 mense Decembri prior et conventus fratrum S. Crucis Paris. notum fecerunt, Robertum eis in compensationem domorum quas ex donatione regis in vico de Coupe-Gueule habebant, quinquaginta libras parisiens. persolvisse. Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 76. Deest sigillum.

1. Vide supra n° 302. — 2. Ex hoc nomen *rue des Deux-Portes* (cf. Jaillot, *Recherches, etc.: Quartier Saint-André*, V, 141), et *pauperes magistri de vico ad portas*. — 3. Ad documentum cf. infra n° 347.

---

330. *Alexandri IV litterae pro Dulci et Notio de Burgo, mercatoribus Florentinis, contra rectorem Universitatis atque ipsam Universitatem Parisiensem.*

1259, Martii 5 et 14, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Dulci et Notio de Burgo, civibus et mercatoribus Florentinis, ac sociis eorumdem, salutem et apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod orta dudum inter vos ex parte una, et rectorem Universitatis ac ipsam universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium ex altera super quadam summa pecunie materia questionis, nos dilectum filium nostrum, O.[1], Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, dedimus in causa hujusmodi partibus auditorem, qui, procuratoribus earumdem partium in ipsius presentia constitutis, lite coram eo super hoc legitime contestata, et cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato, diffinitivam pro vobis[2] sententiam promulgavit, prout in litteris inde confectis et ipsius cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati sententiam ipsam provide latam, nec legitima provocatione suspensam, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est:

In nomine Domini, amen. Orta inter Dulcem et Notium de Burgo, cives et mercatores Florentinos, nomine suo et sociorum suorum ex parte una, et rectorem Universitatis et ipsam universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium ex altera, super quadam summa pecunie materia questionis, dominus Alexander papa quartus nos Octavianum, miseratione divina Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, concessit in causa hujusmodi predictis partibus auditorem. Procurationibus igitur partium in nostra presentia consti-

tutis, magister Gerardus procurator dictorum Dulcis et Notii pro ipsis et nomine aliorum, magistro Johanni dicto Blontin procuratori predictorum rectoris universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium in judicio libellum obtulit in hac forma :

Coram vobis, venerando patre domino Octaviano[3], Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, partibus concesso auditore, dicit et proponit magister Gerardus, procurator Dulcis et Notii de Burgo, civium et mercatorum Florentinorum, sociorum Octavante et aliorum heredum quondam Johannis Gualfredi, Castre Gualfredi, Johannis Bonaviti, dictorum nomine et aliorum sociorum eorumdem, omnium mercatorum Florentinorum, contra rectorem universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, et contra ipsam Universitatem, et contra magistrum Johannem dictum Blontin, eorum procuratorem, pro eis, quod olim magister Willermus, archidiaconus Belvacensis[4], magister Willermus, cancellarius Rothomagensis[5], magister Riccardus, archidiaconus Ebroicensis[6], et magister Petrus de Columpna[7], nuntii et procuratores magistrorum et scolarium Parisiensium apud sedem apostolicam pro ipsorum expediendis negotiis constituti, confessi fuerunt nomine Universitatis premisse, mutuo se recepisse et habuisse a Johanne Gualfredi[8] et Uguccione[9] Aliocti, mercatoribus Florentinis, suo et sociorum suorum nomine tantam pecunie quantitatem, quod de centum viginti marcis bonorum, novorum, et legalium sterlingorum, scilicet tredecim solidis et quatuor sterlingis pro marcha qualibet computatis, bene se quietos et pacatos vocaverunt, exceptioni non numerate pecunie renuntiantes. Cum itaque de pretaxatis marcis predicto modo et numero computatis eisdem Johanni et Uguccioni et de dampnis et expensis et interesse certis loco et termino contentis in instrumento publico super mutuo ipso confecto in totum satisfactum non esset, Universitas ipsa cum Bernardino Paganelli, mercatore Florentino, socio dictorum mercatorum, pro se et sociis Johannis Gualfredi et quibusdam aliis mercatoribus Florentinis, super residuo dicte summe seu debito et penis, compositionem fecit, et pacem pro centum libris parisiens., quam summam certis loco et termino sepe dicto mercatori vel Johanni Gualfredi, vel certo ejus nuntio se reddere promiserunt; quod si non facerent, promiserunt pro singulis decem marcis unam marcham de singulis nundinis in nundinas mercatori eidem se soluturos, et resarcire, si qua dampna incurrerent dicti mercatores occasione dicte pecunie, dicto loco et termino non solute, prout in litteris compositionis ejusdem Universitatis sigillo sigillatis plenius continetur. Unde cum de premissis dictis mercatoribus seu eorum sociis non fuerit nec sit satisfactum, triginta annis et amplius jam elapsis[10], quamquam ipsi mercatores olim ad diversos judices et demum ad Johannem Florentinum, canonicum Meldensem, super hiis litteras apostolicas impetrarunt; idemque Johannes Florentinus, dictarum litterarum apostolicarum auctoritate, eisdem Universitati mandaverit, ut certa die, vel de dictis centum libris parisiens. juxta formam dicte compositionis habite inter eos, et de decem et octo viginti libris parisiens. pro recompensatione dampnorum et expensarum et interesse solvere procurarent, alioquin comparerent coram domino papa responsuri super

dicto debito mercatoribus supra dictis; nec eisdem mercatoribus de premissis satisfactum existat, supradictis terminis jam elapsis: petunt dicti mercatores dictam Universitatem et rectorem ipsius Universitatis et ipsos magistros et scolares dicte Universitatis ac eorum sindicum, procuratorem seu actorem, ad dictam summam centum librarum parisiens., et ad dampna, expensas et interesse que et quas estimant quadringentas libras parisiens., et ad premissarum summarum restitutionem et satisfactionem faciendam mercatoribus memoratis per vos condempnari sententialiter et compelli; expensas factas protestantur faciendas, salvo jure, *etc.*

Lite itaque super predicto libello legitime contestata, ac de calumpnia prestito juramento, factisque positionibus et responsionibus subsecutis, prefixoque partibus termino peremptorio ad exhibendum jura, munimenta, rationes et allegationes hinc inde de ipsarum partium voluntate; omnibus etiam legitime ac rite peractis que judiciorum series requirebat; auditis hinc inde propositis, visisque instrumentis pro parte predictorum mercatorum productis, et confessionibus partis alterius in judicio factis, considerataque efficacia probatorum, et super hiis habito consilio cum peritis, ac nobiscum deliberatione plenaria, et obtenta a domino papa de ferenda sententia licentia speciali, Christi nomine invocato, predictum magistrum Johannem Blontin, procuratorem rectoris et universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium predictorum, ac ipsos rectorem, Universitatem, magistros et scolares Parisienses, per ipsum procuratorem in centum libris parisiens. sortis, et septuaginta duobus libris ejusdem monete pro dampnis, expensis et interesse, que dicti mercatores substinuerunt et incurrerunt occasione dicte pecunie non solute, sicut per confessionem ipsius magistri Johannis in judicio factam nobis constitit evidenter, et ad ipsarum summarum restitutionem faciendam hinc ad festum Omnium Sanctorum proxime venturum mercatoribus memoratis, sententialiter condempnamus, decernentes prefatos rectorem, Universitatem, magistros et scolares Parisienses esse ad satisfaciendum predictis mercatoribus compellendos[11]. Ab aliis vero in libello petitis ipsum procuratorem rectoris universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, et ipsos rectorem, Universitatem, magistros et scolares Parisienses, per ipsum sententialiter absolvimus, cum de ipsis non constiterit coram nobis. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum per Bartholomeum de Berton, suscriptum notarium, fieri fecimus, et nostri sigilli munimine roborari. Lata fuit hec sententia Anagnie, in hospitio dicti domini cardinalis, anno Domini millesimo CC° quinquagesimo nono, indictione secunda, pontificatus domini Alexandri pape quarti anno quinto, die quinta mensis martii. Presentibus domino Odone, vicecomite, domini pape capellano; domino Rainerio[12] Uberti de Florentia; Nicolao clerico de Lauduno, et Accursio clerico et familiari predicti domini cardinalis, testibus vocatis et rogatis. Et ego Bartholomeus de Berton, imperiali auctoritate notarius, prescripte sententie prolationi interfui, et eam de mandato et auctoritate predicti domini cardinalis scripsi et publicavi rogatus.

Nulli ergo, *etc.*, nostre confirmationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat Anagnie ij id. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Tempore Caroli Jourdain haec charta « exstabat in theca quadam Biblioth. imperialis », ut ipse asserit ad n^um^ 184. Fuit ms. lat. 9151. Anno 1862 cum aliis chartis transmissa est ad Arch. nat., tunc temporis imperiale, ubi vero hucusque nec a nobis nec ab aliis reperiri potuit. Apud Jourdain perperam refertur ad an. 1260.

1. Octavianum. — 2. Jourdain : « nobis ». — 3. In orig. « venerando .. Octaviano » certe per notas erat scriptum. Jourdain ponit verba in Vocativo. In aliis documentis similibus Reg. Vat. plerumque ut supra. — 4. Vide supra nº 116 praesertim, ubi dicitur, Guillelmum in contractu hujus mutui fuisse praesentem in curia. Isto anno (1237) jam erat mortuus. — 5. Magister W. de Canapevilla (in Reg. Vat. Canapell.) nominatur in Reg. Vat. Honorii III an. 3, ep. 514, ad 3 April. 1221. — 6. Ejus jam annis 2 et 3 Reg. Vat. Honorii III mentio fit (an. 2, ep. 1159; an. 3, ep. 453); an. 7 vero theologiae studio Parisiis vacabat (vide supra nº 46). — 7. Sub Gregorio IX fuit canonicus Carnot. (Reg. Vat. an. 7, epp. 131, 230, ad Maium et Jun. an. 1233; an. 10, ep. 63); sub Innocentio IV vero canon. Paris. (v. Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, nº 292). — 8. Cf. supra nº 116. — 9. Jourdain hic sicut et postea perperam « Ugnitione ». — 10. Universitas ergo ante an. 1229 immo ante an. 1227, ut ex documento supra nº 116 relato apparet, mutuum contraxit cum mercatoribus Florentiae, quod optime concordat cum tempore, quo dicti nuntii et procuratores Universitatis Parisiis morabantur. Notari debet, istos « nomine Universitatis », ut supra dicitur, non « nomine rectoris et Universitatis » mutuum contraxisse, nam in monumentis istius temporis nomen rectoris frustra quaeris. — 11. Istius causae cum consequentiis sub Urbano IV adhuc mentio fit. In lite contra Petrum Russel, magistrum theol. Parisiis, allegaverunt, se tempore, quo ei canonicatus in ecclesia Paris. assignatus fuit (vide infra nº 360), excommunicationibus variis innodatum fuisse, « et specialiter per quosdam executores super sententia per O. Sancte Marie in Via lata diac. card. contra Universitatem Paris. pro Dulci et ejus sociis mercatoribus Florentin. lata super quadam quantitate pecunie auctoritate apost. deputatos ». Quod tamen procurator magistri Petri negabat, « quamquam enim unus de executoribus deputatis ad exequendam sententiam dicti O. cardinalis per suas mandasset litteras archipresbyteris aliisque universis presbyteris parrochialibus Paris., ut moneant dictum magistrum Petrum et quosdam alios de Universitate predicta, ne ex tunc se opponerent vel impedirent quominus solutio fieret mercatoribus prelibatis, ymmo penitus et expresse consentirent, et ut id fieret prestarent operam efficacem, alioquin ipsos et alios sibi in hoc adherentes, quos ex tunc executor se in scriptis excommunicare dicebat, in ecclesiis suis publice denunciare curarent : tamen nec aliquis ex eisdem archipresbyteris vel presbyteris se dictum magistrum P. monuisse vel ipsum monitioni non paruisse rescripsit, nec hoc fuit per alia documenta probatum », *etc. Collectio* Marini de Ebolo in Arch. Vat. arm. 31, nº 72, ep. 3270. — 12. Jourdain : « Ramerio ».

---

331. *Alexander IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, ut vocatis omnibus magistris et scholaribus sententias et litteras omnes apostolicas pro tranquillitate studii Parisios directas publicet, ne studium, quod pacifice agit, iterum perturbetur.*

1259, Aprilis 5, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Intellecto Parisiense studium pacifice agere ac vigere circa scolasticam disciplinam, necnon et Universitatem ipsius directis pro ejusdem conservatione studii mandatis apostolicis debita reverentia humiliter paruisse, gavisi sumus vehementer. Ne igitur hujusmodi studii statum, quem pacificum esse cupimus et tranquillum, per aliquorum in dissensionibus gloriantium insolentiam perturbari contingat, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus vocatis omnibus magistris et scolaribus Parisius studentibus sententias et litteras omnes, quas pro ipsius studii tranquillo statu direximus, et statuta seu ordinationes nostras per te vel alium facias in eorum presentia publicari, denuntiando nichilominus ipsis, quod omnes penas et privationes, que in dictis sententiis, litteris, ordinationibus et statutis continentur, incurrunt, qui studium ipsum perturbare presumunt, se a magistrorum et

scolarium tam religiosorum quam secularium seducentes societate sive alios a suo consortio separantes, cum separare alios a se et subducere vel subtrahere taliter se ab aliis idem penitus reputemus, contra quos etiam nominatim taliter procedetur, quod pena docente discent, quam sit temerarium mandatis apostolicis non parere, cum intelligamus et velimus intelligi hujusmodi separationem quocunque nomine appelletur et quavis arte vel ingenio fiat, contra ordinationem, sententias, statuta et litteras nostras fieri et temere attemptari. Dat. Anagnie non. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 244. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 263. — Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 260.

---

332. *Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem conqueritur de quorumdam contumacia, qui Guillelmi de S. Amore exsulantis partes acrius tenent.*

1259, Aprilis 5, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Indignanter accepimus et tibi referimus cum dolore, quod quidam magistri et scolares Parisius commorantes non unitatis et concordie, sed dissensionis et scandali amatores, Parisiense studium, quod sopitis controversiis erat in tranquillo statu positum, perturbare ac religiosis quibusdam et aliis a suo eos vel se ab ipsorum societatis consortio separando graves inferre molestias moliuntur, eo quod Guillermi de Sancto Amore ipsius turbatoris studii, suis exigentibus culpis, quoniam transeunte lingua ejus super terram posuerat temere os in celum, per nos (citra condignum tamen, quia penam meruerat graviorem) ab illis partibus, ne illas corrumpat ulterius, separati, relevationi seu revocationi renuunt consentire, honestatem in hoc et justitiam amplectentes. Cum igitur intentionis et voluntatis nostre prorsus existat, dictum Guillermum, cujus de multis malis que hactenus commisisse noscitur nulla penitentie signa monstrantur, numquam relevare in aliquo, vel ad sua beneficia seu Parisius revocare, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus convocatis omnibus magistris et scolaribus Parisius studentibus sub excommunicationis pena eis districte precipias, ut nullos religiosos seu quoscumque alios occasione hujusmodi molestare presumant, se ab eorum sive ipsos a suo consortio separando, qui prefati Guillermi relevationi vel revocationi non prestant assensum, cum illum prestare non debeant, nec hominis jurgiosi et in sua obstinati procatia relevationem seu revocationem salva possint conscientia postulare, denunciaturus nichilominus magistris et scolaribus memoratis, quod omnes penas et privationes in ordinatione, sententiis, litteris, vel statutis a nobis dudum emissis contentas incurrunt, qui religiosos et quoscumque alios molestare presumunt, separationem hujusmodi procurantes, cum separare alios a se, et subducere vel subtrahere taliter se ab aliis idem penitus reputemus. Non obstantibus juramentis vel promissionibus

aut obligationibus seu quibuscumque statutis, quibus dicti magistri et scolares se astrinxisse pro relevatione vel revocatione cujuslibet pro causis Universitatis afflicti dicuntur, maxime cum idem G. non pro factis Universitatis ejusdem, sed pro sue malignitatis offensa fuerit sedis apostolice judicio justitia exigente punitus. Dat. Anagnie non. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 243. Supersunt fila cannab. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 261. Bulaeus, III, 348.

---

333. *Statutum facultatis artium, ne quis licentiandos in Sancta Genovefa examinet, nisi sit a facultate ipsa deputatus.*

1259, Maii 5, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis magistri in facultate artium Parisius regentes cognoscere veritatem. Cum cancellarius in examinacione Sancte Genovefe super libertatibus dicte examinacionis nobis injuriari multipliciter non formidet, presertim, cum ipse examinatos per non deputatos a nobis seu non examinatos in nostrum prejudicium non modicum et gravamen licentiare presumat, unde etiam frequenter a deputatis rite examinatos et expeditos pro sue voluntatis arbitrio repellere nullatenus erubescat, ac si nullum jus in dicta examinatione nos habere recognoscat, cum tamen ipse, ut credimus, audire non debeat nec aliquos expedire, nisi auditos et expeditos per deputatos a nobis, quousque de contraria auctoritate suorum privilegiorum nos doceat, quorum copiam nobis sepe requirentibus denegavit exhibere : considerantes in hoc libertates nostras multipliciter impugnari, volentes hiis impugnationibus obviare modis omnibus, quibus rationabiliter possumus, pro bono communi statuimus de communi consensu magistrorum nostre facultatis nullo in eis contradicente, ut nullus bacalarius amodo licentiare ex parte illa per magistros a nobis non deputatos presumat, seu magister aliquis regens vel non regens licentiam alio quam[1] modo predicto procurare, ac nulli liceat magistrorum, qui non sit deputatus a nobis juxta formam nostram aliquem bacalarium superius examinare. Ad quod statutum omnes regentes sint astricti et omnes incipientes adstringantur. Quod si hanc ordinacionem[2] aliquis contra suum juramentum infregerit, indignacionem nostre societatis se noverit incursurum. Ne quis autem eam infringere presumat, statuimus omnes infringentes a societate nostra privari, bacalarium ad nostram societatem in perpetuum non admitti, magistrum regentem suis lectionibus privari[3], non legentem societate nostra in principio, in examinacione communi seu in determinacione sui bacalarii in perpetuum non gaudere cum omnibus penis aliis, quas nostra facultas infligere poterit, quousque condigna satisfactione premissa de communi consensu nostro vel majoris partis predictas penas duxerimus revocandas. Hec autem ad presens statuenda decrevimus salvis in omnibus et per omnia libertatibus ecclesie sancte Genovefe auctoritate apostolica dicte ecclesie indultis seu concessis, si qua fuerint indulta super

examinacione premissa. Datum anno Domini M°CC° quinquagesimo nono, mense Maio, iij non. mensis.

Arch. Univers. Paris. ms. 94 continens *Chart. Univers.*, p. 70, n° 64. Bibl. Carnot., ms. 062 (cod. Harcur.), fol. 125 b, cum rubrica : « Statutum facultatis ut nullus examinet bacalarios licenciandos in Sancta Genovefa nisi a facultate deputatus ». — Bulaeus, III, 350.

1. Cod. Harcur. : « alioquin ». — 2. Cod. Univers. : « observationem ». — 3. « bacalarium .. privari » om. Cod. Harcur.

---

334. *Ludovicus IX, rex Francorum, fratribus Ord. Cartusiensis locum et domum de Valle Viridi prope Parisios concedit.*

1259, mense Maio, apud Meledunum.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Lodovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod ad nostram accedentes presentiam fratres Ordinis Cartusiensis nobis humiliter supplicarunt, ut prope civitatem nostram Parisiensem, in qua fluunt aque largissime salutaris doctrine, adeo quod fluminis impetus civitatem ipsam letificans et inundans universalem irrigat ecclesiam, pro divini nominis amore vellemus eidem Ordini de loco aliquo competenti liberalitate regia providere, petentes humiliter et instanter, ut locum nostrum ac domum de Valle Viridi prope civitatem predictam, muris excelsis et commodis circumcinctum, pietatis intuitu dignaremur sibi concedere, ut in ipso et per ipsum totus ordo reviresceret et floreret, sicque domus ipsa secus salutarium aquarum plantata decursus fructum in tempore suo datura gratissimum, totum Cartusiensem Ordinem fecundaret. Nos autem fratres ipsos et eorum Ordinem Deo gratum specialis dilectionis et favoris gratia prosequentes piis eorum supplicationibus annuimus et locum predictum ac domum de Valle Viridi, sicut eum tenebamus, fratribus ipsis ibidem summo regi perpetuo servituris in puram et perpetuam elemosinam concedimus et donamus, locum ipsum, personas et bona quecunque ad ipsum pertinentia in nostra regia protectione suscipientes et volentes ab omni injusta molestatione manere quieta. Donamus insuper et concedimus in perpetuam elemosinam pietatis intuitu, et pro nostre et antecessorum nostrorum animarum remedio fratribus ipsis inibi Domino servituris ad eorum sustentacionem quinque modios bladi de Gonessia ad mensuram et modium paris. in granerio nostro Paris. percipiendos annuatim ad festum Omnium Sanctorum, quos a prepositis et ministris nostris, quicumque pro tempore fuerint, eisdem fratribus solvi sine diminucione vel difficultate precipimus ad terminum prelibatum. Preterea donamus eisdem et concedimus domum, quam emimus a liberis defuncti Petri Cocci sitam juxta Gentiliacum cum porprisio et terris adjacentibus et vinea ac aliis ejus pertinenciis ab ipsis inperpetuum pacifice possidenda. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Meledunum anno dominice incarnationis M°CC° quinquagesimo nono, mense Maio, regni vero nostri anno

tricesimo tercio, astantibus in palacio nostro quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. Signum Johannis buticularii. Signum Egidii constabularii. Signum Alfonsi camerarii. Data vacante *(monogr.)* cancellaria.

Originale in Arch. nat. Paris. K. 31, nº 12. Deest sigillum. — Bulaeus, III, 360. — Cartusiani utique non fuerunt membra Universitatis; voluerunt tamen habitare prope istam civitatem, quae Universitatem intra muros suos concludebat, ut dicitur in charta.

---

335. *Statuta de studiis in Ordine Praed. edita a magistris Parisiensibus Bonohomine, Florentio, Alberto Magno, Thoma de Aquino, Petro de Tarantasia Ord. Praed. tempore Capituli generalis sub Humberto Valencenis celebrati.*

1259, Junio ineunte, Valencenis.

Parisius non petatur licentia legendi theologiam pro aliquo fratre, nec licentiatus incipiat, nec legens dimittat, nisi de consilio magistri si fuerit in provincia Francie, vel de consilio prioris provincialis Francie, si magister Ordinis in Francia non fuerit.

Apud[1] Valencenas anno Domini M°CC°LIX de mandato magistri et diffinitorum pro promocione studii ordinatum est per fratres Bonumhominem[2], Florentium[3], Albertum Theutonicum[4], Thomam de Aquino, Petrum de Tharantasia[5], magistros theologie Parisius, qui interfuerunt dicto Capitulo, quod lectores non occupentur in factis vel negotiis, per que a lectionibus retrahantur.

Item, quod diligenter inquiratur per priores provinciales de juvenibus aptis ad studium, qui possint in brevi proficere, et eos in studio promoveant.

Item, quod talis inquisitio fiat singulis annis per visitatores in singulis conventibus, et referatur Capitulo provinciali.

Item, quod ad studia Ordinis generalia non mittantur fratres, nisi qui sunt bene morigerati et apti ad proficiendum.

Item, quod si in aliqua provincia non possint haberi lectores in omnibus conventibus, provideatur saltem quod fratres et maxime juvenes non semper remaneant in illis conventibus, sed mittantur ad loca ubi sunt lectores.

Item, quod si inveniri non possunt lectores sufficientes ad legendum publice, saltem provideatur de aliquibus qui legant privatas lectiones, vel ystorias, vel summam de casibus, vel aliud hujusmodi, ne fratres sint otiosi.

Item, quod fratribus juvenibus aptis ad studium parcatur a discursibus et aliis occupationibus, ne a studio retrahantur.

Item, quod ordinetur in provinciis, que indiguerint, aliquod studium artium vel aliqua, ubi juvenes instruantur.

Item, quod fratres, qui remanent a scolis, dure puniantur.

Item, quod fratres tempore lectionis non occupentur in missis celebrandis, vel aliis hujusmodi, nec vadant in villam, nisi pro magna necessitate.

Item, quod etiam priores vadant ad scolas sicut ceteri fratres, quando commode poterunt.

Item, quod lectores vacantes vadant ad scolas, et precipue ad disputationem.

Item, quod non fiant lectores vel predicatores vel confessores, nisi sint sufficientes, ita quod possint sine periculo notabili hujusmodi officia exercere.

Item, quod priores et visitatores et magistri fratrum sint solliciti diligenter inquirere, qualiter fratres et precipue juvenes circa studium occupentur, et qualiter in studio proficiunt et puniant negligentes.

Item, quod lectores, quantumcunque fieri poterit, continuent lectiones suas.

Item, quod visitatores singulis annis diligenter inquirant de lectoribus, quantum legant in anno, et quot questiones disputaverint ac etiam determinaverint, et quot conventus sue visitationis careant lectoribus, et quod quidquid circa hoc invenerint, referant Capitulo provinciali, et etiam defectus notabiliores qui circa hoc invenerint, prior provincialis et definitores referant postmodum Capitulo generali.

Item, quod in singulis provinciis singulis annis in quolibet provinciali Capitulo ordinetur, qualiter provideatur studentibus sue provincie missis ad quecumque studia generalia.

Item, visitatores diligenter inquirant qualiter studentibus provideatur, et referant defectus notabiles Capitulo provinciali, per quod efficax remedium apponatur.

Item, provideatur quod quilibet lector tenens aliquod studium solempne, habeat bacellarium, qui legat sub eo.

Item, quod fratres portent ad scolas libros qui leguntur in scola, si habent, et non alios.

Item, quod in quolibet conventu, ubi est lector, instituatur aliquis frater qui diligenter repetat, dummodo sit in conventu aliquis sufficiens.

Item, quod fiant repetitiones de questionibus et collationes de questionibus semel in septimana, ubi hoc commode poterit observari.

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1726, nos 17-38, sed mendosissime. — Capitula generalia saepe remittunt ad ista statuta, quae Capitulum provinciale provinciae Provinciae an. 1261 repetit. Cf. n. 1.

1. « Apud Valencenas .. dicto capitulo » om. acta Capp. generalium, quae pro his verbis offerunt : « Item ad promotionem studiorum ordinamus ». Verba supra posita desumpta sunt ex actis Capituli provincialis provinciae Provinciae anno 1261, Jul. 3, Biterris celebrati, ubi statuta supra edita summatim referuntur. Bibl. munic. Tolos., ms. 490, fol. 296. Bibl. Avenion., ms. 229, fol. 88b. Cf. Douais, *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des frères Prêcheurs*, p. 173 sq. — 2. De isto vide supra ad num 219. — 3. Seu Florentinum. Ipse simul cum Thoma de Aquino in Universitate Parisiensi legebat, ut ex *Chronica*, vulgo Humberto, sed etiam Gerardo de Frachet ascripta, et ex nota a Bernardo Guidonis in Cod. Agennensi (no 3) ad *Magistros in theologia Parisius*, fol. 29, facta conjicere possumus. Vide *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalters*, II, 170 sqq. — 4. Albertum Magnum, qui isto tempore studium generale Coloniae tenuit, et anno sequenti electus est episcopus Ratisbonensis. — 5. Ipse hoc anno actu regens fuit Parisiis. An. 1272 fit archiepiscopus Lugdunensis, an. 1273 card. episcopus Ostiensis, an. 1276 papa Innocentius V. An. 1269, mense Maio, cum Thoma de Aquino, Bonohomine, Bartholomaeo, Gilberto et Balduino, magistris theologiae Ord. Praed., aliisque in Capitulo gener. Parisiis celebrato disputabat de quibusdam quaestionibus ad forum conscientiae pertinentibus. Bibl. Escorial. ms. R. II. 2. Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 170. Arsenal. Paris., ms. 532, fol. 80. *Opp. S. Thomae*, ed. Paris., 1656, t. XX, p. 894.

336. *Alexander IV Ludovicum regem Franciae hortatur, ut contra pacis turbatores brachii saecularis auxilium impendat, quo citius jurgia in Universitate Parisiensi exorta compescantur.*

1259, Junii 13, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dum apostolice sedis sermones et scripta ea promptitudine, quotiens tue celsitudini mittuntur, assumis ut videaris in illis eum cujus in terris vices licet immeriti gerimus intueri, expandis utique latius animadvertendum ceteris christianissime devotionis exemplar, quod palam semper effulsit in excelso throno benedicti a Domino regni tui. Hinc nobis et ecclesie Christi accrescit assidue materia spiritualis exultationis et laudis, hinc quoque in pressuris, quas eadem ecclesia inter fluctuosos mundi hujus impetus extrinsecus inquieta perpetitur, refrigerium percipit interne consolationis et pacis. Sane, quamvis experimentorum testimonia, de tuarum nos letificantia incremento virtutum, quas sublimis venustat humilitas, jugiter increbrescant, hoc tamen nunc inter bona tua letanter et gratanter accepimus, quod ad favorem regium contra Parisiensis studii turbatores viris pacificis, sapientie otia studiosa colentibus, impendendum preces et exhortationes apostolice te pronum et benivolum invenerunt, super quo serenitati tue gratiarum exolvimus actiones. Cum autem venerabili fratri nostro .. episcopo Parisiensi contra turbatores eosdem diversa mandata dederimus, in quibus exequendis ipsum oportet regalis potentie brachio adjuvari, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente in remissionem tibi peccaminum suadentes quatinus eidem episcopo ad compescendum et puniendum illos, prout expedire cognoverit, dexteram tradite tibi divinitus potestatis accomodes, quotiens fueris requisitus, ut tuo munere inter inquietos innocens pacificorum tranquillitas muniatur, cupientium studiis vacare prudentie tuta convalescat utilitas, et exinde apud Deum tuorum crescat cumulus meritorum. Dat. Anagnie id. Junii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. J. 152, nº 10. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. — *Layettes du trésor des Chartes*, nº 4495. Apud Jourdain, nº 176, ex Bulaeo, III, 355, perperam refertur ad « idus Julii ». Recte Duchesne, *Hist. Franc. SS.*, V, 863.

---

337. *Alexander IV cancellario S. Genovefae praecipit ne cui licentiam regendi in aliqua facultate concedat, nisi prius juraverit se mandata apostolica exsecuturum.*

1259, Junii 18, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio cancellario ecclesie Sancte Genovefe Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Presentium tibi auctoritate precipiendo mandamus quatinus nullum decetero licenties Parisius in aliqua facultate, nisi prius juret ordinationes et statuta pro tranquillo statu Parisiensis studii dudum a nobis edita, et ea que continentur in ipsis, se inviolabiliter servaturum, et expresse

promittat per hujusmodi juramentum quod deinceps religiosorum et aliorum in eodem studio desudancium quietem et pacem directe vel indirecte, occulte vel manifeste, per se vel per alium, scienter nullo modo turbabit, puniens nichilominus pena debita juramenti hujusmodi transgressores. Dat. Anagnie xiiij kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Bibl. S. Genovefae Paris. cod. Q. l. 2, in-8°, fol. 16b. — Bulaeus, III, 351, ubi « xv kal. Julii », apud Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 375, « xv kal. Junii ».

---

338. *Alexander IV scribit Reginaldo episcopo Parisiensi, ut artistis et eorum rectoribus sub poena excommunicationis praecipiat, ne se intromittant de faciendis et corrigendis sermonibus et licentiandis iis qui incipiunt in theologica facultate.*

1259, Junii 18, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum nec artiste Parisienses nec rectores eorum se intromittere debeant vel etiam consueverint de faciendis et corrigendis sermonibus ac licentiandis iis qui incipiunt in theologica facultate, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus eisdem artistis et eorum rectoribus sub pena excommunicationis, quam ipso facto incurrant, si contrarium fecerint, ex parte nostra districte precipias ut de talibus tanquam de rebus ad se non pertinentibus decetero se nullatenus intromittant, et si forte hujusmodi penam contempserint, etiam alia per te sicut tibi melius expedire videbitur puniantur. Dat. Anagnie xiij kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Arch. nat. Paris. L. 253, n° 245, inserta litteris Reginaldi episcopi Paris. anni 1259 infra n° 354, et edita in *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 265. — Cod. Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 258.

---

339. *Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem directis prohibet ne magistri et scholares Parisienses cum Guillelmo de S. Amore commercium litterarum habeant.*

1259, Junii 20, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Multorum relatione didicimus, quod per nuncios et litteras, quas universitas scolarium Parisiensium vel aliqui de ipso Willermo de Sancto Amore transmittunt et recipiunt ab eodem frequenter[1], Parisiense studium et status religiosorum et aliorum existentium Parisius non modicum perturbatur. Volentes igitur pravorum maliciis obviare, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus eidem Universitati et singulis de ipsa ex parte nostra precipere ac districtius inhibere procures, ne decetero dicto Willermo aliquas litteras vel nuntios, quibus posset bonus status Parisiensis studii et religiosorum ac aliorum quomodolibet perturbari, mittere vel ab eodem W. recipere aliquo modo presumant, communiter vel divisim. Et si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat,

nec ab ea possit absolvi, nisi de mandato sedis apostolice speciali. Dat. Anagnie xij kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Arch. nat. Paris. L. 253, nº 245, inserta litteris episcopi Paris. anni 1259 infra nº 354. — Codex Rutenens. Constitut. Ord. Praed., p. 258. Bulaeus, III, 351.

1. Una harum epistolarum cum responso Guillelmi ex tempore posteriori adhuc conservatur. Cf. infra n[is] 439, 440.

---

340. *Alexander IV nonnullorum doctorum theologiae Parisiensium merita circa bonum statum studii Parisiensis et fratres Praedicatores et Minores laudat.*

1259, Junii 24, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis fratribus Galderico Cluniacensis, et Evrardo Vallis Scolarium[1] Ordinum monachis, Egidio archidiacono et Roberto de Quinchi canonico Rothomagensibus, et Petro dicto Rufo[2] canonico ecclesie Corboliensis Parisiensis diocesis, magistris in theologica facultate Parisius constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Vestre sollicitudinis operosa vigilantia, qua circa bonum statum Parisiensis studii et quietem dilectorum filiorum fratrum Predicatorum et Minorum, Parisius residentium, prudenter insistitis, constanti nobis assertione fidelium referentium innotescit, apostolice sedis vobis ..... gratiam et favorem, que cum tempus retributionis occurrit, se a bene meritis non avertit. Nos itaque hujusmodi fervoris vestri promptitudinem dignis in Domino laudibus commendantes, universos et singulos ad hec ..... perseverantia invitamus, ut ex hiis merito gloria vobis thesaurizetur et fama. Dat. Anagnie viij kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Juxta originale dilaceratum Ripoll, *Bull. Ord. Pread.*, I, 376, nº 241.

1. Primo hic fratres ex Ord. Cluniac. et Vallis Scholarium ut magistri Parisiis regentes nominantur. Galderici et Evrardi in documentis posterioribus aliquando mentio fit. Domus Cluniacensium Parisiis studentium tunc temporis nondum erat fundata. Vide infra nº 361. Evrardi exstant Sermones. Cf. Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2 ed., p. 504. — 2. Petrus dictus Rufus in actis posterioribus nominatur etiam Rossel, Russel, Rosselli, et erat primo canonicus Corboliensis, deinde Ebroicensis (vide infra nº 359), denique post multas lites Parisiensis.

---

341. « *Alexander IV mandat guardiano et fratribus conventus Parisiens., ut essent intrepidi et ferventes in pace conservanda atque studio, sicut ipse summus pontifex pollicetur se super his diligentia velle collaborare, etc., aitque se sua scripta dirigere contra turbatores pacis et studii eorumdem, et incipit :* « Quantum sit a nobis pro quiete vestra ». *Dat. Anagnie viij kal. Julii sui pontificatus anno quinto* ».

1259, Junii 24, Anagniae.

Titulus praedictus tantum exstat in « *Repertorio seu Inventario* eorum, quae in bullis summorum pontificum in favorem totius Ordinis et potissimum hujus conventus (Parisiensis Ord. Min.) concessis continentur ». Arch. nat. Paris. L. 941, nº 1. Litterae desunt nunc in Arch. nat. Paris. In opere tamen *Firmamenta trium ord. S. Francisci* (Parisiis, 1512), ubi etiam bullae pontificum Parisiis et alibi asservatae notantur, hujus epistolae non fit mentio.

---

342. *Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. mandat ut rector et artistae perinde atque alii magistri et scholares Parisienses fratres Praedicatores in suum consortium recipiant; puniat praesertim Guillotum, bedellum nationis Picardorum, qui, praedicante Thoma de Aquino, libellum quemdam famosum publicavit.*

1259, Junii 26, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex alto fuisse conspicimus civitati Parisiensi provisum, quod honorificata decore studii generalis et tantorum universitate scolarium illustrata preluceret orbis civitatibus, orbemque lucidum redderet sui luminis claritate. Ipsa quidem Universitas fons irriguus consuevit esse virtutum, universale speculum, mater studere volentium et magistra scientiarum ad singulos dona derivans, cunctosque clarificans illustribus radiis doctrinarum. Et quia nonnulli seditionis et nequitie filii lucem in tenebras convertere satagentes tantum studium subvertere conabantur, nos eorum conatibus obviantes certa statuta de nostrorum consilio fratrum edidimus, per que studio soliti reddebantur incrementa vigoris et talium perversorum intentio tollebatur. Cumque noster animus optata super eo tranquillitate quiesceret, quod sicut habebat relatio plurimorum statum quietis et pacis Universitas resumpsisset, postmodum (quod turbati referimus), qui dicebantur a suarum seditionum languore sanati, passos fore didicimus recidivam in divini contumeliam nominis, apostolici mandati contemptum et subversionem studii memorati. Nuper enim nostris est auribus intimatum, quod magistri et rectores artistarum Parisiensium se a dilectorum filiorum Predicatorum et Minorum Ordinum fratrum et quorundam aliorum magistrorum et scolarium religiosorum et secularium societate seu consortio separantes ipsos in elusionem mandati apostolici super hoc directi ad suum consortium pro sue voluntatis arbitrio non admittunt contra statuta olim a nobis super hoc edita temere veniendo. Verum quia ad id animum nostrum eo acerbius vulnerat, quo materia majoris turbationis et scandali, nisi super hoc[1] a nobis salubre exhibeatur remedium, posset exinde non absque gravi ecclesie generalis dispendio facilius exoriri, maxime cum hujusmodi separatio, quacunque arte vel ingenio adinventa fuerit et quocunque nomine censeatur, expresse contra ordinationem nostram et statuta predicta pro tranquillo statu Parisiensis studii edita sit presumpta : volumus et per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eisdem rectoribus et artistis ac aliis magistris et scolaribus Parisius commorantibus ex parte nostra districte precipias, ut infra quindecim dies post hujusmodi preceptum eosdem fratres ac alios in suum consortium seu societatem juxta eorundem statutorum tenorem admittere studeant et efficaciter retinere, nichilominus inhibendo ne similia decetero attemptentur, alioquin tam rectores et artiste predicti, ac alii, qui memoratos fratres et eis super hec adherentes ad hujusmodi socie-

tatem seu consortium juxta preceptum nostrum taliter admittere ac retinere non curarint, quam etiam omnes illi, qui contra inhibitionem hujusmodi publice vel occulte, seu quovis alio modo venire presumpserint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullatenus absolvi valeant, nisi personaliter ad apostolicam sedem accesserint, absolutionem hujusmodi petituri. Porro cum per predicationes et disputationes Guillermi de Sancto Amore fratres predicti, qui, ut Christum lucrifaciant, abjectionem voluntarie paupertatis elegisse noscuntur et quamplures alii fuerint graviter diffamati, nos ad confutandam super hoc ipsius Guillermi maliciam et elucidandam in talibus veritatem, universis prelatis litteras nostras, quibus statum dictorum fratrum non indigne approbavimus, duximus destinandas, quarum tenores per te vel per alios Parisius et alibi in ecclesiis et locis aliis in predicationibus publicis prout expedire videris coram clero et populo tam latinis quam vulgaribus verbis exponere studeas diligenter. Insuper quendam libellum famosum et detestabilem ab eodem G. editum, prout publice apud sedem apostolicam confessus extitit, quem per nos de fratrum nostrorum consilio condemnatum igne cremari fecimus, cujus titulus : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum,* nuncupatur[2], principium autem ejus erat : *Ecce videntes clamabunt foris,* necnon et quosdam alios libellos famosos in infamiam et detractationem eorundem fratrum ab eorum emulis in litterali et vulgari sermone necnon rismis[3] et cantilenis indecentibus de novo ut dicitur editos, quos tibi exhiberi facias, detentores ad exhibitionem ipsorum per censuram ecclesiaticam appellatione postposita compellendo, convocatis magistris et scolaribus Parisius existentibus facias publice coram omnibus igne cremari. Preterea Guillotum bedellum scolarium nationis Picardorum pro eo, quod sue salutis immemor in dominica de Ramis Palmarum proximo preterita[4] predicante dilecto filio fratre Thoma de Aquino ejusdem Ordinis Predicatorum quendam libellum famosum[5], quem utpote contra eosdem fratres editum publice reprobaveras, contempta excommunicationis sententia, quam in omnes auctores, detentores et publicatores ipsius libelli auctoritate ordinaria promulgasse diceris, in conspectu cleri et populi tunc ibidem existentium in tui et ipsorum fratrum injuriam publicare presumpsit, excommunicatum presentibus magistris et scolaribus supradictis studeas nuntiare, privando ipsum nichilominus perpetuo bedellionatus officio, ita quod illud nec per se neque per alium decetero exercere presumat, nec etiam salarium aliquod sibi, quem de civitate Parisiensi sublato appellationis obstaculo perpetuo procures expellere, petere vel recipere liceat ratione officii supradicti[6], auxilio carissimi in Christo filii nostri .. regis Francie illustris ad premissa, si opus fuerit, invocato, non obstantibus quibuscumque appellationibus a dictis magistris, rectoribus et scolaribus interjectis. Ad hec volumus, ut omnes illi, qui deinceps hujusmodi libellos vel consimiles edere vel detinere seu publicare, aut prefatum bedellum Parisius reducere presumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua nonnisi juxta modum absolvi valeant prenotatum. Presentes autem litteras omni mora et difficultate postposita coram universitate

predictorum magistrorum et scolarium studeas publicare. Dat. Anagnie vj kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Arch. nat. Paris. L. 253, nº 245, inserta litteris Reginaldi episcopi Paris. anni 1259, infra nº 354. — *Magnum Chart. eccl. Paris.* in eodem Arch. LL. 183, fol. 186. Cod Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 259 (« kal. Jul. »). *Cartul.* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 84. — Bulaeus, III, 351.

1. «Hoc » om. *vidimus*. — 2. Cf. supra nº 288. — 3. Haud dubio tunc temporis versus poetae Rutebeuf jam erant noti. Vide *Œuvres compl.*, par A. Jubinal, I, 151 : « De la Descorde de l'Université et des Jacobins »; p. 71 : «Li Diz de maistre Guillaume de S. Amour »; p. 78 : « La complainte maistre Guillaume ». Cf. ibid. p. 155, 158, 170, 175. *Hist. litt. de la France*, XX, 719 sqq. — 4. April. 6. — 5. Quisnam fuerit iste libellus, non est facile dictu. — 6. Vide tamen infra nº 354.

---

343. *Alexander IV magistris et scholaribus Parisiensibus praecipit ut studeant reconciliari cum fratribus Ordinum Praedicatorum et Minorum dimisso Guillelmo de S. Amore, cui, si poenituerit, non deerit apostolicae sedis misericordia.*

1259, Julii 11, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Celestis altitudo consilii et immensa divine sapientie magnitudo inter alia mire dispositionis opera, que omnipotenter dixit et facta sunt, ut eorum nutibus ad cognitionem comprehensionemque invisibilium excedentium omnem sensum extolleret humane intelligentiam creature, quoddam in celo militantis ecclesie luminare constituit, Parisiensis videlicet studii disciplinam. In lumine quidem ipsius lumen veritatis aspiciunt originalis ignorantie tenebris obvoluti. Illic juniores sensualitatis obtuse squamas per rudimenta liberalia exuentes ad secreta sublimioris indaginis principia diriguntur. Ibi doceatur et doceat profundam legis divine prudentiam seniores, qui velut stelle in perpetuas eternitates assumpti inferiores jubare splendide irradiationis illustrant. In illo sacre doctrine ginnasio celitus distillantis abissi vena scaturiens ad refocillandam sitim justitie in renatis fons limpide claritatis exuberat, in quo divine speculatores ymaginis ad reformandas rationalium mentes in sinceram creationis recreationisque gratuite speciem exemplar increate similitudinis intuentur. Quem igitur filii tanti boni amor non afficit, quem pro illo pervigil cura non urit, quem non urget et comedit zelus ejus? Numquid non in publica commoda peccant, qui privata quadam simultate divellunt, dissentionibus dissipant et contentione jurgiosa dilacerant tantum bonum? Non illud fel. memorie predecessores nostri Romani posthabuere pontifices, non antecessores vestri, qui posteris emulacionis laudabilis prefixere vestigia levi amplexu ejusdem muneris gratiam allapsam de sublimi throno mortalibus tenuerunt, quorum utrique utilitati publice, ne per adversos affectus lateris dissolveretur partibus, providentes, universitatem vestram unanimitatis vinculo et societatis federe nexuerunt, sede apostolica privilegiis, indulgentiis aliisque roborum amminiculis communionis vestre stabiliente consortium et egregiis doctoribus cum disciplinatis sapientie filiis, quorum vos esse convenit sectatores, sibimet vobisque commendantibus pacis otium secessumque silentii, sine quibus

vix prudentie studia convalescunt. Nos quoque, licet predictis predecessoribus impares merito et virtute, ad ipsorum tamen vestigia circa profectus Universitatis et studii predictorum affectu non impari gestientes, si quid temporibus nostris emersisse comperimus, quod in vobis turbaret pacem, caritatem lederet aut scinderet unitatem, contra id sincera intentione medendi pariter ac sanandi morbos noxios, quibus commune salutis vestre commodum tangebatur, remedia nunc aspera, nunc levia, prout res attentius considerata suasit, impigra sollicitudine priscorum exemplis ammoniti curavimus providere. Ea utique cura illud consilium peperit, ut inter alia[1], que olim pro Universitatis et discipline vestre profectu salubriter ordinanda perspeximus, quod religiosi viri presertim fratres Predicatores et Minores degentes Parisius, qui sicut merito religionis et vite decora membra universalis ecclesie sunt censendi, sic eodem merito et participatione doctrine atque scientie Universitatis vestre debent pars non incongrua nec indigna videri, ejusdem Universitatis tam consortio quam beneficio gauderent in omnibus sub certa forma duximus statuendum. Sed licet non forsan in omnibus, in plurimis tamen animose voluntatis arbitrio rationabilis equitatis evertente judicium aliqui contra ordinationem nostram, cui voluntarie approbationis assensus et prompte obeditionis obsequium debebatur, presumptuosum rebellionis levavere calcaneum, aliqui mandatorum nostrorum vim et potestatem ingeniosis adinventionibus vacuantes superficialiter sic nostris detulere sermonibus, quod verius illusisse probantur. Cum enim juxta ordinationem eandem predictos fratres teneamini a vestro non separare consortio, quis non videat manifeste delusionis esse commentum, quod separando vos ab ipsis prohibitam separationis penam eis infligitis indirecte contra positam vobis ejusdem ordinationis legem communem privatis fraudibus rectissime moliendo? Pro Guillermo preterea de Sancto Amore, quem a communione vestra prorsus extraneum notissima culpa fecit, ad pristinum Universitatis vestre revocando consortium conventum fieri vel haberi tractatum, ne sopiti scandali rediret occasio, apostolice sedis auctoritas interdixit. Nichilominus autem, quia nostis eosdem fratres propter transgressionis culpam et prolate animadversionis penam, quas religioso amore devitant, nec posse nec velle, ubi habeatur de predicta revocatione tractatus, convenire vobiscum, quotiens pro quibuslibet Universitatis negotiis convenitis, hujusmodi tractatus inducitur, quo eisdem fratribus illicitum fiat vestris congregationibus interesse, in quo utique facto sagitte nocere parate, que perverse mittuntur in alios, in spirituales plagas mittentium convertuntur. Caveant ergo sibi, qui tales struere non verentur insidias, ne dum aliis tendiculas receptionis obiciunt, ipsi in propositos sibi a nobis laqueos excommunicationis aliarumque sententiarum inciderint, a quibus nequibunt cum voluerint de facili expediri. Mirum si considerationis vestre docta prudentia dignum venia judicet predicti Guillermi grave peccatum, quod nec confessionis humilitas, nec penitentie satisfactio, nec conveniens penitudinis indicium mitigavit; presumptionis enim ejus audacia publicavit longe lateque seipsam, eamque non tam condigne quam misericordis animad-

versionis ultio predicavit, quod videlicet in pernitiosam Universitatis vestre scissuram et dissolutionem studii salutaris non est veritus ponere os in celum contra sedis apostolice potestatem, adversus auctoritatem pontificum, contra ministeria sacerdotum, contra statum et profectum religiosorum virorum maxime Predicatorum et Minorum, quorum sacra plantatio sanctam fecundat et venustat ecclesiam, reprobe dogmatizans et quantum in ipso fuit disseminans in ecclesia unitatis nefandi scismatis pestem famosum infamemque conscribendo libellum, ne in ventum cederent contumeliosa et dampnabilia verba sua. Porro quamvis eundem libellum in favillam et cinerem ecclesia Romana dampnaverit spiritu oris sui, ostendens hoc ipso, que stipendia deberentur auctori: ipse tamen nec apud sedem apostolicam nec postmodum alibi constitutus suum super eodem libello, quem se composuisse non abnuit, humiliter confiteri curavit et emendare commissum, sed in sua rigidus pervicacia eos, quorum animos incitare non desinit, temeritatis proprie incentivo secum trahit in pertinacis ut accepimus obstinationis abyssum. Hec quippe non est illa que de sursum venit sapientia, pudica, pacifica et modesta, pro qua capescenda peregrinari patriis relictis sedibus elegistis, pro qua constituistis scolasticis vos exercere sudoribus, pro qua decrevistis nocturnis lugubrationibus fatigari, quam utique nemo pertingit, qui fuerit sapientie terrene, que animalis est et maligna ac sane doctrine opposita, studiosus. Hec nempe carnalium est deorsum emergens prudentia qui secundum hominem ambulantes zelo et contentione rixantur, ac sibimet propter concupiscentiam, que in eorum membris militat, inquieti pacem ad Deum et proximos nescierunt. Propter[a] quod auditis et diligentius intellectis, quecumque dilecti filii magistri Petrus de Divione et Thomas de Cussello[3], viri providi et prudentes, nuncii vestri, super premissis coram nobis et fratribus nostris proponere voluerunt circa injuncta sibi a vobis negotia, nil de contingentibus omittendo, quoniam petitiones vestras, quantumcumque honestis desideriis vestris cupiamus et proponamus alias benivolum impertiri consensum, nec favor equitatis et justitie nec publice salutis et utilitatis vestre interventio adjuvabat, nosque intendamus utilitati potius quam voluntati consulere petitorum: eas nequivimus sicut nec debuimus exaudire, quas etiam apostolico patri proponere non decuit reverentiam filialem. Simultates igitur et contentiones tanquam tumultuosas pedissecas, cum quibus desponsatam vobis sapientiam non decet habere comertium, ab animabus vestris, in quibus sedes debet esse prudentie, cui vestra studia dedicastis, penitus relegantes erga predictos fratres ob reverentiam divinam et nostram socialis benivolentie dulcedinem assumatis; et suscipientes eos ad beneficia consueta et ad comunionis fraterne consortium cum bone voluntatis plenitudine in visceribus Jhesu Christi, donate quesumus, filii dilecti nobis in Domino, eis, immo nobis pro illis, quin potius per nos Deo, si quid forsitan concepistis aut habere vos creditis contra ipsos, quos utique tanquam nobilia corporis vestri membra in omnibus, que secundum Deum poterunt, vobis non solum ut sociis, sed etiam ut benefactoribus obnoxios, consentaneos, et devotos esse volumus et in hiis, que salutem

[a] 50.

vestram et Universitatis profectum respexerint, studiosos. Prefatus vero Guillermus, pro quo per memoratos nuncios supplicastis, si convenientia humilitatis et penitentie signa monstraverit, per que appareat a vie sue pravitate conversus, poterit apostolice sedis non solum misericordiam sed et gratiam promereri. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente ac in remissionem vobis injungimus et exigimus peccatorum, quatinus ordinationis predicte statuta fideli obedientia et prompta humilitate servetis et super hiis et aliis, que pro salute vestra poposcimus, affectui nostro sic vestra devotio acquiescat, quod reconciliante vos predictis fratribus illosque vobis mutue pacis concordia sociali fatiscat omnis strepitus, omnisque tollatur e medio conflictatio jurgiorum, ex quibus nequeunt nisi alterna incommoda et multorum scandala provenire, nobisque prosequendi Universitatem vestram apostolici favoris munere ac munificentie gratia consuete promptior succrescat affectus, et copiosior materia preparetur. Dat. Anagnie v id. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 246. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membrana aversa : « Predicatorum ». — Reg. Vat. Alexandri IV an. 5, ep. 152, fol. 213. — Bulaeus, III, 353, affert has litteras mutilas et perperam cum initio : « Ex alto fuisse conspicimus », ex epistola nº 342 desumpto (Jourdain, nº 175, ex Bul.). Recte Sbaralea, *Bull. Francisc.*, II, 354.

1. Abhinc Bulaeus et Raynaldus ad an. 1259, nº 27. — 2. Abhinc usque « Prefatus vero » deest apud Bulaeum et Raynaldum. — 3. Eorum etiam infra nº 353 mentio fit.

---

344. *Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut praebendam, quam Guillelmus de S. Amore in episcopatu Belvacensi tenuerat et cuidam clerico in favorem Guillelmi episcopus Belvacensis fraudulenter contulerat, personae ecclesiae Romanae devotae conferat.*

1259, Julii 25, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures nostras pervenit, quod licet nos olim Guillermum de S. Amore propter graves et manifestos ejus excessus omnibus suis beneficiis privaverimus justitia exigente, nichilominus tamen venerabilis frater noster episcopus Belvacensis[1] prebendam, quam idem Guillermus in episcopatu suo tenuerat, cuidam clerico, non ut sibi, sed ipsi Guillermo proficiat, fraudulenter et sub quadam palliatione dicitur contulisse. Nos itaque super hiis efficaciter providere volentes fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus, si inquisita super hoc de plano et sine judiciorum strepitu veritate rem inveneris ita esse, prebendam ipsam persone idonee ac ecclesie Romane devote sine cujuslibet difficultatis aut more dispendio auctoritate nostra conferas et assignes, amoto ab ea quolibet illicito detentore, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Si vero aliquis clericus dicto Guillermo contumaci, superbo et pro suis iniquitatibus citra tamen condignum punito de bonis ecclesiasticis scienter presumpserit ministrare, tu id nobis per

tuas litteras intimare procures, ut contra talem nominatim et gravius procedatur. Dat. Anagnie viij kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Bull. Usumaris in Archivo generali Ord. Praed., p. 49. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, I, 379, n° 245.

1. Guillelmus de Grez.

---

345. *Alexander IV ad Haimericum cancellarium Paris. de licentiandis in quacumque facultate.*

1259, Julii 25, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Presentium tibi auctoritate, *etc. sicut supra* n° 337. Dat. Anagnie viij kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 22b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 29. Cf. ad hoc notam ad n° 303. Cod. Rutenens. Capp. generol. Ord. Praed. ad Ord. pertinens, p. 262, ubi praemittitur : « Universis presentes litteras inspecturis cancellarius Parisiensis vitam beatam. Noveritis, quod ego anno Domini MCCL nono mense Septembri recepi litteras domini pape in hec verba ». — Bulaeus, III, 346, mentionem facit harum litterarum ad fin. Julii an. 1258. Recte Jourdain, n° 177.

345a. *Ludovicus IX, Francorum rex, fratribus domus S. Maturini quasdam domunculas ante palatium Thermarum donat, quas fratres eodem tempore Roberto de Sorbona vendiderunt.*

1259, mense Julio, Corbolii.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri quod nos intuitu pietatis et pro anime nostre et antecessorum nostrorum remedio, et in recompensacionem cujusdam granchie site ante palacium Termarum, contigue granchie que fuit Johannis de Castellione, quam ad opus nostrum de voluntate fratrum domus Sancti Maturini Parisiensis, Ordinis Sancte Trinitatis et Captivorum, retinuimus, eisdem fratribus dedimus et concessimus in puram et perpetuam elemosinam quasdam domunculas sitas ante dictum palacium, videlicet unam que fuit Gileberti barbitonsoris, aliam que fuit Apriliose, et aliam que fuit Roberti presbiteri Sancti Benedicti Parisiensis, et cameras que fuerunt Gaufridi Chauvel, quas emeramus ab eisdem personis. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Corbolii anno Domini millesimo ducentensimo quinquagesimo nono, mense Julio.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 67. Superest taeniolum membranac. — *Cartul. de la Sorbonne*, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 1. — Has domus Rogerius minister S. Maturini totusque conventus vendiderunt et quitaverunt eodem anno eodemque mense magistro Roberto de Sorbona. Originale in Arch. nat., l. c., n° 66. Restat taeniolum membranac. *Cartul. de la Sorbonne*, fol. 11b.

---

346. *Alexander IV cancellario S. Genovefae mandat ut licentiam regendi in artium facultate nulli concedat, nisi examinatus fuerit per quatuor magistros ab ipsa facultate deputatos.*

1259, Augusti 2, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Sancte Genovefe Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium fuit propositum coram nobis, quod licet de antiqua, approbata et hactenus pacifice observata consuetudine Parisius sit obtentum ut per te nulli de scolaribus ipsis studentibus in artium facultate regendi in eadem facultate licentia concedatur, nisi per quatuor magistros examinationi talium ab universitate magistrorum facultatis pro tempore deputatos examinati fuerint et ydonei vel sufficientes inventi[1] : tu tamen super hiis indebitam tibi jurisdictionem usurpans nonnullis ex scolaribus supradictis spreta examinatione dictorum examinatorum hujusmodi licentiam temeritate propria concessisti, et passim concedere non vereris, examinationi talium certos examinatores motu proprio deputando. Unde fit quod prefata licentia per te sepius insufficientibus concedatur et indignis, ac per hoc memorate facultatis studium non modicum vilipenditur et penitus enervatur. Quia igitur in hiis, si vera sunt, non minus honestati tue quam predicte detrahatur facultati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus aliquibus ex scolaribus supradictis licentiam hujusmodi non concedas, nisi per dictos Universitatis examinatores, ut fieri solet, examinati fuerint et ydonei vel sufficientes inventi, certus, quod si mandatum nostrum super hoc neglexeris adimplere, te ad id compelli mediante justitia faciemus. Dat. Anagnie iiij non. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 248. Bulla plumb. filis cannab. appenditur. In membrana aversa : « Universitas parision. », ad cujus Arch. pertinebat. Bibl. S. Genovefae Paris., cod. Q. 1. 2, in-8º, fol. 31ᵇ. Cod.Vat. Reg. 406, fol. 23 (ubi perperam « iiij August. »); Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 25ᵇ, sub titulo : « Privilegium super libertatibus examinis S. Genovefe ». — Bulaeus, III, 346, perperam « iiij kal. Aug. an. 4 ».

1. Vide supra nº 333.

347. *Alexander IV Ludovicum IX, regem Francorum, laudibus extollit quod collegium magistrorum artium in theologia studentium Parisiis instituere decreverit, exhortaturque ut opus prosequatur.*

1259, Augusti 2, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio illustri regi Francie salutem et apostolicam benedictionem. Congaudemus tibi, fili carissime, super universis operibus pietatis quibus continue studere te novimus, ut divine complaceas magestati; sed inter hec ea delectant precipue mentem nostram per que ut intelleximus adaugere proponis in civitate Paris. studium theologice facultatis, quoniam ex eis eo pleniores reportaturus es manipulos premiorum quo per ipsa negocium fidei, causam

Dei et animarum salutem in ipso negocio promovebis. Leti quidem intelleximus quod tu considerans quam copiosus et quam salubris sit fructus facultatis predicte, in eadem civitate perpetuum collegium magistrorum artium, qui a liberalitate regia vite necessaria percepturi ibidem dicto studio vacent, pie instituere decrevisti[1], ad hoc jam certis domibus deputatis[2]. Licet autem in hiis regiam pietatem noverimus pocius dignis efferendam preconiis quam aliquibus exhortationum inductionibus excitandam, quia tamen te semper bonorum tuorum proficere cupimus incrementis ut copiosiora tam fame apud homines quam apud Deum gratie premia consequaris, regalem munificentiam rogamus, monemus et hortamur attente in remissionem tibi peccaminum suadentes quatinus considerans, quam gloriosum tibi erit apud homines et quam meritorium apud Deum te institutorem boni tam conmendabilis extitisse et ad sacrificium labiorum tantum tibi collegium obligasse, feliciter prosequi tante salutis opus et tante pietatis negocium tantique boni felix auspicium in spe certa spiritalium premiorum ac etiam pro nostra et apostolice sedis reverencia non desistas. Dat. Anagnie iiij non. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Vidimus in Arch. nat. Paris. M. 69 A, nº 5. Deest sigillum. Incipit : « Universis presentes litteras inspecturis... Officialis curie Paris. salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini millesimo ducentesimo lmo nono, die martis post octabas purificationis beate Marie virginis litteras apostolicas inferius annotatas vidisse in hec verba » ; desinit autem cum his verbis : « Transcriptum vero dictarum litterarum fecimus sub sigillo nostro salvo jure alieno. Datum anno et die predictis. »

1. Ludovicus IX hic quasi fundator Collegii de Sorbona laudatur. Papam vero Alexandrum nullam Roberti de Sorbona, proprie fundatoris, notitiam habuisse verisimile est. — 2. Vide supra nis 302, 329.

---

348. *Litterae supplicatoriae Alexandri IV ad praelatos regni Franciae pro pauperibus magistris de Sorbona, ut eis eleemosinam conferant.*

1259, Augusti 4, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis regni Francie salutem et apostolicam benedictionem. Animarum salutem, quam super omnia cupimus, ex studio theologice facultatis provenire scientes, personis docilibus in eadem facultate studendi dare materiam et pium subsidium affectamus. Cum igitur multi sint Parisius artium professores, qui licet sint dociles et habeant in eadem facultate animum ad studendum, tamen paupertate ab hujusmodi studio retrahuntur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum suadentes, quatinus in hujusdem pietatis opere carissimi in Christo filii nostri regis Francorum illustris attendentes exemplar, qui nonnullis sicut accepimus ex hujusmodi professoribus ad studendum in sacra pagina et mansiones et sumptus de fisco regio statuit assignari[1], singuli vestrum predictis artium professoribus Parisius in prefata scientiarum scientia studentibus congruum de bonis vestris juxta ipsorum exigentiam annis singulis pietatis intuitu subsidium impen-

datis, ut per hujusmodi pietatis opus apud homines vobis laudis accrescat titulus, et apud Deum cumulus premiorum. Dat. Anagnie ij non. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Cart. de la Sorbonne, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 110[b], ubi rubrica sicut supra. — Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 40[b] et 232. Jourdain, nº 180.

1. Cf. supra nis 302, 329, 347.

---

349. *Alexander IV prorogat Universitati Paris. privilegium, ut servitores iisdem quibus magistri et scholares immunitatibus fruantur.*

1259, Augusti 7, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod apostolica sedes vobis usque ad certum tempus indulxerit, ut servitores vestri ac singulorum vestrorum eisdem immunitatibus gaudere deberent, quibus etiam vos gaudetis[1]. Quoniam vero tempus hujusmodi ut asseritis est elapsum vel superest modicum de eodem, nos gratiam hujusmodi ex liberalitate nostra vobis continuare volentes vestris supplicationibus inclinati vobis auctoritate presentium indulgemus, ut servitores predicti ex nunc vel postquam dictum tempus effluxerit, si de ipso aliquid superest, usque ad quinquennium gaudeant immunitatibus supradictis. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie vij id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 249. Bulla plumbea filis seric. flavi et rub. col. appenditur. In membr. aversa: « Universitas parisien. », ad cujus Arch. pertinebat. *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 266. — Apud Jourdain, nº 181, nonnisi titulus in lingua gallica ex *Inventaire des anc. titres de l'Université*. Arch. Univ. Paris., nº 98, A. 20. I.

1. Vide supra nº 141.

---

350. *Alexander IV prorogat concessionem, ut magistri actu regentes ad congregationes generales pro dandis consiliis accedere teneantur.*

1259, Augusti 8, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod licet fuerit vobis usque ad certum tempus ab apostolica sede indultum, ut ad generalem congregationem vestram omnes magistri Parisius actu regentes pro dandis consiliis in agendis accedere teneantur[1], tamen hujusmodi tempus ut asseritur est elapsum vel superest modicum de eodem. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati vobis presentium auctoritate concedimus, ut predicti magistri ad hujusmodi congregationem pro causa prefata accedere teneantur ut superius est expressum.

Presentibus ex nunc vel a dicto tempore, si aliquid de ipso superest, usque ad quinquennium valituris. Dat. Anagnie vj id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 251. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membr. aversa : « Universitas parisien. », ad cujus Arch. pertinebat.

1. Cf. supra nº 144.

---

351. *Alexander IV prorogat Universitati Paris. privilegium, ut magistri et scholares extra civitatem Paris. per sententias apostolicas non possint trahi.*

1259, Augusti 8, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Paris. salutem et apostolicam benedictionem. Vestre pacis querentes comodum et quietis illa vobis libenter concedimus, per que materia submota gravaminis status vestri tranquillitas procuretur. Ex parte [si]quidem vestra fuit propositum coram nobis, quod licet usque ad certum tempus vobis fuit ab apostolica sede indultum, ut extra civitatem Paris. ad judicium non possitis per litteras apostolicas evocari, que de toto tenore indulti ejusdem non facerent mentionem[1], tamen tempus hujus indulti ut asseritur est elapsum, vel superest modicum de eodem. Nos igitur supra dictam [factam] in hac parte ab eadem sede gratiam continuare volentes vobis auctoritate presentium indulgemus, quod ex nunc vel postquam ipsum tempus elapsum fuerit, si aliquod de ipso superest, usque ad quinquennium extra civitatem eandem non possitis ut supra dicitur ad judicium evocari per litteras apostolicas non facientes plenam de eisdem presentibus mentionem. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie vj id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto[2].

Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 25. Deest in cod. Vat. Reg. 406.

1. Cf. supra nº 207. — 2. Haud dubie etiam alia privilegia hujus generis praesertim ab Innocentio IV concessa partimque a Gregorio IX inchoata isto tempore renovata sunt.

---

352. *Alexander IV ad decanum ecclesiae s. Macuti de Barro super Albam, ut singuli magistri et scholares Parisienses pecuniam conferant pro impensis ab Universitate factis.*

1259, Augusti 8, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. decano ecclesie sancti Macuti de Barro super Albam Lingonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium fuit propositum coram nobis, quod ipsi pro expediendis nonnullis suis negociis et causis etiam prosequendis quammulta debita legitime contraxerunt et subierunt onera expensarum, antequam inter ipsos et dilectos filios fratres Predicatores et alios religiosos Parisienses sopita per ordinationem nostram controversia oriretur. Quare nobis extitit

pro parte ipsorum humiliter supplicatum, ut, cum non nisi per contributionem magistrorum et scolarium hujusmodi debitorum satisfactio valeat provenire, providere super hoc eis misericorditer curaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita universos et singulos magistros actu regentes ac scolares Parisienses tam juris canonici quam theologice ac aliarum etiam facultatum, quod singuli pro rata juxta proprias facultates in solutione ac satisfactione debitorum et expensarum hujusmodi contribuere studeant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas : non obstante quavis apostolice sedis indulgentia, de qua plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem. Dat. Anagnie vj id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 250. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membr. aversa : « Universitas Parision. », ad cujus Arch. pertinebat. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 62ᵇ, sub tit. : « Generalis conservatio privilegiorum Universitatis directa decano S. Macuti de Barro », *etc.* Epistola praeterea est inserta instrumento 30 Aprilis 1318 in Arch. Univ. Paris. theca IV. A. 18, a, ex qua Jourdain, nº 182. — In *Inventaire des anciens titres qui sont dans les Arch. de l'Université* (Arch. Univ. Paris., nº 98), p. 170, B. 7, b, sic consignatur haec bulla : « Bulle d'Alexandre IV addressée au doyen de Saint-Marcou de Bar-sur-Aube, qui porte confirmation des articles accordez entre l'Université et les frères Prescheurs, 6 des Idus d'Aoust, pontificatus 5 », — quod sicut videre licet rei non congruit.

---

353. ***Alexander IV ad episcopum Parisiensem ut litteras, quibus petitionem universitatis magistrorum et scholarium de Guillelmo de S. Amore in statum pristinum restituendo tanquam indignam repulit, in communi eorumdem audientia faciat recitari.***

1259, Augusti 11, Anagniae.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum universitas magistrorum et scolarium Parisiensium magistros P. de Divione et T. de Cusello[1] nuntios suos ad nostram presentiam destinasset ac inter cetera petiisset per eos, Guillermum de Sancto Amore ab ipsius Universitatis consortio suis culpis exigentibus relegatum in statum pristinum, quem nullis penitentie signis promeruit, reparari, nos, licet petitionibus aliis per ipsos magistros ex ipsius Universitatis parte propositis benigne duxerimus prout secundum Deum fieri potuit annuendum[2], postulationem tamen ipsorum super restitutione prefati G. ad Universitatem predictam repulimus ut indignam, cui quidem publica offensa, quam nulla humilitatis ostensio expiaverat, repugnabat, propter quod iidem nuntii litteras nostras, per quas predicte Universitati super premissis responsa paterna et benivola mittebamus, referre pro libito recusarunt. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus easdem litteras, quas tibi sub bulla nostra transmittimus, in communi magistrorum et scolarium audientia diligenter recites, vel facias recitari, ut eis aperte, an nuntiis suis rationabiliter et benigne responderimus, innotescat, ipsique non ex perversitate cujusquam inconsultum motum, sed ex beni-

gnitate nostra mentem sumant consilii sanioris. Dat. Anagnie iij id. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, n° 252. Deest bulla plumbea. In membr. aversa : « Predicatorum ». *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 266.

1. Petrum de Divione et Thomam de Cussello. Vide supra n° 343. — 2. Inter alia petitionibus, ut privilegia Universitatis renoventur (vide supra nos 349-351), et ut pro impensis Universitatis ab omnibus conferatur (supra n° 352).

---

354. *Reginaldus episcopus Parisiensis plures epistolas summi pontificis in praesentia artistarum ac quorumdam magistrorum et scholarium Parisiensium legi facit adjuncta admonitione de admittendis fratribus ad ipsorum consortium, de abstinendo a publicatione libellorum contra fratres, et de aliis.*

1259, Septembris 24, Parisiis.

Reginaldus miseratione divina Parisiensis ecclesie minister indignus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Litteras summi pontificis recepimus in hec verba : « Alexander ..... Ex alto fuisse conspicimus », *etc.* (*vide supra* n° 342). Item alias litteras summi pontificis recepimus in hec verba : « Alexander ..... Multorum relatione », *etc.* (*vide supra* n° 339). Insuper et alias ejusdem summi pontificis litteras recepimus in hec verba : « Alexander ..... Cum nec artiste Parisienses », *etc.* (*vide supra* n° 338).

Predicta autem mandata apostolica exceptis clausulis illis, que de Guilloto bedello faciunt mentionem[1], quas ad preces bonorum publicare distulimus, publicavimus et legi publice fecimus coram nobis in curia nostra Parisiensi anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, die mercurii post festum beati Mathei apostoli, convocatis propter hoc predictis rectoribus et artistis ac aliis magistris et scolaribus Parisiensibus, et presentibus dictis rectoribus ac pluribus magistris et scolaribus Parisiensibus, auctoritate domini pape predicta eisdem viva voce precipientes, ut infra quindecim dies post hujusmodi preceptum predictos fratres ac alios ab eis expulsos a societate seu suo consortio in suum consortium seu societatem admittere curarent, et admissos efficaciter retinerent, inhibendo eisdem ne similia decetero attemptarent, et ne restitutioni dictorum fratrum occulte vel publice aut alio quocunque modo se opponerent, et ne aliqui libellos famosos in infamiam et detractionem ipsorum fratrum edere, detinere vel publicare presumerent. Eisdem nichilominus precepimus et districte inhibuimus, ne litteras aliquas vel nuntios, quibus status bonus studii Parisiensis et religiosorum et aliorum quomodolibet turbari posset, Guillermo de Sancto Amore mittere vel ab eodem recipere presumerent, communiter vel divisim, precipientes insuper ipsis rectoribus et artistis, ne de faciendis et corrigendis sermonibus ac licentiandis iis, qui incipiunt in theologica facultate, aliquatenus se intromitterent, intimantes eisdem quod illi qui contra premissa vel aliquod premissorum venirent vel facerent, ipso facto excommunicationis sententiam incurrerent, a qua nullatenus absolvi valerent, nisi personaliter accederent ad sedem apostolicam

absolutionis sue beneficium petituri. Monuimus insuper publice omnes illos, qui libellos famosos in infamiam et detractionem dictorum fratrum, necnon rismos et cantilenas de novo ut dicitur indecenter compositas [detinerent], nobis vel officiali nostro restituerent infra mensem ad mandatum apostolicum super hoc exequendum, alioquin ex tunc omnes detentores dictorum libellorum, rismorum et cantilenarum, qui nobis vel officiali nostro reddere distulerint, scirent se excommunicationis sententiam incursuros. Premissorum autem copiam fecimus magistro Johanni de Nigella[2] nationis Picardorum, rectori universitatis dictorum artistarum, petenti eam cum instantia nomine dictorum artistarum. Actum anno et die mercurii predictis.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 253, nº 245. Superest taeniolum membr., cui sigillum episcopi appendebatur. *Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris et de l'Ile-de-France*, X, 264. — Cum hoc documento series monumentorum, quae illam acerrimam contentionem respiciunt, absolvitur, quanquam aliqui magistri Universitatis, v. g. Gerardus de Abbatisvilla, Nicolaus Lexoviensis aliique, atque Guillelmus de S. Amore nondum desistebant religiosos mendicantes disputationibus et scriptis suis insectari, ut postea videbimus. Quid vero de epistola famosa rectoris et Universitatis Paris., quam Bulaeus, III, 356, publici juris fecit? In ipsa enim definitur locus, quem Praedicatores in actibus, conventibus, *etc.*, habituri sint, post omnes scilicet alios religiosos, eamque Bulaeus ad 20 Jan., 19 et 21 Februar. 1259 (1260) refert. Bulaeum secuti sunt Jourdain, nº 183, aliique. Ast jam auctor operis *Univers. Paris. ejusque facultatum quatuor origo vera* monstravit hoc documentum esse aevi posterioris (Bibl. Univers. Paris., ms. u. I. 1, p. 726. Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9949, fol. 366). Nullus isti documento annus appositus est, nec tamen ante finem saeculi XIV confectum esse potest; quantum temporum rationem turbet, si ad finem contentionis an. 1259 referatur, vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 110, n. 239.

1. Supra nº 342. — 2. Johannes de Nigella postea transivit ad facultatem medicinae, ut apparet ex quodam docum. an. 1274, si tamen hic agitur de uno eodemque magistro.

---

355. *Litterae supplices magistrorum Parisiensium ad Ludovicum regem, ut Guillelmus de S. Amore de exsilio revocetur.*

Excellentissimo domino suo Ludovico divina moderatione serenissimo regi Francie universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem et regnum sibi commissum pace perpetua defensare. Sicut dicit Boecius[1], unus est dominator et unus est rex qui frequentia civium, non depulcione letatur, cujus agi frenis atque obtemperare justitie summa libertas et summe jocunditatis amenitas reputatur. Iste est gloriosus et sublimis Deus, cujus piam justiciam mundanos decet principes, secundum quod possibile est, pro suis viribus emulari. Hodierna die prodierunt in lucem auctoritates Boecii, quia imperante flagranteque nequicia virtus non solum premiis caret, sed sceleratorum pedibus subjecta calcatur[2].

Premit insontes
Debita sceleri noxia pena,
Et perversi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes.

... Justusque tulit
Crimen iniqui...
... Nil nocet ipsis
Fraus mendacii picta colore.
O jam miseras respice terras,
Quisquis rerum federa nectis[3].

Operis tanti pars non vilis, homo justus et innocens, fortune taciturnitatis et adversitatis immerite incendiis incandescit, dum magister Guillermus de Sancto Amore, veritatis propugnaculum, doctorum gemma, fidei anchora, injusto exilio relegatur, quoniam ad preces nostras cause nostre se opposuerat defensorem; invictissima[4] erat, nisi in leges et jura condescendissent sophistice rationes. Cum igitur exilium suum toti clero in dedecus defundatur, ipsum tacito dolore aliquatenus dissimulare non valemus. Propter quod in conspectu regie pietatis preces lugubribus animis ventilamus quatinus ipsum inter nostros concives dignemini si placeat revocare, cum nichil commiserit, si per juris tramitem inquisitione sagaci vobis placeat ambulare.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9376, fol. 70b. — Jourdain, nº 166. — Hanc epistolam cum duabus sequentibus esse falsam et ab aliquo, utique Guillelmi de S. Amore sectatore, conscriptam jam Tillemont ex stilo harum epistolarum conjecit : *Vie de Saint Louis*, ed. Gaule, VI, 311 ad p. 219. Sequimur etiam ejus sententiam de litteris Ludovici ad Alexandrum missis (infra nº 357), quanquam, auctore Jourdain, n. 4 ad num 166, fide digne videantur. Certum est has chartas tunc temporis esse conditas, cum de reditu Guillelmi in patriam ageretur.

1. *De Consol. philos.*, l. 1, pr. 5. — 2. Ibid., l. 4, pr. 1. — 3 Ibid., pr. 1, met. 5. — 4. In ms. : « injustissima ».

---

356. *Responsio Ludovici regis ad magistros Parisienses.*

Ludovicus divina moderacione rex Francorum dilectis suis in Christo universis magistris et scolaribus Parisius studentibus salutem, et quod in eis ex Deo natum est fine perfici glorioso. Canis, lupus et vulpecula ab humanis moribus discrepantes non sunt inter homines receptandi; et si aliquid unum horum [hominum] mores saperet et facta, merito reputaretur in natura monstrum, et fisicis terrorem ingereret creaturis. Monstrum est in natura doctor vester, pro quo nobis noviter supplicastis, nec meretur nostris concivibus aggregari, cum mores et facta prefatarum deferat bestiarum. Cum enim melius sit nomen bonum quam divicie multe, ut ex Proverbiis colligitur Salomonis, sanctarum ereptor operarum lupo, juxta Boecii sententiam, similatur, et ipsarum per lites expugnator cani comparatur, et qui insidiatur eis fraudibus occultis vulpecule exequatur. Sane doctor vester rapinis, litibus et insidiis in nomen bonum talium fratrum semper studuit debachari, quorum Ordo virtutum odore perfunditur, et est fragrans sanctitatis aromata. Ipsi vero sunt stelle moventes in ordine suo, virtute quorum potestas Satane debellatur[1]. In quo facto predictum magistrum monstrum esse in natura plenius declaratur. Vobis igitur mandamus quatinus preces cumulare precibus desistatis, quia vane sunt et casse

preces omnes in hoc casu, etenim ipsum tanquam monstrum de regni nostri finibus perpetim disposuimus admoveri.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9376, fol. 71. — Jourdain, nº 167.

1. Ms. : « potestas si sane debellam ».

---

357. *Litterae Ludovici regis ad Alexandrum IV pro reditu Guillelmi de Sancto Amore in patriam.*

Sanctissimo patri ac domino Alexandro Dei gratia summo pontifici Ludovicus eadem gratia rex Francorum devotissima pedum oscula beatorum. Generosi sunt principes terre et generosa emicant parentela, qui quanto generosiores sunt, tanto magis rigorem animi sui multorum decet precibus emolliri, quia, sicut dicit Seneca, generosus animus est, qui ad virtutem bene disponitur. Animi pietas autem virtus est, sicut protestatur series scripturarum; et hoc etiam per effectus suos comprobamus, que homines discordes in consonantiam redigit luculentam. Sane nostri rigorem animi Parisiensis ad hec induxit Universitas assiduis precum blanditiis, ut talis magister, qui offensam regie ingesserat majestati, ipsum sentiat decetero mitiorem, et quem feceramus de Francie finibus admoveri, ipsum ad nos velimus, nisi ab hoc[1] vestra discrepet sanctitas, revocari. Cum igitur venerabilis multitudo Parisius studentium sui sit causa exilii, cujus se cause opposuerat defensorem, affectuosis precibus vestre provolvimus sanctitati quatinus (animi[2] nostri rigorem Universitatis Parisiensis fregerunt preces) prefatum magistrum velit nostri fines regni, si placeat, iterum visitare.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9376, fol. 71. — Jourdain, nº 168.

1. Ms. : « ad hec ». — 2. Ms. : « amorem ».

---

358. *Theophania vendit fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini domum cum horto extra portam S. Eustachii, quo itur ad Montem Martyrum.*

1259, mense Decembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis constituta Theophania relicta defuncti Philippi Comin asseruit quod ipsa habebat, tenebat et possidebat quandam domum cum quodam jardino eidem domui adjacente sitam Parisius extra muros ultra portam Sancti Eustachii in vico, per quem itur ad Montem Martyrum, in terra et dominio domini Parisiensis episcopi, oneratam in quadraginta et uno solido parisiens. censualibus debitis et solvendis annuatim dicto domino Parisiensi episcopo, ut dicebat, contiguam culture ejusdem episcopi ut asserebat, quam siquidem domum cum dicto jardino et omnibus aliis suis pertinenciis, prout se comportat ante et retro, in latitudine et longitudine, inferius et superius, secundum quamlibet sibi partem, prefata Theophania coram nobis constituta

recognovit et confessa est in jure, se vendidisse et pure venditionis nomine inperpetuum quitasse fratri Joanni vicario generali Ordinis Heremitarum sancti Augustini nomine suo et fratrum suorum ejusdem Ordinis Parisiensis pro ducentis libris parisiens. jam sibi solutis in pecunia numerata, prout ipsa Theophania in jure confessa est coram nobis, renuncians expresse exceptioni non numerate pecunie, non recepte et non solute, cedens eidem fratri Joanni et fratribus suis ejusdem Ordinis per eundem ac transferens specialiter in eisdem omne jus, dominium, proprietatem, possessionem et quamlibet actionem realem et personalem, que et quod sibi competunt vel competere possunt in domo predicta et ejus pertinentiis quibuscunque, nichil sibi vel suis heredibus retinendo penitus in eadem. Et promisit dicta Theophania voluntarie, sponte et non coacta fide data in manu nostra, quod contra venditionem et quitationem hujusmodi jure hereditario ratione dotis dotalicii, conquestus vel alio modo per se vel per alium non veniet in futurum, et quod dictam domum cum dicto jardino et omnibus aliis pertinentiis suis prout se comportat, ut dictum est, venditam ad censum predictum absque alio onere sive obligatione prefatis fratribus dicti Ordinis, qui modo sunt ibidem et qui ibi pro tempore fuerint in posterum, ad dictum censum quittam et liberam garantizabit, defendet et liberabit in judicio et extra judicium, quocienscunque opus fuerit, propriis suis sumptibus et expensis contra omnes. Et de recta garandia ferenda se et heredes suos et omnia bona sua et heredum suorum mobilia, immobilia, presentia et futura, ubicunque sint et in quibuscunque rebus consistant, eisdem fratribus in contraplegium obligavit et obligata specialiter et expresse reliquit, renuncians expresse in hoc facto beneficio restitutionis in integrum exceptioni, doli actioni in factum, et, ne possit in posterum allegare seu dicere, se fuisse in contractu hujusmodi lesam aliquatenus vel deceptam, et omnibus aliis defensionibus, allegationibus et exceptionibus realibus et personalibus loci et temporis facti et juris canonici et civilis, que contra presens instrumentum possent obici vel adduci. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum curie Parisiensis apposuimus. Datum anno Domini M°CC° quinquagesimo nono, mense Decembri.

Transcriptum officialis Paris. factum « anno Domini MCC nonagesimo tercio, die mercurii post octabas Purificationis b. Marie virg. » in Arch. nat. Paris. L. 921, n° 81. Ibid. S. 3640, exstat *Livre des contracts du grand couvent des Augustins*, ubi fol. 296, ex originali transumpta est charta supra relata. — Dubois, *Hist. eccles. Paris.*, II, 443. — Haec charta primum est documentum quod referatur ad habitationem fratrum Eremit. Ord. S. Augustini Parisiis. Joinville (in sua *Vie de Saint Louis*, éd. Michaud, p. 322) concordat cum docum. relato, dicens Augustinianos « dehors la porte de Montmartre » primo habitasse; hoc est ubi hodie invenitur *Rue des Vieux-Augustins* (Cf. Jaillot, *Recherches critiques sur la ville de Paris*, II, *Quartier Saint-Eustache*, p. 3). Infra videbimus fratres in eodem loco usque ad an. 1285 remansisse. Isti etiam religiosi studiis operam dare incipiebant in Universitate Paris. et ad magisterium in theologia se praeparare. At primus eorum magister non fuit Jacobus de Viterbio, ut quandoque asseritur, sed celeber Aegydius Romanus, cum ipse dicat in quadam epistola an. 1315, Martii 27 : « quod inter fratres nostri Ordinis magisterium in sacra theologia primi Parisius meruimus obtinere ». Sic etiam loquitur Mart. 29. Orig. in Arch. nat. Paris. S. 3633, n°s 2 et 3.

358a. *Johannes de Eugubio, vicarius generalis Eremit. S. Augustini, in praesentia archidiaconorum Paris. recognoscit se emisse a Theophania ad opus fratrum quamdam domum, ipsumque habere propositum ibidem domum et oratorium construendi.*

1259, mense Decembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis, Johannes, Radulphus et Gaufridus, archidiaconi in ecclesia Parisiensi, et eorum officiales salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presencia constitutus frater Johannes de Egubio, fratrum Heremitarum Ordinis Sancti Augustini, a fratre Lanfranco[1], priore generali dicti Ordinis, et a diffinitoribus Capituli generalis fratrum ejusdem Ordinis in regnis Francie, Anglie, atque Scocie partibus, necnon Lausanensi, Verdunensi atque Cameracensi civitatibus et dyocesibus constitutus vicarius et visitator generalis, ut dicebat, asseruit et recognovit, suo et dictorum fratris et diffinitorum et Capituli nomine, ad opus eorumdem se emisse a Theofania, relicta defuncti Philippi Comin, cive Parisiensi, quamdam domum cum quodam jardino eidem domui adjacente, sitam Parisius extra muros ultra portam Sancti Eustachii, in vico per quem itur ad Montem Martirum, in terra et dominio venerabilis patris domini Parisiensis episcopi, oneratam in quadraginta et uno solidis parisiens. censualibus capitalis census debitis annuatim dicto domino episcopo, contiguam culture ejusdem episcopi, pro ducentis libris parisiens., ut dicebat. Asseruit etiam et recognovit quod ipse proponebat domum et oratorium ibidem construere ad opus dictorum fratrum, et tenere in manu mortua dictum locum. Propter quod, videlicet ut dictum locum tenere posset in manu mortua, asseruit et recognovit dictus Johannes nomine suo [et] dictorum prioris et fratrum, se convenisse cum reverendo patre Reginaldo, Dei gratia episcopo Parisiensi, quod dicti prior et fratres possint tenere dictum locum in manu mortua pro quatuor libris parisiens. annui redditus, dictis quadraginta uno solidis in summa hujus computatis. Promittens dictus frater Johannes nomine suo et dictorum prioris et fratrum, et se constituens ad solvendum domino Parisiensi episcopo, qui pro tempore fuerit, quatuor libras parisiens. annui redditus prenotatas in Nativitate beati Johannis Baptiste, super dictis domo et jardino, ratione conventionis predicte, inite inter ipsum et dictum dominum episcopum, de tenendo dictum locum in manu mortua in futurum, et se coram nobis, nomine suo et dictorum prioris et fratrum, erga dictum dominum episcopum, quantum ad dictum censum quatuor librarum, specialiter et expresse obligavit, et ex nunc obligatum reliquit cum innectis ibidem pariter et illatis; volens et concedens quod episcopus Parisiensis, qui pro tempore fuerit, per se vel per alium, possit assignare ad dictum locum, pro solucione dicti census, secundum quod sibi placuerit et voluerit, tanquam dominus loci et fundi, seu per captionem pignorum seu alio quolibet modo, prout sibi placuerit, salva tamen eidem domino episcopo omnimoda justitia in dicto loco et in habitantes ibidem. Prior etiam, si opus

fuerit, institutus in dicto loco seu minister et fratres ibidem existentes omnes et singuli subjecti erunt, omni lege subjectionis, episcopo Parisiensi; et jurabit coram dicto episcopo prior seu minister seu vicarius dicte domus, quocumque nomine censeatur, infra octo dies post adventum suum, obedienciam et reverenciam omnimodam, suo et fratrum ibidem existentium nomine, episcopo Parisiensi, ejus officiali ac archidiaconis dicti loci, et quod privilegium exemptionis contra dictum episcopum non impetrabit, nec impetrato aliquatenus utetur, et quod pro casso et inani penitus habeatur, si quod contigerit impetrari; alioquin episcopus Parisiensis eundem ad hoc per excommunicationis sententiam, sine dilatione qualibet, tanquam dyocesanus, et per amotionem ejusdem penitus a dicto loco poterit compellere tanquam secularis dominus dicti loci. Quantum ad omnia premissa et singula renuncians dictus frater Johannes, suo et fratrum ibidem existentium, prioris generalis et fratrum dicti Ordinis nomine, omnibus privilegiis et indulgentiis a sede apostolica vel legatis ipsius seu alio quocumque contra premissa vel aliquid de premissis impetratis vel impetrandis, obtentis vel obtinendis, per quod episcopo Parisiensi, qui pro tempore fuerit, contra premissa vel aliquod ex eis posset aliquatenus imposterum prejudicium generari; renuncians nichilominus beneficio restitutionis in integrum, et omnibus aliis exceptionibus facti et juris, et indulgentiis que contra premissa possent domino episcopo obesse. Promisit insuper dictus frater Johannes, se effecturum erga dictos priorem generalem et diffinitores Capituli generalis, quod iidem prior et diffinitores, infra instantem Penthecosten, litteras patentes sub sigillis dictorum prioris et Capituli transmittent[2] et dabunt dicto domino episcopo de omnibus et singulis premissis tenendis firmiter et inviolabiliter observandis, et de non veniendo contra eadem vel aliquid ex eis. In cujus rei testimonium et memoriam rei geste, ad petitionem dicti fratris Johannis, presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense Decembri.

Magnum Chart. eccl. Parisiensis in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 35^{b}. — Guérard, *Cart. de Notre-Dame*, III, 27.

1. Ms. : « Lanfrando ». — 2. Hae litterae, « dat. Cesenae tercio non. Maii pontificatus dom. Alexandri quarti » (1260, Maii 5), et editae cum consensu definitorum Cap. generalis Cesenae celebrati a Lanfranco, generali priore, conservantur in *Magn. Chart.*, fol. 36. Agitur ibi de « loco nostro Parisius juxta portam Montis Martirum in parrochia S. Eustachii sito ». — Alexander IV, vj id. Junii an. 6 (1260, Jun. 8), in una ad priorem et fratres Ord. Eremitarum S. August. Paris. directa epistola omnia bona mobilia et immobilia Ordini confirmat; in altera vero indulgentiam concedit. Originalia in Arch. nat. Paris. L. 253, n^{is} 267 et 268.

---

359. *Alexander IV concedit magistro Petro Rufo, qui in theologica facultate honorem cathedrae magistralis adeptus erat, eum posse non obstante defectu natalium dignitates ecclesiasticas obtinere.*

1260, Januarii 28, Anagniae.

Magistro Petro dicto Rufo[1] canonico Ebroicensi doctori Parisius in theologica facultate. Illum circa dignos modum gratie specialis libenter exquirimus, quem ipsorum

congrue meritis intuemur, sequentes in hac parte regis eterni vestigia, qui bona reddit singulis secundum proprie studia bonitatis. Sane cum dudum fel. recordationis Innocentius papa predecessor noster evidentiam tue probitatis considerans tecum sicut accepimus per suas litteras dispensasset, ut non obstante defectu natalium quem pateris de soluto genitus et soluta posses promoveri ad omnes ordines et beneficium ecclesiasticum etiam si haberet animarum curam libere obtinere, nos postmodum intellecto quod nonnulla ecclesiarum regni Francie ac aliarum partium capitula statutum ediderant juramento firmatum, ut nullum clericum defectum natalium patientem in canonicum reciperent et fratrem admitti, consideratis tue laudabilis conversationis et vite meritis per nostras litteras duximus dispensandum. Quare pro parte tua humiliter petebatur a nobis ut de amplioris dispensationis beneficio tibi providere de benignitate solita curaremus, maxime cum tu per Dei gratiam in theologica facultate adeptus honorem cathedre magistralis fluenta scientie derives ad alios, et eos quantum tibi ex alto conceditur studeas reddere gratiosos. Nos itaque tuis propter hoc supplicationibus annuentes ut predicto non obstante defectu in prefatis vel quibuscunque aliis ecclesiis personatum vel dignitatem ecclesiasticam cum cura vel sine cura etiam si episcopalis fuerit dummodo alias ad eam canonice evoceris obtinere valeas tibi auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Anagnie v kal. Februarii, anno sexto.

Reg. Vat. Alexandri IV an. 6, ep. 14, fol. 238.

1. De ipso vide supra n° 330, nota 12, et n° 340. Episcopus Paris. ei canonicatum in ecclesia Paris. contulit, ex quo grave dissidium inter ipsum et capitulum Paris. oriebatur.

---

360. *Johannes prior S. Eligii Paris. concedit fratribus Ord. b. Mariae de Monte-Carmeli ut domum quamdam in parochia S. Pauli a Philippo Buketyn emptam libere possideant.*

1260, mense Februario [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis frater Petrus humilis abbas monasterii Fossatensis[1] totusque conventus ejusdem loci salutem in Domino. Notum facimus, nos litteras religiosi viri Johannis prioris Sancti Eligii Parisiensis vidisse et inspexisse in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis J. humilis prior Sancti Eligii Parisiensis salutem in Domino. Noveritis quod nos volumus et concedimus, quod fratres de Ordine beate Marie de Monte-Carmeli habeant et possideant in perpetuum pacifice et quiete in manu mortua quamdam domum sitam Parisius in terra nostra in parrochia Sancti Pauli, quam domum emerunt a Philippo Buketyn; et quod in ea ecclesiam edificare, divina celebrare valeant, et infra clausuram suam habere cimiterium et campanam. Recompensationem etiam quadraginta solidorum parisiens. annui redditus, quam Ludovicus

Dei gratia rex Francorum illustris fecit nobis et successoribus nostris pro admortuatione dicte domus et recompensationem quatuor librarum annui redditus, quam idem rex fecit presbytero Sancti Pauli et ejus successoribus, pro adventu et remanentia dictorum fratrum in dicta parrochia approbamus; concedentes ordinationem, quam reverendus pater R.[2] Dei gratia Parisiensis episcopus fecit inter dictum presbyterum et ejus successores, et fratres supradictos. Et promittimus nos omnia supradicta et singula observare, et contra decetero non venire. In cujus rei memoriam et testimonium presentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Datum anno Domini millesimo CC° quinquagesimo nono, mense Februario.

Premissa autem omnia et singula, velut premissa sunt, ad petitionem dicti prioris et fratrum predictorum volumus, laudamus pariter et approbamus. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense Februario[3].

Originale in Arch. nat. Paris. L. 927, n° 1. Superest sigillum cereum abbatis, deest vero sigillum conventus. — Félibien, *Histoire de la ville de Paris*, III, 215.

1. S. Maur-les-Fossés, Ord. S. B. Prioratus S. Eligii (S. Eloi) e praedicta abbatia pendebat. — 2. Reginaldus. — 3. Primus doctor Ord. Carmel. in Universitate Paris. fuit mag. Gerardus Bononiensis (vide Johannes Grossi in *Viridario*, inserto *Speculo Carmelit.*, I, 134), cujus exstant *Quaestiones ordinariae* et *Quolibeta* (Arch. de la Corona de Aragon, divis. Ripoll, ms. 95). Anno 1297 fit generalis Ord. Annis 1259 et 1260 fratres Montis-Carmeli certe non erant Universitati Paris. aggregati, sicut et durante saec. XIII pauci studentes in Universitate nominantur. Erant utpote in ripa dextera Sequanae, nimis remoti ab ipsa. Anno 1309 receperunt habitationem non multum distantem a collegio S. Bernardi.

---

361. *Primordia Collegii Cluniacensis Parisiis.*

1260, Aprilis 25, [Cluniaci].

Quoniam dominus abbas pro posse suo intendit ad promotionem et edificationem scolarium Cluniac. Parisius studentium, diffinitum est de ejus consilio et assensu, quod studium predictorum scolarium perpetuam in dicto loco stabilitatem habeat secundum ordinationem jam factam vel in melius faciendam. Et ut dictum studium de bono in melius augmentetur diffinitum est quod omnes libri predictorum scolarium in dicto studio vel alibi dum fuerint in dicto loco scolarium decedentium, si eisdem appropriati fuerint, in communem utilitatem omnium scolarium in dicto loco studentium perpetuo maneant et in archa communi a priore dictorum scolarium teneantur, et secundum dispositionem ipsius prioris ad usum ipsorum scolarium libere concedantur.

Item quoniam multus favor est Cluniacensibus scolaribus Parisius studentibus ex eorumdem studio adhibendus, diffinierunt quod prioratus de Vandopera in Campania Lingonensis diocesis assignetur et conferatur episcopo Altisiodorensi ab eo quamdiu vixerit possidendus, ita tamen, quod post mortem ipsius episcopi libere cum meliorationibus omnibus et edificiis ibi per eum factis ad Cluniacense monasterium revertatur, et

hoc precipue illa ratione, quia dictus episcopus domum quam habet Parisius cum omnibus pertinentiis domus, que pertinent ad ipsum ratione patrimonii sui, contulit liberaliter et concessit et donatione perpetua inter vivos tradidit monasterio Cluniacensi ab eodem monasterio perpetuo possidendam et habendam ad opus et exercitium scolarium dicte domus et membrorum studentium Parisius, et debet eam tradere liberam et quittam ab omni onere servitutis et census et cujuslibet pensionis et mandare bonam et firmam garentiam de omnibus comparatoribus (?) dicte domus et pertinentiis ex parte proprietatis et ex parte donationis.

Definitiones Capp. general. Cluniac. in Bibl. nat. Paris. ms. lat., nouv. acquis., 2263, prima pars, fol. 70^b, sub rubrica: « Diffinitio quod libri scolarium decedentium in collegio Parisiensi debeant remanere in dicto collegio, facta anno Domini M°CC°LX », altera fol. 92 sub rubrica: « Diffinitio anni millesimi CCLX ». Ut ex nota ad doc. n° 375 concludere debemus, episcopus Autissiodorensis suam domum Cluniacensibus non dedit, cum insuper anno sequenti Cluniacenses domum studiis deputatam Parisiis adhuc non possiderent (cf. infra n° 370), licet studentes Parisiis jam ab aliquibus annis tenerent. — Capitula generalia Cluniac. in dominica *Jubilate* (3 dom. post Pascha) Cluniaci celebrabantur, ut liquet ex ms., fol. 24.

---

362. *Magister Guerendus exsecutor testamenti magistri Roberti de Duaco in favorem scholarium domus Sorbonae.*

1260, Aprilis 26, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis .. officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis constitutus vir venerabilis magister Guerendus canonicus Ambianensis, regens Parisius in theologia, executor, ut dicebat, unacum venerabili viro preposito ecclesie de Seclino testamenti defuncti magistri Roberti de Duaco[1], quondam clerici illustris principis Acaye, ordinavit et disposuit de executione predicti testamenti quantum in se est in hunc modum. Voluit enim et ordinavit expresse, quod quicquid contingat de ipso, quod solutis debitis et legatis dicti defuncti magistri Roberti totum residuum bonorum ipsius defuncti, si quod fuerit, cedat in utilitatem pauperum magistrorum studentium Parisius in theologia, quorum negotia gerit vir venerabilis magister Robertus de Sorbone, canonicus Parisiensis. Item voluit et ordinavit quod dicti pauperes magistri habeant et percipiant quandam partem librorum suorum, de qua fecit mentionem dicto magistro Roberto canonico Parisiensi pro sexaginta et decem libris parisiens., in quibus dicte executioni tenetur, ut confessus est coram nobis. Hec autem omnia voluit et ordinavit dictus magister Guerendus coram nobis. Dat. anno Domini M° CC° sexagesimo, die lune post Jubilate.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 75, n° 156. Deest sigillum. — Supra, n° 325, alii exsecutores testamenti magistri Roberti de Duaco physici nominantur; unde suspicari potest hic minime agi de una eademque persona.

1. Ex hoc certum fieret, Robertum de Duaco physicum, an. 1260, April. 26, jam defunctum esse, si quidem esset idem atque Robertus in hoc documento laudatus.

---

363. *Statutum facultatis artium, ne quis magister deputatus ad examinandum a parte B. Genovefae baccalareum ad petendam licentiam a parte eadem praesentet. De electione examinatorum et punitione transgressorum.*

1260, mense Aprili, [Parisiis].

Nos magistri artium quatuor nationum regentes Parisius ordinationi sive statuto per nos sive per antecessores nostros anno Domini M° CC° LIX facto et inregistrato[1] hos tres articulos sequentes de communi consensu dignum duximus adjungendos, videlicet, quod nullus magister deputatus ad audiendum sive ad examinandum a parte Beate Genovefe, sive in communibus sive in propriis, quamdiu in officio examinandi existat, bacalarium ad petendum licenciam, per se vel per alium, a parte eadem presentet sive audiat. Insuper quod examinatores in communibus eligantur per nationes, quemadmodum et in propriis, ita tamen, quod electores jurati ad eligendum tam procuratores quam examinatores, quocienscumque deputantur, accedant, et examinatores in communibus electi in presencia facultatis, antequam quenquam examinent, prout moris est, de fideliter examinando prestent juramentum. Item volumus et ordinamus, quod quilibet rector in prima sui institucione specialiter per suum sacramentum sit astrictus ad puniendum transgressores horum articulorum, et etiam in previe memorata ordinatione sive statuto[2] contentorum, cum consilio duorum magistrorum specialiter ad hoc de qualibet nacione per procuratores vocatorum, dummodo eidem de transgressione et transgressore per fide dignos fideliter constiterit, secundum penas in supradicta ordinatione impositas, reservata tamen potestate facultati penam mitigandi sive relaxandi, quotiens sibi viderit expedire. Adicientes etiam quod si controversia sive contentio in aliqua nacione super eligendo examinatore in communibus oriretur et duraret per tres dies continue, quod de nationibus concordibus quelibet unum magistrum mitteret ad eligendum cum electoribus a nacione discordi deputatis, et illi jurati cum aliis ad electionem procederent : et ille in quem major pars eorum consenserit[3], remaneret examinator. Volumus etiam quod observentur ista specialiter sub eadem fidei et juramenti religione, sub qua sepedictam ordinationem sive statutum adstringimur observare, forma quam bacalarii consueverunt in presentia cancellarii jurare a bacalariis observata. In cujus rei testimonium sigilla quatuor nationum fecimus apponi. Datum anno Domini MCC° sexagesimo, mense Aprili.

Arch. Univers. Paris. ms. 94 continens *Chart. Univers.*, p. 71, n° 65. Bibl. Carnot., ms. 662 (cod. Harcur.), fol. 126, cum rubrica : « Statutum facultatis quod examinatores Sancte Genovefe non habeant sub se bacalarios et quod antequam examinent, ipsi jurent in presencia facultatis, item de modo eligendi examinatores alicujus nationis si forte in ea non esset concordia. » — Bulaeus, III, 361.

1. Supra n° 333. — 2. Sc. in statuto an. 1259, supra n° 333. — 3. Cod. Harcur. : « consentiret ».

364. *Ordinationes Capituli generalis Ord. Minorum sub ministro generali Bonaventura Narbonae celebrati de fratribus mittendis Parisios ad studendum.*

1260, Maio exeunte, Narbonae.

Rubr. 6. Mittendi Parisius ad studendum primo exerceantur tribus vel duobus annis post novitiatum in aliquo studio sue provincie vel vicine, nisi adeo fuerint litterati, quod post novitiatum continuo possint mitti. Non mittantur tamen, nisi de auctoritate ministri cum consilio et consensu Capituli provincialis. Taliter autem missi studeant quatuor annis ad minus, nisi adeo fuerint provecti, quod merito judicentur idonei ad lectionis officium exequendum. Circa mittendos autem attendatur, quod sint ad proficiendum habiles, fortes corpore, eloquentie bone, et conversationis honeste, non contentiosi, sed mites et pacifici inter fratres. Teneantur autem fratres mittere illos, quos judicaverint magis idoneos secundum conditiones premissas. Si autem aliquem miserint, qui propter defectus notabiles sit indignus, tribus diebus tantum in pane et aqua jejunent, illi scilicet quorum consilio est transmissus. Possit autem quelibet provincia habere duos studentes Parisius sine aliqua provisione[1], quibus provideatur in libris secundum arbitrium provincialis Capituli et ministri. Teneantur studentes in suo reditu de tota provisione reddere rationem, et caveant ne elecmosynas sibi missas pro libris in alios usus commutent, nec libros fieri faciant curiosos. Item inhibemus, ne decetero aliquod scriptum novum extra Ordinem publicetur, nisi prius examinatum fuerit diligenter per generalem ministrum vel provincialem et diffinitores in Capitulo provinciali, et quicunque contrafecerit, tribus diebus tantum in pane et aqua jejunet et careat illo scripto ... *Rubr.* 8. Insuper ordinamus quod singulis annis visitetur domus Parisiensis per specialem visitatorem missum a ministro generali, qui si invenerit aliquem insolentem, possit cum ministro provinciali ipsum remittere ad suam provinciam.

Cod. Vat. lat. 7339, fol. 101 b sq., Constitutiones generales an. 1260 continens. Apographum in Bibl. gubernativa Cremonensi, ms. 15, 3, 22. — Hae sunt primae ordinationes scriptae Ord. Minorum de studiis, quae processu temporis immutatae et adauctae fuerunt, ut probant notae marginales ad duos codices allatos, et Constitutiones generales an. 1292 (in Cod. Vat. Ottob. 15, fol. 37; Cod. in S. Isidoro Romae), et saec. XIV ineuntis (Ottob. 15, fol. 71; Ottob. 56, fol. 143. Burghes., nº 242, *etc.*). Jam ante an. 1260 aliquas Constitutiones in vigore fuisse, licet ordinatae non essent, notat Salimbene, *Chron.*, p. 410 sq. An. 1268 vel 1269 Bonaventura « ordinavit Parisius pro studentibus illuc de toto ordine accedentibus, quod secundum quatuor octonaria provinciarum videlicet Hispanorum, Alemannorum, Lumbardorum et Romanorum essent ibi quatuor assistentes, qui studentibus utilia proponerent et humiliter procurarent ». *Chron. XXIV General. Ord. Min.* Ms. 53 Leopold. Gadd. Laurentianae.

1. In Cap. generali Montispessulani an. 1287 celebrato statuitur : « Fratribus studentibus Parisius provideatur a suis custodibus in xxx libris turon., que in libris utilibus convertantur, qui libri post mortem eorum ad suas custodias libere revertantur ». Cod. Burghes. nº 86 in fine.

---

365. *Ordinatio Capituli provincialis provinciae Provinciae Ord. Praed. circa studentes Parisios mittendos.*

1260, Julii 22, Massiliae.

Circa studium ordinamus quod sequitur de consilio priorum et lectorum, qui presentes fuerunt. Nullus mittatur Parisius, antequam per duos vel tres annos audierit

theologiam. Et ut plures possint promoveri, missi Parisius non morentur ibidem ultra biennium, nisi ex causa legitima aliter ordinaretur. Conventus autem, pro quibus mittentur studentes Parisius, statim provisionem debitam solvant sibi, cum mittendi erunt studentes, antequam iter arripiant, alioquin prior provincialis illum revocet, et alium loco ejus mittat, cui statim provideatur. Item cum aliquis studens de Parisius fuerit revocandus, in precedenti provinciali Capitulo prior provincialis cum consilio diffinitorum ordinet, quis in revocatione alterius mittatur.

Cod. Tolos. 490, fol. 294. Bibl. Avenion., ms. 229, fol. 88. — Ex epistola Humberti magistri generalis Ord. Praed., scripta tempore Capituli generalis hoc anno Argentinae celebrati ediscimus anno 1260 septuaginta scholares habitum Ordinis Parisiis sumpsisse. Ms. Rom. Capp. general. Ord. Praed., fol. 30. Idem evenit an. 1262. Cf. ibid. fol. 35[b].

---

366. *Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. concedit facultatem absolvendi a sententia excommunicationis illos clericos, qui libros famosos Guillelmi de S. Amore et aliorum detinuerant.*

1260, Decembris 3, Laterani.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Tua nobis fraternitas intimavit quod nonnulli clerici tue civitatis et diocesis incurrerunt excommunicationis sententiam latam auctoritate nostra in omnes illos, qui libellos famosos contra Predicatorum et Minorum Ordinum fratres a magistro Guillermo de Sancto Amore seu aliis editos publicare[1] presumerent seu etiam retinere. Quare nobis humiliter supplicasti ut cum multitudo sit in causa, super hoc eorum saluti providere misericorditer curaremus. De tua itaque circumspectione confisi presentium tibi auctoritate concedimus ut, ab eisdem excommunicatis sufficienti cautione prestita, quod libellos hujusmodi, quos comburi facias, decetero non tenebunt, ipsos ab hujusmodi sententia absolvas hac vice juxta formam ecclesie vice nostra, ac faciens eos ab executione suorum ordinum usque ad certum tempus prout expedire videris, manere suspensos, tandem cum ipsis super irregularitate, si quam medio tempore celebrando divina officia seu immiscendo se illis contraxerint, dispensare procures prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Dat. Laterani iij non. Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Firmamenta trium ord. S. Francisci (Parisiis, 1512), parte 2, tr. 1, fol. XVII[b]. — Wadding, *Ann. Min.*, IV, 127. Bulaeus, III, 361.

1. Vide infra n[os] 367, 368, notas.

---

367. *Magister G. actu regens Parisiis in theologia magistrum T. objurgat quod sibi de suis nihil retinuerit. Dolet se libellum editum contra tractatum Guillelmi de S. Amore habere non potuisse.*

Circa an. 1260, [Parisiis].

Magister G.[1] de t. l. archidiaconus de t. l. Parisius regens in theologia predilecto et fideli amico suo magistro T. de t. l. optat salutem, et quicquid salubrius est optandum in

auctore salutis. Si sacrarum litterarum ignarus essetis, dolerem quamplurimum simplicitatem columbinam. Sed tactus dolore cordis intrinsecus horrendo stupore repercussus, ex intimis doleo, virum divina lege admodum pro tempore suo eruditum supra coetaneos suos ignorare prudenciam serpentinam. Quanta enim levitate et quanta temeritate in operibus misericordie januam misericordie vobis precludendo, scissis velis, fracta pupi, malo dissoluto, ancora perdita, velud naufragium passus et tanquam vagabundus immo vere freneticus seu melanconicus totum vobis adimitis, cum tamen ipsius misericordie pro possibilitate condictionis humane servanda sit mensura, ut non sibi quisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere percipiatur. Magna presumebantur de vobis, sed longe majora spe felici prestolabantur. Sed, pro dolor! nisi cor vestrum, quod tanquam parturientis fantasias patitur, ad diligentem considerationem scripturarum velud columba seducta per Altissimi consolationem citius revertatur, ut in sacrificio vestro sal habundancius reponatur, in proverbium critis et derisum, quem multi et magni sperabant suo tempore lucernam super candelabrum in domo ecclesie ad edificationem corporis sui mistici magnifice exaltandum. Ergo, karissime, non confundatis amicos nec letificetis inimicos, nec telam, antequam ordiatur a texante, succidatis. Revertamini, et salubri usus consilio, unde sustentari possitis in scolis, donec a Domino provisum fuerit vobis, provide reservetis, quia nec beatus Martinus totam clamidem pauperi erogavit. Sed hactenus scripturam, quam vestri gratia michi misistis, de vobis confisus adhuc inspiciendam retinui, quam artatus brevitate negotiorum et studiorum nundum inspicere potui. Ceterum de quodam libello hujusmodi materie nuper edito, qui incipit : *Manus que contra Omnipotentem tenditur*[2], *etc.*, nullatenus copiam potui invenire. Si quid vero sit in mea potestate, quod vobis placere debeat, secure petatis cum omni fiducia optinendi. Valete in Domino Jhesu Christo.

Bibl. Univers. Paris. ms. t. II, 40ª, fol. 318.

1. Sane magister Gerardus de Abbatisvilla. Vide infra nº 374, n. 2. — 2. Iste liber scriptus est contra librum Guillelmi de S. Amore *De periculis noviss. temporum*, ut et in mss. Burghes. et Laurent. infra citatis legitur. Conservatur adhuc in ms. Univ. Paris. fol. 1; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15975, fol. 2; Monacens., ms. lat. 21059, fol. 67; Bibl. Burghes., mss. 161, fol. 20 (script. anglic.); 360, fol. 120; Epinal, ms. 46; Bruxellis, 18027-35, fol. 135. Certum est ejus auctorem fuisse quemdam fratrem Ord. Minorum. In cod. Burghes. 360 ejus nomen est fr. Bertrandus de Bajona (script. manu saec. XIII-XIV) ut et in *Chron. XXIV general.* repetitur. Iste frater et Strabo vocatur (excerpta ex *Comment. in Sentent.* fr. Strabonis de Minoribus in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15652, fol. 88ᵇ; 15702, fol. 3). In Cod. Laurentiano Plut. XV. dext. nº 12 tamen, qui *Apologiam pauperum* S. Bonaventurae continet, legitur fol. 42ᵇ in glossa (saec. XIV) ad quaedam verba Bonaventurae : « illum (libellum), qui incipit : *Manus que contra Omnipotentem erigitur*, fecit fr. Thomas de Eboraco » (quod fol. 68 repetitur), qui an. 1253 mense Martio Oxoniae in theologia incepit (*Monum. Francisc.*, ed. Brewer, p. 346, ubi in rubrica pro W. substitui debet P., quia isto tempore non Wilhelmus de Nottingham, sed Petrus de Tewksburia minister Angliae fuit. Ad hoc cf. supra ad nᵘᵐ 188, et *Munim. academ. Oxon.*, I, 25). Quo tempore liber compositus sit affirmare non possumus. Haud dubie circa vel ante an. 1260, praecipue si magister Gerardus de Abbatisvilla auctor est operis tripartiti *Contra adversarium perfectionis christiane* (Bibl. Univers. Paris. ms. t. II, 40ª, fol. 35), contra quod Joh. Peckham *Tractatum pauperis contra insipientem* (Bibl. Burghes. ms. 161, fol. 60, cod. omnium antiquissimus; Bibl. Vat. ms. lat. 1013, fol. 60, et alibi. Vide mss. citatos in libro *De humanae cognitionis ratione*, ed. PP Collegii a S. Bonaventura, p. XVII, nº 12. In Bibl. Coll. Corp. Ch. Oxon. ms. 182 legitur « contra Willelmum de S. Amore »), et S. Bonaventura *Apologiam pauperum* ediderunt. In quodam alio scilicet libro, qui est *Liber apologeticus* prioris, concedit idem auctor se primum opus composuisse in juvenili aetate (Bibl. Univers. Paris. l. c., fol. 211ᵇ sq.), quod utique non post an. 1260 esse potuit, si, ut diximus, Gerardus de Abbatisvilla auctor est. Sed de hoc alias, quando etiam de 110 « Exceptionibus » ex libro Minoritae, et de « Replicationibus » disseremus.

368. *Magister T. respondet epistolae quam a magistro G. in theologia Parisiis regente receperat.*

Circa an. 1260.

Multa prolixitas atterit mentem meam, ne aut loquendo arrogans videar et elatus, aut tacendo amicitiam offendam, et in corde meo Dei veritatem abscondam. Sed michi pro merito est, ut ab humano judicer die, quia me Dominus judicabit. Ideo facescat invidia, cedat pudor amicitie, veritas reveletur, ut amicitia solidetur, quia non potest esse verus amicus, qui Deo fuerit infidus, nec amicus hominis, qui non fuerit amicus ipsius primitus veritatis. Loquar igitur, etsi pudibunde, quamvis videar gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam, non tantum doctorem tantillus discipulus perverso ordine docendo, sed ne offendam amicitiam tanti doctoris, me apud ejus conscientiam excusando. Grates igitur multimodas tanto doctori refero, cujus sublimitas et benignitas meam parvitatem dignata est suis litteris visitare, me licet indignum supra meritum exaltare, et quod multo gratius est sua michi ultro non rogatus offerre. Miror tamen doctorem veritatis egregium in totius patrimonii erogatione astucia prudencie serpentine me dolore stupore horrido caruisse, non pocius columbine simplicitatis defectum tenuisse[1], que sola in conspectu Altissimi est apparens[2]..... *Concludit :* Qui tantos viros in opere et doctrina sequitur, non caret prudentia serpentina, si vero fuerit per Dei gratiam simplicitas columbina[3]. Nec temeritate vel levitate misericordie januam in operibus misericordie quasi desperatus sibi claudit sed aperit, qui ante oculos talium dicta et facta continue aspicit. Nec scissis velis incedit, nisi ut intret cum talibus in sancta sanctorum, nec fracta pupi, etsi fluctibus temptationum vapulata, nec malo dissoluto, qui eo regitur qui est sicut malus inter ligna silvarum, nec anchora perdita tantis sententiis patrum et exemplis, tanquam funibus firmis contra tempestates seculi alligata. Nec naufragium passus, sed cum tantis doctoribus a naufragio avaritie liberatus. Nec ut vagabundus, sed in ecclesie solidissima petra stans firmus. Nec freneticus vel melanconicus, nisi frenesi vel melanconia seculari, que apud Deum sapientia reputatur, sed sobrius et discretus. Nec cor tale ut parturientis patitur fantasias, sed sanctorum cogitat vias, et sententias rectas, nec indiget ad sanctarum scripturarum indagationem quo ad hoc ut columba seducta reduci, qui ab hac quo ad hoc non valuit recessisse probari. Nec in tali sacrificio sal deficit, etsi superhabundanter ei fuerit, etsi mundo sit in obprobrium et derisum. Sed et Paulus mundo factus est spectaculum, non tamen intelligentibus veritatis consilium. Nec in hoc est timendum, quia si hominibus placeret, Christi servus qualiter esset? Nec confundit amicos, sed dampnificat inimicos, nec telam antequam ordiatur succidit, sed ordiri incipit, ne velud infructuosa arbor securi dominica succidatur. Miror igitur hominem verum doctorem egregium hec dicere : « In tali facto dolore cordis intrinsecus tangi, horrendo stupore repercuti, ex intimis dolere, prudencia me serpentina caruisse », nisi mee hec scripsit compatiendo infirmitati, non prejudicando in aliquo veritati, quod gratissime amplector, quia corripiet me justus in

misericordia, et meliora sunt verba amici quam fraudulenta oscula inimici. Illud enim pretendit illa auctoritas amborum super Lucam, quam vestra benignitas michi in palam adduxit, quod misericordie pro possibilitate conditionis humane servanda sit mensura, ut non sibi totum quisque eripiat, sed quod habet cum paupere percipiatur, hoc enim infirmis consilium datum est, quibus melius est pro parte erogare, quam post de inopia murmurare ..... Consilium igitur vestrum mee infirmitati oblatum gratanter accipio. Ideo nec omnia michi adimo, nec perfectionem michi arrogo, quam infirmitate retrahente ingredi non valeo, sed plura et forte superflua michi retineo. Libros enim ducentenas libras valentes et amplius michi reservo, de quorum distractione si necesse fuerit, victum sufficienter habebo. Nec factum beati Martini valet mea infirmitas in hoc sequi, qui non solum de exterioribus et superfluis sed de necessario corporis indumento pauperis membra texit, et pro parte nudus remansit. In hoc ergo facto et singulari non expedivit gloriari, tamen in Domino oportuit, quia vos me coegistis. Factus sum insipiens, meam insipientiam supportate, hoc enim factum a vobis debuit commendari; in insipiencia enim locutus sum non ob meam in hoc facto commendationem, Deus novit, sed propter amicitiam et veritatem.

Hoc igitur, pater et doctor egregie, in meam recipite excusationem, et de prolixitate veniam date, qui ob meam ruditatem paucis verbis nescio proloqui veritatem maxime vobis, quem in tantis occupatum mea non debui verbositate honerare. Sed parcite infirmitati et congaudete veritati. Librum quem vobis misi, qui incipit : *Manus que contra Deum tenditur*[4], *etc.*, miror quod non invenistis, si tamen diligentiam querendi adhibuistis, quia in Ordine[5], de quo alias locutus sum, ut a quodam de predicto Ordine persona credibili audivi, in tanta auctoritate est habitus ut quorumdam de predicto Ordine impetratione in archa seu armario Sancti Petri[6] ad confirmationem sue auctoritatis Rome fuerit collocatus, et verendum ne in sancto loco ydolum sive desolationis abhominatio reponatur. Valde enim michi placet, ut cum diligenter inspiciatis ut errores ut credo quamplurimos advertatis; cum tamen expedieritis, michi si placet cum vestra sententia remittatis. Me etiam spero Domino concedente anno sequenti Parisius vos visurum, et super hoc et aliis vobisque plenius locuturum. Me et mea in vestrum servitium, etsi parum sit vestris beneficiis, letanter offero et gratanter. Dominus vos in sua gratia conservet, sue sancte ecclesie vere venerabilis ac egregius doctor. Orate pro discipulo vestro.

Bibl. Univers. Paris. ms. t. II, 40^{a}, fol. 318-222.

1. Vide epistolam praecedentem. — 2. Refert deinde testimonia duodecim doctorum sanctorum Cypriani, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Basilii, Chrysostomi, Gregorii, Prosperi, Bedae, Rabani, ut probet clericos propter consilium Domini propria debere contemnere, facultates vero ecclesiae, cum expedierit, « ut unde pauperibus subministrant, inde et ipsi tanquam pauperes voluntarii vivant ». Adducit postea exempla sanctorum, qui non erant possessores, sed rerum divinarum procuratores. — 3. Ad subsequentia vide epist. praecedentem. — 4. Cf. ibid. n. 2. — 5. In Ordine Minorum scilicet. — 6. Id est in Archivo seu Bibliotheca exstante in aedibus Vaticanis ad S. Petrum. Cf. De Rossi, *De origine, historia, indicibus scrinii et bibliothecae sedis apost.*, p. XCV. Dicendi genus : « In armario S. Petri », occurrit inter alia in principio

catalogi saec. XI apud Mai, *Spicil. Roman.*, 202 sq. Quod supra dicitur, refert etiam auctor operis *Liber apologeticus* : « nec librum eorum, tantis erroribus maculatum, credebamus nec adhuc credere valemus contra Romanam ecclesiam a Romano pontifice approbatum aut sicut jactant in Beati Petri armario contra Petrum et quod magis est, contra ipsius Petri Dominum collocatum ». Bibl. Univers., l. c., fol. 212.

369. *Statutum ad quod bedelli Universitatis astringuntur.*

1251-1260, [Parisiis].

Hec sunt statuta, que bedelli Universitatis Parisiensis fide corporali prestita obligabunt se firmiter observare. Debent interesse cujuslibet incipientis principio, sive pauperis, sive alterius, a principio usque ad finem, nisi notorium sit ipsos esse missos ab incipiente vel procuratore sue nacionis ob aliquam specialem causam vel ob aliquam comunem examinationem sue nacionis specialem vel nisi habeant interesse exequiis cujusdam funeris vel quorumdam, vel nisi propria corporis infirmitate eosdem contigerit esse detentos, vel nisi aliqua alia occasione legitima et notoria, si qua alia a predictis esse possit, fuerint detenti. Si autem absentent se nulla dictarum occasione excusati, debent carere portione sua illius burse, quam dabit ille qui incipit, quam dico portionem debet habere procurator dicti bedelli, qui eadem carere debet. Item si injungatur bedello alicui facere congregationem vel specialem vel generalem, et possit probari per tres magistros vel quatuor, quod illos non citaverit, similiter portionem cujusdam burse duorum solidorum noverit se cariturum, quam similiter portionem debet habere procurator nacionis ejusdem. Item si debeat clamare cursum et possit probari ipsum deficere non circuiendo omnes scolas, eandem incursurum se noverit penam et idem dampnum et modo eodem, quo pretactum est. Item debet quilibet bedellus summo mane die qualibet circuire scolas non solum rectoris vel procuratoris sui, verum etiam cujuslibet procuratoris cujuscumque sit nacionis; quod si non fecerit, noverit se idem dampnum et eodem modo incursurum. Item si deficiat in examinatione communi alicujus sue nacionis, vel secretorum Universitatis revelator probatus fuerit, noverit se bursam unam sicut dictum est non habere. Item si defecerit die veneris ad vesperas sue nacionis, duos amittet denarios et in missa duos. Item si non habet kalendarium et defecerit in annunciando festum non notorium singulis, vel etiam non inhibendo disputare cum opus fuerit, pro singulis talium quatuor amittet denarios, quos omnes denarios debet servare procurator nacionis bedelli delinquentis ad opus nacionis sue.

Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 57. Cod. Vat. Reg. 406, fol. 54, ubi sicut et in Mus. Britann. Add. mss. 17304, fol. 64b, exstat inter documenta annorum 1251 sqq., in *Chartul. facult. Decret.* Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, fol. 138b, inter epistolas Innocentii IV. Ubique rubrica ut supra. — Jourdain, nº 342.

370. *Definitio quod fiat domus Parisiis pro studentibus (Ord. Cluniacensis), facta anno Domini MºCCºLXI.*

1261, Maii 15, [Cluniaci].

Quoniam multus favor est Cluniac. scolaribus Parisius studentibus ex eorumdem studio adhibendus, et ibidem Ordo Cluniacensis propriam domum non habeat studio

deputatam, diffinimus quod si dominus abbas inveniat aliquem, qui domum Parisius habeat studio congruentem, qui eam velit aliquo titulo concedere monasterio Cluniacensi ad opus dictorum scolarium, assignentur possessiones eidem de decanatibus[1] et prioratibus monasterii Cluniacensis ad valorem centum librarum parisiens. annui redditus vel amplius ab eo quoad vixerit possidende, ita tamen quod post mortem illius a quo domus haberi poterit dicte possessiones libere cum omnibus melioracionibus et edificiis ad Cluniacense monasterium revertantur.

Definitiones Capp. general. Cluniac. in Bibl. nat. Paris. ms. lat., nouv. acquis., 2263, fol. 69, sub rubrica ut supra. — De ista domo seu collegio, quod partim anno sequenti jam exstabat, vide infra n° 375, nota, et supra n° 361.

1. Ms. : « canonicatibus ».

370ª. *« Alexander IV quod redditus, in quibus juramento tenebamur pauperibus scolaribus Parisius studentibus, in usus canonicorum nostrorum in sacra pagina studentium verterentur. »*

1254, Decemb. 20-1261, Maii 25.

Cod. Vat. Ottob. 2966, fol. 62ᵇ. — Auvray in *Mélanges d'archéologie et d'histoire*, VI, 453, ubi excerptum, contra auctoritatem codicis, perperam Alexandro III ascribitur.

---

371. *Admonitio Capituli generalis Ord. Praed. Barcinonae sub mag. Humberto celebrati.*

1261, Junio ineunte, Barcinonae.

Rogamus quod fratres dent operam ad juvandum domum Parisiensem, quando poterunt.

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1730, n° 12. — Conventus Paris. semper aere alieno premebatur, sicut et in Capit. generali an. 1283 repetitur. Causa fuit multitudo fratrum ibidem studentium, tam indigenarum, quam externorum. Omnis provincia Ordinis illuc sicut et ad alia studia generalia aliquos dociles studentes destinavit. Cf. supra n° 102. Sic provincia Daciae c. an. 1275 « ad studium Parisiense », Oxoniense et Coloniense fratres assignavit. Vide *Kirkehistoriske Samlinger*, Kjöbenhavn, 1852, p. 561. An. 1283 inveniuntur tres studentes Parisiis. *Diplom. Suec.* I, 621. Tempore Capituli provincialis provinciae Hispaniae an. 1299 Barcinonae celebrati tres fratres ejusdem provinciae Parisiis studebant, bini Florentiae, Bononiae, Coloniae. Originale in Archivo historico nacional Matriti, n° 211. Provincia Aragoniae an. 1303 studentes tenuit Parisiis, Montispessulani, Neapoli. Bibl. Univers. Barcinon., ms. 8. 2 45, fol. 385. Quod provinciam Provinciae attinet, vide supra nᵒˢ 327, 364. Anglos, Alemannosque Parisiis studuisse apparet ex *Catalogo magistrorum* Stephani de Salanhaco et Bernardi Guidonis in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalt.*, II, 203 sqq. Ex actis Capp. provincialium provinciae Romanae an. 1264 et 1265 apparet hanc provinciam tres studentes Parisiis tenuisse. Ms. Rom. Capp. general., fol. 138ᵇ, 139. Conventus Pisanus « solvit xxvj libras turon. pro studentibus qui sunt Parisius ».

---

372. *Gualterus de Sancto Quintino de suis domibus Parisiis sitis in favorem pauperum scholarium disponit.*

1261, Novembris 10, apud Nigellam.

Universis has litteras visuris Walterus dictus de Sancto Quintino archidiaconus Tanton. salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod ego virum venerabilem magistrum Johannem de Kelinis consanguineum meum, decanum Royensem, meum constituo procuratorem ad ordinandum et disponendum de domibus meis, que site sunt

Parisius tam in vico Sancti Stephani, quam ante portam fratrum Predicatorum Sancti Jacobi, sub hac forma quod pauperes scolares[1] habitent in eisdem vel alibi, ubi melius et commodius fieri poterit per legitimum escambium vel forum ad opus dictorum scolarium. Et si contingat quod ipsi scolares habeant capellam, sacerdos ibidem celebrans specialiter oret cotidie in canone misse pro magistro Johanne bone memorie quondam decano Sancti Quintini[2], qui dictas domos construi fecit, et pro anima mea et fratrum meorum heredumque suorum. Ratum et gratum habiturus quidquid dictus decanus Royensis ordinando seu disponendo duxerit faciendum, in predictis liberam et generalem eidem conferens administrationem in premissis omnibus. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo meo et decani Nigellensis munitas eidem concessi. Dat. apud Nigellam in vigilia sancti Martini episcopi anno Domini M° CC° sexagesimo primo.

Vidimus officialis curiae Paris. an. 1264 (1265), Januarii 13, in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 150. Ibidem exstat epistola officialis Paris. an. 1262 (1263), Martii 22, in qua declaratur Johannem de Kelinis, magistrum Robertum de Sorbona et dom. Guillelmum de Memonte, canon. de Meleduno, substituisse et constituisse procuratores, ut agerent de domibus, prout sibi visum fuisset expedire. Vide praeterea chartam an. 1259 ibid. S. 6219, n° 6, quantum ad Guillelmum de Memonte. An. 1263 Robertus de Sorbona istas domos cum aliis, quae regis Ludovici erant, commutavit. Cf. infra n° 393.

1. Agitur hic de quibuscunque pauperibus scholaribus. — 2. Iste decanus est idem atque ille de quo supra n^is 43, 125, 129 et alibi verba fecimus, unde liquet magistrum Johannem de Barastre plures domos prope locum fratrum Praedicatorum possedisse minimeque omnes dictis fratribus an. 1221 donasse.

---

373. *« Lettres de l'Université contenant appel interjeté sous le nom de Guillaume recteur d'icelle en présence des quatre procureurs de la faculté des arts, de ce que les trois facultés de décret, de théologie et de médecine[1] avaient entrepris de bailler mandement, revocquer certains procès faits par lesdits recteur et procureurs des nations contre M. Gaultier[2]. Lesdites lettres de l'an 1261, du 13e février ».*

1262, Februarii 13.

Titulus tantum exstat in *Inventaire des anciens titres de l'Université*, Arch. Univers. Paris., n° 98, B. 1. b.

1. Facultas medicinae jam ab initio saec. XIII (vide supra ad n^um 8, *etc.*) ab aliis facultatibus, praesertim a facultate artistarum, distincta erat, et certe longo ante an. 1260. Johannes Peckham, qui ante an. 1262 Parisiis studiis operam dabat, scribit an. 1284 magistro et scholaribus de Merton : « in distinctione facultatum medici contra philosophos *in Universitate qualibet* dividuntur ». *Registrum epist. Joh. Peckham*, ed. Martin, p. 812. Raro tamen ista aetate illius facultatis mentio fit. — 2. Verisimiliter idem ac ille infra n° 395 nominatus.

---

374. *Ingerandus, dominus de Maintenay, omnes clericos eorumque ministros causa studiorum Parisios accedentes et per suam terram transeuntes a solvendo pedagio liberat.*

1262, Februarii 17.

Omnibus Christi fidelibus presentes litteras visuris vel audituris Ingerandus dominus de Mauntenay[1] miles eternam in Domino salutem. Noveritis me pro salute anime mee, patris et matris meorum antecessorum et successorum et amore ac honore Universitatis Parisiensis, et ad instanciam venerabilis viri magistri Giraldi de Abbatisvilla archidiaconi Pontivensis[2] in ecclesia Ambianensi, remisisse ac quittasse in perpetuum pro me et heredibus meis omnibus clericis causa studiorum Parisius accedentibus et de eadem civitate

redeuntibus et omnibus eorum servientibus et ministris euntibus et redeuntibus omnimodum pedagium, exactiones et extorsiones et quicquid occasione alicujus consuetudinis quantum ad eorum personas et res omnimodas actenus in terra mea ego vel antecessores mei ab eisdem seu eorum aliquo petere vel exigere consuevimus, dummodo transeuntes, qui se asserunt esse ministros clericorum, hoc per fidem asserere sint parati, volens et concedens pro me et heredibus meis et assignatis, quod si contingat decetero, quod absit, aliquem de supradictis clericis vel eorum ministris super aliquibus vel aliquo premissorum in terra mea fatigari, molestari seu impediri, ego et heredes mei seu assignati de omnibus dampnis, interesse et expensis, que occasione culpe mee vel culpe heredum meorum vel assignatorum seu ministrorum meorum sibi contigerint, plenarie satisfaciemus. Promitto insuper pro me et heredibus, successoribus seu assignatis meis, quod quocienscunque aliquis minister ad pedagium in terra mea collegendum preficiatur, in principio sue institucionis tactis sacrosanctis promittet et jurabit se omnia premissa, que pro me et heredibus meis predicte Universitati concessi, fideliter et sine fraude necnon inviolabiliter observabit, et a suis faciet observari. Et ad omnia premissa firmiter et sine dolo observanda, adimplenda et custodienda pro me et heredibus meis seu assignatis in manu conservatoris privilegiorum Universitatis Parisiensis tunc existentis fidem prestiti corporalem, subiciendo nichilominus me et heredes meos seu assignatos interdictioni conservatoris vel conservatorum predictorum privilegiorum Universitatis Parisiensis ad observacionem omnium premissorum. In cujus rei testimonium et perpetuam memoriam sigillum meum presentibus litteris apposui. Et ad majorem securitatem faciendam sigilla venerabilium virorum conservatorum dictorum privilegiorum ac magistri Giraldi de Abbatisvilla archidiaconi Pontivensis, tunc in theologia Parisius regentis, qui dictum negocium ad instantiam nascionis Anglicane procuravit, una cum sigillo meo presentibus apponi procuravi. Datum anno Domini M° CC° sexagesimo primo, mense Februario, die veneris proxima ante festum sancti Petri quod dicitur ad cathedram.

Bibl. Colleg. Corp. Christi Oxoniae, ms. 283, fol. 156b.

1. Vix Montaniacus. Montenay (Mayenne). Vide Douët d'Arcq, *Collection de Sceaux*, I, n° 264. Potius Maintenay (Pas-de-Calais). Egidius de Mentenay libros dedit Collegio Sorbon. Cf. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 145. Studentes ex Anglia venientes iter faciebant per regionem quae « Pas-de-Calais » nuncupatur, non autem per « la Mayenne ». — 2. Hic primo celeber magister Gerardus de Abbatisvilla ut archidiaconus in Pontivo nominatur. In Reg. Vat. Innoc. IV an. 12, ep. 457, fol. 203b, mag. « Geroldus » de Abbatisvilla subdiaconus papae jam ad 8 Aug. 1254 laudatur ipsique de aliquo canonicatu in provincia Remensi provideri mandatur.

---

375. *Urbanus IV Ivoni I, abbati Cluniacensi, construendi oratorium in domo Parisiensi, ubi fratres Cluniacenses student, dat facultatem.*

1262, Martii 31, Viterbii.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati Cluniacensi salutem et apostolicam benedictionem. In nostra constitutus presentia nobis humiliter supplicasti ut,

cum monasterium tuum in civitate Parisiensi habeat quandam domum, in qua fratres Cluniacensis Ordinis insudantes litterarum studio commorantur, construendi oratorium in eadem domo ad opus fratrum ipsorum tibi licentiam concedere dignaremur[1]. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati tibi licentiam concedimus postulatam, ita tamen quod per hoc venerabili fratri nostro episcopo Parisiensi vel parrochiali ecclesie nullum prejudicium generetur. Dat. Viterbii ij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Bull. S. Ord. Cluniacensis, p. 131. — Hic prima fit mentio domus Cluniacensium Parisiis jam existentis (cf. supra n[is] 361 et 370), proindeque perperam vulgo asserunt collegium anno 1269 fundatum fuisse (cf. Du Breul, *Le theatre des Antiquitez de Paris* (1639), p. 473; Bulaeus, III, 395; Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, I, 416 sq.; Lebeuf-Cocheris, II, 72; 131; Jaillot, *Recherches critiques sur la ville de Paris*, V : *Quartier S. André-des-Arcs*, p. 146; Jourdain, n° 221, *etc.*), qui annus quoque olim ad januam capellae in claustro collegii inscriptus erat. Sed forte referri debet ad tempus, quo Ivo « plateam emit, murosque fecit in circuitu, refectorium, culinam, dormitorium ac claustri medietatem » aedificare coepit. De primo magistro Cluniacensium in Universitate Paris., Gadalrico, aliisque studentibus vide supra n[is] 340, 361. Collegium, quod proxime domui Sorbonae et conventui fratrum Praedicatorum, et ab opposito domus episcopi Autissiodorensis erat, in chartis illius aetatis vulgo « domus scholarium (monachorum) Cluniacens. » vocatur. Sic an. 1273, Sept., in Arch. nat. Paris. S. 6586[a], n° 15, sicut et in posterioribus infra editis documentis. Vide insuper infra chartam Philippi III, an. 1271, mensis Decembris, n° 438.

1. Nihilominus tamen non Ivo I, sed ejus successor et nepos, Ivo II, capellam seu oratorium construxit, ut ex documento infra edito an. 1279, Februarii 5, liquet.

---

376. *Urbanus IV magistris Gerardo de Abbatisvilla et Gerardo de Goignelin injungit ut magistros et scholares ad contribuendum pro rata in debitis astringant.*

1262, Maii 15, Viterbii.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. archidiacono de Pontivo[1] in ecclesia Ambianensi et magistro Gerardo de Goignelin, canonico Remensi, Parisius commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii universitas magistrorum et scolarium Parisiensium insinuatione monstrarunt quod ipsi pro communibus eorum nonnullis negotiis et causis etiam prosequendis multa debita legitime contraxerunt et subierunt usque ad summam sexcentarum librarum turonens. onera expensarum. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum onera pro communi omnium utilitate suscepta universi et singuli debeant supportare, adhibere super hoc salubre remedium curaremus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, universos et singulos magistros actu regentes ac scolares studentes Parisius tam in jure canonico, quam in theologia et qualibet alia facultate, quod singuli pro rata juxta proprias facultates in solutione debitorum ac expensarum hujusmodi contribuant ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione cogatis. Non obstante quavis apostolice sedis indulgentia, de qua cujusque tenore oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam id impediri valeat vel differri. Dat. Viterbii id. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 254, n° 34. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. — Apud Jourdain, n° 199, tantum regestum in lingua gallica sumptum ex *Inventario Universitat.* in Arch. Univers., n° 98, A. 18 c, ut quidem originale in aversa parte signatur. Apud Jourdain, per errorem « 15 Mart. » legitur.

1. Vide supra n° 374, n. 2.

377. *Urbanus IV magistris Gerardo de Abbatisvilla et Gerardo Goignelin scribit ne magistros et scholares Parisienses contra privilegia eis a sede apostolica concessa indebite molestari patiantur.*

1262, Junii 3, Viterbii.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. archidiacono de Pontivo[1] in ecclesia Ambianensi, et magistro Gerardo Goignelin, canonico Remensi, Parisius commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Ne profectum illorum, qui dantes operam sapientie querunt docendo pariter et discendo in agro studii scientie margaritam, pravorum contingat actibus impediri, apostolicum convenit super hoc presidium adhiberi. Cum igitur, sicut ex parte universitatis dilectorum filiorum magistrorum et scolarium Parisiensium fuit propositum coram nobis, ipsi a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, super bonis suis graves paciantur injurias et jacturas : nos volentes et eorumdem magistrorum et scolarium providere quieti, et molestantium maliciis obviare, discretioni tue (*sic*) per apostolica scripta mandamus quatinus dictis magistris et scolaribus defensionis presidio efficaciter assistentes, non permittatis eos in personis et rebus suis contra indulta privilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Presentibus post triennium minime valituris. Dat. Viterbii iij non. Junii, pontificatus nostri anno primo.

Apographum anni 1318 in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 18. a. — Jourdain, nº 188.

1. Vide supra nis 374, 376.

---

378. *Urbanus IV ad universos Christi fideles in gratiam collegii Sorbonici litteras dirigit.*

1262, Junii 22, Viterbii.

Urbanus episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint salutem et apostolicam benedictionem. Parisiensis Universitas[1] velut fertilitatis ager culture assiduitate fecundior, fructus uberes proferens, in quo gratia scientie colliguntur[2], producit viros virtutum ubertate fecundos, quorum graciosa fecunditas in alios affluenter effunditur, parvos magnificans, rudes erudiens et debiles efficiens virtuosos. Horum quidam viri mire et inestimabilis bonitatis, ut incomparabilem acquirerent litterarum[3] dogmatum margaritam, et ejus pocula sitientibus propinarent, exinanire se ipsos et incurrere paupertatis incommoda non vitarunt, illam quasi pro divitiarum altitudine reputantes. Verum ne sic gravaret illos extrema rerum necessitas, quod in eis decus magisterii ejus claritate per habitus vilitatem obnubilata vilesceret, Universitatis prefate consilium digna consideratione providit, ut iidem magistri pauperes Parisius commorantes

in unum congregati consortium de fidelium subsidiis alerentur[4]. Sperantes igitur quod eisdem pauperibus subvenire inter alia pietatis opera divine clementie sit acceptum, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum injungentes quatinus de bonis vobis collatis a Domino studeatis eis manum porrigere caritatis, ita quod ipsi sustentari commode valeant[5] et vos per hec et alia bona que Christo inspirante feceritis, possitis ad felicitatis gaudia eterne pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eis ad hoc manum porrexerint caritatis, centum dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post triennium minime valituris. Quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere juribus decernentes. Dat. Viterbii x kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

Cartul. de la Sorbonne in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 110. Correctior in *Collectione* Marini de Ebolo in Arch. Vat. arm. 31, nº 72, fol. 18ᵇ (sine tamen nomine papae et temporis nota), in qua deest « presentibus » usque in finem. — Hemeraeus, *Sorbonae origines* in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5493, fol. 41 et 232ᵇ. Jourdain, nº 189. Cf. epistolam Alexandri IV similis tenoris supra nº 348.

1. Primo in epistolis papalibus hic occurrit simplex locutio « Universitas Parisiensis », in aliis documentis jam pridem adhibita. — 2. « In quo ... colliguntur » om. *Cart.* — 3. *Cart.:* « liberalem »; Ebolo : « litteralium ». Correctio ex sententia simili documenti infra nº 389. — 4. Ex hoc loco luce clarius liquet ipsam Universitatem Paris. collegium Sorbonicum ab initio miris modis fovisse, quod et ex documentis infra nis 408 et 413 apparet. Immo conjicere possumus collegio Sorbonico a multis partim hac ex causa per testamenta et donationes provisum fuisse, quia Universitati Paris. cordi erat, « ut magistri pauperes de fidelium subsidiis alerentur ». Si documentum servatum in Arch. nat. Paris. J. 946, nº 1, saec. XIII, ascribere possemus, sequeretur utique ad dictum collegium etiam erigendum Universitatem ansam praebuisse, cum ibi Universitas proponat ut summus pontifex « velit unam domum fundare et eidem certos redditus assignare super divites abbatias et prioratus, in qua quidem domo magistri pauperes in artibus actu regentes usque ad aliquem numerum valeant sustentari ». Ast charta, quae temporis nota caret, tum non est ante aetatem Johannis XXII scripta, ut et ex reliquo tenore totius documenti apparet, tum documento nº 347 adversatur. — 5. Ita ... valeant] ut ipsi vestro presidio sustententur, *Cart.*

---

379. *Urbanus IV priori de Cardineto potestatem absolvendi scholares clericorum percussores concedit.*

1263, Januarii 9, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori de Cardineto[1] Parisien. salutem et apostolicam benedictionem. Scientiarum fontem irriguum fluviumque virtutum, Parisiensem scilicet Universitatem, apostolico favore digne prosequimur, et tanto potius statum ejus prosperum affectamus, quanto potiores fructus in provectione multorum sub diversorum dogmatum fecunditate producit. Cum itaque sicut ex parte Universitatis predicte fuit propositum coram nobis, quidam tam magistri quam scolares Parisienses pro violenta injectione manuum in clericos et personas ecclesiasticas sententiam excommunicationis incurrerint, nos ejusdem Universitatis supplicationibus inclinati, absolvendi per te vel per alium aut alios dictos manuum injectores juxta formam ecclesie ab hujusmodi excommunicationis sententia, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter, et illorum non fuerit adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc ad sedem aposto-

licam sint merito destinandi, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem[2]. Quas post quinquennium volumus non valere. Dat. apud Urbem Veterem v id. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 254, nº 58. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In membrana aversa : « magister Laurentius pro Universitate Parisien. », cujus nomen adhuc sub Gregorio X, v. g. in orig. Arch. nat. Paris. L. 263, nº 27 (xiij kal. Maii an. 2); in membrana aversa legitur : « magister Laurentius pro rege Franc. illustri ». Non est idem ac ille Laurentius supra nº 287 allegatus. L. 254 nº 59, alterum exemplar epistolae supra editae sigillo munitum (cum eadem nota), et offert tres « rasuras ». In margine superiori legitur : « duplicetur ». In medio : « cor. ». Infra leguntur ista duo verba : « predicte fuit », quae in epistola male scripta erant. Utrumque ad Arch. Univers. pertinebat. — Bulaeus, III, 370.

1. Ord. Cisterc. — 2. Cf. supra nº 215.

---

380. *Urbanus IV archidiacono Meldensi de taxatione hospitiorum scribit.*

1263, Januarii 9, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. archidiacono Meldensi salutem et apostolicam benedictionem. Scientiarum fontem, *etc. ut supra* nº 379, *usque* producit. Ex parte siquidem dicte Universitatis fuit propositum coram nobis quod, cum taxatores deputati tam per carissimum in Christo filium nostrum regem Francie illustrem quam per Universitatem eandem ad taxandum domos civium civitatis Parisiensis[1], in quos idem rex jurisdictionem obtinet temporalem, pro habitatione magistrorum et scolarium in civitate ipsa studio insistentium litterarum pro eo, quod illi quorum sunt domus taxationem earum servare nolunt, prohibent ne aliquis usque ad certum tempus domus ipsas inhabitare presumat, prohibitio hujusmodi observatur, verum si contingat taxatores ad taxandum domos ecclesiasticarum personarum civitatis ejusdem pro habitatione hujusmodi constitutas similem prohibitionem circa domos ipsas facere pro eo, quod eedem persone taxationi talium nolunt stare, dicta prohibitio a personis ipsis minime observatur. Nos itaque ejusdem Universitatis precibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si hujusmodi prohibitiones taxatorum domorum eorundem civium, ut predicitur, observantur, nominatas personas, ut prohibitiones que per taxatores domorum suorum taliter fiunt, simili modo studeant observare (dummodo hujusmodi taxationes et prohibitiones fiant per aliquos ad hoc a personis et Universitate deputatos eisdem, nisi persone ipse velint in ipsis domibus personaliter habitare), monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Dat. apud Urbem Veterem v id. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Bulaeus, III, 367, ex originali, in cujus parte aversa sicut in praecedentibus erat scriptum : « magister Laurentius pro Universitate Paris. ».

1. Vide supra nº 82, et infra nº 429.

---

381. *Urbanus IV Alermo episcopo Meldensi scribit, Reginaldum episcopum Parisiensem, abbates S. Genovefae et S. Germani atque decanum S. Marcelli inducat, ut a suis hominibus juramentum, quod aliquem Universitatis non offendant, exhiberi faciant.*

1263, Januarii 9, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Meldensi salutem et apostolicam benedictionem. Scientiarum fontem, *etc. ut supra* n° 379, *usque* producit. Ex parte siquidem ejusdem Universitatis fuit propositum coram nobis, quod licet carissimus in Christo filius noster illustris rex Francie a civibus civitatis Parisiensis, in quos jurisdictionem obtinet temporalem, quod aliquem de Universitate ipsa non offendent corporale praestari faciat juramentum, tamen venerabilis frater noster episcopus Paris., S. Germani de Pratis et S. Genovefe monasteriorum abbates et eorum conventus, ac decanus et capitulum S. Marcelli Paris. ab hominibus, in quos similem jurisdictionem obtinent, hujusmodi juramentum exhiberi facere indebite contradicunt[1]. Attendentes igitur quod multipliciter eidem Universitati expedit securitatis beneficio perfrui, qui sunt scientiarum studiis quietis plenitudinem requirentibus deputati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus rex exhiberi faciat a jam dictis civibus hujusmodi juramentum : episcopum, abbates et conventus, decanum et capitulum predictos, quod ab eisdem hominibus suis sub ea forma, sub qua idem rex illud ab hominibus ipsis exhiberi facit, simile faciant juramentum prestari, monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellas. Non obstante si eis a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem sive alia indulgentia apostolica, de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Dat. apud Urbem Veterem v id. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Bulaeus, III, 368, ex originali, in cujus parte aversa legebatur : « magister Laurentius pro Universitate Paris. ».

1. Cf. ad haec supra n[is] 81, 88, 92-94, 159, 160.

---

382. *Urbanus IV Universitati Parisiensi privilegium fori confirmat.*

1263, Januarii 9, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Universitati Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Scientiarum fontem, *etc. ut supra* n° 379, *usque* producit. Vestris itaque supplicationibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus ut nullus magister vel scolaris Parisiensis regens vel studens Parisius dum ibidem studio insisterit (*sic*) litterarum, ratione cujusvis contractus seu delicti in civitate Parisiensi initi vel commissi aut iniendi sive committendi deinceps vel etiam quarumcumque rerum, quas ibi habeat, possit extra civitatem ipsam in causam trahi per litteras sedis apostolice vel lega-

torum ejus, nisi littere dicte sedis de indulgentia hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem[1]. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. apud Urbem Veterem v id. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 254, nº 57. Bulla plumbea filis seric. flav. et rub. col. appenditur. In membrana aversa : « magister Laurentius pro Universitate Parisien. ». Olim ad Archiv. Univers. pertinebat. — Apud Jourdain, nº 194, tantum regestum in gallica lingua ex *Inventario Univers.* in Arch. Univers., nº 98, A. 15. f., ut et originale notatur.

1. Cf. ad haec supra nis 142, 207.

---

383. *Urbanus IV concedit ut nullus in universitatem magistrorum et scholarium Paris. seu rectorem vel procuratorem eorum excommunicationis sententiam promulget.*

1263, Januarii 19, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Non decet nos vobis apostolicum negare favorem, quem vobis vestris[1] videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientie, que plurimum nos delectat, nostre vos gratie coaptetis, qui aliquando disciplinis scolasticis insudantes ad summum sumus licet immeriti magisterium evocati. Hinc est, quod quieti vestre paterna volentes diligentia providere, ad instar fel. rec. Gregorii pape predecessoris nostri, auctoritate vobis presentium indulgemus ut nullus in universitatem magistrorum vel scolarium seu rectorem vel procuratorem eorum aut quemquam alium pro facto vel occasione Universitatis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias audeat promulgare absque sedis apostolice licentia speciali, et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita et inanis. Presentibus post septennium minime valituris. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem xiiij kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 254, nº 60. Bulla plumbea filis seric. flav. et rub. col. appenditur. In membrana aversa : « magister Laurentius ». Manu altera circa medium : « inutile nisi renovetur ». Pertinebat ad Arch. Univers. Alterum exemplar ibid. nº 61, concordans ad verbum cum supradicto ; desunt tantum verba : « ad instar ... nostri ». Munitum bulla cum filis seric. In membrana aversa eaedem notae quae in altera. — Conveniunt hae litterae cum litteris Gregorii IX, supra nº 113. — Apud Jourdain, nº 196, regestum in gallica lingua ex *Inventario Univers.* in Arch. Univers., nº 98, A. 16. f., ut prius originale notatur (alterum vero A. 16. e). In *Invent.* perperam dicitur, epistolam datam esse « à Avignon ».

1. In priore orig. : « nostris ».

---

384. *Urbanus IV Universitati Parisiensi statuta a Gregorio papa IX concessa confirmat.*

1263, Januarii 19, apud Urbem Veterem.

Urbanus epicopus servus servorum Dei universis magistris et scolaribus Parisiensibus salutem et apostolicam benedictionem. Olim in civitate Parisiensi dissensione suborta instigante diabolo et studium ibi enormiter disturbante, questiones hujusmodi fel. rec.

Gregorius papa predecessor noster potius provisionis moderamine quam judiciali sententia duxit de fratrum suorum consilio sopiendas. Circa statum vero scolarium et scolarum hec statuit observanda, videlicet quod quilibet cancellarius Parisiensis deinceps creandus, *etc. ut supra* n° 79, *pag.* 137, *usque* videritis expedire. Precepit autem idem predecessor ut Parisiensis episcopus sic delinquentium castiget excessus, *etc.*, *usque* interdicto. Prohibuit insuper dictus predecessor, ne scolares pro contracto debito, *etc.*, *usque* castigandi, idem predecessor vobis concessit liberam facultatem. Et si, *etc.*, *usque* lectiones. Inhibuit autem expressius ut scolares per civitatem armati non vadant, *etc.*, *usque* libertate. Ad hec jussit ut magistri artium, *etc.*, *usque* terminari. Preterea de bonis scolarium qui intestati decedunt vel rerum suarum ordinationem aliis non committunt, predecessor ipse sic duxit providendum, videlicet ut episcopus et unus de magistris, *etc.*, *usque* quam communem, dictus predecessor generalis ecclesie necessitate ac utilitate pensata voluit et mandavit ut, postquam a carissimo in Christo filio nostro illustri rege Francorum magistris et scolaribus privilegia exhibita fuerint et de ipsorum malefactoribus emende taxate, Parisius licite studeant nulla prorsus de mora vel reditus infamia vel irregularitate notandi. Nos autem provisionem, constitutionem, concessionem, prohibitionem et inhibitionem hujusmodi approbantes ad instar predecessoris predicti ea omnia et singula mandamus et precipimus inviolabiliter observari. Dat. apud Urbem Veterem xiiij kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Bulaeus, III, 366, ex originali, bulla plumbea « pendente ex fune cannabino » munita.

---

385. *Urbanus IV archidiacono Pissiacensi committit ne Reginaldus episcopus Parisiens. impediat magistros et scholares Parisiens. in debitorum Universitatis solutione contribuere.*

1263, Januarii 27, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. archidiacono Pissiacensi in ecclesia Carnotensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium fuit propositum coram nobis, quod ipsi pro communibus ejusdem Universitatis negotiis magna subierunt onera expensarum, quarum occasione dicta Universitas est pluribus debitis obligata. Nos itaque cupientes eandem Universitatem ab ipsorum debitorum onere relevari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si illos ex predictis magistris et scolaribus, qui in hujusmodi debitorum solutione contribuere cum dicta Universitate voluerint, venerabilis frater noster .. Parisiensis episcopus vel quicunque alii super hoc presumpserint impedire, tu eos ab hujusmodi impedimento desistere monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellas, non obstantibus aliquibus litteris episcopo et aliis predictis sub quacunque forma ab apostolica sede directis, per quas possent super hoc quomodolibet se

tueri, aut si eis ab eadem sede indultum existat quod interdici aut excommunicari nequeant vel suspendi seu quibuslibet indulgentiis sedis ejusdem, de quibus in nostris litteris plenam et expressam et de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, et per quas effectus presentium impediri valeat vel differri. Dat. apud Urbem Veterem vj kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 254, nº 62. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In margine : « magister Laurentius pro Univers. Paris. ». — Apud Jourdain, nº 197, tantum regestum ex *Inventario Univers.* in Arch. Univers., nº 98, A. 16. m., ut notatur originale.

386. *Urbanus IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut Praemonstratensibus in theologica facultate Parisiis studentibus super altare portatile celebrandi divina concedat facultatem.*

1263, Januarii 31, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Hoc de tue sinceritatis devotione tenemus, quod illa mandata prompta facilitate ad effectum demandes, que juri non obviant et animarum salutem ac regularem respiciunt honestatem. Cum igitur dilecti filii abbas Premonstratensis Ordinis ejusque coabbates et conventus Premonstratensis Ordinis quendam prioratum in Parisiensi civitate habeant, in quo ipsius Ordinis morantur fratres studentes in theologica facultate[1] : quia ipsorum fratrum honestati expedire non creditur nec saluti, quod per ecclesias pro divinis officiis audiendis discurrant, nos ipsorum abbatum et conventuum precibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eisdem fratribus celebrandi divina in eodem prioratu super altare portatile auctoritate nostra concedas licentiam, si expedire videris, sine juris prejudicio alieni. Dat. apud Urbem Veterem ij kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Le Paige, *Bibl. Praemonstrat. Ord.*, p. 585. — Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 210.

1. Vide supra nº 214.

387. *De quibusdam scholis in Clauso Brunelli, quae magistro Roberto de Sorbona venditae fuerunt.*

1263, mense Martio, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis constitutus Guillermus de Bretegnen, quondam serviens venerabilis viri cancellarii Paris., asseruit quod ipse habebat, tenebat et possidebat quandam domum sive quasdam scolas sitas Parisius in clauso Brunelli contiguas ex una parte scolis magistri Nicholay de Parisius, et domui fratrum Sancti Mathurini Paris. ex altera, ut dicebat, in censiva domini Parisiensis episcopi ad tres solidos et dimidium tantummodo, ut dicitur, censuales solvendos in festo beati Remigii, ut dicitur, annuatim, quam domum seu scolas emit, ut dicebat, ab Odelina quondam filia defuncti Richardi Nor-

manni, ut dicebat, quam siquidem domum sive scolas prout in longum et latum se comportant et quidquid juris habebat vel habere poterat in dicta domo sive scolis predictus Guillermus coram nobis recognovit se vendidisse et vendicionis nomine imperpetuum quittavisse venerabili viro magistro Roberto de Sorbona canonico Parisiensi et ejus heredibus seu causam habituris ab eodem pro viginti sex libris paris. jam sibi solutis in pecunia numerata ut confessus est coram nobis, renuncians excepcioni pecunie non numerate, non solute et non recepte, promittens fide in manu nostra prestita corporali quod contra vendicionem et quittacionem hujusmodi jure hereditario ratione conquestus aut alio quoquo jure seu modo per se vel per alium non veniet in futurum. Immo dictam domum sive scolas predictas predicto magistro Roberto vel ejus heredibus sive successoribus ad dictos tres solidos et dimidium censuales tantummodo garentizabit, liberabit et defendet in judicio et extra ad usus et consuetudines parisiens. contra omnes, necnon et quod reddet dicto emptori vel ejus heredibus seu causam habituris ab eodem centum solidos parisiens. nomine pene si dicta venditio retracta fuerit vel evicta, quantum ad hec se bona sua omnia in contraplegium obligando et nostre jurisdictioni specialiter supponendo. Datum anno Domini millesimo ducentesimo LX° secundo, mense Martio.

Cartul. de la Sorbon., in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16069, f° 91, sub rubrica : « Item Guillelmi servientis quondam cancellario Hemerico in clauso Brunelli pro domo. » Videbimus infra n° 396, ex alio documento ejusdem anni et mensis, Haimericum tunc jam defunctum fuisse. Ad chartam publicatam vide supra documentum n° 239 [a], cujus originale exstat in Arch. nat. Paris. S. 6226, n° 14.

---

388. *Urbanus IV congregationi pauperum magistrorum Sorbonae construendi oratorium facultatem concedit.*

1263, Maii 4, apud Urbem Veterem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. De dilatatione studii theologice facultatis letanter audivimus quod ex divina ut creditur plantacione in orto Parisiensis studii congregatio quedam pauperum magistrorum quasi novella plantatio est exorta, que Parisius in uno comorans vico ante Termarum palatium se communiter ipsius scripture studio deputavit, per quam facultatis theologice studium magnifice dilatandum speratur ex eo precipue, quod iidem magistri cum ad discendum sint habiles utpote qui docuerunt in artibus et animum habeant ad studendum, cito aliis divina gratia irrigante fructificare poterunt per doctrinam. Ex parte siquidem congregationis ejusdem fuit nobis humiliter supplicatum ut eis construendi oratorium in vico predicto et faciendi ad eorum opus ibidem divina officia celebrari per aliquem ydoneum sacerdotem eis licentiam concedere dignaremur. Volentes igitur tibi, qui loci diocesanus existis, in hac parte defferre fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus congregationi predicte licenciam hujusmodi auctoritate nostra

concedas, sine juris prejudicio alieni. Dat. apud Urbem Veterem iiij non. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Litterae insertae epistolis episcoporum Parisiensium Hugonis an. 1326 et Guillelmi an. 1333 in Arch. nat. Paris. M. 74, n[is] 9, 10. — Hemeraeus, *Sorbonae origines*, Bibl. nat. Paris, ms. lat. 5493, fol. 110[b]. — Perperam igitur Cocheris in ed. operis *Hist. de la ville de Paris* par Lebeuf, II, 120, *vidimus* episcopi Hugonis cum epistola Urbani IV confundens, scribit papam an. 1326 supradictam facultatem concessisse. Sed longe aliud est quando in quadam nota saec. XV in ms. lat. 10983 Bibl. nat. Paris., fol. 5[b], asseritur : « Cappella dicte domus incepta erat annis Domini mille trecentis et viginti sex, et consecrata in honore beatissime Dei genitricis et virginis Marie et sanctarum undecim milium virginum et martirum, de quarum reliquiis est infra altare magnum. Et in die sanctarum dictarum virginum cappelle dedicatio a magistris collegii sollempniter celebratur », quod et in *Necrologio Sorbonae*, ibid., ms. lat. 16574, fol. 43, ad 21 Octob. (nota XIV saec.) legitur, ubi praeterea notatur, quo anno et sub quibus circumstantiis praedicta capella dedicata sit : « Dedicatio capelle istius domus anno 1347... Consecrata fuit per fratrem Franciscum de Placentia Ord. Minor. episcopum Tyberiadensem nomine domini Anibaldi cardinalis pro tunc ibidem presentis ». In Arch. nat. Paris. M. 74, nº 14, exstat epistola originalis an. 1347, Octob. 19, qua dictus cardinalis episcopo injungit, ut « ecclesiam seu capellam domus de Sorbona » consecret. Certe hic non de antiqua capella agitur, quae saltem jam anno 1281 exsistebat, ut videbimus ad n[um] 422, sed de nova, seu potius de ecclesia, postea incepta et an. 1347 perfecta. Cocheris, l. c., p. 120, eam nominat capellam Collegii de Calvy, « qui portait le titre de Petite-Sorbonne ».

---

389. *Urbanus IV studium generale Palentinum restaurat, magistrisque et scholaribus privilegia ad instar Universitatis Parisiensis concedit.*

1263, Maii 14, apud Urbem Veterem.

.. Episcopo[1] et capitulo Palentin. Colebat hactenus delitiarum ortum civitas Palentina, de sub cujus portis fons irriguus emanabat. Ortus ille profecto fructus uberes producebat quorum suavitatem et dulcedinem ad diversas mundi partes fontis affluentia derivabat. Erat enim in eadem civitate sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis scientiarum studium generale, rudes erudiens, reddens debiles virtuosos et viros efficiens virtutum varietate fecundos, horumque gratiosa fecunditas litterarum dogmate plurimos instruebat. Et quia per hoc non solum Palentia sed tota solebat Ispania spiritualis et temporalis percipere comoditatis augmentum supplicastis humiliter ut ad reformationem predicti studii, quod est non sine multo ejusdem provincie dispendio dissolutum, apostolici favoris partes interponere curaremus. Cum igitur sicut accepimus ipsius studii reformatio possit eidem provincie multipliciter existere fructuosa, nos nolentes quod lucerna tante claritatis in commune multorum dispendium sic extincta remaneat, sed cupientes potius partes nostras adicere ut solito fortius accendatur, tuis, frater episcope, supplicationibus inclinati omnibus et singulis doctoribus et scolaribus quos in eadem civitate in quacunque facultate studere contigerit, quod illis privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant quibus magistri et scolares gaudent Parisius vel in aliis locis in quibus habetur studium generale, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem ij id. Maii, anno ij.

Reg. Vat. Urbani IV an. 2 (nº 26), ep. 103, fol. 84[b]. — *Bull. Rom.*, ed. Taur., III, 695. — De studio Palentino, sub Alphonso VIII ann. 1212-1214 incepto, vide Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 471 sqq.

1. Ferdinando.

390. *Statutum Capituli generalis Ord. Praed. Londini sub mag. generali Humberto celebrati de studentibus, qui possint Parisiis incipere.*

1263, medio Maio, Londini.

Inchoamus[1] hanc [constitutionem] : in capitulo[2] de studentibus post illud, « tres fratres tantum mittantur Parisius ad studendum de provincia »[3], addatur : « si vero fuerit aliquis frater in quacunque provincia provectus moribus et scientia, de quo sit spes probabilis, quod infra paucos annos possit esse ydoneus ad incipiendum Parysius, per magistrum et diffinitores generalis Capituli Parisius mitti possit ».

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1736, n° 3. — Anno praecedenti in Capit. generali Bononiae celebrato visitatores conventuum Parisiensis et aliorum quatuor, ubi sunt studia solemnia, admonentur ut scribant magistro et prioribus provincialibus, si qua reprehensibilia in studentibus invenerint. Martène, l. c., p. 1733, n° 13.

1. Sed haec constitutio in duobus Capitulis sequentibus non invenitur approbata et confirmata. — 2. Adde « Constitutionum ». — 3. Cf. supra n° 102.

---

391. *Urbanus IV magistro Gerardo de Abbatisvilla, conservatori privilegiorum Universitatis Paris., magistrum Clementem de Sancto Germano adjungit.*

1263, Augusti 29, apud Urbem Veterem.

Magistris Gerardo de Abbatisvilla, archidiacono Pontiviensi in ecclesia Ambianensi, et Clementi de Sancto Germano, canonico Parisiensi. Venerabili fratre nostro .. Parisiensi episcopo insinuante accepimus quod licet conservatores super indultis privilegiorum apostolicorum a sede apostolica deputati a manifestis injuriis et violentiis dumtaxat defendere possint illos, quos eis defendendos sedes committit predicta, tu, fili archidiacone, conservator privilegiorum dicte sedis dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus concessorum a sede deputatus eadem et illi, quibus tuas in hac parte vices prout ex forma commissionis apostolice super hoc tibi facte[1] potes committis, vestram ad ea de facto potestatem que judicialem requirunt indaginem extendentes, de causis pecuniariis et aliis, sive reales sive personales actiones intentari contingat, ad dictorum magistrorum et scolarium instantiam pro vestra cognoscitis voluntate, ac clericos et laicos, quos aliqui ex magistris et scolaribus ipsis sibi super aliquo injuriari proponunt, undecumque sint, ad vestram facitis presentiam evocari, ex quo in pluribus locis scandalum exortum est et aliquibus etiam in personis et rebus non modicum derogatum. Propter quod, ut predictorum privilegiorum magistris et scolaribus concessorum eisdem conservatio sine calumpnia fiat, commissiones omnes super hoc a te archidiacone factas, salvis dumtaxat legitimis processibus earum pretextu habitis, auctoritate presentium penitus revocantes, te fili Clemens in conservatione hujusmodi tibi fili archidiacone duximus adjungendum. Quocirca mandamus quatinus simul in conservatione ipsa juxta formam tibi archidiacone

per apostolicas litteras traditam procedatis. Dat. apud Urbem Veterem iiij kal. Septembris, anno ij°.

Reg. Vat. Urbani IV an. 2 (n° 26), ep. 222, fol. 74b.

1. Istud mandatum apostolicum deest in documentis. Cf. tamen supra n° 377.

---

392. *Gerardus abbas S. Germani de Pratis Matthaeo abbati et conventui S. Dionysii concedit quamdam terram, ubi postea erectum est collegium S. Dionysii.*

1263, Decembris 26, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis Girardus permissione divina Sancti Germani de Pratis Parisiensis humilis abbas, domini pape capellanus, et totius ejusdem loci conventus salutem in Domino. Caritas et affectus, quibus in Christo religiosos viros .. abbatem[1] et conventum Sancti Dyonisii in Francia necnon ipsorum monasterium amplectimur, nos inducunt ut eorum votis quantum cum Deo et justitia possumus, annuamus, sperantes ex hoc nobis ab ipsis successu temporis in nostris et monasterii nostri agendis utilitatibus grata vicissitudine responderi. Hac itaque consideratione inducti eisdem abbati et conventui Sancti Dyonisii gratificari volentes, terram nostram, quam habemus Parisius in Laaso in censiva et dominio nostro, contiguam ab uno latere jardino domus fratrum Penitencie Jhesu Christi, et ex alia parte domui nobilis viri domini Gilonis dicti Le Brun, constabularii Francie, liberaliter duximus concedendam sub capitali annuo censu viginti solidorum parisiens. nobis imperpetuum et successoribus nostris in nostro monasterio in festo beati Remigii annis singulis persolvendo, ab ipsis religiosis habendam sine coactione vendendi aut extra manum suam ponendi decetero possidendam, ita tamen, quod in predicta terra eisdem .. abbati et conventui Sancti Dyonisii liceat oratorium construere si eis videbitur expedire, salvo jure parrochiali, dummodo cimiterium aliquod facere vel habere ibidem non possint, nec campanam vel campanas, nec predictum locum in aliam personam ecclesiasticam vel secularem aut partem ipsius terre, qui eam in manu mortua teneat, permutationis nomine vel alio titulo transferre aliquo ingenio vel cautela, omnimoda justitia nobis et monasterio nostro in predicta terra nichilominus perpetualiter remanente. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Dat. anno Domini millesimo CC° LX^{mo} tertio, die mercurii in crastino Nativitatis Domini, mense Decembri.

Cartulaire blanc de Saint-Denis, in Arch. nat. Paris. LL. 1157, p. 124. Sub rubrica : « De platea domus nostre Parisius juxta domum fratrum Penitentiae Jhesu Christi ». In margine legitur nota saec. XV-XVI : « Collegium Sancti Dyonisii Paris. ». — In hoc loco, cum omnibus annis subsequentibus (1265, 1285, *etc.*) adjunctis, erectum est postea Collegium de Saint-Denis, cui via adjacens saltem saec. XV appellabatur *rue as escholiers de Sainct-Denys*. Vide de ipsa domo Félibien, *Histoire de la ville de Paris*, I, 406 sq. *Topographie historique du vieux Paris*, par Tisserand : *Région occidentale de l'Université*, p. 228 sqq., 233 sqq. Scholares monasterii S. Dionysii primo habitabant quamdam domum, quae erat proxima conventui S. Jacobi, Ord. Praed., ut liquet ex charta praepositi et scabinorum mercatorum aquae Parisiis hansatorum an. 1266, mensis Julii, in qua fratribus Praedicatoribus tres domos concedunt, « quarum una fuit Arnulphi Latomi sita in

magno vico Sancti Stephani de Gressis juxta domum Philippi de Riis..... Alia vero domus sita est in eodem vico et fuit quondam comitisse de Sancto Egidio..... Tertia vero domus sita est in alio vico ex opposito novi refectorii dictorum fratrum juxta domum, que fuit *quondam scolarium Sancti Dyonisii*, que vocatur volta Sancti Quintini ». Originale in Arch. nat. Paris. S. 4229, nº 50. Ut ex documento sequenti liquet ibi an. 1263 adhuc residebant.

1. Matthieu de Vendôme.

393. *Ludovicus IX, rex Francorum, Roberto de Sorbona pro domibus in vico de Hirondale et in magno vico sitis ratione excambii domos quasdam ante palatium Thermarum ad opus pauperum scholarium concedit.*

1263, mense Decembri, Parisiis.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod magister Robertus de Sorbona canonicus Parisiensis, clericus noster, asserens se tenere et possidere Parisius duas domos sitas in vico de Hyrondale supra Secanam sibi invicem contiguas ad opus congregationis pauperum magistrorum Parisius in theologia studentium, que fuerunt H. Apprensis episcopi[1], et quendam locum, qui dicitur hospitale cum pertinenciis suis, qui fuisse dicitur G. de Sancto Quintino[2] situm in vico prope refectorium prioris et fratrum Predicatorum juxta domum in qua habitant quidam monachi de Sancto Dyonisio[3], et quandam domum cum pertinenciis sitam in magno vico, quo fuisse dicitur dicti G.[4] et primo fuisse dicitur Arnoudi dicti Lemaçon, que sita est ex una parte juxta domum Jacobi de Tornaco, ex alia juxta domum quandam Sancti Stephani des Grès prope domum dictorum fratrum, qui quidem locus sive hospitale cum pertinenciis et domus sibi invicem sunt contigua ex quadam parte; asserens etiam idem magister Robertus se habere potestatem plenariam alienandi premissa : domos omnes predictas et dictum locum seu hospitale cum eorum pertinenciis nobis dedit et concessit a nobis imperpetuum possidenda et ab illis qui causam habebunt a nobis pro domibus infra scriptis, quas ad opus dictorum magistrorum eidem in escambium et recompensationem dedimus et concessimus imperpetuum jure hereditario ab eodem possidendas et ab illis qui causam habebunt ab ipso. Hee sunt domus, quas eidem ut dictum est concessimus. Domus nostra, que quondam fuit magistri R. de Duaco, in qua mansit dum viveret defunctus magister Johannes de Sancto Amando, quondam clericus noster, sita ante palatium Termarum[5], et etiam omnes domos quas habebamus in vico qui dicitur vicus Lathomorum similiter ante palatium Termarum a puteo sito in eodem loco sive a viridario domus nostre quam tenet dilectus et fidelis clericus noster Guillermus de Carnoto usque ad domum magistri Guillermi archidiaconi Abrincensis ecclesie sitam in capite ejusdem vici, hoc salvo, quod Guillermus de Belvaco noster clericus domum quam tenet ad presens in eodem loco et magister Ludovicus phisicus domum similiter quam tenet inter domos supradictas habitabunt quamdiu vixerint sine coactione exeundi vel eciam dimittendi. Post decessum vero eorundem ad ipsum magistrum R. vel ad illos qui causam habebunt ab ipso libere et imperpetuum possidende ad opus predictorum pauperum magistrorum

devolvantur. Concedimus eciam eidem magistro R. et congregationi predicte pauperum magistrorum quantum in nobis est, quod omnes predictas domos teneant in manu mortua, salvo jure in omnibus alieno. Predictas autem duas domos contiguas quarum una sita est ante refectorium predictorum fratrum Predicatorum juxta domum monachorum Sancti Dyonisii, alia in magno vico juxta domum fratrum Predicatorum nobis a predicto magistro R. concessas, quia eas necessarias plurimum esse didicimus fratribus antedictis, pietatis intuitu et pro remedio anime nostre et antecessorum nostrorum in puram et perpetuam elemosynam dedimus et concessimus fratribus Predicatoribus antedictis ab ipsis et eorum successoribus imperpetuum pacifice possidendas, quas quidem domos prefatus magister R. promisit se garantizaturum prefatis priori et fratribus ipsis ad usus et consuetudines patrie contra quoscunque. Et pro ista garendia facienda duas domos predictas, illam videlicet quam tenet Guillermus de Belvaco et illam quam tenet magister Ludovicus predicti, priori et fratribus antedictis in contraplegium assignavit; et nos etiam ipsas duas domos dedimus dicto magistro R. hoc modo quod essent obligate in contraplegium ipsis priori et fratribus pro garentizandis dictis hospitali et domo cum pertinenciis priori et fratribus supradictis. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini M° CC° sexagesimo tertio, mense Decembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 52. Deest sigillum. — Ibidem, n° 54, exstat *vidimus* an. 1374. *Cartul. de la Sorbonne*, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 1. Bulaeus, III, 225.

1. Vide de ipso Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 214. An. sequenti, mense Junio, idem quoad duas domos, quae episcopi Apprensis fuerunt, in praesentia officialis curiae Paris. asseruit. Episcopus vero retinuit sibi, quamdiu vixit, usumfructum. Asseruit insuper Robertus, ipsum has domos cum aliis, quae regis Ludovici erant, permutasse. Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 50. *Cartul. de la Sorbonne*, fol. 61^{b}. Donatio episcopi an. 1261, mensis Octob. Arch. nat., l. c., n° 53. Cf. praeterea *Cartul.*, fol. 107^{b}. — 2. Gualteri de S. Quintino, de quo supra n° 372. — 3. Agitur hic de scholaribus S. Dionysii, qui tamen an. 1266 ab hoc loco jam discesserant. Vide supra n° 392, nota. — 4. Id est Gualteri. — 5. Cf. supra n° 241.

---

394. *Manfredus, rex Siciliae, doctoribus in philosophica disciplina Parisiis studentibus Aristotelis aliorumque philosophorum codices, quos in latinam linguam converti fecerat, dono transmittit.*

Circa an. 1263.

Sedentibus in quadrigis philosophice[1] discipline Parisiensis studii doctoribus universis Manfredus Dei gratia, *etc.* In extollendis regie prefecture fastigiis, quibus congruenter officia, leges et arma communicant, necessaria fore credimus scientie condimenta, ne per hujus suavis et mulcebris ignorantiam conmixture vires ultra liciti terminos effrenate lasciviant, et justicia citra debiti regulas diminuta languescat. Hanc nos profecto, qui divina largitione populis presidemus, generali qua omnes homines natura scire desiderant, et speciali qua gaudent aliqui voluntate proficere, ante suscepta regiminis nostri onera semper a juventute nostra quesivimus indefessi. Post regni vero nostri curas assumptas,

quanquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, et civilis sibi ratio vendicet sollicitudinis nostre partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus, totum intelligentie, ut clarius vigeat, instrumentum in acquisitione scientie, sine qua mortalium vita non regitur, liberaliter erogamus. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis distincta cyrographa diviciarum nostrarum armaria locupletant, sedula meditatione revolvimus, et accurata contemplatione pensamus, compilationes varie, que ab Aristotele aliisque philosophis sub grecis arabicisque vocabulis antiquitus edite, in sermocinalibus et mathematicis disciplinis nostris aliquando sensibus occurrerunt, quas adhuc originalium dictionum ordinatione consertas et vetustarum vestium, quas ei etas prima contexerat, operimento contectas vel hominis defectus aut operis ad latine lingue notitiam non perduxit. Volentes igitur, ut reverenda tantorum operum senilis auctoritas apud nos non absque multorum commodis vocis organo traducere juvenescat, ea per viros electos et utriusque lingue prolatione peritos instanter duximus verborum fideliter servata virginitate transferri. Quia vero scientiarum generosa possessio in plures sparsa non deperit, et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diurnius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit, hujus celare laboris emolumenta noluimus, nec extimavimus nobis eandem retinere jocundum, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verumtamen, quorum conspectibus quorumque judiciis operis cepti primitie possent decentius deputari, ecce vobis potissime velut philosophie preclaris alumpnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curiosum in studium translatorum et lingua jam potuit fidelis instruere, consulto providimus deputandos. Vos igitur viri docti, qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluenta melliflua sitientibus labiis propinatis, libros ipsos tanquam amici regis exenium gratanter excipite, et ipsos antiquos philosophorum operibus, qui vocis vestre ministeriis reviviscunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata sternitis sapienter ut expedit, et congregantes eos in auditorio vestro, in quo virtutum grana fructificant, erroris rubigo consumitur, et latentis scripture veritas aperitur, tum mittentis favore commoniti tum etiam clari transmissi operis meritis persuasi ad communem utilitatem studentium et evidens fame vestre preconium publicetis.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 8567, fol. 104^{b}, ex quo imperfecte apud Martène-Durand, *Ampl. coll.*, II, 1220. Ad haec vide Böhmer-Ficker, *Regesta Imperii*, V, nº 4750.

1. Verbum hoc compendio in ms. scribitur « p̄hice », quod hic « philosophice », non « physice » ut apud Martène, legi debet.

395. *Urbanus IV doctoribus in artibus Parisiis regentibus mandat ut magistrum Gualterum de Vaceria eorum consortio, quo erat privatus, restituant.*

1264, Martii 28, apud Urbem Veterem.

Universis doctoribus Parisius in artibus regentibus. Sincere devotionis affectus quem ad apostolicam sedem et personam nostram geritis nos inducit ut securi vobis precamina dirigamus. Sane dilecto filio magistro Gualtero de Vaceria[1], clerico Ambianensis diocesis, intelleximus referente, quod vos dudum pretendentes quod idem Gualterus consilium prebuit et favorem Johanni dicto Frequestel clerico ut in dicta civitate in artibus cathedram illicentiatus ascenderet magistralem, quosdam de vestro collegio ad inquirendum de hujusmodi excessu et illum puniendum elegistis juxta vestre libitum voluntatis, juramento corporaliter prestito promittentes servare quicquid inquisitores hujusmodi super premissis statuerent et cogere illos qui ex tunc in artibus regere Parisius inciperent ad prestandum simile juramentum, ac iidem inquisitores juramento prestito promittentes super predictis bona fide inquirere veritatem : eundem Gualterum vestro consortio usque ad octennium, et si forsan idem non toleraret humiliter, perpetuo privaverunt, propter quod vos eum in vestrum consortium admittere denegatis. Quare idem Gualterus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse per sex annos et amplius in dictis artibus rexerit et adhuc intendat Parisius regere, providere super hoc ei paterna clementia dignaremus. Cum igitur dictus Gualterus paterni favoris gratiam experiri mereatur ex eo quod laudabilis propositi desiderii inhians pro thesauro scientie obtinendo se vigiliis et laboribus exposuit et adhuc anelat exponere, prout relatu accepimus fidedigno, vosque propter hoc ejus in hac parte propositum favore benivolo prosequi cupiamus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus pro apostolice sedis et nostra reverentia dictum Gualterum vestro consortio restituatis et quo ad eum juramentum et promissionem hujusmodi relaxetis a quibus vos auctoritate presentium duximus absolvendos. Alioquin dilectis filiis magistris Johanni preposito ecclesie de Trohalten. Tornacensis diocesis, et Oddoni de Sancto Dionisio[2], canonico Parisiensi, nostris damus litteris in mandatis, ut predictum Gualterum consortio restituentes eidem faciant eum sicut unum ex vobis tamquam magistrum et socium in magistralibus haberi et tractari, ac vos a predicto juramento et promissione auctoritate nostra denuntiet absolutos. Contradictores auctoritate nostra prefata appellatione postposita compescendo. Non obstante si alicui a sede sit indultum predicta, quod suspendi vel interdici, aut excommunicari, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem v kal. Aprilis, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 528 (349), fol. 139. In margine legitur : « De consilio dominorum .. Tusculan. et .. Sabinen. episcoporum et Symonis tituli Sancte Cecilie presbyteri cardinalis ».

1. Cf. supra nº 373. — 2. An. 1279 post mortem Stephani in episcopum Parisiensem a capitulo electus est, « quibusdam ex capitulo ipsius ecclesie se opponentibus electioni predicte ». Reg. Vat. Nicolai III (nº 40), an 3, ep. 51. Odo ante electionem in praesentia canonicorum ei adhaerentium haec verba protulisse dicitur : « Isti domini honoraverunt me, de quo regratior

eis, et etiam si plus non facerent, ab eis me reputo plurimum honoratum ». Reg. Vat. Nicolai III (nº 39), ep. 19. Post ejus electionem canonici adversarii ad sedem apostolicam contra eum appellarunt, et Odo ipse « jam senio confractus » in manibus Nicolai papae, qui electionem irritam pronuntiavit, cessit. Ibid.

---

396. *Urbanus IV decernit an Stephanus cancellarius Parisiensis incipiens regere in theologica facultate testimonium perhibere debeat de licentiandis in eadem facultate.*

1264, Maii 26, apud Urbem Veterem.

Magistris regentibus Parisius in theologica facultate. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod per sedem apostolicam est statutum, ut magistri postquam licentiati fuerint in theologica facultate, antequam in ipsa regere incipiant, prestent corporaliter juramentum de perhibendo fidele testimonium de bachallariis in facultate licentiandis eadem[1]. Sane magistro Stephano cancellario Parisiensi[2] incipiente regere in facultate predicta vos attente monuistis eundem, ut hujusmodi juramentum prestari ab aliis consuetum exhibere curaret, ita tamen quod ipse dum esset cancellarius Parisiensis ad perhibendum testimonium minime teneretur. Verum predictus cancellarius in sua inceptione dictum prestare noluit juramentum, pretendens quod licentiare bachallarios pertinet ad eundem, propter quod prestare tale juramentum aliquatenus non tenetur[3]. Ceterum vobis asserentibus ipsum pro magistro, donec hujusmodi juramentum prestiterit, in vestrum consortium et ad tractatus vestri collegii nullatenus admittendum, ipsoque cancellario se ad hec nichilominus ingerente, theologie studium civitatis Parisiensis, in quo exinde grave scandalum est exortum, propter hoc multipliciter impeditur. Nos itaque, qui ampliationem ipsius studii plurimum affectamus, volentes super hoc illud remedium adhibere, per quod hujusmodi scandalo et impedimento summotis in plene quietis atque vigoris statu idem studium divina favente clementia valeat conservari, volumus et auctoritate presentium declaramus, quod prelibatus cancellarius et successores sui cancellarii Parisienses, qui regere in facultate inceperint supradicta, juxta predictum statutum prestare teneantur hujusmodi juramentum, ita tamen quod ad perhibendum tale testimonium quamdiu cancellarii Parisienses fuerint minime teneantur. Dat. apud Urbem Veterem vij kal. Junii[4], anno iij°.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 28), ep. 259, fol. 67 b.

1. Vide supra nº 79. — 2. Stephano Tempier, sive de Aurelianis, ut in documento an. 1266, mensis Julii, infra edito et alibi nominatur. In documento Arch. nat. Paris. M. 75, nº 128, quod testamentum magistri Johannis de Gondricuria, canonici S. Johannis in Leodio, an. 1262, in vigilia b. Johannis Baptiste (23 Junii), continet, magister Stephanus Aurelian. non cancellarius, sed adhuc simpliciter « canonicus » designatur. In *Cartul. de la Sorbonne* vero, Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16069, fol. 18 b, in documento mensis Martii, an. 1262 (i. e. 1263), agitur de « bone memorie cancellario (ms. Quitelario) Parisiensi », qui secundum docum. fol. 91 (supra nº 387) est Haimericus. Antecessor ergo Stephani in cancellaria ante mensem Mart. an. 1263, verisimiliter vero post 23 Jun. an. 1262 obiit, et Stephanus de Aurelianis infra hoc spatium factus est cancellarius Parisiensis. Nota supra ad num 191 posita sic debet corrigi. — 3. Ex hoc sicut et ex documentis nis 399 et 400 apparet, cancellarium Stephanum hominem pertinacis et obstinatae mentis fuisse, mireque partim explicatur ratio ab ipso an. 1277 inita in condemnatione 219 errorum. Vide infra ad num 473. — 4. Sic in Reg.; sed forte propter duas epistolas nis 399 et 400 « Julii » (Junii 25) scribi debet.

397. *Statutum Capit. generalis Ord. Praed. Parisiis sub magistro generali Johanne de Vercellis celebrati de promovendis ad magisterium theologiae Parisiis.*

1264, Junio ineunte, Parisiis.

Injungimus districte omnibus tam subditis quam prelatis, ut quicumque dant operam, consilium, vel auctoritatem, quod aliquis ad magisterium Parisius promoveatur in theologia, quod consideratis moribus et gratia docendi et scientia illum semper preponant de toto Ordine absque acceptione nationis vel persone, de cujus promotione credunt quod magis cedere possit ad Dei gloriam et utilitatem Ordinis et honorem.

Item committimus magistro Ordinis ut ipse diligenter de studio Parisiensi [et aliis generalibus iiij[or] provinciarum] ordinet et disponat in omnibus[1], prout generali utilitati Ordinis viderit expedire.

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. gener. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1738, n[is] 15, 19.

1. In Capitulis general. ann. 1272-1274 celebratis magis explicatur : « quantum ad principales lectores et baccellarios ». An. 1269-1271, 1275 et postea : « ut de magistris et baccellariis ordinet ».

---

398. *Urbanus IV quaestionem de magistro Petro Russel solvit pro honore Parisiensis ecclesiae, ad quam ratione Universitatis diversarum nationum gentes confluunt.*

1264, Junii 22, apud Urbem Veterem.

Decano et archidiacono Silvanectensibus. Ex parte dilectorum filiorum .. decani et capituli Parisiens. fuit propositum coram nobis quod magister Petrus dictus Russel[1] clericus Parisiensis asserens quod venerabilis frater noster .. Parisiensis episcopus, ad quem prebendarum collatio in Parisiensi ecclesia dicitur pertinere, quandam prebendam tunc in ecclesia ipsa vacantem sibi contulerat, ac pretendens quod dicti decanus et capitulum se super hoc opponentes eidem ipsum ad mandatum dicti episcopi in fratrem et canonicum admittere recusarant, quodque super hoc inter ipsum ex parte una et dictos decanum et capitulum ex altera questione suborta hujusmodi negotium fuerat ad sedem apostolicam devolutum, et quod dilectus filius noster I. Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis partibus a nobis in eodem negotio datus auditor pro eodem magistro P. diffinitivam sententiam promulgarat, quam nos apostolico duxeramus munimine roborandam[2], nostras ad dilectos filios .. abbatem et .. priorem Sancti Dyonisii in Francia impetravit litteras[3] inter alia continentes, ut ipsi vel eorum alter sententiam ipsam executioni debite demandantes eundem magistrum Petrum in corporalem possessionem predicte prebende inducerent et tuerentur inductum facientes ipsum in fratrem et canonicum ipsius ecclesie cum plenitudine canonici juris admitti sibique de ipsius prebende redditibus juribus et proventibus integre ac plenarie responderi, contradictores, *etc., usque* compescendo. Cumque dictus prior ad ecclesiam predictam accedens predictarum

litterarum auctoritate dictis decano et capitulo injunxisset ut eundem Petrum reciperent in canonicum et in fratrem iidemque decanus et capitulum litterarum predictarum copiam sibi fieri humiliter petiverunt : sed quia idem prior super hoc contra justitiam non audiebat eosdem, ipsi sentientes ex hoc indebite se gravari ad nostram audientiam appellarunt. At idem prior hujusmodi appellatione contempta in contradictores et rebelles primo, et tandem in decanum et aliquos de dicto capitulo singulariter excommunicationis sententias promulgavit eosque excommunicatos denuntiavit et fecit publice nuntiari, propter quod dicti decanus et capitulum ad nostram duxerunt providentiam recurrendum. Nos igitur attendentes quod Parisiensis ecclesia, ad quam ratione Parisiensis studii diversarum nationum gentes confluunt, que magnum habent zelum devotionis ad illam, in generalis ecclesie firmamento tanquam sydus prelucet irradians et ab aliis sicut magnum discernitur luminare, ac sustinere nolentes quod tanta ecclesia que a tot gentibus et mundi populis multa veneratione prefertur, occasione hujusmodi in divinis officiis patiatur defectum, presertim cum magnum ex hoc scandalum in multorum mentibus exortum esse dicatur, discretioni vestre mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alios seu alium vocatis qui fuerint evocandi, hujusmodi excommunicationis sententias ad cautelam juxta formam ecclesie auctoritate nostra relaxetis ac postea easdem denuntietis et denuntiari faciatis publice relaxatas. Contradictores censura simili appellatione postposita compescendo[4]. Dat. apud Urbem Veterem x kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 704 (884), fol. 188[b].

1. Vide supra n[is] 340, 359. — 2. Hoc documentum extensissimum cum multis insertis exstat in Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 48, fol. 25 (dat. iij id. Mart.), et aliud diversum, sed tenoris similis in *Collectione* Marini de Ebolo, Arch. Vat. arm. 31, ep. 3270, ex quo supra nº 330 aliqua referuntur. Petrus inter alia accusabatur publica laborare infamia super abominabili vitio, et Parisiis errores publice praedicasse. Se defendebat; papa vero per magistros Remigium et Raimundum capellanos et physicos suos fecit inquiri, « qui ejusdem magistri P. corpore diligenter inspecto ipsum retulerunt ab hujusmodi morbo prorsus immunem ». — 3. Reg. Vat., l. c., ep. 49, ejusdem temporis. — 4. Nominatur Petrus « Roselli » adhuc ij non. Jul., ibid., ep. 848.

---

399. *Urbanus IV decano ecclesiae de Abbatisvilla inquisitionem querelae magistrorum theologicae facultatis Paris. committit, quod Stephanus cancellarius sibi nomen et officium decani assumpsisset.*

1264, Junii 26, apud Urbem Veterem.

Decano ecclesie de Abbatisvilla Ambianensis diocesis. Ex parte dilectorum filiorum magistrorum regentium Parisius in theologica facultate fuit propositum coram nobis quod licet singuli magistri facultatis ejusdem cum in ea Parisius regere incipiunt ex statuto per sedem apostolicam confirmato teneantur prestare corporaliter juramentum de perhibendo fideli testimonio de hiis qui examinantur ibidem in hujusmodi facultate, tamen dilectus filius magister Stephanus cancellarius Parisiensis qui de novo in facultate ipsa inibi regere incepit prestare hujusmodi juramentum indebite contradicit[1], et quod licet de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine Parisius sit obtentum ut

antiquior ex eisdem magistris in actu regendi nomen decani habeat inter eos et ipsis indicat festa per nuntium proprium, et alia faciat que ad suum noscuntur officium pertinere[2], tamen idem cancellarius quanquam non sit antiquior in regendo sed Parisius de novo regere inceperit in facultate predicta, propria temeritate sibi nomen decani assumens ea que ad officium ipsum pertinent contra justitiam exercere presumit in eorundem magistrorum prejudicium et gravamen. Sane iidem magistri contra eundem cancellarium super hiis sub certis formis ad .. decanum Tornacensem nostras litteras impetrarunt; verum idem decanus Tornacensis a fine Parisiensis diocesis ultra duas dietas remotus existit et in hujusmodi litteris mentio non habetur de constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, sicque dicti magistri dubitant ne propter hoc possint hujusmodi negotia retardari. Quare predicti magistri nobis humiliter supplicarunt ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque volentes ut negotia ipsa celerem consequantur effectum te decisioni negotiorum ipsorum decano Tornacensi subrogamus eidem. Quocirca mandamus quatinus in predictis negotiis procedas per te vel per alium juxta predictarum directarum ad eundem decanum Tornacensem continentiam litterarum, etiamsi predictus decanus procedere inceperit per easdem, dummodo ad litis contestationem minime sit processum, processu tamen ipsius legitimo si quis fuerit observato. Dat. apud Urbem Veterem vj kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 710 (890), fol. 189.

1. Cf. supra nº 396. — 2. In hoc loco, qui sicut totum documentum hucusque viros doctos fugit, primum nomen *decani*, scilicet pro facultate theologica, occurrit ejusque sensus et officium explicatur. Et cum « antiquae et approbatae et hactenus pacifice observatae consuetudinis » mentio fiat, liquide constat, longe ante an. 1264 singulis facultatibus inter se distinctis decanum praefuisse, excepta universitate artistarum, cui rector praesidebat.

---

400. *Urbanus IV decano ecclesie de Abbatisvilla inquisitionem querelae magistrorum theologicae facultatis Paris. committit, quod Stephanus cancellarius Ivoni Britoni et Johanni de Aurelianis propria voluntate regendi licentiam concessisset.*

1264, Junii 26, apud Urbem Veterem.

Decano ecclesie de Abbatisvilla Ambianensis diocesis. Perlato ad audientiam nostram quod licet magister Stephanus cancellarius Parisiensis prestitisset corporaliter juramentum prout etiam prestare consueverunt predecessores sui Parisienses cancellarii, quod ipse nulli regendi Parisius in facultate theologica concederet licentiam nisi requisito testimonio magistrorum omnium ibidem actu regentium in hujusmodi facultate, tamen cancellarius ipse contra hujusmodi juramentum temere veniens magistris Ivoni Britoni[1] et Johanni de Aurelianis[2] licentiam regendi Parisius in facultate predicta magistrorum inibi actu regentium in eadem testimonio minime requisito propria voluntate concesserat, venerabili fratri nostro .. Autisiodorensi episcopo[3] nostris dedisse dicimur litteris in mandatis ut si esset ita et dicti magistri Ivo et Johannes non incepissent regere, ne inciperent inhiberet

eisdem, et si forte incepissent, eos ab actu regendi suspenderet, dictumque cancellarium propter hoc canonica pena puniret. Verum idem episcopus ex eo occasione assumpta, quod non erat qui prosequeretur hujusmodi negotium coram eo, in ipso negotio procedere non curavit, sicque nos dilecto filio .. decano Tornacensi super hoc sub certa forma nostras litteras duximus dirigendas. Sane idem decanus a fine diocesis Parisiensis ultra duas dietas remotus existit, *etc. ut supra* nº 399, *usque in finem*[4]. Dat. apud Urbem Veterem vj kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 711 (891), fol. 189b.

1. Is est idem atque Ivo Brito infra nº 414, et fortasse idem apud Guérard, *Cart. de l'Église Notre-Dame*, I, 175; II, 64, 537; III, 257, ad ann. 1269, 1271, *etc.*, nominatus. — 2. Anno 1271 in cancellarium Parisiensem electo, de quo infra nº 437. — 3. Guidoni. — 4. Exceptis duabus lectionibus variantibus nullius momenti.

---

401. *Urbanus IV Johanni de Curtiniaco apud sedem apostolicam theologiae operam danti proventus beneficiorum suorum concedit perinde ac si Parisiis juris canonici studio institisset.*

1264, Junii 28, apud Urbem Veterem.

Johanni de Curtiniaco capellano nostro, capicerio Aurelianensi. Apostolice sedis benignitas illos specialis favoris benivolentia prosequi consuevit qui nobili prosapia orti litterarum scientia mores insigniunt et scientiam laudabilium morum honestate decorant. Hiis igitur in te paterna consideratione pensatis personam tuam benivolentia speciali prosequimur eamque intendimus condignis gratiis honorare. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut pro tempore, quo pro negotio electionis de te in Remensi ecclesia celebrate[1] fuisti apud sedem apostolicam commoratus studendo ibidem in theologica facultate, fructus redditus et proventus beneficiorum tuorum ecclesiasticorum cum ea integritate percipere valeas, cum qua illos perciperes, si per idem tempus juxta indultum sedis apostolice Parisius juris canonici studio institisses. Non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis ecclesiarum, in quibus beneficia obtines supradicta, juramento confirmatione sedis predicte seu quacunque alia firmitate vallatis et qualibet dicte sedis indulgentia quibuscunque concessa, per quam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem iiij kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 708 (888), fol. 189. In epistola sequenti abbas S. Germani de Pratis Parisien. conservator constituitur.

1. Johannes de Curtiniaco jam isto tempore in archiepiscopum Remensem electus, tamen propter vota capitularium divisa, cum una pars Guillelmum, tit. S. Marci presb. card., elegisset, non ante 15 Julii an. 1266 ut archiepiscopus a Clemente IV confirmatus est. Reg. Vat. Clementis IV (nº 32), an. 2, ep. 99. Martène, *Thes. nov. anecd.*, II, 367.

---

402. *Officialis curiae Parisiensis notum facit duas bursas in collegio Sorbonico fundatas esse in gratiam duorum magistrorum dioecesis Ambianensis.*

1264, Julii 2, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presentia constitutus magister Robertus de Sorbonio, canonicus Parisiensis, provisor seu procurator congregationis pauperum magistrorum studentium Parisius in theologica facultate, recognovit in jure coram nobis se recepisse a viro provido et discreto Waltero, dicto Carne, preposito de Ludo et ballivo Sancti Wallarici supra mare, Ambianensis dyocesis, trecentas libras turon. in pecunia numerata : quas trecentas libras idem Walterus in puram et perpetuam contulit elemosynam pro sustentandis duobus magistris Ambianensis dyocesis, bone fame et vite honeste, in theologica facultate studentibus; promittens bona fide et per legitimam stipulationem, quod unicuique pro bursa sua, singulis ebdomadis, seu subrogato vel subrogatis ab eisdem, de tribus solidis parisiens. providebit, ac ministrabit singulis annis quamdiu eos vel alterum eorum in congregatione dictorum magistrorum personaliter contigerit commorari. Concessit nichilominus idem magister Robertus quod dictus Walterus, quamdiu vixerit, dictos duos magistros prefate dyocesis prenominato provisori vel ei qui pro tempore fuerit presentabit; ita tamen quod si aliquis decesserit vel ex causa recesserit, alium ydoneum loco illius poterit subrogare, quem vel quos magistros dictus provisor vel ejus successor non nisi propter magnam offensam manifestam ultra annum poterit amovere. Verumtamen si dictus provisor sub juramento, quo dicte domui astrictus tenebatur, aliquem de dictis magistris vel utrumque non esse ydoneos vel ydoneum in studio et congregatione predicta dicto ballivo vel causam habentibus presentandi ab eodem significaverit, tenebuntur dictus ballivus et habentes causam presentandi ab eodem, alium vel alios ydoneum vel ydoneos presentare. Debent quidem, quantumcumque fuerint ydonei dicti duo magistri, iterum in principio anni de novo presentari. Post ejusdem vero Walteri decessum domino episcopo Ambianensi et ejus archidiaconis qui pro tempore fuerint, vel duobus de ipsis, si tertius absens fuerit, presentandi duos dictos magistros ejus dyocesis liberam concessit facultatem, et ad omnia premissa inviolabiliter observanda, nomine procuratorio obligavit omnes domos, possessiones, predia et omnia bona, nomine dictorum magistrorum acquisita et in posterum acquirenda. Obligavit insuper omnes successores suos, et omnes qui causam habebunt ab eodem, ad premissa omnia et singula facienda, secundum quod superius est expressum. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum curie Parisiensis duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, die mercurii post festum apostolorum Petri et Pauli.

Cart. de la Sorbonne in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 55. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 36^{b}. Jourdain, n° 204.

403. *Urbanus IV Odoni cancellario S. Genovefae Paris. scribit de magistro Evrardo, studente in theologia, qui plus quam per quinquennium Parisiis in artibus rexerat.*

1264, Julii 11, apud Urbem Veterem.

Fratri Odoni cancellario Sancte Genovefe Parisiensis. Cum sicut accepimus dilectus filius magister Johannes rector ecclesie de Donno Medardo in Pontivo de sua salute sollicitus eidem ecclesie renuntiare disponat, nos volentes dilecto filio magistro Evrardo rectori ecclesie de Betembois Ambianensis diocesis, qui per quinquennium et amplius in artibus rexisse Parisius, et in theologia dicitur studere ibidem, obtentu dilecti filii B. Ambianensis archidiaconi ac litterarum nostrarum contradictarum auditoris nobis pro ipso cum instantia supplicantis providere de ecclesia supradicta, discretioni tue mandamus quatinus, si est ita, libera a dicto Johanne prefate ecclesie resignatione recepta illam prenominato magistro Evrardo, dummodo sit ydoneus aliudque canonicum non obsistat, vel procuratori suo ejus nomine auctoritate nostra per te vel per alium conferas et assignes inducens ipsum in ipsius corporalem possessionem et defendens inductum. Non obstante si pro aliis in dicta diocesi sint apostolice sedis scripta directa, quibus in hoc nominatum magistrum Evrardum preferri volumus, sed quo ad alia nullum prejudicium generari, aut si alicui a sede apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possit per litteras dicte sedis que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, et qualibet alia ipsius sedis indulgentia per quam facta ei in hac parte gratia impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Contradictores, *etc. usque* compescendo. Verum quia non est verisimile quod quis beneficio multis forte laboribus acquisito de quo debet sustentari absque causa renuntiet, provideas attentius ne ex parte resignantis vel dicti magistri Evrardi seu alias quomodolibet pravitas aliqua intercedat. Volumus autem quod postquam magister Ev. predictam ecclesiam de Donno Medardo fuerit pacifice assecutus, nominatam ecclesiam de Betembois quam ex tunc vacare decernimus omnino dimittat, proviso nichilominus quod prout requiret onus predicte ecclesie de Donno Medardo idem magister E. se faciat statutis temporibus ad ordines promoveri et personaliter resideat in eodem, alioquin hujusmodi gratia nullius penitus sit momenti. Dat. apud Urbem Veterem v id. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (nº 29), ep. 811 (990), fol. 200. — Ibid. ep. 749 (929) providetur mag. Johanni clerico, « qui in artibus Parisius doctoris gessit officium, necnon in jure canonico et civili diu studuit ».

---

404. *Urbanus IV decano ecclesiae Ambianensis scribit de Stephano cancellario Parisiensi.*

1264, Julii 18, apud Urbem Veterem.

.. Decano ecclesie de Abbatisvilla Ambianensis diocesis. Dilecti filii magistri regentes Parisius in theologica facultate nobis significare curarunt, quod per sedem apostolicam est

statutum ut magistri postquam licentiati fuerint in hujusmodi facultate, antequam in ipsa regere incipiant, prestent corporaliter juramentum de perhibendo fidele testimonium de bachalariis in facultate licentiandis eadem. Sane dilecto filio magistro Stephano cancellario Parisiensi, *etc. sicut supra* n° 396, *mutatis mutandis. In fine additur :* Ideoque discretioni tue mandamus quatinus prefatum cancellarium ut juxta idem statutum dictum exhibeat juramentum monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante, si ei a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem xv kal. Augusti, anno tertio.

Reg. Vat. Urbani IV an. 3 (n° 29), ep. 825 (1004), fol. 202.

---

405. *Simon apostolicae sedis legatus notum facit se vidisse litteras Roberti S. Stephani in Caelio Monte presb. cardinalis.*

1265, Martii 23, Parisiis.

Symon miseratione divina tit. Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus universis presentes litteras inspecturis salutem et sinceram in Domino caritatem. Noverit universitas vestra quod nos personaliter accedentes ad ecclesiam Sancti Mathurini Parisiensis presentibus rectoribus[1] et procuratoribus universitatis scolarium Parisiens. et pluribus aliis, ipsisque rectoribus et procuratoribus volentibus ac claves prebentibus quas habebant, archam in qua servantur littere et privilegia Universitatis ipsius fecimus aperiri, in qua inter cetera invenimus et vidimus et diligenter inspeximus quasdam litteras patentes sigillatas sigillo pendente reverendi patris quondam R. miseratione divina tit. Sancti Stephani in Celio Monte presbyteri card. apostolice sedis legati, ut prima facie apparebat, sanas et integras, non cancellatas nec abolitas, quarum tenor talis est : R. servus crucis Christi, *etc. ut supra* n° 20, *usque in finem. Deinde :* In quorum testimonium et fidem imperpetuum faciendum presentes litteras per infrascriptum notarium nostrum, qui omnibus predictis interfuit, fieri fecimus et in publicam formam redigi ac nostri sigilli munimine roborari. Dat. Parisius x kal. Aprilis, pontificatus domini Clementis pape iiij anno primo.

Ego Anzelerius de Madelbertis de Cremona ab imperatore notarius predictis interfui ipsasque litteras dicti domini quondam R. tit. Sancti Stephani in Celio Monte presbyteri card. apostolice sedis legati vidi et legi ac fideliter de mandato dicti domini Symonis Dei gratia tit. Sancte Cecilie presbyteri card. apostolice sedis legati de verbo ad verbum transcripsi et in publicam formam redegi.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca VII, D. 10. a. Superest taeniolum membranac. — *Universitatis Parisiensis ejusque facultatum quatuor origo vera* in Bibl. Univers. Paris. ms. u. I, 1, p. 555. *Partie des pièces historiques concernant l'estat... de l'Université de Paris* (Paris, 1657), part. IV, p. 6.

1. Cf. etiam infra n° 407.

406. *Simon apostolicae sedis legatus litteris ad archipresbyterum S. Severini Paris. directis discordias inter nationes noviter ortas sedat.*

1265, Martii 24, Parisiis.

Simon miseratione divina tit. Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus provido viro .. archipresbytero ecclesie Sancti Severini Parisiensis salutem in Domino. Dudum inter providos viros magistros Parisius in artibus actu regentes Gallice nationis ex una parte, ac magistros aliarum trium nationum, videlicet Picardorum, Normanorum et Anglicorum, ibi in facultate regentes eadem ex altera; necnon specialiter inter ipsas duas nationes Picardorum et Gallicorum super diversis articulis non levis contentionis exorta materia partes ipse bonum pacis et concordie affectantes in nos super hiis tanquam in arbitros et compositores amicabiles unanimiter et concorditer compromittere, ac tanquam in legatum sedis apostolice plenam jurisdictionem habentem consentire fide media curaverunt. Sane discretus vir .. officialis Parisiensis in rectorem et procuratores ac quosdam alios de predictis nationibus Picardorum, Normanorum et Anglicorum, occasione cujusdam panni Universitati Parisiensi legati, et cujusdam etiam contumacie auctoritate venerabilis patris .. episcopi Parisiensis; venerabilis vero pater .. Silvanectensis seu alius de ipsius mandato in rectorem et procuratores et quosdam alios predicte nationis Gallice occasione quorumdam privilegiorum ipsi Universitati Parisiensi a sede apostolica concessorum, quorum conservatorem se esse dicebat[1], quorumque copiam eos sibi facere denegasse dicebat, auctoritate conservationis sibi commisse excommunicationis sententias promulgarunt. Cum autem isti essent de articulis in compromisso expressis, ab eodem Silvanectensi episcopo relaxandi hujusmodi ejus sententiam obtinuimus per suas litteras potestatem. Idemque Parisiensis episcopus et officialis predictus, quod eandem ipsius officialis relaxaremus sententiam, consenserunt. Nos igitur ad requisitionem partium sententias hujusmodi auctoritate qua in hac parte fungimur, duximus relaxandas. Quocirca discretioni vestre eadem auctoritate mandamus quatinus ad requisitionem ipsarum partium sententias hujusmodi relaxatas esse, ubi et quando expedire videbitur, nuncietis. Dat. Parisius viiij kal. Aprilis, pontificatus domini Clementis pape IIII anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66^a, n° 5. Restat taen. memb. Pertinebat ad Arch. Univers. — Bulaeus, III, 371, ubi perperam « 8 kal. ».

1. Sc. episcopus Silvanectensis, Robertus de Cressonsart.

---

407. *Clemens IV in litteris ad Simonem legatum directis vehementer objurgat magistros, scholares aliosque qui privilegiis a sede apostolica concessis perverse abutuntur.*

1265, Maii 27, Viterbii.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tit. Sancte Cecilie presbytero cardinali apostolice sedis legato salutem et apostolicam benedictionem. Injuncte nobis

quanquam immeritis apostolice dignitatis exposcit officium, ut invigilemus sollicite remediis subdictorum, quia dum eorum removemus gravamina, dum scandala tollimus, in illorum possumus quiete quiescere et optate tranquillitatis gaudium obtinere. Ad nostrum siquidem frequenter pervenit auditum, quod magistri et scolares Universitatis Parisiensis asserentes Universitatem eandem nonnullis privilegiis et indulgentiis apostolicis fore munitam, hujusmodi privilegiis et indulgentiis multipliciter abutuntur, dum eorum pretextu tam ipsi quam plures alii, qui se Parisius studere confingunt, quanquam ibidem disciplinis scolasticis non insistant, ac nonnulli qui alias non studerent inibi, nisi ut exercerent hujusmodi abusionis malitiam et debachari nequiter valeant in bonis innocentium personarum, et diversi alii, qui diversarum adinventionum et figmentorum nanciscuntur ingenia, per que suffragari sibi proponunt indulgentias et privilegia memorata, de propinquis seu remotis partibus, prout eis suggerit proprie impetus voluntatis, ad civitatem Parisiensem clericos et laicos, quos sibi aut eorum aliquibus injuriari asserunt, coram quibusdam, quos falso judices seu conservatores ad hoc per privilegia vel indulgentias hujusmodi deputatos esse proponunt, citari procurant, sepius et diversas in illos sententias promulgari non ad hoc, quod suam prosequantur justitiam, sed ut eosdem clericos et laicos, qui ratione delicti sive contractus aut rei de qua agitur seu alias forum de jure ibidem minime sortiuntur, fatigatos laboribus et exhaustos expensis interdum vexationem suam redimere quandoque pactiones cum eis dampnosas inire compellant. Ex hiis quoque sepe accidit, quod dum hii, qui citati sunt aut eorum procuratores seu nuncii coram judicibus vel conservatoribus comparent, eisdem acriter verberantur, molestantur enormiter, et quod est detestabilius, interdum gladiis perimuntur in offensam divini nominis et totius scandalum regionis. Licet igitur universa erronea nobis, quibus omnium fidelium populorum est in Christo dilectio generalis, ubique displiceant, in civitate tamen tam nobili, tam famosa, que propter scientie fontem in universum mundum diffusa claritate refulgens celestis gloriam firmamenti presentare dinoscitur, dum qui erudiuntur ibidem celebri fiunt splendore conspicui, et qui erudiunt in eternitatem cum stellis perpetuam assumuntur, abusiones hujusmodi eo magis nostris obviant desideriis, quo ad civitatem eandem propter tantam prerogativam ipsius specialiorem affectum gerimus caritatis. Hinc est quod nos indigne ferentes, ut nitor ejus tali occasione remissionis incurrat umbraculum, quem sincerissime[1] cupimus suscipere condigne intentionis augmentum, ac propter hoc pati nolentes, ut abusiones predicte vel similes ibidem vel alibi committantur, tum quia non est verisimile talem indulgentiam sive privilegium per quam vel quod eis id liceat, a sede apostolica emanasse, tum quia si forsitan emanaverit, illud absque surreptionis astutia non credimus impetratum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus hujusmodi privilegium sive indulgentiam tibi faciens exhiberi, detentores illius ad exhibitionem ejus monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, ejus transcriptum nobis sub tuo inclusum sigillo transmittas; recto-

ribus vero, magistris, scolaribus et universis aliis supradictis, ut a tali abusione omnino desistant, auctoritate nostra per te vel alium firmiter inhibens, ipsius privilegii vel indulgentie suspendas effectum, donec aliter super hoc duxerimus ordinandum. Citationes vero, sententias et processus, quos in civitate ac diocesi Parisiensi seu alibi occasione illius indulgentie seu privilegii post tuam inhibitionem per talem abusum presumptos inveneris, quos interim carere omnino viribus decernimus et nullius existere firmitatis, denuncies penitus non tenere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus privilegiis et indulgentiis supradictis, aut si eisdem rectoribus, magistris et scolaribus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per ipsius sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Viterbii vj kal. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Chart. magnum archiep. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 177b, ubi titulus : « Littera Clementis pape super abusione privilegiorum universitatis magistrorum et scholarium Paris. » *Chart. parvum*, ibid., LL. 184, fol. 10. — Bulaeus, III, 372.

1. *Chart. magn.* : « successive ».

---

408. *Magister Stephanus, cancellarius Parisiensis, notum facit Johannem rectorem ecclesiae de Benis magistrum Robertum de Sorbona heredem suorum bonorum immobilium instituisse.*

1266, mense Julio, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis magister Stephanus de Aurelianis, cancellarius Parisiensis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod in nostra presentia propter hoc constitutus dominus Johannes rector ecclesie de Benis in plena sua sanitate et compos sue mentis prout prima facie apparebat volens sibi precavere in futurum et de bonis suis ordinare, quicquid de ipso contigerit humanitus, dilectum suum venerabilem virum magistrum Robertum de Sorbonio canonicum Paris. post decessum ipsius domini Johannis heredem suum et possessorem instituit censuum, vinearum et feodi cum ejus pertinentiis, que omnia Parisius acquisivit, conferens et concedens eidem magistro R. tanquam heredi suo et possessori, ut dictum est, predictorum totum jus quod habebat vel habere poterat in premissis omnibus qualicunque ratione, salvo sibi quamdiu vixerit predictus dominus Johannes in omnibus et singulis usufructu cum proprietate premissorum. Volens siquidem et concedens expresse, quod dictus magister R. heres institutus, ut dictum est, teneat et possideat post decessum ipsius domini J. omnia supradicta tanquam heres pacifice et quiete absque reclamatione seu contradictione qualibet heredum suorum carnalium seu etiam aliorum quorumcunque. In cujus rei memoriam et testimonium ad petitionem ipsius domini Johannis presentibus litteris

sigillum nostrum unacum sigillo ejusdem domini Johannis duximus apponendum. Actum anno Domini M°CC° sexagesimo sexto, mense Julio.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 41. Restant duo taeniola membran. — *Cartul. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 2. N[1] 19 et 20 Arch. nat. offerunt testamentum ipsum istius Johannis de Duaco presbyteri de Benis; prius exemplar (19) an. 1274 mense Maio, alterum mense Aprili, datum est. — Anno 1268, mense Januario, etiam Aegydius, episcopus Nicosiensis, partem suorum bonorum per testamentum erogari voluit « scolaribus Parisius studentibus, maxime illis de conventu qui dicitur magistri Roberti de Sorbona ». Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 37. An. 1273, Jul. 6, Jacobus dictus Robillars, canonicus S. Dionysii Remensis, executor testamenti Radulphi dicti Asgrenons, quondam civis Remensis, Roberto de Sorbona pro pauperibus studentibus in theologica facultate « centum libras turon. de denariis ex legato testamenti dicti R... percipiendas ex debito domini comitis de Grandi Prato » concessit et donavit. Ibid. n° 21. Anno 1269 (1270) mense Martio mag. Lambertus decanus eccles. Senogien. « pauperibus magistris scolaribus commorantibus in vico magistri Roberti de Sorbona ... epistolas Pauli glosatas cum duobus evangelistis, Johanne videlicet et Luca », legavit. Ibid. n° 36, *etc.* Vide insuper supra n° 325, nota.

---

409. *Ordinatio a Simone legato decreta, qua praeterita nationum Universitatis Paris. dissidia componit, de futuris ut componantur providet, rectoris eligendi modum statuit.*

1266, Augusti 27, apud S. Genovefam.

Simon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus ad perpetuam rei memoriam. Beneplacitum est Domino in pace fidelium, et reconciliatio discordium in conspectu ejus sacrificium est in suavitatis odorem, quibus salubriter id efficitur ut aufferatur iniquitas, impetus refrenentur, extinguantur scandala, retundatur effrenitas, reprimatur injuria et discordia conquiescat, sicque sub pacis et tranquillitatis imperio foveatur caritas, rerum dispendium evitetur et labor mortalium immiscentium questionibus infinitis sopito litium strepitu ad quietem et operationis sue debitum officium se convertat. Sane super diversis questionum articulis magistris actu regentibus Parisius in artium facultate trium nacionum, videlicet Pycardorum, Normannorum et Anglicorum ex una parte et Gallicorum ex altera, et ipsis etiam magistris nacionis Picardorum seorsum cum magistris nacionis Gallicorum periculose contendentibus et dampnose, deliberamus super hoc interponere juxta officii nostri debitum partes nostras et pro causa que non solum ipsorum magistrorum speciale, verum etiam commune omnium respicit interesse in medias partes tanti dissidii prosilire. Propter hoc itaque partibus ipsis ad nostram presentiam evocatis articulos contentionum hujusmodi nobis exponi mandavimus et in scriptis etiam exhiberi.

Proposuerunt igitur procuratores nacionis Gallicorum contra ipsam Picardorum nacionem, *primo* quod cum Johannes de Vlliaco[1] in eadem nacione Gallicorum spontanea voluntate inciperet, nacio Picardorum indebite se opponens, cum ex seipsa esse confinxit, et propter hoc etiam cepit ipsum diuque detinuit et sibi multas injurias irrogavit, vel eum capi vel detineri sibique ipsas irrogari mandavit, seu hec rata habuit non sine ipsius nacionis Gallicane contemptu et prejudicio manifesto. Et cum de hiis et quibusdam aliis injuriarum articulis occasione hujusmodi subsecutis in quemdam

magistrum Petrum Majoris Caleti in Rothomagensi ecclesia[2] et Johannem Meldensem archidiaconos fuisset ab ipsarum duarum nacionum, Picardorum videlicet et Gallicorum, procuratoribus compromissum[3], hiidem archidiaconi formam in compromisso hujusmodi eis traditam excedentes[4] de facto arbitrati fuerunt, quod illustris rex Francie ordinaret, cujus nacionis idem magister Johannes et alii de villa ipsa de Vlliaco qui pro tempore Parisius in artibus incipient sint censendi, in eorum exprimentes arbitrio, regem ipsum ordinasse quod idem magister Johannes de nacione Gallicorum remaneat, et quod illi de villa ipsa qui decetero in artibus incipient de nacione Picardorum existant, quamvis ipsa Gallicorum nacio super hoc, ut asserit, hujusmodi non concessit potestatem nec concesserit, quod ipsa regi daretur eidem; nec ordinacionem ejus super hoc quo ad illos qui inciperent in futurum, ex postfacto etiam approbavit.

Secundo proposuerunt quod dicti archidiaconi prefati compromissi forma servata inter alia pronunciarunt quod magistri Johannes Fretel et Johannes de Huy de eadem nacione Picardorum, qui fuerunt in captione dicti magistri de Vlliaco principales, ipsi magistro Johanni et Gallicorum nacioni hujusmodi injuriam emendarent, et infra festum paschatis tunc proximo futurum iter arriperent propter hoc sanctorum Egydii et Jacobi limina visitandi, quod ibi[5] fuissent testimoniales litteras auctenticas allaturi, et rectori ac procuratori dicte nacionis Gallicorum etiam ostensuri.

Tercio proposuerunt quod cum Robertus de Novavilla et magister Renerus socius ejusdem de prefata nacione Picardorum, Guillermum canonicum Tullensem et quosdam servientes nepotum venerabilis in Christo patris archiepiscopi Bisuntini, de nacione Gallicorum, ex rancore prioris discordie sacrilego ausu cepissent, predicti archidiaconi in quos super hoc etiam compromissum extiterit, pronunciaverunt quod captores ipsi eidem Guillermo in nacione Gallicorum hujusmodi injuriam emendarent, et propter hoc cum ipso usque ad domum ejus et ab ea usque ad domum dicti archidiaconi Meldensis accederent et ibidem usque ad ejusdem archidiaconi beneplacitum se carceri mancipa-rent, quodque magister Sygerus[6] de nacione Picardorum, [quia] super hujusmodi ejusdem Guillermi captione ipsum suspectum dicebant, ad ipsorum archidiaconorum arbitrium se purgaret. Unde procuratores Gallicorum predicti dicebant non esse peritum arbitrio supradicto in ejusdem nacionis Gallicane prejudicium et gravamen.

Quarto proposuerunt quod Guillotus bedellus Picardorum[7] ea die qua predictus magister Johannes incepit, quasdam litteras falsas sub nomine cujusdam, quem subde-legatum conservatorum privilegiorum Universitatis Parisiensis esse dicebat, presumptione dampnabili fabricatas, inter alia continentes quod subdelegatus ipse dictum magistrum de Vlliaco et eum sub quo incipiebat aliosque omnes qui ejus principio interessent excommunicationis vinculo innodavit, per singulas scolas magistrorum artium legit et ausu nephario divulgavit in ejusdem nacionis Gallicane infamiam et injuriam manifestam, propter quod petierunt ipsum bedellum ab officio bedallarie penitus amoveri.

Quinto proposuerunt quod quidam de nacione Picardorum, inter quos principales extiterunt magistri Sygerus et Symon de Brabant, presente et ratum habente ipsa Picardorum nacione quosdam [8] nacionis magistros Gallicane, ne in vigiliis quondam magistri Guillermi Autisiodorensis, ratione quarum magistri totius Universitatis convenerant in ecclesia fratrum Predicatorum Parisius, sicut alii legerent et cantarent impedire et propter hoc libros de illorum manibus trahere attemptaverunt et in eorum aliquos clericali milicie ascriptos, ibidem manus injecerunt temere violentas in ejusdem nacionis Gallicane injuriam et contemptum.

Contra tres etiam naciones, Picardorum videlicet, Normannorum et Anglicorum, proposuerunt ipsi procuratores nacionis Gallicane dicentes per eas illi non minimas injurias irrogari, *primo* in eo quod inhibuerunt predicto Johanni de Vlliaco ne in natione inciperet Gallicorum. *Secundo* super eo quod ipsum dum juxta morem iret per scolas admittere noluerunt. *Tercio* super eo quod rector ipsarum trium nacionum cuidam bachellario sponte determinanti in nacione Gallicorum inhibuit ne determinaret in ea, et precepit eidem quod ad nacionem accederet Picardorum. *Quarto* in eo quod rectorem Universitatis indebite creaverunt nacione Gallicana rationabiliter contradicente et causas assignante, quare id fieri non debebat. *Quinto* super eo quod nolunt ut bedellus Gallicorum recipiat de obvencionibus nacionum juxta modum, qui ut hiidem procuratores asserunt visus est hactenus observari, videlicet ut ipse bedellus Gallicane nacionis percipiat quartam partem in obvencionibus sue nacionis, et tertiam partem obvencionum aliarum; bedelli vero trium aliarum nacionum nichil recipiant de obvencionibus suarum nacionum, sed tertiam partem tantummodo de obventionibus aliarum. *Sexto* in eo quod predictum bedellum Picardorum, qui sicut dicitur adversus nacionem Gallicanam graviter deliquerat, contra laudabilem consuetudinem super hoc introductam in suo servicio tenuerunt, super hoc requisicione et precibus ipsius nacionis Gallicane contemptibiliter obauditis.

Petierunt et procuratores predicti per nos infrascriptis articulis provideri. *Primo* ne unquam nacionem Gallicorum aliis tribus nacionibus indissolubiliter uniremus. *Secundo* [9] quod simpliciter ordinaremus ne dicte tres nationes aliqua statuta que ipsam tangant, facere valeant expresso ipsius nacionis Gallicane non interveniente consensu. *Tercio* quod simpliciter ordinaremus ne ipsa sola tres examinatores possit habere cum tot sint numero in ea sola persone, quot in aliis tribus existunt. *Quarto* quod interdicta que fecit de quibusdam scolis et domibus tempore presentis discordie faceremus inviolabiliter observari.

Porro procuratores predicte nacionis Picardorum contra nacionem Gallicorum proponere curaverunt, quod eadem Gallicana nacio duos scolares de Vlliaco, qui determinaverant post dictum arbitrium in nacione Gallicorum Parisius de sophismate et qui de jure et ex forma ejusdem arbitrii de ipsa Picardorum nacione esse debebant, consorcio

sue nacionis contra justiciam applicarunt; in hoc etiam alias contra formam ejusdem arbitrii temere venientes. Proposuerunt autem procuratores dictarum trium nacionum, Picardorum videlicet, Normannorum et Anglicorum, contra ipsam Gallicorum nacionem. *Imprimis* quod ipsa se ab earum consorcio minus juste ac sine causa rationabili et contra statutum juramento vallatum more insolito et contra communem utilitatem studii separavit. *Secundo* quod cum interim immineret rectoris Universitatis electio celebranda, magistri Gallicane nacionis vocati ab aliis tribus nacionibus ad electionem rectoris venire contumaciter recusantes sibi rectorem contra statutum juramento firmatum et contra morem solitum elegerunt, rectori per eos rite juxta ipsius statuti formam electo obedire, sicut per fidem tenentur, indebite recusantes et usurpantes sibi tantum juris et auctoritatis in faciendis statutis et scolis et domibus interdicendis ac aliis communibus Universitatis negociis, impetrando etiam conservatore privilegiorum ipsius, quantum tres alie supradicte, seque ipsis quominus usu communis arche gaudere valeant opponentes, ei unam de ipsius clavibus denegando ipsarumque bachellarios qui incipiunt et ducuntur per scolas juxta morem admittere non sine ipsarum injuria et prejudicio respuentes. *Tercio* quod ipsa nacio Gallicorum bachellarios suos non juxta[10] morem et statutum super hoc editum examinatos licentiari procurat, eos per rectorem et procuratores suos minus rite electos incipere nichilominus faciendo, inferentes ex hoc quod pro magistris vel licentiatis haberi non deberent, qui taliter et per tales sunt magisterium et licentias assecuti; procuratoribus predicte Gallicane nacionis hec eadem replicantibus contra ipsas. *Quarto* quod idem rector nacionis Gallicane taliter electus preter consensum aliarum nacionum quandam domum de novo motu proprio interdixit et interdictam fecit nunciari. *Quinto* quod eadem nacio Gallicorum pecuniam que sibi obvenerat dum erat de aliarum nacionum consorcio refundere vel restituere sive in communi quatuor nacionum ponere, sicut est hactenus consuetum, indebite contradicit, procuratoribus nacionis Gallicane ipsam ad hujusmodi pecuniam refundendam dicentibus non teneri et petentibus etiam per nos ordinari ne ad refundendum decetero pecuniam que sic obvenit et contribuendum in solutione debitorum in expensis Universitatis plus[11] quam una ex aliis teneatur. *Sexto* quod magistri Gallicane nacionis ad exequias magistrorum et scolarium aliarum nacionum vocati venire ac eis interesse recusant, fidem et penam super hoc appositas contempnentes. *Septimo* quod ipsi magistri nacionis Gallicane legunt cursorie in diebus disputabilibus et disputant perverso ordine cum legere teneantur. Licet autem tam magistri quatuor nacionum quam predicti procuratores ipsarum utrimque pecierint ut predicta omnia et singula emendaremus ac emendari ac corrigi ratione previa faceremus : voluerunt etiam et consenserunt ac instanter pecierunt ut questiones hujusmodi non tam judicialis decisionis calculo quam providentie consilio nostreque voluntatis beneplacito sopiremus. Et preterea in nos non solum tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem

de alto et basso, verum etiam tanquam in apostolice sedis legatum plenam jurisdictionem et potestatem judiciariam obtinentem de universis questionibus, articulis supradictis et aliis quibuscumque inter eos usque in diem hujusmodi compromissi exortis compromittere ac consentire fide ab eorumdem magistrorum singulis corporaliter prestita curaverunt, hoc pacto ut illos articulos de quibus expedire videremus, judicio terminemus, prout in ipso compromisso plenius continetur. Et demum procuratores partium predictarum lite super hiis legitime contestata et prestito calumpnie juramento ad proprias super [hoc] intentiones fundendas nonnullas litteras et alia documenta, quedam quoque statuta et munimenta alia coram nobis in judicio exhibentes et expresse renunciantes aliquibus probationibus quibuscumque tam pari quam concordi instancia supplicarunt ne amplius protrahi tantarum litium discrimina pateremur.

Nos itaque perspecto quot ex hujusmodi controversiis oriebantur scandala, quot odia, quot rancores, quot inconparabilium [12] inpedimenta profectuum quantaque dispendia rerum, animarum exitia et pericula personarum; predictis quoque articulis et questionibus omni attentione pensatis et eisdem litteris, documentis, statutis et munimentis diligenter inspectis, multisque per nos ab ipsis interrogationibus factis et responsionibus subsecutis ad eas juribusque partium recensitis et super hiis omnibus et aliis negotium contingentibus nobiscum et cum nonnullis peritis deliberatione habita diligenti; considerato quoque super omnia quia dissensiones et scismata semper in proprie desolationis interitum adholescunt, veritate dicente, quod omne regnum in se divisum facile desolatur; inspecto etiam quod ex unione parve res crescunt et divisione maxime collabuntur, et propter hoc etiam intellecto quod ante omnia opus est divisos parietes jungere : ut ex presentis ordinationis structura optatus fructus valeat provenire, pronuntiamus, arbitramur et ordinamus : In primis quod predicta nacio gallicana tribus aliis nacionibus et ipse illi sine contradictione ac difficultate qualibet invicem uniantur, ac ipsum corpus studii facultatis predicte deintegratum atque divisum [13] sine more dispendio reintegrent et reforment, eique constituant unum caput, ac rectoribus quos sibi monstruose prefecerant sine omni dilatione dimissis eidem unicam personam ydoneam juxta formam que infra sequitur preficiant in rectorem pari cum suis predecessoribus concorditer electis potestate fruiturum, sic voluntarios restringendo motus et actus proprios limitando quod ad injuriam unius alia vel alie non procedant, et ideo nulla vel nulle ipsarum in faciendis statutis vel interdicendis domibus vel scolis seu aliis communibus dicte facultatis negotiis auctoritatem sibi vendicent specialem, sed fiant in licitis casibus ipsius facultatis statuta et interdicantur domus et scole, ac impetretur ejus nomine conservator communi et expresso cujuslibet nationis interveniente consensu; aliter autem facta et facienda facultatis predicte statuta vel hujusmodi ejus interdicta non valeant nec serventur. Nulla quoque nationum ipsarum in admittendo ad communem archam nationes alias vel in recipiendo ipsarum bachellarios, cum per scolas sicut predicitur deducuntur, se difficilem exhibeat [14]

vel rebellem, sed omni promptitudine facilem et debita benevolentia mansuetam ad conservationem unionis sue per hec et alia continue laborando. Et ne hujusmodi laborem ipsarum et tantum premisse unionis bonum per ea que de prefatis licentiis et principiis refricantur, quod absit, evacuari contingat, nos auditis et intellectis hiis que fuerunt super hoc proposita coram nobis et privilegiis cancellario ecclesie sancte Genovefe super hoc a prefata sede concessis diligenter inspectis, hiis quoque que in dandis licentiis hujusmodi eidem cancellario competunt ac aliis conditionibus circa hoc ad presens concurrentibus attenta meditatione pensatis pronunciamus, licentias et principia supradicta valere et dictos bachellarios et magistros, cujuscunque nationis existant, haberi debere pro licentiatis bachellariis et magistris. Et licet libera separacionis nacionum facultas dissipacionem studii et alias multa bona inducere dinoscatur, ne tamen inseparabilis unionis pretextu una nacio ab aliis indebite opprimi valeat vel gravari, sic nos decet separationes temerarias prohibere, quod justas et rationabiles cum res exigerit permittamus.

Nos itaque, ad quos spectat circa omnes nostre legacionis personas, et scolares precipue, pacis cogitare consilia et periculis obviare, statuimus et irrefragabiliter ordinamus quod nulli nacioni liceat se a tribus vel duabus aliis ullo unquam tempore separare, nisi rationabilis et justa causa subfuerit et etiam manifesta et hoc tunc demum postquam talis fuerit in forma que sequitur declarata. Statuentes igitur ordinamus quod si forte per ministerium seductoris, quod absit, in agro Parisiensis studii zizannia seminantis inter naciones exorta discordia una a tribus vel due a duabus se voluerint separare, id passim vel protinus non presumant, sed tres antiquiores [15] magistri theologice facultatis et quatuor decretiste tunc Parisius existentes regentes actu et impedimentum canonicum, cum quo minus expedicioni negocii vacare valeant, non habentes, de separacionis causa quam pretendi contigerit, an sit rationabilis, justa et etiam manifesta, et que et qualis emenda ex ipsa separationis causa, quam talem invenerint, sequi debeat et a nacionibus vel nacione causam talem prestantibus aliis exhiberi, cognoscere incipiant infra tres dies, postquam super hiis a partibus vel earum altera fuerint requisiti, et procedentes de plano et absque judiciorum strepitu ac summatim illa determinent infra mensem. Quorum pronunciationi vel majoris partis ipsorum partes stare volumus et contra eam aliquatenus non venire, super qua pronunciatione fiat publicum instrumentum, vel littere sigillo autentico communite. Si vero partes negligant vel recusent super hoc ipsos magistros requirere, ipsi nichilominus ad id ultra etiam irrequisiti se offerant, et si ex dissensione tantum viderint periculum imminere [16] quod periculosum sit ipsis nacionibus in unum taliter remanere, vocatis partibus de separacionis causa et emenda prestanda juxta formam eamdem cognoscant protinus et decidant. Qui autem inceperint cognoscere durante mense priusquam diffinierint non mutentur, etiam si cognitione pendente actum legendi dimiserint vel antiquiores absentes ab inicio Parisius reversi fuerint vel impedimentum antiquiorum cessaverit qui in cognitionis exordio canonice fuerant impediti. Et si

qui ex eis se cognitioni maliciose subtraxerint vel opem scienter dederint quominus determinetur negotium infra mensem, eo ipso excommunicationis sententiam quam ex nunc promulgamus incurrant, et alii juxta formam prescriptam procedant nichilominus in eodem. Cum per dictam pronunciationem manifestum extiterit, que et qualis emenda a nacione seu nacionibus causam rationabilem justam et manifestam separacionis prestantibus alii vel aliis debeat exhiberi, ipsis eam exhibentibus[17] vel absque more dispendio exhibere paratis non liceat nacioni seu nacionibus, cui vel quibus emenda fuerit exhibenda, ab unione recedere[18] aliarum. Si autem in emende exhibicione reddiderint se difficiles et rebelles, tunc demum ipsi vel ipsis liceat se ab aliis, donec emendam in forma predicta taxatam prestiterint, separare, quo casu statuendum duximus quod singuli, per quos steterit, seu qui se duxerint opponendos quominus emenda secundum dictorum magistrorum arbitrium sine difficultate prestetur, eo ipso excommunicationis sententia quam ex nunc proferimus innodentur[19], qua ligati nec licentiatorum tenere principia nec licentiandos cancellariis valeant presentare, et in aliis etiam tanquam excommunicati artius evitentur. Et si quindecim dies in hac rebellione perstiterint, liceat licentiatis sub ipsis libere sub non excommunicatis magistris incipere, non obstantibus in hoc casu contraria consuetudine et statuto. Et easdem excommunicationem et penas illos incurrere volumus qui contra ordinacionis nostre tenorem se duxerint separandos, eosque qui juxta formam separati prescriptam emenda taxata, qua ipsos contentos esse volumus, sibi prestita vel oblata absque difficultate vel more dispendio ad unionem non redierint aliorum. Quod si predicti magistri vel major eorum pars questionem non deciderint nec emendam taxaverint infra mensem, ex tunc Parisiensis episcopus qui pro tempore fuerit tam de ipsa separationis causa quam de emenda predicta sua et nostra auctoritate cognoscat, et processu per dictos magistros habito rite servato procedat in hiis omnibus summatim de plano et sine strepitu judicii et decidat prout superius est expressum. Qui vero contra ipsius episcopi pronunciationem super emende prestacione vel ad unionem reversione venire[20] presumpserint, excommunicationis sententiam et penas incurrant, quas invenientes super hiis contra magistrorum arbitrium duximus statuendas.

Et quia in frequenciori mutacione magistratuum etiam tenax disciplina resolvitur et admissa crebrius variacione regencium subditorum tranquillitas dissipatur, illum usum quin potius abusum non a multis retro temporibus introductum, videlicet quod rector novus singulis mensibus vel sex ebdomadis eligatur, turbacionem studii ac incentivum invidie ministrantem, prorsus duximus abolendum, statuentes et ordinantes quod rector Universitatis quater in anno, videlicet prima die legibili post festum beati Dionisii, ultima die legibili ante vacationes Nativitatem Domini precedentes, ultima die legibili ante Annunciationem beate Marie Virginis, et ultima die legibili ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, et non pluries, eligatur, qui officium rectorie libere exercere valeat per tempus suo regimini deputatum, nisi forte culpis suis exigentibus infra tempus ipsum juste appa-

ruerit amovendus, quo casu vel si forte[21] decedat vel cedat seu actum legendi dimittat, tempus quod de regimine ipsius supererit, accrescere volumus successori. Eligetur autem rector unicus a quatuor procuratoribus nacionum vel aliis quatuor earum magistris juratis secundum tenorem statuti super hoc dudum editi[22], sicut etiam a nonnullis annis extitit observatum. Nacio autem seu naciones, que juxta prescriptam formam se ab aliis separaverint, ei qui tunc erit Universitatis rector et de aliis nacionibus originem duxerit obedire separacione durante non teneantur invite, quo casu et alias, quandocunque separacione juxta predictam formam secuta officium rectoris expirare contigerit, nulla seu nulle naciones separacione durante rectorem eligent, sed earum quelibet per eum quem prius procuratorem habuerit, ea que ad officium rectoris pertinent cum res exegerit donec restauretur unio exequatur.

Amplius quia nacionis incertitudo veluti precipuum dissensionis seminarium inter naciones ipsas posset, sicut facta recentia nos edocent, gravem contendendi generare materiam, nos super hoc oportunum volentes remedium adhibere statuimus et ordinamus, dicente apostolo finem esse omnis controversie juramentum, ut, quotiens de alicujus bachellarii nacione contigerit probabiliter dubitari, stetur ejusdem bachellarii (sive de predicta villa de Vlliaco fuerit sive etiam undecumque absque retractatione aliqua) juramento, de qua nacione sit vel fore se credat, tactis sacrosanctis evangeliis et vocatis procuratoribus nacionum, inter quas super hoc contencio fuerit, exhibendo. Et hoc ipsum contra predictum magistrum Johannem de Vlliaco et alios duos bachellarios loci ejusdem predictos volumus et precipimus observari. Super injuriis autem ex ipsius magistri Johannis de Vlliaco et magistri canonici Tullensis captione secutis arbitramur et ordinamus quod nacio Picardorum quantum in se fuerit bona fide opem et operam efficacem exhibeat, ut magistri Johannis Fretel[23], et Johannis de Huy, Robertus quoque et Renerus predicti captores illorum injurias ipsas emendent, propter hoc limina Beate Marie Virginis de Rupe amatoris peregre visitando, et quod ibi fuerint auttenticas afferendo litteras ac procuratori nacionis Gallicorum etiam ostendendo. Det similiter opem et operam bona fide quod supradictus magister Sigerus super captione ipsius magistri Guillermi tertia manu se purget, alioquin ipsos a consortio sue nacionis excludat, non prius resumendos ad illud in quacunque studuerint facultate, quam emendam prestiterint sic injunctam, et dicti sacrilegi ab excommunicationis sententia quam propter sacrilegium sic commissum incurrisse noscuntur se rite docuerint absolutos. Articulum autem de excessu predicti bedelli, cum circa ipsum plenam non inquisiverimus veritatem, non determinamus ad presens, sed eum ordinacioni et arbitrio nostro in posterum reservamus. Quia vero contra nacionem Picardorum super impedimento prestito magistris nacionis Gallicane ne legerent in exequiis supradictis et ablatione librorum de manibus eorumdem et de predicta injectione manuum violenta nichil sufficienter invenimus esse probatum, ipsam ab impeticione dicte nacionis Gallicorum super hoc duximus absolvendam, salva tamen eidem

nacioni Gallicorum omni, que sibi super hoc contra privatas personas[24] competit, questione. Quoniam insuper de quatuor primis articulis quos nacio Gallicana super injuriis ab aliis tribus nacionibus sibi ut dicebat illatis exhibuit nobis non exstitit sufficiens facta fides, easdem tres naciones ab impeticione ipsius Gallicane nacionis super hiis absolvimus, et ei perpetuum silentium imponimus super illis. Super quinto autem articulo de portionibus bedellorum recipiendis in obvencionibus nacionum illud volumus observari, videlicet quod refusa pecunia a quavis nacione, que inter bedellos fuerit dividenda, ipsis bedellis[25] pro portionibus equalibus assignetur, ita videlicet quod bedellus quilibet cujuscumque fuerit nacionis tantum percipiat, quantum unus ex aliis in pecunia que a nacione, cujus bedellus extiterit, refundetur. De prefato autem bedello[26] propter predictum ejus excessum, a tribus nacionibus non repulso eandem Gallicorum nacionem eo volumus esse contentam, quod alias ordinabimus de eodem : peticionem ejusdem nacionis super hoc et super eo etiam quod petit, quod sola tres examinatores habere valeat, minime admittentes. De refusione autem predicte pecunie arbitramur et ordinamus quod tam ipsa nacio Gallicorum quam alie singule pecuniam, que ab ipsis bachellariis incipientibus et determinantibus obveniet in futurum unione durante, ad requisicionem rectoris electi concorditer sine diminucione refundant; illam autem que ipsis obvenit tempore presentis discordie vel etiam ante, cum vix de ipsa certa possit haberi noticia, et de injusta separacione Gallicane nacionis non constet ad plenum, nullatenus refundere teneantur. Illam vero peticionem quam fecit eadem nacio Gallicorum de non refundendo in posterum nec contribuendo in solutione debitorum et expensis Universitatis plus quam aliqua aliarum non duximus admittendam, ordinantes quod super hoc servetur in posterum quod hactenus extitit observatum. De modo autem legendi et disputandi et accedendi ad exequias magistrorum et scolarium decedentium ordinabimus Domino faciente quod juxta consilium in talibus peritorum videbimus ordinandum.

Volentes itaque inter partes et naciones predictas omnem contendendi cessare materiam, ordinamus et precipimus ut nulla ipsarum aliquibus super injuriis preteritis refricet questionem nisi in casibus in quibus id ei presens ordinacio nostra expresse concedit. Datum apud ecclesiam sancte Genovefe Parisiensis, vocatis ad hoc et presentibus partibus supradictis et omnibus magistris facultatis predicte tunc actu regentibus ac procuratoribus omnium nacionum, premissa quoque omnia et singula rata habentibus et voluntarie ac expresse acceptantibus universa, vj° kal. Septembris, pontificatus domini Clementis pape quarti anno secundo, anno vero Domini M°CC° sexagesimo sexto.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 25. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 31b, sub rubrica : « De reformatione pacis magistrorum Picardorum, Normannorum, Anglicorum et Gallicorum ». A « Nos itaque perspecto » p. 453 usque in finem exstat in Bibl. Coll. Corp. Christi, Oxoniae, ms. 283, fol. 156b (saec. XIII), ex quo hanc partem desumpsimus, cum ceteri codd. mendis scateant. — Bulaeus, III, 375.

1. Forte est idem ac archidiaconus Belvacensis ejusdem nominis, cui Gregorius X an. 1273, Mart. 12, scripsit. Doublet, *Hist. de l'abbaye de Saint-Denis*, p. 607. — 2. Petrum de Ons. Nominatur etiam in *Regestro visitationum archiepiscopi*

Rothomag., II, p. 657, ad ann. 1256, 1257. — 3. Vat. Reg. : « procurantibus commissum ». — 4. Vat. Reg. : « extendentes ». — 5. Vat. Reg. : « ipsi ». — 6. De ipso vide infra ad n^{um} 432. — 7. Istius Guilloti jam supra nº 342 mentio fiebat, ubi de simili facto suspecto accusatus est. — 8. Vat. Reg. add. « Picardos ». — 9. « Secundo ... quo » om. Vat. Reg. — 10. Vat. Reg. : « contra ». — 11. Vat. Reg. : « post ». — 12. Mss. praeter Oxon. : « inseparabilium ». — 13. Vat. Reg. : « divulsum ». — 14. Vat. Reg. : « recipiat ». — 15. Oxon. : « antipriores ». « Theologice facultatis .... Quo casu vel si » p. 456 om. Vat. Reg. per incuriam scriptoris. — 16. Oxon. : « invenire ». — 17. Oxon. : « exigentibus ». — 18. Oxon. : « recipere ». — 19. Cheltenh. : « ligentur ». — 20. Om. Oxon. — 21. Hic rursus habemus Vat. Reg. — 22. Supra nº 187. — 23. Oxon. : « Fertel ». — 24. Personas] per sententias, Oxon. — 25. In sequentibus libri manuscripti praeter Oxon. textum mendosum praebent. — 26. Guilloto.

---

410. *Statutum Capit. generalis Ord. Cisterc. de monachis Parisiis studentibus.*

1266, Septembris 12, [Cistercii].

Abbati Clarevallis indulgetur, quod tres vel quatuor monachos de studio Parisiensi, quos voluerit et judicaverit meliores, ei liceat retinere, nec inviti preficiantur in domo aliqua in abbates.

Cod. definit. et Capp. general. Ord. Cisterc. in Arch. status in Luzern, l. 1, parte 1, p. 236. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1426, nº 11. — Simile statutum jam in Cap. gen. an. 1251 celebrato confectum est : « Petitio abbatis Clarevallis de tribus monachis studentibus Parisius non compellendis ad abbatizandum si eligantur, cum spes sit de eis quod possint proficere ad legendum ordinarie Parisius, in favorem Parisiensis studii exauditur ». Martène, l. c., p. 1394, nº 2.

---

411. *Clemens IV Guillelmo de Saana, thesaurario Rotomagensi, concedit ut in oratorio domus, quam pro saecularibus scholaribus Rotomagensis dioecesis Parisiis acquisivit, divina celebrentur.*

1266, Octobris 11, Viterbii.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Guillermo de Saana[1], thesaurario ecclesie Rothomagensis salutem et apostolicam benedictionem. Desideria cordis tui velut pietati consona benigno delectamur auditu suscipere ac favore benivolo adimplere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod in quadam domo civitatis Parisiensis[2], quam secularibus scolaribus civitatis et diocesis Rothomagens. in theologica studentibus facultate cum congruis redditibus et bonis sufficientibus juxta taxatum illorum numerum per tuam industriam acquisisti, quoddam oratorium est constructum. Quia vero tu scolares ipsos divinis desideras ibidem refici, quibus sufficienter in bonis temporalibus providisti, nos tuis piis desideriis grato concurrentes assensu scolaribus domus ejusdem tam presentibus quam futuris communiter ibidem juxta tuam dispositionem viventibus, quod in oratorio ipso de consensu diocesani loci divina celebrare officia et sibi facere celebrari valeant sine juris prejudicio alieni, auctoritate presentium indulgemus, dummodo parroch[iani...][3] eccles... Parisiens. [.... non] admittantur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Viterbii v id. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 260, nº 104. Bulla plumbea filis seric. appenditur.

1. Guillelmi de Saana et Collegii ab ipso fundati prima hic in documentis Universitatis Paris. mentio fit. Ex documento 58.

supra edito apparet Collegium, quod nominabatur *Collège du Trésorier*, an. 1266, Octobris 11, jam esse fundatum. Guillelmus de Saana jam an. 1240 nominatur, et ante an. 1253, Maii 5, thesaurarius ecclesiae Rotomagensis factus est. Cf. Robillard de Beaurepaire, *Recherches sur l'Instruction publique dans le diocèse de Rouen*, I, 184 sq., ubi praeterea omnia documenta, quae Collegium Guillelmi de Saana respiciunt et in arch. départ. de la Seine-Inférieure (Rouen) conservantur, allegantur; quae quidem ad historiam Collegii saec. XIII levis momenti sunt. — 2. Non dicitur ubi Parisiis haec domus fuerit. Verisimiliter est illa, cujus fit mentio in documento an. 1268 (infra nº 423), i. e. « juxta Harpam », in parochia S. Severini. An. 1273 Guillelmus de Saana domum proximam Sorbonae emit, ubi postea Collegium thesaurarii exstitit. Vide Beaurepaire, l. c., p. 193. — 3. Originale dilaceratum.

---

412. *Clemens IV magistro Guillelmo de S. Amore scribit de ipsius libro de novo edito, qui licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum sapit.*

1266, Octobris 18, Viterbii.

Dilecto filio magistro Guillermo de Sancto Amore. Si circa veritatis indaginem elaboras, si cautelas ecclesie necessarias colligis ex scripturis, dummodo tamen sobrius inquisitor existas et activum evites scandalum, non te credimus arguendum. Sed cavendum est tibi ne vel preteritorum tuo hereat animo nimis tenax memoria, et sub doctrine specie detractoris colores insidias, vel illam objurgationem merearis audire qua Paulum tetigit Festus dicens : « Te multe littere faciunt insanire ». Sane libellum novum[1] evolvere cepimus quem misisti, qui licet interdum alias auras circinet, veterem tam multum sapit, et cum excussus fuerit et discussus, licet coloratior in aliquibus videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verum quia totum non legimus, nichil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se ut lateat in lucis angelum transfigurat. Nos autem, cum nobis relegerimus[2] hoc opusculum et aliis amatoribus veritatis et eandem intelligentibus id communicaverimus, tunc quod nobis videbitur tibi dabimus intimare. Sed quia res forsan abibit in longum propter negotiorum instantiam que de mundi diversis partibus nos solito acrius inquietant, dilectum filium magistrum Thomam[3] supradicti presentatorem operis ultra nolumus detinere. Dat. Viterbii xv kal. Novembris, anno ij.

Epistolae et dictamina Clementis papae IV in Arch. Vat. nº 33, ep. 268, fol. 48; nº 34, fol. 72; nº 35, fol. 54. — Bulaeus, III, 382.

1. Sub isto libro communiter intelliguntur *Collectiones cathol. et canon. scripturae*, in *Guillelmi opp.*, ed. Constantiae, 1632, p. 111, quarum huc usque 31 mss. inspeximus. In mss. saec. XIII et XIV deest nomen auctoris, qui forte non est Guillelmus de S. Amore (cujus tamen stilum et dicendi modum omnino redolet), minime quidem, quia p. 160 litterae Martini IV adducuntur, cum textus ibidem per magistrum Gerardum de Remis interpolatus sit, ut ex Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15758, fol. 125, ediscimus, sed propter alias causas, quas data occasione adducemus. Immo *Liber de Antichristo et ejusdem ministris* supra designatur, cujus exstat cod. antiquus Romae in Bibl. Angelica, T. 6. 27, alter saec. XIV Bibl. nat. Paris. ms. 14578, fol. 172, ed. in Martène-Durand, *Vet. SS. ampl. coll.*, IX, 1273. Auctorem hujus libri esse Guillelmum, jam doctus quidam in *Mercure de France*, 1750, Octobre, p. 71 sqq., et V. Le Clerc, *Hist. litt. de la France*, XXI, 470, autumabant. — 2. Nº 33, 34, 36 : « legerimus ». — 3. Cf. de isto infra epistolam Guillelmi de S. Amore an. 1270-1271.

---

413. *Universitas Parisiensis notum facit Nicolaum, Tornacensem archidiaconum, quingentas libras Roberto de Sorbona contulisse; pro cujus remuneratione eidem concedit ut quinque magistros qui habeant notitiam idiomatis Flamingi, in domo Roberti de Sorbona annis singulis possit habere.*

1266, mense Octobri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis universitas magistrorum et scolarium Parisiensium salutem in Domino. Cum dilectus noster Nicholaus Tornacensis ecclesie in Flandria archidiaconus[1] quingentas libras parisiens. magistro Roberto de Sorbona canonico Parisiensi, provisori congregationis pauperum magistrorum studentium Parisius in theologica facultate, contulerit ad redditus comparandos pro sustentandis magistris memoratis, nos ipsius benevolentie grata volentes vicissitudine respondere concessimus quod idem archidiaconus, quoad vivet, quinque magistros bone fame vite et conversationis honeste studentes in theologia, qui planam habeant notitiam ydiomatis Flamingi, quod in suo archidiaconatu proprium esse dinoscitur, possit ponere annis singulis in domo dictorum magistrorum, quibus de bonis dictis magistris assignatis provideatur, sicut ceteris providetur magistris et providebitur in futurum, ut iidem magistri in divina scientia eruditi et ex bonorum convictu moribus informati, docentes verbo pariter et exemplo, in locis ad que ipsos vocari contigerit, fructum facere valeant, qui non perit. Post ejusdem vero archidiaconi decessum domino episcopo Tornacensi, qui pro tempore fuerit, vel per se vel per archidiaconum Flandrensem, si ad hoc eum ydoneum viderit, ponendi similiter annis singulis in dicta domo magistros prefati Flamingi ydiomatis usque ad numerum pretaxatum liberam concedimus potestatem, ita tamen quod, si provisor predicte domus aliquem vel aliquos de dictis magistris bona fide non esse ydoneum vel ydoneos archidiacono predicto vel episcopo significaverit, poterit idem provisor eosdem eicere, et ipsi archidiaconus vel episcopus poterunt alios pro eisdem subrogare. Debent etiam, quantumcumque fuerint ydonei, predicti magistri in sequenti anno de novo presentari. Datum anno Domini M°CC°LX sexto, mense Octobri.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VI, C. 5. a. Deest sigillum. — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16574, fol. 14^b. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 232^b. Bulaeus, III, 383. Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 164, publici juris fecit ex *Cartul. de la Sorbonne*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 55.

1. Post aliquos annos episcopus Tornacensis Michael de Warenghien (1282-1291) duas bursas pro duobus magistris « linguae Vallonicae, ex civitate vel dioecesi Tornacensi oriundis et theologiae in domo magistrorum de Sorbona operam dantibus » condidit. *Gallia christ.*, III, 222. Delisle, l. c., p. 163.

414. *Litterae officialis curiae Parisiensis, quibus dies dicitur, qua coram ipso magister Odo de Belleval pro libello quodam famoso contra magistrum Guillelmum Rigaut publicato parere debuit.*

1266, Decembris 28-1267, Januarii 19.

... Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus nos anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die mercurii ante festum beati Vincentii[1], litteras inferius annotatas vidisse in hec verba :

Officialis curie Parisiensis presbytero Sancte Genovefe in monte salutem in Domino. Vobis mandamus quatinus citetis peremptorie et personaliter coram nobis ad diem crastinam magistrum Odonem de Bella Valle, injungentes eidem quod secum afferat quamdam litteram diffamatoriam quam publice dicitur promulgasse contra magistrum Guillermum dictum Rigaut, in prejudicium ipsius, et quam petit sibi exhiberi, intimantes eidem quod sive venerit, sive non, nos procedemus contra ipsum, prout de jure fuerit procedendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die martis ante Epiphaniam Domini[2].

Item alias in hec verba : Officialis curie Parisiensis presbytero Sancte Genovefe in monte Parisius salutem in Domino. Si citastis coram nobis ad diem mercurii ante Epiphaniam Domini[3] peremptorie et personaliter magistrum Odonem de Bella Valle, clericum, quod secum afferret quamdam litteram diffamatoriam, quam publice dicitur promulgasse contra magistrum Guillermum dictum Rigaut, clericum, et in prejudicium ipsius, et quam petit sibi exhiberi, et ad dictam minus sufficienter comparuerit, dicto magistro Guillermo contra eum, prout debuit, expectante, et ad ipsius maliciam convincendam, vobis mandamus in virtute obedientie et firmiter injungentes, quatinus ipsum citetis peremptorie et personaliter, ut die veneris instanti[4] hora vesperarum coram nobis compareat unacum predictis litteris, predicto magistro Guillermo Rigaut quod justum fuerit super hiis responsurus, et in signum mandati executi, sigillum vestrum presentibus apponatis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die mercurii predicta[5].

Item alias in hec verba : Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die veneris post Epiphaniam Domini, hora vesperarum, ad quam diem citatus erat personaliter magister Odo de Bella Valle ad exhibendum quemdam libellum diffamatorium, ut dicebatur nobis, quem legerat in publico sermone apud fratres Predicatores, nobis et magistro Guillermo dicto Rigaut, ac etiam nobis super quibusdam interrogacionibus responsurus, dictis die et hora, dicto Guillermo personaliter coram nobis comparente, deffensor dicti magistri Odonis obtulit se magister Johannes, dictus Lethiaus, cavens pro dicto magistro Odone sub pena duarum marcharum argenti, pro qua pena, si convinceretur, dedit plegium seu fidejussorem magistrum Yvonem Britonem[6]. Qua cautione prestita, ut dictum est, post multas altercaciones, monuimus dictum defensorem ut die

sabbathi instanti[7], hora prima, dictum libellum exhiberet. Cum ipse monitus in nostra presentia dicta die venerit, noluit exhibere, et diem hanc, hora vesperarum, assignavimus dictis partibus ad procedendum, ut jus esset. Datum anno et die predictis.

Item alias in hec verba : Acta coram nobis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die sabbathi, post Epiphaniam Domini[7], hora prima, assignato coram nobis magistro Odoni de Bella Valle, clerico, ad exhibendum quemdam libellum diffamatorium, ut dicitur, quem Odo legit in publico sermone apud fratres Predicatores contra magistrum Guillermum Rigaudi clericum, quem libellum petebat dictus Guillermus et adhuc petit sibi in judicio exhiberi, dictis die et hora, dicto magistro Guillermo personaliter per se, et procuratore dicti magistri Odonis in jure coram nobis comparentibus, monuimus dictum magistrum Odonem per procuratorem, ut nobis et dicto Guillermo dictum libellum exhiberet; procurator dicti magistri Odonis, litem contestando, respondit quod dictum libellum exhibere non poterat idem magister Odo, ut pote quia non habuit predictus magister Odo predictum libellum, nec habebat. Quibus actis, nos assignavimus dictis partibus diem sabbathi post dictum festum, hora vesperarum, ad jurandum de calumpnia super negatis inter partes, et ad procedendum ulterius, prout de jure fuerit procedendum. Actum anno, die et hora predictis.

Item alias in hec verba : Officialis curie Parisiensis presbitero Sancte Genovefe in monte Parisius salutem in Domino. Quia magister Odo de Bella Valle, clericus, ad diem sabbathi ante *(sic)* Epiphaniam Domini, sibi assignatam coram nobis in causa que vertitur coram nobis inter ipsum ex una parte, et magistrum Guillermum Rigaudi, clericum, ex altera, non comparuit, dicto magistro Guillermo contra eum, prout debuit, expectante, vobis mandamus quatinus ipsum, quem in scriptis, sua exigente contumacia, excommunicamus, excommunicatum a nobis publice judicetis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die sabbathi predicta.

Item alias in hec verba : Officialis curie Parisiensis universis presbiteris in civitate et dyocesi Parisiensi constitutis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem in Domino. Cum nos in magistrum Odonem de Bella Valle excommunicacionis sententiam ad instantiam magistri Guillermi Rigaudi protulerimus, justicia exigente, vobis mandamus quatinus ipsum Odonem singulis diebus dominicis et festivis in ecclesiis nostris, publicis locis et publicis sermonibus, et in aliis ubi videritis expedire, et de quibus fueritis requisiti, candelis accensis, excommunicatum publice denuncietis alter vestrum alterum non expectans, citantes nichilominus publice dictum magistrum in ecclesiis nostris et locis predictis, ut die martis instanti[8] coram nobis compareat peremptorie in dicto negocio responsurus, sub pena bannicationis, exponentes eidem publice, quod nisi dictis die et hora coram nobis comparuerit, nos contra ipsum procedemus, prout permiserit ordo noster. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die sabbathi post octabas Epiphanie Domini[9].

Item alias litteras in hec verba : Die mercurii ante festum beati Vincentii[10] est assignata coram nobis magistro Guillermo dicto Rigaut ex una parte, et magistro Odoni de Bella Valle ex altera, causa facta manente in eodem statu in quo erat die martis ante festum beati Vincentii[11]. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die martis predicta.

Copiam autem hujusmodi litterarum fecimus sub sigillo curie Parisiensis, salvo jure cujuslibet. Datum anno et die predictis.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca V. B. 2. a. Deest sigillum. — Jourdain, nº 212. Documentum quantum ad notas chronologicas minime clarum est.

1. Januarii 19. — 2. Decembris 28, 1266. — 3. Decembris 29. — 4. I. e. post Epiphaniam, Januarii 7, 1267. — 5. Decembris 29. — 6. Cf. supra nº 400. — 7. Januarii 8. — 8. Januarii 18. — 9. Januarii 15. — 10. Januarii 19. — 11. Januarii 18.

---

415. *Sententia Simonis legati contra magistrum Gaufridum canonicum et officialem Parisiensem, eo quod suos et episcopi servientes qui scholares aggressi erant impunitos abire permisisset.*

1267, Junii 21, in claustro eccles. Paris.

Simon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus ad futuram rei memoriam. Per diligentis inquisitionis effectum debitum officii presidentis superno[1] redditur inspectori, corripiuntur prevaricatorum excessus, et interdum falsa malignaque criminatio refrenatur; restituitur claro domus divina decori, utilique compendio publice consulitur honestati, mortifera purgantur vicia, seruntur virtutes, rectificantur mores et in melius reformantur, arcentur injurie, corriguntur errata et insolencie reprimuntur, offensi pacificantur animi, tolluntur scandala et dispendiosa pericula declinantur, fiuntque prava in directa et in vias planas aspera convertuntur. Proinde cum per gravem infamiam validumque clamorem diebus proximo preteritis ad nostrum pervenisset auditum quod mandante vel ratum habente discreto viro Gaufrido[2], canonico et officiali Parisiensi, servientes ipsius officialis ac servientes furni venerabilis in Christo patris Parisiensis episcopi die sabbati proxima[3] post diem cinerum Quadragesime proximo preterite de domo ipsius juxta Parisiensem ecclesiam sita, in qua officialis ipse moratur, contra multos scolares Parisienses clericos, qui ante portas ejusdem ecclesie in loco, qui dicitur *Parvisium*[4], et ibi circa hora serotina tum peregrinationis tum disputationis gratia ex more convenerant, exeuntes armati et in ipsos scolares temere irruentes ex eis aliquos videlicet Hellinum de Fossées, Johannem de Vimi, Johannem nepotem quondam magistri Remigii phisici, Guillotum dictum le Cotonnier, clericos, adeo graviter vulnerarant, quod de morte ipsorum merito timebatur, et infamia et clamor hujusmodi jam in tantum etiam ascendissent quod diucius sine gravi scandalo dissimulari non poterant, nec sine magno et evidenti periculo tollerari : nos frequentibus clamoribus excitati et illius vindicte memores, quam Hely summus sacerdos excepit pro eo quod filiorum suorum excessus

efficaciter non correxit, contra officialem, quantumcumque nobis dilectus esset et carus, super hiis et super eo etiam quod eorumdem scolarium aggressores cum potuisset ut dicebatur punire neglexit, reddens ex hoc non minimum se suspectum, ac super aliis ad negocium facientibus, deliberavimus exacte justicie debite inquirere veritatem. Ad domum igitur supradictam in qua officialis ipse morabatur personaliter accedentes, eidem officiali citato legitime et in nostra presencia constituto, quintodecimo die Marcii proximo preteriti exposuimus et in scriptis tradidimus omnes articulos seu capitula, super quibus contra eum inquirere volebamus, et tandem nos ei requirenti competentibus ad deliberandum super eisdem articulis ac capitulis, ut facultatem haberet deffendendi se ipsum concessis indulgenciis et ab eo postmodum de veritate dicenda juramento recepto ac super eisdem articulis sive interrogacionibus sibi factis ejusque ad illas responsionibus subsecutis, ac multis testibus tam super articulis ipsis quam etiam super illis, quos idem officialis ad sui deffensionem exhibuit, receptis sollempniter et examinatis etiam diligenter eorumque publicatis attestationibus et facta ipsi officiali copia de eisdem necnon ad proponendum omnia que vellet proponere sibi competenti ac peremptorio termino assignato; auditis insuper et receptis omnibus que voluit proponere verbo tenus et in scriptis, concluso etiam in negotio quo ad ipsum universa curavimus ejusdem negocii acta revolvere, et quid in illo probatum esset vel confessatum seu alias legittime habitum indagare. Invenimus igitur predictum officialem coram nobis in judicio fuisse confessum quod nonnulli servientes de domo et furno predictis, quorum nomina in primo citatorio, cujus idem officialis copiam prius habuerat, sunt expressa, de domo ipsa cum armis ad scolares exeuntes eosdem ipsosque aggredientes eorum aliquos percusserunt et illos ex ipsis quorum nomina superius sunt expressa graviter vulnerarunt. Et licet officialis in hujusmodi confessione adjecerit quod ipsi servientes hanc fecerunt injuriam repellendo, nullam tamen de injuria hujusmodi fidem fecit, quin immo per juramentum proprium recognovit quod dicti servientes portas prefate domus clausas tenuisse potuerant et quod eas clausas tenendo ab eisdem scolaribus tuti erant. Eum etiam confessum fuisse reperimus quod ipsi servientes dictam domum post sic commissum excessum hujusmodi reintrarunt, et quod tunc ibi eos idem officialis invenit, quodque ipsos de facto facere capi et detinere potuit et quod eos libere et impunitos abire permisit. Circa finem quoque presentis negocii fuit officialis ipse confessus quod ipse Leonardum dictum Carcerarium expressum in citatorio supradicto, propter quem excessum hujusmodi cui se interfuisse recognovit in judicio coram nobis una cum quibusdam aliis ex malefactoribus supradictis faciebamus in eadem domo in carcere prefati episcopi detineri, motu proprio sine alicujus mandato fecerat liberari. Et licet ad excusacionem suam pretenderit quod bonam et ydoneam cautionem pro illius dimissione receperat ab eodem, quantum vel qualem recepisset docere vel exprimere non curavit ex parte nostra super hoc requisitus, nec etiam recipiendi ab eo cautionem aliquam super hoc ullam habuerat potestatem. Testes etiam contra officialem

ipsum productos inter alia deposuisse comperimus quod eodem officiali, postquam jam hujusmodi commissus erat excessus, veniente ab extra et in curia ipsius domus servientes inveniente predictos, ipsi servientes cum eos idem officialis interrogasset quid fecerant, responderunt quod extra Parvisium ipsos scolares expulerant. Deposuerant etiam ipsi testes quod tunc officiali prefato fuit dictum ibidem quod prenominatus Guillotus le Cotonier, quem utique clericum scolarem Parisiensem esse constat, fuerat ibidem ab uno ex ipsis servientibus graviter vulneratus. Invenimus et unum de testibus deposuisse predictis quod tunc officialis ipse dictis servientibus dicentibus predicta, respondit : « Non sitis stupefacti pro tanto »; alterum autem : « Non sitis pro tam modico stupefacti ». Tercius vero testis perhibet quod tunc servientibus ipsis eidem officiali respondentibus quod extra prefatum locum scolares ipsos expulerant, officialis ipse dixit eis, ut verbis utamur testium : « Hoc est bene ». Plures quoque ipsorum testium perhibent quod is, qui dictum Guillotum vulneravit, fuit ad quamdam cameram dicte domus abductus et inclusus etiam in eadem gladio sanguinolento, quo dictum Guillotum vulneraverat, de manibus ejus arrepto. Perhibent etiam quod prefati furni servientes qui excessum hujusmodi perpetrarunt, nocte illa in eadem domo ipsius episcopi pernoctarunt sibi per familiam domus quibusdam victualibus ministratis; ipsemet etiam officialis in quibusdam cedulis quas ad sui deffensionem exhibuit confitetur quod ejus familia dictos servientes per multos dies et noctes in domo retinuit supradicta, quanquam dicat quod id ad suam pervenit noticiam ex post facto. Lucide insuper et expresse testes deposuere predicti quod sepedictus officialis preest familie dicte domus, que cum aliis excessum hujusmodi perpetravit, et quod ipsa familia sibi subest ac quod non obedientes sibi si vellet punire valeret, quamvis idem officialis se illi preesse per proprium negaverit juramentum.

Porro nos, vocata multitudine peritorum, premissa et alia omnia que hujusmodi negocium instruebant, tam que pro, quam que contra officialem ipsum facere videbantur peritis ipsis fideliter exponere ac diligenter elucidare studuimus et unacum eis universa ipsius negocii merita attentione sollicita zelo justicie ponderare. Inter alia igitur id attentione consideramus diligenti, videlicet quod malefactores predicti deliquerunt in loco ubi ea jurisdictio ad officialem ipsum ratione officii sui notorie pertinebat, per quam ipse non solum spirituales potest penas infligere sed etiam citra vindictam sanguinis temporales, et quod ipsi malefactores post malefactum perpetratum supradictam curiam sive domum, unde contra scolares ipsos exiverant, et ubi officialis ipse jurisdictionem similem obtinet reintrarunt, quodque officialis ipse tunc eos ibidem invenit et quod ipsos, quos de facto capere ac detinere potuit, libere et impunitos abire permisit, licet eos pauperes esse notorium foret, nuncque ipsorum aliquos esse male opinionis et fame ad sui deffensionem alleget. Cum per hoc et alias etiam dictus officialis intelligens ecclesiastico judici temporalem jurisdictionem exercenti commutationem penarum a sacris canonibus esse permissam, intrepide providere debuerit ut malefactoribus supradictis, qui jam ex suo

excessu sacrilego reputari poterant censure ecclesiastice contemptores, aliam penam que sanguinis vindictam non saperet posset infligere et condigne tanto eorum flagitio compensare, presertim cum memor esse debuerit quod ipse in eos vel eorum aliquos imperium et auctoritatem se habere declarans eis sub interminatione ammissionis rerum et corporum, prout ad sui deffensionem astruit, inhibere curarat, ne contra scolares supradictos exirent et tenentes portas clausas nullam eis violentiam irrogarent et ut ipsos etiam tanquam inhibitionis sue violatores improvidos et temerarios contemptores pena debita castigaret. Quod cum ex eis aliquem etiam de sua propria familia non puniverit, videbatur aliquibus inhibitionem hujusmodi de corde non processisse sincero nec in ea menti labia consonasse, sed aliud fuisse dictum in publico et aliud in privato, presertim cum non sit verisimile quod tales et tot numero ac taliter ac tamdiu officiali ignorante in domo ipsa, quam idem officialis inhabitabat, continue potuerint receptari, et quod tales receptare et tamdiu tenere familia presumpsisset sine ipsius officialis connivencia et consensu. Nec justum affert excusacionis presidium quod domus custodia, ut idem officialis asserit, inibi tenebantur, cum multi non excommunicati nec alias criminosi ad hoc potuerint evocari. Unde cum saltem tunc ipsorum notorius esset excessus, videbatur aliquibus quod non solum officialis ipse illorum quodammodo approbaret excessum quos taliter sustinebat, sed etiam quod de hujusmodi eorum excessu presensisset, concordantibus non minimum cum hoc ipso, ut similiter videbatur aliquibus, verbis illis que idem officialis in reditu suo dixit servientibus supradictis, videlicet : « non sitis stupefacti pro tanto »; « hoc bene est »; « non sitis pro tam modico stupefacti », cum ista verba quorumdam judicio premissis attestari expressius videantur et quamdam approbationem eorum que servientes ipsi contra dictos scolares fecerant importare. Quorumdam quoque judicio ad hoc ipsum suffragari quodammodo videbatur ejusdem officialis super predictam familiam probata licet juramento per eum inficiata prelatio : « cum veritas negata de publicis, minus relinquat fidei de occultis ». Aliqui etiam intellecto, quam presumptuose Leonardum dimisisset eundem officialis, ipsum super causa detentionis illius sibi conscium esse dixerunt, et eum in illius penis recolere culpam suam. Pre ceteris vero attentione consideravimus speciali, quam amarus odor ex divulgata super hiis contra dictum officialem infamia sit jam usque ad diversas mundi provincias resolutus et quam horrendum preloquium gravissimi scandali sit ex premissis non solum ad propinquos, sed etiam longe longissimeque positos jam deductum in enarratione Parisiensis studii manifesta[5], quam enormia quoque tam animarum quam personarum et rerum dispendia, quamque incomparabilia scientie aliorumque spiritualium profectuum detrimenta sint maxime ob ipsius officialis negligentiam subsecuta, necnon quam utiliter, quam leviter, quam debite et quam plene scandalis, dispendiis et detrimentis hujusmodi predictus officialis[6] poterit occurrisse, ut etiam per hoc ipsum ei fuga sex vel plurium ex malefactoribus supradictis, quos detinuisse potuit et punisse, ac defectus doctrine omnium magistrorum Parisiensium, qui ut asserunt

eo causam prestante jam per tres menses vel circiter a lectionibus cessaverunt, aliaque varia dispendia inde postmodum subsecuta merito debeant imputari.

Hiis igitur et universis confessionibus probationibus presumptionibus aliisque omnibus tam que contra officialem predictum quam que pro ipso facere videbantur, tam nobiscum quam cum multis peritis plena investigatione discussis et diligenti meditatione pensatis, nos tantum sedare scandalum et futuris obviare periculis ac ingruentibus dispendiis providere volentes, sicque justicie debitum solvere, ne per discipline rigorem probemur excedere neve Moysis exemplo fratri amico vel proximo ultra quam conveniat indulsisse, maxime cum beatum Gregorium dixisse legamus, quod gravius delinquitur, si inter perversos plus equalitas quam disciplina custoditur, et quod supradictus summus sacerdos, quod falsa pietate superatus ferire delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli dampnatione percussit : dictum officialem supradictum citatum legitime ac peremptorie ad diffinitivam audiendam sententiam et presentem de predictorum consilio publico, ut sic loquamur, officialitatis officio in hiis scriptis perpetuo qua fungimur auctoritate privamus, et ne unquam Parisius vel alibi ad hujusmodi assumatur officium, statuimus et irrevocabiliter prohibemus, volentes nichilominus ac mandantes et etiam per hanc sententiam decernentes, quod idem Gaufridus extra civitatem Parisiensem per triempnium ab instanti festo beate Marie Magdalene continue commoretur, nisi per Universitatem predictam ad citationem ipsam interim revocetur, et quod non prius ad Universitatis predicte consortium admittatur quam super hoc ipsius Universitatis gratiam impetraverit. Actum et datum in claustro ecclesie Parisiensis in domo quam habitat magister Ansellus de Buciaco canonicus Parisiensis xj kal. Julii, pontificatus domini Clementis pape quarti anno tercio.

Cod. Vat. Reg. 406. fol. 38b; iterumque sed compendiose fol. 31. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 48, et sicut in Cod. Vat. Reg., fol. 30b, breve Regestum. In utroque codice sub rubrica : « Bannitio cujusdam officialis ». *Chart. facult. Decret.* in Bibl. Arsenalis, ms. 1121, fol. 163b. — Bulaeus, III, 384.

1. In Vat. Reg. ut videtur scribitur compendiose « superne ». — 2. Forte Gaufrido de Barro, postea archidiacono, deinde (an. 1273) decano electo ac tandem an. 1281 S. Susannae presb. cardinale. Cf. *Gallia christ.*, VII, 206. De ipso adhuc postea. — 3. Martii 5. — 4. De *Paraviso* ante Nostram-Dominam in insula (hodie *Parvis-Notre-Dame*) vide Joh. de Garlandia, *Dictionarius*, apud Géraud, *Paris sous Philippe le Bel*, p. 608, nº 68. — 5. Vat. Reg. : « manifestam ». — 6. « Negligentiam..... officialis » om. mss. et Bulaeus, verba tamen omissa in Cod. Vat. Reg. exstant cum aliis, lineis obductis, fol. 42.

416. *Litterae quibus magister Oddo de Belleval, clericus, et Guillotus Picardus, bedellus Universitatis, constituuntur, de consensu magistrorum Parisiensium cujusque nationis et facultatis, procuratores et nuntii speciales ad prosequendam appellationem sententiae a Simone cardinali legato latae contra magistrum Gaufridum, canonicum Parisiensem.*

1267, Julii 7, Parisiis.

In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo VIIº, indictione xª, die jovis proxima post festum beati Martini estivalis[1],

scilicet die VII^a intrantis mensis Julii, in presentia Bonamici clerici, auctoritate apostolica publici notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, pateat universis hoc publicum instrumentum inspecturis, quod nos magistri Oddo de Carnoto, decanus magistrorum Parisius regentium in decretis, Petrus Lemovicensis[2], decanus magistrorum Parisius regentium in physica, Robertus de Winchelis, rector Universitatis Parisiensis, Oddo de Polengeio, procurator nationis Gallicorum Parisius, Petrus Cornubiensis, procurator nationis Anglicorum Parisius, Matheus de Arginis, procurator nationis Picardorum Parisius, Guillermus de Insulis, procurator nationis Normannorum Parisius constituti nostro et nationum predictarum nomine, ac etiam de assensu et consensu magistrorum omnium Parisius regentium in dictis facultatibus et in artibus, ad hoc specialiter vocatorum; ac etiam de assensu et consensu magistrorum Parisius regentium in theologica facultate, quorum nomina inferius sunt expressa, magistrum Oddonem de Bella Valle[3], clericum, et Guillotum Picardum[4], bedellum Universitatis, quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condictio occupantis, et quod unus inceperit alius possit illud idem exequi cum effectu, facimus, constituimus et ordinamus procuratores legitimos et nuntios speciales ad prosequendum appellationem sententie a venerabili patre domino Symone, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, late contra magistrum Gaufridum, canonicum Parisiensem, quondam officialem ejusdem loci, pro Universitate Parisiensi, seu ad instantiam Universitatis Parisiensis; a qua sententia idem officialis ad sedem apostolicam dicitur appellasse; et ad impetrandum litteras super contributione ad mutuum contrahendum pro solvendis debitis Universitatis Parisiensis, de quibus constiterit per legitima documenta seu instrumenta; ac etiam super mutuo contrahendo pro prosecutione negotii appellationis predicte; et pro aliis negotiis, rebus et causis Universitatis licitis et rationabilibus expediendis et procurandis; necnon ad impetrandum litteras in curia domini pape super premissis, cujuscumque tenoris existant; et super ea[5] videlicet que in dictis articulis occurrere seu emergere possent, principaliter vel incidenter; et contradicendum, judices eligendum, recusandum, et conveniendum in ipsos : dantes eisdem procuratoribus et cuilibet eorum in solidum plenariam potestatem et speciale mandatum agendi, excipiendi, proponendi, defendendi, petendi, recipiendi, jurandi in animas nostras et predictorum, de calumpnia seu de veritate dicenda, et faciendi cujuslibet alterius generis sacramentum, secundum quod in causis exigitur et ordo postulat rationis; ponendi, positionibus respondendi, expensas petendi et recipiendi easdem, et jurandi super eisdem, si sibi fuerint adjudicate; litem contestandi; acta, instrumenta, testes producendi; appellandi, appellationem prosequendi et eidem renuntiandi; alium procuratorem cuilibet eorum constituendi loco sui, cum voluerit et sibi viderit expedire, qui eandem seu consimilem in predictis omnibus habeat potestatem omnia alia et singula faciendi super premissis articulis, que nos faceremus seu facere possemus, si presentes essemus : promittentes, pro nobis dictisque magistris, nationibus

et Universitate predictis, nos et dictos magistros, Universitatem et nationes predictas ratum et firmum habere et non contravenire, quicquid per dictos procuratores in solidum et per constitutum seu substitutum ab ipsis seu altero ipsorum super premissis articulis et quolibet[6] premissorum factum fuerit seu etiam procuratum, et pro ipsis et ipsorum quolibet[7], si necesse fuerit, judicatum solvi.

Interfuerunt testes presentes, venerabiles viri magistri Johannes de Sivriaco, archidiaconus Carnotensis; Raymundus de Caturco[8], capicerius Aurelianensis; Johannes de Herefort, decanus ejusdem loci; Johannes de Chamlayo[9], canonicus Altissiodorensis; Stephanus de Bona Valle, clericus; Stephanus de Alvernia, canonicus de Gornayo; et alii quam plures. Presens autem publicum instrumentum seu scriptum fieri fecimus per notarium supra dictum, qui precibus nostris ac rogatus a nobis dictisque magistris, predictis omnibus presens interfuit et scripsit. Ad majorem autem cautelam et securitatem omnium premissorum sigilla quatuor nationum, ab antiquo Parisius distinctarum, presenti publico instrumento duximus apponenda. Nomina vero doctorum theologice facultatis qui premissis consenserunt sunt hec : frater Guillermus de Barlo, Ordinis fratrum Minorum; frater Baldovinus de Tornaco[10], Ordinis fratrum Predicatorum; frater Gregorius, Ordinis Vallis Scolarium[11]; magister Galdaricus[12], monachus niger; magister Giraldus de Abbatisvilla, archidiaconus de Pontivo[13] in ecclesia Ambianensi; magister Guillermus de Alvernia; magister Johannes de Allodio, Aurelianensis dyocesis[14]. Et sciendum est quod dicti religiosi Ordinis Minorum, Predicatorum et Vallis Scolarium coram dicto notario consenserunt premissis; alii vero magistri theologie predicti, coram nobis. Actum Parisius, presentibus testibus supra scriptis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Ego Bonusamicus, Bononiensis clericus, quondam Roberti filius, auctoritate apostolica publicus notarius, predictis interfui, ut supra legitur, scripsi, publicavi, et predicta omnia in hanc publicam formam redegi, complevi, rogatus me subscripsi, et signum meum apposui. Ad majorem autem cautelam omnium premissorum, predicti magistri, vidente me notario et presente, sigilla quatuor nationum ab antiquo Parisius distinctarum presenti publico instrumento apposuerunt.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 18. G. Desunt omnia (quatuor) sigilla. — Bulaeus, III, 387. Jourdain, nº 216. — Quoad argumentum ipsum vide nº 415.

1. Translatio S. Martini, Julii 4. — 2. Infra nº 433. Ipse secundum Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 168 sq., idem est ac Petrus de Lemovicis, canonicus Ebroicensis et socius domus Sorbonae, qui multos libros, inter quos et medicinae atque astronomiae, dictae domui legavit. Ad haec vide Hauréau, in *Hist. litt. de la France*, XXVI, 460 sqq. — 3. Vide supra nº 414. — 4. Supra nis 342, 354 et 409. — 5. Orig. : « eo ». — 6 et 7. Orig. : « quodlibet ». — 8. Forte idem atque ille supra nº 187 laudatus. — 9. An. 1279 in episcopum Cenomanensem electus. — 10. A Stephano de Salanhac nominatur « de Maflix, Flamingus ». Cf. *Archiv. f. Litterat.- u. Kirchengesch. des Mittelalt.*, II, 206, nº 19, et supra nº 335, n. 5. — 11. Vide infra nº 435. — 12. Seu : « Gadalricus ». Fuit Cluniacensis. Cf. supra nº 340. — 13. Vide supra nis 374, 376 sq. — 14. Qui postea fuit cancellarius Parisiensis. Vide infra nº 437, nota 1.

417. *Clemens IV Maurinum archiepiscopum Narbonensem objurgat quod Corpus Christi essentialiter in altari non esse dixerit, sed tantum sicut signatum sub signo, et hanc esse celebrem opinionem Parisiis adjecerit.*

1267, Octobris 28, Viterbii.

Archiepiscopo Narbonensi. Quanto sincerius personam tuam diligimus, tanto gravius perturbamur cum ad nos ea de te perveniunt, que tui non decent officii gravitatem et presertim cum in status tui vergunt periculum et honoris. Sane familiariter tibi scribimus illo dumtaxat conscio, qui presentem exaravit scripturam, ad nostrum pervenisse nuper auditum quod tu in nostra existens curia cuidam magno viro tecum de sacramento altaris conferenti dixisti, corpus Domini nostri Jhesu Christi sanctissimum essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo, et hanc celebrem esse opinionem Parisius adjecisti. Repsit autem hic sermo latenter inter aliquos divulgatus et ad nos postremo perveniens scandalizavit nos plurimum, nec facile nobis extitit credere talia te dixisse que heresim continent manifestam et illius sacramenti derogant veritati, in quo fides eo negotiatur utilius, quo sensum superat, intellectum captivat et suis legibus subicit rationem. Eapropter tue fraternitati consulimus, ut non plus sapias quam oporteat. Non imponas Parisiensibus quod non sentiunt[1], sed fatearis humiliter et firmiter teneas quod communiter tenet ecclesia, quod sancti docent et predicant, sub speciebus scilicet panis et vini post sacra verba juxta ritum ecclesie ore sacerdotis prolata esse vere, realiter et essentialiter corpus et sanguinem Domini nostri Jhesu Christi, licet localiter sit in celo. Et si forsan habes memoriam cui vel quibus asserueris, id scripto vel verbo revoces, ne de te male sentiant qui male judicant de tam insigni misterio te sentire[2]. Dat. Viterbii v kal. Novembris, anno iij.

Epistolae et dictamina dom. Clementis papae IV Reg. Vat. Clementis IV, n° 33, ep. 391, fol. 64; n° 35, ep. 394, fol. 74^b, et in aliis codd. n° 418 citatis. Martène, *Thes. nov. anecd.*, II, 536, n° 549.

1. N° 35 praebet «sentiant ». — 2. Vide responsum archiepiscopi in n° sequenti.

---

418. *Maurinus archiepiscopus Narbonensis scribit papae Clementi super hoc de quo reprehensus erat, videlicet de verbo indiscreto circa sacramentum altaris.*

1267, post Octob. 28.

Rem horrendam, summe detestabilem, heresim manifeste continentem, pio motu sancta vestra paternitas suo devoto filio decenter scripsit nos dixisse cuidam magno viro, dum olim essemus in romana curia conferendo cum eodem, adicientibus nobis Parisius celebrem esse opinionem, corpus Christi non essentialiter et vere esse in altari, sed sicut signatum sub signo, prout repsit[1] postmodum latenter sermo ad vestram audientiam pervenit. Quod si memores essemus nos dixisse aut forsan lingua labente dixissemus, studeremus revocare, quod nequaquam cogitavimus nec os nostrum polluimus errore

tanto vel minore in aliqua facultate testimonio Parisiensium doctorum. Quod si quis vellet in dicti falsi impositione contra nos persistere, promptos nos inveniret in mortem et in vitam ire. Sed, pater sanctissime, narraverunt michi iniqui fabulationes, sed non ut lex vestra et nostra tenet, immo verbum iniquum constituerunt adversum me tam impudenter quam irreverenter non parcentes pontificali quam forte desiderant dignitati. Sed in prefati dicti insaniam stimulati a sathana inciderunt transcendentes, qui Dei virtutem juxta modum naturalium rerum mentientes audacius ac periculosius veritati contradixerunt, ut magister Petrus Lombardus recitat in principio decime distinctionis quarti *Sententiarum*, asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis et vini in substantiam carnis et sanguinis converti, sed ita Christum dixisse, hoc est corpus meum, sicut dixit apostolus ad Corinthios : « Petra autem erat Christus ». Dixerunt ibi esse corpus tantum in sacramento id est in signo et solum in signo a nobis manducari, et hec prima heresis facta est in discipulis Christi dicentis : « Nisi manducaveritis carnem et sanguinem non habebitis vitam eternam », dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest audire ? » et abierunt retro instruente Christo illos xij, qui remanserunt, et dicente : « Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba que loquor vobis spiritus et vita sunt », quia sacramentum quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, caro non prodest quicquam[2]. Hoc est illud corpus, de quo Eusebius[3] ait : « Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis[4] et illaturus syderibus, necesse erat ut die cene sacramentum corporis et sanguinis consecraret et commendaret nobis, ut coleretur jugiter per misterium, quod semel offerebatur in precium, forma data a Domino consecrationis[5] verbi celestis, quod corpus sit consecratum sive caro Christi. Interiorem hominem reficit spiritualiter et saginat ».

Non tamen lateat, pater sancte, quod vos scire nullatenus dubitamus, quod quatuor modis sumi dicitur : primo similitudine, ut species panis et vini, et hoc improprie. Secundo materialis[6] caro Christi crucifixi et lanceata, que prius de virgine sumpta est, et sic proprie accipitur. Tercio ipsa ecclesia vel ejus unitas mistica. Quarto ipsa caro Christi spiritualis, que vere cibus est, quam carnem qui manducant spiritualiter veritatem carnis et sanguinis dicuntur sumere, quia ipsam efficienciam, id est ipsam peccatorum remissionem habent, pro qua sic oratur cum dicitur : « Proficiant in nobis, quesumus, Domine, tua sacramenta que continent, ut quod nunc spe gerimus rerum veritate capiamus », id est predictam efficienciam, et etiam verum corpus Christi, quod sic sumitur, quod verissime[7] est in altari, ut etiam dicit Augustinus, visibiliter in celo, quia in forma humana, sed in altari invisibiliter, scilicet in forma humana, quod sub speciebus panis et vini operitur, ubicumque in altari celebretur; integrum est, non per partes discerptum, ut illi dixerunt, qui retro abierunt. Verus ergo Deus et verus homo in hoc est sacramento, quod est corpus Christi, plenum gratia et divina majestate, rerum veritatem et naturam in se continens, mistica consecratione panis in corpus et vinum in sanguinem substantialiter

conversum vi verbi divini et secreta potestate creaturam mutantis in memoria dominice passionis, sicut per Spiritum Sanctum, ut ait Augustinus, vera caro sine coitu creata est in aula virginali, secundo sumptum est de virgine in cruce lanceatum crucifixum : idem numero post resurrexit et in celum ascendit. Ut enim ait Gregorius : quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem celos aperiri, in illo sanctissimo Christi misterio angelorum choros adesse, summa et ima sociari, ut[8] in eodem momento substantia panis et vini in corpus Christi secundum totam substantiam conversum mirabiliter vel immutatum, quod est celeste in celum rapitur ministerio angelorum corpori Christi consociandum, quod ante oculos sacerdotis in altari videtur sub speciebus videlicet panis et vini esse vere, non ut asseruerunt hujus heresis prime falsi Christi discipuli, ut signatum solum in signo vel sub signo, a veritatis tramite et orthodoxe fidei catholice recedentes per errorem. Ut igitur fides habeat meritum et non esset error carnis et sanguinis, nec ridiculum a paganis, nec sub humana specie sumitur, sed sub speciebus sacramentalibus panis et vini. Unde dicit Hylarius papa, quod non est quantitas visibilis in hoc estimanda misterio, sed spiritualis virtus sacramenti, id est, non est ibi in illa representatione, qua humanis sensibus subici valeat et representari, vera tamen substantia et quantitas corporis Christi et virtus sacramenti spiritualis, videlicet uniens cum corpore mistico, secundum quod dicit Hugo de Sancto Victore. Sed de hiis hactenus, quia misterium fidei credi salubriter potest, investigari autem quantumque salubriter non potest. Voluntati ejus atque potencie salubre atque mirabile hoc sacramentum et supra naturam penitus ascribatur.

Sed deus hujus seculi operatur in illis diffidencie filiis, qui non rationi voluntatem subiciunt. Insipiencia verba contra nos callide coaptare nituntur, non veri sed placiti rationem sectantes, quos iniqua voluntas, non intelligencie veritas, incitat, dum ad fabulosam calumpniam se convertunt loquentes mendaciter ypocrisim (quia in verbis eorum pietas quam amisit conscientia) predicando : « Narbonensis diocesis illius[9] tempore hinc inde discerpitur, male regitur, ydiota prelatus est », impudenterque per multa media sagaci diligencia serpunt, et se latenter ingerunt, ut locum habeat sequens relatio prelationis ambite in anime sue periculum, quod nequaquam advertunt ambitionis desiderio vel ante oculum[10] rationis verborum mendacio, piam fidei sanctitatem in eo in quo est denigrare molientes, sine fide contra veritatem fidei, que in nobis est a sacro fontis baptismate, culpabiliter bellant. Quam postmodum Parisiense studium clarius confirmavit exclusa prorsus a nobis illa dampnabili et execrabili heresi, quam nobis imponunt, virus sue nequitie in nos transfundendo, in electorum gloria maculam ponentes. Si autem apostolicam bibulam invenirent et lucernam veritatis, si quam sibi placitam in nobis Deus misericorditer exaltavit, que paternitati vestre ab initio bene complacuit immo benigne efficaciter promovit, et nos cum multa cordis amaritudine jurgio jugiter exposuit : nec tamen pacienter sustinere debemus quod dicitur in proverbiis[11], cor, quod novit amari-

tudinem anime sue, ut in gaudio ejus misceatur extraneus. Absit ergo, pater sanctissime, quod contra dominice fidei professionem vipereeque doctrine fraudulenciam in aliquo infidelitatis aut sacrorum fermentationi vel sathane aditum pandamus, ut a sanctorum patrum vestigio atque sancte matris ecclesie discedamus limitibus et vestris. Nec manus nostra rudi calamo conscripsit per vestram summam preeminentemque sapientiam corrigenda in suis sententiis aut verbis. Sanctitatem vestram conservet Dei filius in longitudine dierum. Amen.

Epistolae et dictamina dom. Clementis papae IV, Reg. Vat., nº 30, fol. 75ᵇ; nº 33, ep. 446, fol. 72; nº 34, fol. 114ᵇ, sub rubrica : « Archiepiscopus Narbonensis ad papam »; nº 35, ep. 458, fol. 84ᵇ; nº 36, fol. 71ᵇ, ubi rubrica sicut supra. — Bulaeus, III, 373.

1. Nº 35 : « rescripsit ». — 2. August. sup. Psalm. 98. — 3. Emissenus, hom. 5 in Pascha. — 4. Nº 30 : « a nobis ab oculis ». — 5. Omnes codd. praeter nᵘᵐ 36 : « forma dicta a Domino consecratione ». — 6. Nº 34 : « materialiter ». — 7. Ubique exceptis nⁱˢ 30 et 34 : « visibile ». — 8. Nº 30 : « et ». — 9. Episcopi Maurini. — 10. « Vel ante officium » nⁱ 30, 33, 35. — 11. Prov. 14, 10.

---

419. *Rogerus Baco in libro Clementi IV dedicato deplorat Parisiis et ubique magistros sententiarios prae baccalariis sacrae scripturae dignitatem sibi vindicare.*

Circa an. 1267.

Quartum peccatum [studii theologie] est quod prefertur una Summa[1] magistralis *textui*[2] facultatis theologice, scilicet *liber Sententiarum,* nam ibi est tota gloria theologorum, que facit onus unius equi. Et postquam illum legerit quis, jam presumit se de magistro theologie, quamvis non audiat tricesimam partem sui textus[3]. Et bacalarius qui legit textum succumbit lectori Sententiarum Parisius et ubique, et in omnibus honoratur et prefertur. Nam ille qui legit Sententias, habet principalem horam legendi secundum suam voluntatem, habet et socium et cameram apud religiosos. Sed qui legit Bibliam, caret his et mendicat horam legendi, secundum quod placet lectori Sententiarum. Et ille[3] qui legit Sententias, disputat et pro magistro habetur; reliquus qui textum legit, non potest disputare, sicut fuit hoc anno Bononie[4] et in multis aliis locis, quod est absurdum. Manifestum est igitur quod textus illius facultatis subjicitur uni Summe[1] magistrali[5]. Sed pro hoc [textu] est statutum cujuslibet facultatis. Nam omnis alia facultas utitur textu suo, et legitur textus in scolis, quia statuto textu suo solum statuuntur omnia que pertinent ad facultatem, quia propter hoc sunt textus facti, [et] hic longe magis, quia textus hic de ore Dei et sanctorum allatus [est] mundo, et est ita magnus quod vix sufficeret aliquis lector ad perlegendum eum in tota vita sua, secundum quod magistri legunt. Deinde sancti doctores non usi sunt nisi hoc textu, neque sapientes antiqui, quorum aliquos vidimus, ut fuit dominus Robertus episcopus Lincolniensis et frater Adam de Marisco, et alii maximi viri. Contra[6] vero Alexander[7] fuit primus qui legit[8] et tunc legebatur aliquando, sicut *liber Historiarum*[9] solebat legi, et adhuc legitur rarissime. Et mirum est quod sic est exaltatus liber Sententiarum, quia liber Historiarum est magis proprius theologie. Nam

prosequitur textum a principio usque in finem, exponendo ipsum. Et liber Sententiarum non adheret textui, sed vagatur extra textum per viam inquisitionis. Si igitur aliqua Summa deberet preferri in studio theologie, debet liber Historiarum factus vel de novo fiendus; ut scilicet aliquis tractatus certus fieret de historia sacri textus, sicut fit in omni facultate.

Opus minus Rogeri Baconis in *Opp. hactenus inedita*, ed. Brewer, p. 328. Librum praedictum Rogerus Baco c. an. 1267 ad Clementem papam IV destinavit. Fragmentum supra editum non levis momenti est, cum nobis indicet mutationem processu temporis paulatim introductam in ordine lectionum Universitatis Paris. Cf. supra nº 127. Rogerus Baco « septem peccata studii principalis quod est theologiae » enumerat. — Bulaeus, III, 383.

1. Brewer : « sententia », sicut et infra. Compendium in mss. pro « sententia » et « summa » quandoque est idem. — 2. I. e. Bibliae sacrae. — 3. Brewer perperam : « alibi ». — 4. In studio fr. Minorum. — 5. I. e. lectura Sententiarum praefertur lecturae Bibliae. — 6. Brewer : « quia ». — 7. Alexander de Hales. — 8. Intellige « Sententias ». In hoc tantum sensu verum est, Alexandrum primum fuisse qui Sententias legerit, eo quod ipse modum legendi Sententias in Universitate Paris. et alibi usitatum, i. e. textum Sententiarum subdividendi, super singulas partes Quaestiones instituendi, primus invexit. In hoc sensu etiam verum est librum Sententiarum « facere onus unius equi ». — 9. Petri Comestoris. Cf. parte introd. nº 8, n. 1.

---

420. *Clemens IV magistro Radulfo de Albussone facultatem concedit Parisiis domum quamdam pro inhabitatione decem pauperum scholarium acquirendi.*

1268, Januarii 23, Viterbii.

Magistro Radulfo de Albussone capellano nostro, decano Carnotensi. Acquisitas opes quas tanquam recepti beneficii non ingratus a Domino, qui eas tibi tribuit, videris recognoscere in pios usus ac laudabiles prudenti disponens consilio dispensare, votivum dudum conceptum habes propositum, domum unam Parisius pro inhabitatione decem pauperum scolarium ibidem studentium, ac tam ibi quam alibi annuum redditum sexaginta librarum parisiens. de bonis emere propriis pro scolarium necessitatibus eorumdem. In quo postulatum a te instanter oportunum apostolici favoris presidium propria gratitudine apponimus, qui hunc bonum affectum in te divini amoris spiritu suscitatum valde reputamus acceptum, cum ad provectum pariter et profectum intendamus ferventer scientiam querentium litteralem, fructus producere multiplices spiritualiter ac temporaliter assuetam. Quare nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut postquam hujusmodi domum in dicto loco, Parisius videlicet, emptionis vel alio justo titulo acquisiveris, ac in usus habitationis deputaveris prelibate, in Rothomagensi, Parisiensi, Ebroicensi, et Carnotensi civitatibus et diocesibus decimas, ex quibus possit predictarum sexaginta librarum parisiens. redditus annuus provenire, de manibus laicorum redimere valeas, sustentationis eorumdem scolarium usibus in perpetuum irrevocabiliter ascribendas. Non obstante aliqua indulgentia sedis apostolice cujuscunque tenoris existat, per quam horum effectus impediri possit quomodolibet vel tardari. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Viterbii x kal. Februarii, anno iij.

Reg. Vat. Clementis IV an. 3 (nº 32), ep. 146, fol. 193ᵇ. — In documentis non occurrit quem effectum haec epistola pontificis habuerit, cum hic solum hujus collegii mentio fiat. Notum est tantummodo Radulfum, qui an. 1256 in episcopum

Ebroicensem electus est et juri suo in gratiam Radulfi Grosparmi cessit (*Gall. christ.*, XI, 587), quandam plateam Universitati Parisiensi legasse, ut apparet ex charta an. 1292 apud Bulaeum, III, 502. Radulfus ibidem designatur ut « quondam canonicus Ebroicensis ».

---

421. *Clemens IV Roberto de Sorbona provisori pauperum magistrorum convictum vel conventum approbat et de electione provisoris pro futuro ordinat.*

1268, Martii 23, Viterbii.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. provisori pauperum magistrorum et ipsis magistris in theologica facultate studentibus in vico ad portas ante palatium de Termis Parisius sub communi vita degentibus salutem et apostolicam benedictionem. Suadente vobis gratia bonitatis, qua virtutum studiis insistentes, sacre pagine cupitis muniri dogmatibus et in hiis alios erudire, in unum convenistis vivendi commercium, et commune vobis habitaculum elegistis. Volentes itaque vobis et statui vestro apostolicum exhibere favorem convictum et cohabitationem vestram duximus approbandos, jure venerabilis fratris nostri .. Parisiensis episcopi semper salvo, auctoritate presentium districtius inhibentes, ne quis domos, possessiones et alia bona vestra que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, invadere, distrahere vel occupare presumat, seu aliis usibus applicare. Nichilominus quoque statuimus et etiam ordinamus ut te, fili, provisore obeunte nullus in locum tuum per fraudis astutiam apponatur, nisi quem .. loci archidiaconus, ..[1] cancellarius Parisiensis, ac magistri Parisius actu regentes in theologica facultate, necnon decretistarum et medicorum decani, .. rector Universitatis Parisiensis, et procuratores quatuor nationum communiter vel major pars eorum duxerint apponendum. Ideoque provisor in congregatione vestra pauperes magistros et ydoneos, qui rexerint in artibus, de quacunque sint natione possit admittere, ac exinde minus ydoneos amovere, prout inspectis circumstantiis universis viderit expedire, qui etiam de dictorum magistrorum receptis et expensis annis singulis archidiacono, cancellario et aliis supradictis vel aliquibus ab ipsis vel a majori parte ipsorum qui ad hoc extiterint deputati teneatur reddere rationem. Archidiaconus insuper, cancellarius et alii memorati seu major pars eorum provisorem quem duxerint statuendum amovere valeant prout viderint faciendum. Nulli ergo, *etc.*, nostre approbationis, inhibitionis, constitutionis et ordinationis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Viterbii x kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Duo originalia in Arch. nat. Paris. L. 262, nis 124, 125. In priore adhuc superest bulla plumbea fil. seric. flavi et rub. coloris appensa; tantummodo in membrana aversa istius legitur : ℟. cap. xvj. Revera exstat in Reg. Vat. Clem. IV, an. 4 (nº 32), ep. 16, fol. 220b. Nomen procuratoris harum litterarum occurrit in parte superiori a tergo utriusque exemplaris : « Guillermus de Duaco ». — *Cartul. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16069, fol. 56; 110b, ubi rubrica : « Copie litterarum contra *magistrum* », quae locutio spectat ad documentum infra nº 435 editum. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 35b. Bulaeus, III, 236. Jourdain, nº 220, epistolam perperam ad an. V (1269) refert, Clemente IV jam mortuo.

1. In originalibus hic et postea puncta desunt, exstant in Registro.

422. *Clemens IV Reginaldo episcopo Parisiensi injungit ut magistris sacerdotibus Collegii de Sorbona et aliis capellanis in eorum oratorio divina celebrandi det facultatem.*

1268, Martii 30, Viterbii.

Clemens episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Parisiensi[1] salutem et apostolicam benedictionem. Supplicationi, qua dilecti filii magistri pauperes, qui in artibus adepti magisterii dignitatem in theologica facultate student et in vico ad portas ante palatium de Termis Parisius sub communi vita degunt, attenta instantia nos pulsarunt benignum accomodantes auditum, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus magistris ipsis habendi oratorium in domo ipsa, in quo illi ex ipsis qui fuerint in sacerdotio constituti aliis predictis magistris presentibus et audientibus, ac alii etiam ydonei capellani, quos ab ipsis magistris ad hoc requiri contigerit specialiter et vocari, cum opus fuerit, magistris eisdem divina officia celebrare possint absque juris prejudicio alieni, ob nostram et apostolice sedis reverentiam licentiam quam habere postulant et affectant, si expedire videris, liberaliter largiaris, ut ex nostra intercessione, quam sibi efficaciter sperant prodesse, salubre suum in hoc propositum fuisse gaudeant adimpletum, et nos devotionem tuam dignis proinde laudibus prosequi debeamus. Dat. Viterbii iij kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 262, nº 126. Restant fila cannab. In membrana aversa : « Guillermus de Duaco ». — Ad haec vide supra epistolam Urbani IV similis tenoris, nº 388. Capellam quamdam non multo post esse fabricatam, apparet non tantum ex primaevis Statutis (nº 448), quae tamen temporis nota carent, sed praecipue ex documento an. 1281, mensis Septembris (*Cartul. de la Sorbonne*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 9 b), continente canonicorum Sancti Benedicti declarationem, nonnulla de terris, domibus, vineis, possessionibus et aliis bonis a provisore et magistris Sorbonae acquisita consistere in territorio, in quo memorati canonici jurisdictionem obtinent temporalem. Inter alia afferuntur : « domus in qua est celarium, que est pars illius domus, in qua mansit magister Gerardus de Remis.... Domus in qua manet portarius inferior..... Item omnes camere site in curia pauperum magistrorum usque ad aulam eorum, scilicet *capella*, coquina et alie camere a coquina site contigue usque ad domum in qua mansit cantor Noviomensis, cum curia dictorum magistrorum et jardinis sitis retro *capellam* eorum usque ad magnam domum quondam magistri Petri de Chamberiaco, canonici Sancti Audomari ». Episcopus Parisiensis Simon insuper magistris Sorbonae an. 1304 concessit, « ut in oratorio domus de Sorbona divina licite celebrent et faciant obsequia celebrari ». Orig. in Arch. nat. Paris. M. 74, nº 3.

1. Reginaldo de Corbolio hoc anno, 6 Junii, mortuo, Stephanus Tempier, qui fuit cancellarius Parisiensis (vide supra nº 396), in episcopum Parisiensem electus est. Octob. 7 juravit se servaturum jura ecclesiae Paris. Cf. Guérard, *Cartul. de l'église de Notre-Dame*, I, 168. Stephani successor in officio cancellarii fuit magister Nicolaus, qui jam 8 Octob. an. 1268 ut cancellarius nominatur (Guérard, l. c., I, 169), et an. 1271 Johannem Aurelianensem successorem habuit. Vide infra nº 437.

---

423. *Guillelmus de Saana, ecclesiae Rotomagensis thesaurarius, de bonis suis ordinat et disponit pro duodecim scholaribus theologiae et duodecim parvis scholaribus artistis Rotomagensibus ; scholaribus theologis domum et libros donat.*

1268, mense Novembri.

Omnibus hec visuris Guillermus de Saana[1], ecclesie Rothomagensis thesaurarius, salutem in Domino. Noveritis quod cum ego acquisiissem tam in civitate Rothomagensi quam extra possessiones et redditus usque ad summam sexies viginti librarum et septem et decem solidorum et quinque denariorum turonens., quorum fit expressa mentio in

litteris domini regis, in pios usus et utilitates pauperum committendos : ego valens corpore et mentis compos volens de bonis mihi a Deo collatis et acquisitis aliqua universalis ecclesie usibus et commoditatibus pauperum applicare, maxime in his que directe videntur respicere commodum animarum, de predictis bonis taliter ordino ac dispono etiam donatione inter vivos, videlicet quod duodecim scolares theologi, si tot bonorum facultas et temporis esse permiserit, manentes simul in domo una Parisius vel alibi, ubi solempne studium esse contigerit, habeant quilibet tres solidos parisiens. per hebdomadam, per hebdomadas quadraginta quinque, termino incipiente a festo S. Dionysii, vel circa; item quod alii duodecim artiste parvi, si aliquando esse possint, habeant de predictis redditibus viginti quinque libras turonens. tam pro domo quam pro pane, cum beneficio theologorum predictorum. Volo etiam et ordino quod predicti scolares omnes eligantur, cum opus fuerit, ab archidiaconis duobus Majoris Caleti[2] et Minoris Caleti cathedralis ecclesie Rothomagensis qui pro tempore fuerint, interveniente si videbitur assensu domini Rothomagensis archiepiscopi, si tunc inveniri dicti archidiaconi non possint, cum electio aut provisio erit fienda de quodam bursario; quodque[3] dicti scolares sint tam de Majori Caleto, quam de Minori, si in istis duobus Caletis sufficientes et idoneos inveniant, vel si non inveniantur in istis duobus Caletis, saltem ex tota diocesi Rothomagensi sint. Et tales eligantur quantum ad theologos, qui rexerint probabiliter in artibus quibusdam, et quantum ad utrosque, qui sint quantum ad mores conversationis laudabilis et honeste. Item volo et ordino quod si predicti theologi vel aliqui post sex annos theologiam audierint, vel beneficium aliquod sufficiens fuerint assecuti, quod ex tunc alii idonei et sufficientes eligantur per eosdem electores et substituantur eisdem, sub modis et conditionibus antedictis, omni contradictione et affectione carnali cessantibus, nisi aliquis illorum in tanta prerogativa scientie emineat, quod possit in scolis alicujus magistri theologie publicas legere lectiones; et tunc dimittatur ibidem, si voluerit, donec ad cathedram valeat ascendere magistralem. Residuum autem predictorum redditum et domum quam habeo Rothomagi in ponte Gaufredi, soluto censu domus dictorum theologorum, do et lego priori Beate Magdalene[4], pro colligendis et assignandis dictis scolaribus redditus antedictos, pro suis et suorum laboribus et expensis. Volo etiam et ordino quod de predictis theologis duo, consimiliter eligendi, remaneant tempore vacationis, scilicet per septem hebdomadas, ad custodiam domus ac in ea contentorum. Ad opus autem predictorum theologorum do donatione inter vivos domum, quam emi Parisius a Guillelmo dicto Fructuario juxta Harpam, in parrochia Sancti Severini. Do etiam ipsis ad opus omnium et singulorum totum corpus theologie, videlicet biblias simplices et sufficientes, item libros glossatos omnes et quosdam duplicatos, cum postillis et lecturis sufficientibus, et quibusdam summis moralibus, cum sermonibus diversarum compilationum[5], item volumina plura sententiarum cum summis et scriptis pluribus de questionibus, item originalia plura, et multa alia scripta, quorum omnia nomina in quadam littera sigillo meo sigillata conti-

nentur. Et predicti theologi manebunt simul propter commoditatem librorum, et propter collationes invicem faciendas, et propter alia multa. Item parvuli artiste, si qui sint, similiter manebunt insimul tam propter commodum collationis, quam propter honestatem morum, ac in testimonium probitatis. Item dicti theologi jurabunt quolibet anno se servaturos statuta que pro eis feci, secundum quod in meis litteris eorum seriem continentibus plenius continetur. Si autem contingat, quod Deus avertat, quod studium Parisiense vel aliud solemne ex toto cesset vel penitus dissipetur, volo et ordino quod predicta omnia remaneant domui dicte Magdalene et leprosis de Monte[6] juxta Rothomagum, in pauperum necessitatibus expendenda et convertenda, quousque studium generale alicubi reformari contingat; tali videlicet modo, quod qualibet hebdomada tradantur priorisse de Magdalena vel persone, que providebit infirmis sub priore in domo sua vel hospitali jacentibus viginti solidos parisiens. pro privatis necessitatibus infirmorum, ita tamen quod prior vel provisor dicte domus non relevetur pro hoc a quotidianis et consuetis expensis. Residuum autem debetur leprosis de Monte predicto in eorum necessitatibus expendendum fideliter usque ad summam pauperum de Magdalena predicta, et de eo quod supererit fiat equalis distributio inter fratres Predicatores et Minores et pauperes hospitalis[7], quod constitui in parrochia Sancti Audoëni Rothomagensis. Et volo et ordino quod ad omnia ista fideliter facienda compellantur dicti priores per dominum archiepiscopum Rothomagensem qui pro tempore fuerit, quem in istis omnibus sub dicta forma rectorem instituo et defensorem perpetuum. In cujus rei testimonium, sigillum meum presentibus apposui. Datum anno Domini MCCLXVIII, mense Novembri, testibus scilicet magistro Johanne de Sainteville[8], tunc procantore Rothomagensi, magistro Jacobo de Temericour[9] et Juliano de Breteville[10] canonicis Rothomagensibus, et aliis.

Apographa tria in Arch. Univers. Paris. ann. 1624, 1639 et 1679, theca XXII, Z. I, 1, 2, 3. Arch. Univ. Reg. 96, fol. 43. — De Belbeuf, *Notice sur le collège du Trésorier*, p. 35. Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 285, ubi textus mendosus.

1. Vide supra nº 411. — 2. Tam in Majori Caleto (Grand-Caux) quam in Minori Caleto (Petit-Caux) archidiaconus residebat. — 3. Intellige : « Ordino et dispono quod », *etc.* — 4. Rotomagi. — 5. Apogr. sec. : « complationum » (unde mendum in Reg. 96 : contemplationum). — 6. Léproserie du Mont-aux-Malades. — 7. L'Hôpital du roi. — 8. Apograph. primum : « Stanuilla ». — 9. Apogr. sec. et tert., etiam Reg. 96 : « Du Megtuit ». — 10. Reg. 96 : « Johanne de Bretteville ».

---

424. *Summus pontifex prohibet ne religiosi, abjecto suo habitu, leges et physicam in scholis audiant magistrosque easdem doceant.*

Ann. 1227-1268.

Gravis et dolore non vacua nobis insinuatio patefecit quod quidam viri religiosi causa studiorum in alienis partibus commorantes, contemto sue religionis habitu et spretis predecessorum nostrorum prohibitionibus, audire leges et phisicam non verentur. Ea propter ne de sua malitia seu inobedientia comodum valeant reportare, excommunicamus

omnes religiosos cujuscunque Ordinis, qui decetero in scolis vel alibi talem habitum non gestaverint, qualem videlicet gestaturi essent, si in suis claustris vel monasteriis morarentur; hac eadem sententia innodantes doctores et magistros, qui tales suo habitu relicto vel leges vel physicam docuerint audientes, vel in scolis suis presumpserint retinere. Ne autem per ignorantiam se possit quis excusare, precipimus quod supradicta omnia per scolas singulis annis per locorum episcopos publicentur.

Bibl. Capit. Posonii, ms. 13 (saec. XIII-XIV), fol. 224b, sub titulo : « Ne clerici vel monachi secular. negotiis se immisceant ». A fol. 224-231b in ms. laudato continetur collectio decretalium extravag. a Gregorio IX usque ad Clementem IV. Epistola supra exscripta in ista collectione nonum locum obtinet. Cuinam pontificum a Gregorio IX usque ad Clementem IV ascribenda sit eruere non possumus.

---

425. *Summus pontifex archiepiscopo Remensi et Guidoni episcopo Autissiodorensi de corrigendis excessibus perpetratis in Universitate Parisiensi scribit.*

Ann. 1261-1268.

Archiepiscopo Remensi et G. Autisiodorensi episcopo. Quasi flumen Dei repletum aquis Parisiense studium scientiarum ubertate fecundum morum norma et in utriusque affluentia doctrine redundans eo haberi meruit in singulorum affectione prestantius, quo ipsum velut ad illuminationem gentium divinitus institutum, religioni christiane fidei et cunctorum profectibus fuisse probatur utilius et speratur in posterum Deo auctore futurum. Fluminis eternum hujusmodi irriguum civitatem Dei letificans multipliciter universalem ecclesiam illustravit et ipsius doctrina crescens ut pluvia velut imbrem super herbam et stillam super gramina sui eloquii fluenta diffudit, rudes erudiens et acuens aciem ac plenius lumen illuminans doctiorum. Hoc est igitur flumen aque vive tanquam cristallus splendidum de Dei et agni sede procedens doctrina vite vivificans animas et moribus faciens ac virtutibus resplendere. Ipsius itaque studii fructus uberes, quos velut ager plenus cui benedixit Dominus in ecclesia universali produxit, meditatione frequenti revolventes in animo ex eo etiam specialiori affectu ad ejus prosperitatem afficimur quod olim, dum nos minor status haberet, in ejus laribus[1] obversati de illius dulcedine grata libavimus per plures annos secus decursus sedentes ipsius[2]. Hinc etiam magnopere affectamus ut quo magis studii ejusdem conservata tranquillitas in communis utilitatis incrementa diffunditur, eo amplius et pax in eo servetur intrinseca et illud extrinsecus apud omnes fame claritate prefulgeat, nullisque indignis laceretur eloquiis vel indecentie maculis involvatur. Verum sicut mirantes audivimus et dolentes referimus super solitum splendorem ipsius quasi densitas caliginose nubis oppanditur, dum consueta sui nominis puritas aliquorum inibi sub scolarium appellatione degentium gravibus excessibus maculatur. Licet enim civili etiam censura otium sit in discendis artibus commodatum, nonnulli tamen hujusmodi scolares ejusdem studii non quidem ut expedit studiosi nequaquam aquis Syloe cum silentio euntibus auriendis intendunt, sed illis abjectis Rasin et filium

Romelie assumentes in viis Egipti aquas turbidas auriunt, dum se non sine confusione nimia gravium turbationum angustiis involventes, se ipsos ad invicem cum deberent perfecto amore prosequi, perverso nimio odio persecuntur inter se, non sine strage corporum, animarum periculis et fame discrimine bella excitant illorum, se frangunt laboribus et frequenter armorum varietatibus variantes interdum publice per civitatem Parisiensem explicitis vexillis incedunt. Prefati quoque studii honori detrahit, preconia minuit et non modicum obnubilat claritatem, quod in eo ad magistrorum ordinem non examinationis exacte judicio ut fieri assolet ordinate promoventur ydonei, sed gratie procurate subsidio inordinate potius admittuntur indigni. Siquidem jam indifferenter inibi magisterii usurpatur officium, ad quod munus[3] repente prosilitur, et temere ad id sine temporis suffragio, sine laboris merito pervenitur. Magistri creantur subito, non quos juvant morum scientieque suffragia, sed quibus favor et preces ne pretium dixerimus suffragantur. Hinc ipsius studii disciplina dissolvitur, vagationum frequens procuratur occasio, ingeritur convocationum necessitas, ut disputationum vitetur discussio, et per consequens utilitas amittitur. Sicque dum frequenter interrumpitur studium, dum circa illud jugis observatio non servatur, etiam quibus est cura studendi sedula ex intercisa doctrina vix diuturnitate laboris prolixioris acquiritur, quod ex continuato posset spatio temporis brevioris acquiri. Illud insuper ibidem studentium profectibus invidet, dum ejusdem quietem studii multipliciter inquietat, quod debitis ab Universitate ipsius pro communibus negotiis et utilitate contractis cottidie crescentibus per usuras, cum non sint eidem Universitati bona communia nec seculares voluntarii ad contributionem pro satisfactione hujusmodi debitorum occurrant, dum in illorum solutione cessatur, Universitatem ipsam incessanter et usurarum vorago molestat et molesta instantia debitorum affligit.

Cupientes itaque super hiis provisionis acommode remedium adhibere circumspectioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus ad civitatem eandem personaliter accedentes aliquibus ex doctoribus et aliis[4] personis Universitatis ejusdem, quos ad hoc ydoneos esse cognoveritis, convocatis cum ipsorum consilio exquiratis et etiam ordinetis vias et modos per quos insolentie hujusmodi conpescantur, occasio vacationibus tollatur indebitis, et prefatis debitis exolutis molestie conquiescant, ne per eas ejusdem fervor tepescat studii vel impediatur vel minuatur utilitas et profectus studentium, sed sublatis eisdem promoveatur potius et utilitas augeatur. Non obstantibus, *etc.* Quod si forsan exquisitio et ordinatio hujusmodi ad votivum exitum obicem inexplicabilis difficultatis inveniant, non solum statum negotii sed et vestra et doctorum ac aliorum quos duxeritis convocandos nobis per vestras litteras harum seriem continentes consilia intimetis, ut ex illis instructi plenius et efficacius circa hoc prout expedire putabimus favente Domino consilium apponamus. Et nichilominus eidem Universitati mandetis ut aliquem vel aliquos viros ydoneos infra dictum tempus quod eis duxeritis prefigendum cum sufficienti mandato ad nostram personam

destinare procurent audituros et recepturos ordinationem et provisionem quam super hiis duxerimus faciendam. Diem autem prefixionis hujusmodi, *etc.*

Collectio Marini de Ebolo in Arch. S. Petri de Urbe, Cod. C. 117, fol. 226. Arch. Vat. arm. 31, nº 72, ep. 2336, fol. 228. Nomen papae et temporis nota desiderantur. Epistolam Clementi IV ascribi posse et ultimo quidem anno ejusdem, ex collatione epistolae cum documento infra nº 427 publicato et eisdem episcopis inscripto apparet, quamvis fortasse potiori ratione ad Urbanum IV referenda sit, ut ex modo dicendi quis judicium ferre possit. De aliis pontificibus hic agi non potest.

1. Ms. Arch. S. Petri : « laboribus ». — 2. Urbanus IV praeprimis, quanquam et Clemens IV, Parisiis olim studiis operam dabat. — 3. Ms. Arch. Vat. : « minus ». — 4. « Et aliis... ordinetis » om. ms. Arch. Vat.

---

426. *Sentential officialis curiae Parisiensis contra clericos et scholares, qui de nocte et die Parisiis cum armis incedunt et flagitia committunt.*

1269, Januarii 11, Parisiis.

Officialis curie Parisiensis universis ecclesiarum rectoribus, magistris et scolaribus in civitate et suburbio Parisiensi constitutis, ad quos presentes littere pervenerint salutem in Domino. Frequens et assidua insinuatio circumstrepit, quod nonnulli clerici et scolares, necnon eorumdem servientes, fatuitate ipsorum clericorum confisi, sue salutis immemores, Deum non habentes pre oculis, sunt Parisius, qui vitam scolasticam ducere se fingentes illicitos et facinorosos actus sepe et sepius armorum confidencia confisi perpetrant et exercent : videlicet, quod de die et nocte multos vulnerant atrociter, interficiunt, mulieres rapiunt, obprimunt virgines, hospicia frangunt, necnon latrocinia et multa alia enormia Deo odibilia sepe et sepius committendo. Et quoniam hec et alia per confidentiam armorum et usum attemptantur, nos, attendentes decretum summi pontificis, quo cavetur, quod clerici arma portantes excommunicentur; attendentes etiam, quod predecessores nostri sic incedentes aliquando excommunicaverunt, ideoque hoc sit notorium et manifestum quod non potest aliqua tergiversatione celari et eorum sententia non fuerit revocata; volentes occurrere tantis malis et paci ac tranquillitati studentium et aliorum in pace vivere volentium providere : ad instantiam multorum bonorum et de consilio eorumdem excommunicamus in scriptis clericos et scolares et eorum servientes, qui de nocte seu de die Parisius cum armis incedent nisi de licentia reverendi patris Parisiensis episcopi vel nostra. Excommunicamus etiam in scriptis raptores mulierum, fractores hospiciorum, oppressores virginum, necnon omnes illos qui ad hec facienda se colligaverunt. Excommunicamus nichilominus omnes illos, qui aliquid de premissis sciverint, nisi infra septem dies a tempore sciencie, postquam sentencia sic super premissis lata ad eorum notitiam pervenerit, illud quod sciverint dicto domino reverendo episcopo vel nobis duxerint revelandum, et ad emendationem venerint competentem. Absolutionem tamen clericorum pro premissis sic excommunicatorum domino episcopo vel nobis specialiter retinemus. Verum quia nonnulli clerici et scolares ac servientes eorumdem, qui veniendo Parisius de partibus suis vel redeundo ad partes suas arma Parisius detulerunt, necnon et quidam alii, scientes clericos scolares ac servientes eorum arma Parisius detulisse,

verentur ex causis predictis se predictam excommunicationis sententiam incurrisse, tenore presentium declaramus, quod nec est nec fuit intentionis nostre quod predicta sententia ligentur illi clerici scolares ac eorum servientes, qui Parisius causa studii venientes arma consueta deferentes in via, in primo ingressu civitatis Parisiensis usque ad hospitium suum defferunt, nec etiam illi qui repatriare volentes, vel pro negotiis utilibus et honestis ultra dietam unam a civitate Parisiensi proficiscentes, eundo ac redeundo arma similia defferunt, dum exeunt civitatem. Declaramus etiam illam clausulam qua dicitur : « excommunicamus omnes illos, qui aliquid de premissis sciverint », *etc.*, quod non intelligimus illud verbum premissum ad omnia premissa et singula referri, sed ad clausulas immediate precedentes, videlicet de raptoribus mulierum, fractoribus hospiciorum, obpressoribus virginum et eorum qui se ad hec colligant facienda. Presens autem mandatum ita exequimini, quod de inobedientia non possitis redargui vel puniri. Dat. anno Domini M° CC° LXVIII, die veneris post Epiphaniam Domini.

Chartul. episcopi in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5526, fol. 115 b. — Guérard, *Cartul. de l'église de Notre-Dame*, I, 161, qui jure animadvertit Bulaeum, III, 95, has litteras perperam ad an. 1218 retulisse.

---

427. *Litterae Johannis archiepiscopi Remensis et Guidonis episcopi Autissiodorensis, quibus enuntiant canonicos beneficiatos et clericos ecclesiae Paris. non teneri ad contributionem pro debitis Universitatis.*

1269, mense Februario.

Universis presentes litteras inspecturis Johannes permissione divina Remensis archiepiscopus et G. eadem miseratione Autisiodorensis episcopus salutem in Domino. Cum nuper a nobis auctoritate sedis apostolice nobis in hac parte commissa emanaverit mandatum, ut magistri et scolares Parisienses pro debitis Universitatis solvendis contribuant, noverint universi quod intentionis nostre non fuit nec est, quod canonici beneficiati et clerici ecclesie Parisiensis virtute mandati hujusmodi ad contributionem predictam teneantur, nec sententia aliqua propter hoc ligentur sive astringantur, nec pro ligatis habeantur. In cujus rei testimonium sigilla nostra litteris presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini M° CC° LXVIII, mense Februario.

Magnum Pastorale eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 175, p. 572. — Guérard, *Cartul. de l'église de Notre-Dame*, II, 394. — Cf. infra n[is] 520, 521.

---

428. *Ludovicus IX, Francorum rex, emptionem bonorum confirmat, quae Guillelmus de Saana ad sustentationem duodecim scholarium in theologia Parisiis studentium acquisivit.*

1269, mense Augusto, apud Vicennas.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod cum dilectus noster magister Guillermus de Saana, thesaurarius Rothoma-

gensis, emerit seu acquisierit ut asserit ad sustentationem duodecim scolarium in theologia Parisius studencium[1] a Roberto et Richardo dictis Rollant, fratribus armigeris, decimam quam habebant et tenebant a nobis in feodum in parrochia Sancti Martini de Oissello; item viginti libras turonens. annui redditus, in quibus major et communia Rothomagens. tenentur eidem thesaurario ratione cujusdam molendini siti apud Respeville prope Rothomagum, quod dicitur molendinum Marc d'Argent; item a Guillermo Havart de Guisignis[2] decem libras annui redditus super quasdam domos sitas Rothomagi in parrochia Sancti Dyonisii; item ab Ervando dicto Bourdon, cive Rothomagensi, decem libras annui redditus super domum sitam in parrochia Sancti Johannis desuper Revellam; item a Guillermo dicto Boulenc, cive Rothomagensi, undecim libras annui redditus super masagium suum et terras suas sitas in parrochia de Guermonvilla; item a Johanne de Muchegros[3], milite, et ejus uxore decem et septem libras turonens. annui redditus parum plus vel parum minus super terras et redditus ac hominum servicia apud Ogerivillam, apud Buscum, et apud Bellum Montem; item a Richardo dicto Belin centum solidos annui redditus super masagium suum et super terras suas sitas in parrochia de Pissiaco : nos predictas emptiones seu acquisitiones quantum in nobis est concedimus et ratas habemus, volentes quod idem thesaurarius vel ille qui causam habuerit ab eodem premissa tenere valeat imperpetuum et pacifice possidere ad sustentacionem ipsorum scolarium sine coactione aliqua vendendi vel extra manum suam ponendi, retentis nobis et nostris successoribus in predictis placito spate omnibus juribus et redibenciis nostris et justicia, si quam prius habebamus ibidem, et salvo in aliis jure nostro ac jure etiam in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicenas anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense Augusto.

Charta inserta *vidimus* de Gile de Compigne, garde de la prevoste de Paris, anni 1284, Martii 29, in Arch. nat. Paris. S. 6586[a], n° 5. Pertinebat ad Arch. Univers. — Tria *vidimus* aetatis posterioris ibid. n[is] 2, 3, 4.

1. Vide supra n° 423. — 2. Guisegniacum, Guisegnies et Guiseignies. — 3. Mucegros.

---

429. *Ludovicus IX, Francorum rex, de taxatione hospitiorum scholarium.*

1270, Februarii 26, Parisiis.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod nos universitati scolarium Paris. appreciacionem domorum usque ad septennium duximus concedendam. Actum Parisius die mercurii ante brandones, anno Domini M° CC° LX° IX°.

Chartul. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 181[b]. — Ad hanc chartam vide supra n° 82. Ut ex tenore documenti liquet, Ludovicus praeceptum suum jampridem datum processu temporis saepius renovavit.

---

430. *Ludovicus IX, rex Francorum, ad praepositum Parisiensem de scholaribus, qui mercedes hospitiorum non persolverunt.*

1226-1270, apud Asnerias.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex preposito Parisiensi salutem. Mandamus tibi quatinus scolares Parisienses non astringas nec plegios eorumdem ad solvendas mercedes hospiciorum que nundum appreciata fuerunt. Sed si bona securitas de predictorum hospiciorum mercedibus non sit data, bonam super hiis securitatem recipias, et ipsos scolares et eorum plegios super hiis donec Parisius venerimus in pace dimittas. Actum apud Asneres anno Domini millesimo CC° XXIIII[1], mense Marcio.

Chartul. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 182.

1. Sic in ms., ubi haec charta alteram n° 429 editam, quae in ms. post privilegium Ludovici IX an. 1229 (supra n° 66) locum tenet, excipit. Falsa temporis nota huic documento apposita est. Vel legi debet MCCXXVIIII, ita ut ad Martium 1230 ascribenda sit (an. 1230 Ludovicus non semel apud Asnerias morabatur, ut liquet e *Rec. des Historiens des Gaules*, XXI, 409), vel ad annos posteriores, forte ad idem circiter tempus ac charta praecedens. Aegre concedas eam a Ludovico VIII emanasse.

430a. *Testamentum Ludovici IX, regis Francorum, in quo quibusdam monasteriis religiosorum et scholaribus Parisiis exsistentibus providet.*

1270, mense Februario, Parisiis.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod nos per Dei gratiam sani et incolumes testamentum nostrum ordinavimus in hunc modum. Volumus quidem et precipimus quod omnia debita nostra solvantur, et quod omnia forisfacta nostra emendentur, et fiant restitutiones nostre per executores hujus testamenti inferius nominatos per se vel per alios, secundum quod viderint expedire. Quibus si visa fuerint aliqua dubia vel obscura, damus eis potestatem ordinandi et faciendi super hiis, prout inspecta salute anime nostre viderint faciendum.

Legamus autem carissime uxori nostre Margarite regine quatuor millia librarum. Abbatie nostre Regalis Montis sexcentas libras. Libros vero nostros, quos tempore decessus nostri in Francia habebimus, preter illos qui ad usum capelle pertinent, legamus fratribus Predicatoribus et fratribus Minoribus Parisius, abbatie Regalis Montis et fratribus Predicatoribus Compendii secundum discretionem et ordinacionem executorum nostrorum eisdem equis porcionibus dividendos, preter illos libros, quos dicti fratres Predicatores Compendii jam habent... Item legamus domui fratrum Minorum Parisiensium quadringentas[1] libras. Aliis autem domibus fratrum Minorum in regno Francie constitutis per consilium et ordinacionem ministri provincialis Francie, necnon gardiani et lectoris Parisius, qui pro tempore fuerint, vel duorum ex ipsis, sexcentas libras. Item legamus domui fratrum Predicatorum Parisiensium quadringentas libras. Aliis autem domibus fratrum Predicatorum in regno Francie constitutis per ordinacionem et consilium prioris

provincialis Francie, necnon prioris et lectoris antiquioris domus Parisiensis sexcentas libras... Item domui Sancti Maturini Parisiensis Ordinis Sancte Trinitatis et captivorum sexaginta libras... Item legamus domui Vallis Scolarium Parisiensium quadraginta libras. Et aliis domibus ejusdem Ordinis centum libras distribuendas eis secundum discretionem et ordinacionem executorum nostrorum... Item legamus pauperibus scolaribus Sancti Thome de Lupera Parisiensis quindecim libras. Et pauperibus scolaribus Sancti Honorati Parisiensis decem libras. Bonis pueris Parisiensibus sexaginta libras. Et minutis scolaribus Parisiensibus[2] centum quinquaginta libras per priorem fratrum Predicatorum et gardianum fratrum Minorum Parisiensium distribuendas... Hujus autem testamenti nostri executores constituimus dilectos et fideles nostros Stephanum episcopum Parisiensem, Philippum Ebroycensem electum, Sancti Dyonisii et Regalis Montis abbates, qui pro tempore fuerint, et magistros Johannem de Trecis et Henricum de Verzel clericos nostros, archidiaconos in ecclesia Bajocensi... In cujus rei testimonium presentem paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense Februario.

Originale in Arch. nat. Paris. J. 403, nº 5. Superest taeniol. membr. — Bibl. nat. Paris., vol. 140 de Brienne, fol. 21. Bulaeus, III, 392.

1. Brienne perperam : « quadraginta ». — 2. His et aliis nominatis scholaribus in testamentis etiam regum posteriorum certae pecuniae summae leguntur. Vide v. g. Arch. nat. Paris. J. 403, nis 10, 11 (Philippi III) ; 12, 13, *etc.* (Philippi IV).

---

431. *Testamentum Roberti de Sorbona de suis bonis immobilibus.*

1270, Septembris 29, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia propter hoc constitutus vir venerabilis magister Robertus de Sorbona, canonicus Parisiensis, in plena sua sanitate et compos sue mentis prout prima facie apparebat volens sibi precavere in futurum de bonis suis immobilibus ordinavit in hunc modum. Primo enim omnia bona sua immobilia que tenet in manu mortua, videlicet vineas, domos, census cum eorum pertinenciis que acquisivit Parisius seu confinio ejus, vel acquiret in manu mortua usque ad diem mortis sue[1], dedit donatione inter vivos congregationi pauperum magistrorum Parisius in theologica facultate studentium, quorum diu provisor extitit, et nunc dominium et proprietatem dictorum bonorum in ipsos pauperes magistros transferendo. Item dilectum suum virum venerabilem magis-Gaufridum de Barro[2], canonicum Parisiensem, post decessum ipsius magistri R. suum constituit heredem omnium aliorum bonorum suorum immobilium, que non tenet in manu mortua, videlicet vinearum, domorum, censuum, feodi cum eorum pertinentiis seu appendiciis, que acquisivit Parisius vel in confinio ejus vel que acquiret usque ad diem mortis

sue, excepta dumtaxat domo quadam sita in monte Sancte Genovefe[3] prope domum magistri Geroldi de Abbatisvilla, de qua aliter ordinavit ut dicebat : conferens et concedens predictus magister R. extunc, scilicet post mortem ipsius magistri R., eidem magistro G. tanquam heredi suo ut dictum est omnium predictorum immobilium que non sunt in manu mortua totum jus quod habebat vel habere poterat in premissis omnibus qualicunque ratione, salvo sibi quamdiu vixerit predictus magister Robertus in omnibus et singulis cum proprietate premissorum usufructu. Volens siquidem et concedens expresse, quod dictus magister G. heres institutus ut dictum est teneat et possideat post decessum ipsius magistri R. omnia supradicta tanquam heres pacifice et quiete absque reclamatione seu contradictione qualibet heredum suorum carnalium seu etiam aliorum quorumcumque, tali apposita conditione ex parte ipsius magistri R. quod dictus magister G. heres premissorum institutus ut dictum est pro eodem magistro R. omnibus creditoribus suis satisfacere teneatur de omnibus debitis in quibus nunc tenetur vel etiam tenebitur tempore mortis sue[4]. Voluit etiam predictus magister R. quod de bonis predictis provideretur Johanni de Castellario clerico suo in bursa et hospicio, sicut uni de pauperibus magistris providetur, sive audiat logicam, sive etiam theologiam, donec sibi Dominus providerit in beneficio competenti. De bonis autem suis mobilibus per alios ordinavit, ut dicebat[5]. Hec itaque omnia et singula voluit predictus magister R. rata esse et firma, nisi eum in vita sua contingeret de hiis aliter ordinare. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo curie Parisiensis unacum sigillo ipsius magistri R. fecimus sigillari. Actum anno Domini M° CC° septuagesimo, in die sancti Michaelis.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 32. Restat unum taeniolum membranae. N° 33 apographum an. 1322; posterius etiam ibid. M. 74, n° 18. — *Cartul. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris. 16069, fol. 24 b. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 20b, alibique. Ducange, *Hist. de S. Louys écrite par Jean Sire de Joinville*, Observations, p. 36 D'Achery, *Spicil.*, 2 ed., III, 670. Franklin, *La Sorbonne*, p. 269.

1. Robertus de Sorbona an. 1274, xviij kal. Sept., i. e. Aug. 15, obiit, ut dicitur in *Necrol. Sorbon.* Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16574. fol. 38 b. Universitas Paris. ejus anniversarium fecit id. Novemb. (13). Ibid., fol. 44b. — 2. Cf. supra n° 415. n. 2, et praecipue Le Clerc in *Hist. litt. de la France*, XXI, 821. — 3. Haec domus teste charta Reginaldi abbatis S. Dionysii Remens. an 1297 sita erat in vico supra S. Hilarium, per quem itur ad S. Genovefam. Guillelmus de Sorbonio, nepos Roberti, usumfructum ejusdem domus, quamdiu vivebat, percipiebat. Hemeraeus, *Robertus de Sorbona*, in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16575, fol. 25b. — 4. Vide ad haec infra n° 450. — 5. Hic insinuatur testamentum Roberti de Sorbona de suis bonis mobilibus, cujus huc usque nemo mentionem fecit. Et nos etiam nusquam illud reperire potuimus, ne quidem inter numerosa documenta ad Sorbonam spectantia in Arch. nat. Paris. S. 6211-6232. Exsistebat tamen, ut ex documento an. 1275 infra n° 463 allato liquet, in quo quaedam clausulae ex eodem testamento exscribuntur.

---

432. *Tredecim errores a Stephano episcopo Parisiensi condemnati.*

1270, Decembris 10, Parisiis.

Isti sunt errores condempnati et excommunicati cum omnibus, qui eos docuerint scienter vel asseruerint[1], a domino Stephano, Parisiensi episcopo, anno Domini M° CC° LXX°, die mercurii post festum beati Nicholai hyemalis.

Primus articulus est : Quod intellectus omnium hominum est unus et idem numero.

2. Quod ista est falsa vel[2] impropria : Homo intelligit.

3. Quod voluntas hominis ex necessitate vult vel eligit.

4. Quod omnia, que hic in inferioribus aguntur, subsunt necessitati corporum celestium.

5. Quod mundus est eternus.

6. Quod nunquam fuit primus homo.

7. Quod anima, que est forma hominis secundum quod homo, corrumpitur corrupto corpore[3].

8. Quod anima post mortem separata non patitur ab igne corporeo.

9. Quod liberum arbitrium est potentia passiva, non activa[4]; et quod necessitate movetur ab appetibili.

10. Quod Deus non cognoscit singularia.

11. Quod Deus non cognoscit alia[5] a se.

12. Quod humani actus non reguntur providentia Dei.

13. Quod Deus non potest dare immortalitatem vel incorrupcionem rei corruptibili vel mortali[6].

Bibl. nat. Paris., mss. lat. 15661, fol. 99 b (ista pars est saec. XIII-XIV); 15820, fol. 193 b. Bibl. de Rouen, ms. A. 263, fol. 305 b. Bibl. Amplon. in Erfurt., ms. 151 in-4°, fol. 3. Bibl. de l'école de Médecine de Montpellier, ms. 33. Bibl. Burghes., ms. 296. Oxoniae Merton Coll., ms. 267, fol. 116. Ms. conventus Ord. Praed. Vindobon. in-4° (saec. XV), fol. 98. Isti errores in codd. generatim occurrunt tantum in « Collectione errorum in Anglia et Parisiis condemnatorum », de qua infra ad num 473, non separatim. — Bulaeus, III, 397. D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 188. — Notum est istas assertiones esse pro magna parte averroisticas (cf. Renan, *Averroès et l'Averroïsme*, 3 ed., p. 267 sq.), easque in scholis Parisiens. traditas fuisse. Forsitan concordabant cum iis, quos fr. Aegydius (de Lessinia ?) Ord. Praed. transmisit Alberto Magno in epistola, cujus initium affert Petrus de Prussia in sua *Vita B. Alberti Magni*, cap. 32 : « Venerabili in Christo patri ac dom. Alberto, episcopo quondam Ratisponensi, fr. Aegydius Ord. Praed. licet indignus cum salute glorificare Deum in doctrinis. Articulos, quos in scolis proponunt magistri Parisius, qui in philosophia majores reputantur, vestre paternitati tanquam vero intellectu illuminato transmittere dignum duxi, ut eos jam in multis congregationibus impugnatos vos otio vestri imperii terminetis. Primus est, quod intellectus omnium hominum est unus et idem numero, *etc.* » Dolendum Petrum de Prussia non integram epistolam, quae tractatui Alberti super has quaestiones hucusque non reperto (cujus initium : « Intellectus hominis ») praefixa erat, exscripsisse. Isti errores repetuntur infra in condemnatione an. 1277 habita (n° 483). Haud dubie aliqui eorum, praesertim errores de anima desumpti sunt ex scriptis mag. Sigeri de Brabantia (supra n° 409). S. Thomae opusc. *De unitate intellectus contra Averroistas* inscribitur in Bibl. Monac. ms. lat. 8001, fol. 29 : *Tractatus fr. Thome contra mag. Sigerum de unitate intellectus.* Ex Sigeri opere *De anima* et *Questione determinata a mag. Sigero de Brabantia* « Utrum hec sit vera : homo est animal nullo homine existente » (Bibl. conventus Ord. Praed. Vindobon., ms. saec. XIV), liquet Sigerum per viam philosophiae non admisisse v. g. multiplicationem intellectuum, sed tantum fide coactum, et quidem ex hoc principio, quod astruit « contra praecipuos viros in philosophia Albertum et Thomam », animam intellectivam in esse suo separatam esse a materia, et corpori tantum in operando unitam (cf. ad hoc infra err. 7 et 13 condemn. an. 1277) ; « natura autem, que in esse suo separata est a materia, non multiplicatur multiplicatione materie ». Si sequamur Sigerum, possumus dicere aliqua esse vera secundum philosophiam, non tamen secundum fidem. Vide litteras episcopi Stephani an. 1277. Anno 1278 ipse et Bernerus de Nivella erant « de crimine heresis probabiliter et vehementer suspecti ». Cf. Quétif-Echard, *SS .Ord. Praed.*, I, 395. De ejus morte vide Cipolla, *Sigieri nella divina commedia* in *Giornale storico della letteratura ital.*, VIII, 119 sqq., et Boucherie in *Revue des langues Romanes*, IIIe série, t. VII, 297 sqq.

1. Paris. 15661 : « docuerunt... asseruerunt ». — 2. Oxon. om. « falsa vel ». — 3. Ms. Vindob. om. hunc errorem. — 4. Oxon. om. « non activa ». — 5. Aliqui : « aliud ». — 6. Oxon. om. « vel incorrupcionem », « vel mortali ».

433. *Statutum magistrorum medicinae contra magistrum Petrum de Lengres et contra baccalareos licentiatos contra consuetudinem.*

1270, [Parisiis].

Anno Domini M° CC° septuagesimo, magistro Petro de Lemovicis[1] tunc decano, cum compromisisset stare ordinacioni facultatis de alto et basso, magister Petrus de Lengres Claudus pro eo quod fraudem fecerat magistro suo et advocaverat quosdam alios magistros ad tenendum communem suam, tandem congregatis magistris medicine in ecclesia Sancte Genovefe parve[2] et sufficienti facta super hoc inquisitione fuit sententialiter punitus prefatus magister Petrus in x libras turonens., de quibus fuit empta insula apud Sanctam Genovefam parvam. Item quod nunquam decetero tenebit communem in facultate medicine, nisi hoc tota facultas revocaverit.

Eodem anno, ipso eodem existente decano, fuit statutum quod quicumque bachelarius recipiet licenciam contra consuetudinem facultatis vel magister qui hoc procuraret, ipso facto esset privatus in sempiternum societate magistrorum et omni actu scolastico predicte facultatis. Simili pena punietur qui renuerit jurare statuta et formas hujus libri. Et per juramentum singulorum deberet inviolabiliter observari.

Cod. Vat. lat. 406, fol. 59. Mus. Britann., Addit. mss., n° 17304, fol. 69 b. Deest in Cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 398. Omisit Jourdain. — Jam saec. XVII non exstabat Registrum facultatis Medicinae anterius anno 1395, ut liquet ex scripto in Arch .nat. Paris. M. 70, n° 11, conservato. *Libellus rubeo coopertus in quo continentur statuta facultatis* vero jam tempore cl. Riolan (saec XVII) desiderabatur. Tanto libentius documenta in mss. supra laudatis contenta acceptamus.

1. Vide supra n° 416. — 2. In insula. Forte medici hac aetate adhuc in insula residebant.

---

434. *Statutum facultatis medicinae contra illicite practicantes, scilicet ne quis Judaeus in aliquam personam fidei christianae chirurgice seu medicinaliter operari praesumat, et ne quis chirurgus, apothecarius vel herbarius metas artificii sui excedat.*

1271, [Parisiis].

Anno eodem, videlicet millesimo CCLXX primo[1], magistro J. de Racheroles tunc existente decano facultatis medicine, magistri dicte facultatis ordinaverunt et fecerunt statutum contra istos practizantes Parisius vel circiter in modum qui sequitur. In nomine Domini, amen. Quoniam autem nonnulli nondum in arte medicine provecti causas medicinalis operis penitus ignorantes turpiter[2] et inverecunde usurpando sibi assumunt Parisius officium practicale sine peritorum consilio administrantes quibuscumque et temere quascumque medicinas etiam violentas, ignorantes penitus quid pro basi, quid pro freno, quid pro acumine poni debeat in hujusmodi medicinis, quas ex proprio capite simplicibus hominibus miserabiliter administrant, et idcirco suis administrationibus non secundum artem sed magis a casu et a fortuna factis multos mortis supplicio enormiter tradiderunt, quod est in periculo animarum suarum, et maxime cum ipsi in hoc sententiam excommunicationis auctoritate officialis Parisiensis latam indubitanter incurrant, prout per litteram

dicti officialis apparet manifeste, quod etiam est periculum non modicum omnium Parisius habitantium, necnon etiam vertitur in dedecus et in gravem infamiam omnium in medicina peritorum : idcirco nos doctores in facultate medicine Parisius regentes ad devotas et pias supplicationes quamplurimorum, videlicet religiosorum, clericorum, scolarium, necnon multorum civium Parisiensium tot erroribus, periculis et scandalis occurrere volentes, quoddam statutum nostrum dudum factum per predictas litteras officialis[3] videlicet et etiam regalium vallatum seu etiam confirmatum nomine facultatis per juramenta nostra confirmamus in hunc modum, inhibentes videlicet sub pena in prefatis litteris officialis Parisiensis et regalium contenta, necnon etiam sub omni pena nobis ab utraque justitia tam seculari quam ecclesiastica concedenda, ne aliquis Judeus vel Judea in aliquam personam fidei catholice cyrurgice seu medicinaliter operari presumat. Item cum quidam manualiter operantes aliquas confectiones agant seu etiam habeant, earum tamen causam et rationem penitus ignorant, quin etiam modum administrandi et aspectum quos habent medicine ad morbum et maxime respectu particularium omnium nesciunt, cum ista potissime periti medici industrie reserventur, isti tamen manuales artifices falcem suam in messem alienam ponentes quibuscumque curis, ut per fidedignorum testimonium nobis constat, temere et in publicum scandalum se miscent, in hoc etiam perjurium et excommunicationis sententiam incurrentes : idcirco firmiter inhibemus ne aliquis cirurgicus seu cyrurgica, apothecarius seu apothecaria, herbarius seu herbaria per juramenta sua limites seu metas sui artificii clam vel palam seu qualitercumque excedere presumat, ita quod cyrurgicus se nullatenus intromittat nisi de manuali practica et ut ad ipsum pertinet; apothecarius autem seu herbarius nisi solum de confectione sua et de administratione solum magistris in medicina facienda vel de quorum licentia constiterit facultati. Et ne error possit inde contingere, ordinamus quod apothecarius seu herbarius per decanum nostrum vel per sigillum super hiis necnon etiam super aliis dubiis, si que contigerint, certificetur decretum facultatis, excludentes tamen a dicto statuto illos qui Parisius vel prope non practicant nec etiam contrahunt mansionem, quibus credatur per suum juramentum. Item nullus predictorum aliquem infirmorum visitet ut ei aliquod alterativum medicamentum seu laxativum aut quodcumque aliud quod ad medicum pertineat subministret nec administrari[4] consulat vel procuret, nisi per magistrum in medicina prout superius est expressum. Et hoc eis per juramenta sua injungimus et sub pena predicta eo modo quo supra dictum est, necnon etiam sub privatione omnimode administrationis nostre. Sub eisdem penis etiam eisdem precipimus, ne aliquis eorum sanis hominibus aliquam predictarum medicinarum sine magistri presencia administrare presumat, exceptis illis que communiter vendi solent, cujusmodi sunt sucura rosata, dragia communis, aqua rosacea et consimilia, excludendo eis omnem viam et modum administrandi in quibus pericia medici fuerit requirenda. Et quoniam nonnulli sunt qui simul querunt scientiam et modum sciendi, quod est inconveniens maximum, cum eorum error etiam in principio

non modicus maximus sit in fine, idcirco sub penis prefatis et specialiter sub privatione cujuscumque promotionis in facultate medicine habite et habende universis scolaribus et etiam singulis inhibemus firmiter ne aliquis eorum sano seu etiam infirmo aliquod medicamentum confortativum, alterativum seu etiam laxativum sine alicujus magistri in medicina presencia subministret; nec etiam, excepta prima vice, visitet, nisi secum affuit magister aliquis qui ipsum dirigat et modum operis ostendat. Et si aliquis aliquem contra predictum statutum noverit operantem, per juramentum suum decano nostro vel saltem alicui magistro actu regenti secrete revelabit, et ille cui revelabitur celabit[5] personam revelantem.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 59. Mus. Britann., Addit. mss., nº 17304, fol. 70. Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 400. — Cum falsa hoc documento nota temporis in mss. sit apposita, viri docti disputant, ad quem annum sit referendum. Bulaeus putat ad an. 1271; Crevier (*Hist. de l'Université de Paris*, II, 51) ad an. 1301; Jourdain, nº 227, n. 3, et nº 515 ad an. 1331. Sententia Jourdain certe reprobanda est cum anno 1330 Philippus de Curia, ann. 1331-1332 Reginaldus de Cornemare decani facultatis medicinae fuerint, et codex Vat. Reg. insuper longe ante an. 1331 scriptus sit. Sententia etiam docti Crevier non placet, cum in praedicto cod. documenta annorum priorum saec. XIV in fine tantum codicis exscripta sint, et praeterea initium documenti : « Anno *eodem* », in mss. obsit, nam documentum praecedens (nº 433) est anni 1270, vel 1271 ante Pascha, quod utique significat, utrumque documentum infra breve tempus editum esse, sub diversis tamen decanis. Ideoque sententia Bulaei omnibus aliis praeferenda videtur.

1. In mss. : « Millesimo XXX primo », i. e. 1031. — 2. Vat. Reg. : « communiter ». — 3. Hae litterae, quantum scimus, ad nos non pervenerunt. — 4. Vat. Reg. : « administrali ». — 5. Mss. : « celando ».

---

435. *Officialis curiae Paris. notum facit fratrem Gregorium Ordinis Vallis Scholarium coexsecutorem testamenti defuncti magistri Johannis de Rua concessisse Roberto de Sorbona in gratiam duorum magistrorum quasdam cameras sitas Parisiis.*

1271, mense Maio, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constitutus frater Gregorius Ordinis Vallis Scolarium Parisiensium, coexecutor ut dicebat testamenti defuncti magistri Johannis de Rua, quondam canonici Ambianensis, asseruit nomine suo et coexecutorum suorum quod idem magister Johannes in ultima voluntate sua legavit duobus magistris studentibus Parisius in theologica facultate et morantibus inter scolares magistri Roberti de Sorbonna canonici Parisiensis pro administrandis vite necessariis eisdem duobus magistris sexdecim libras parisiens. annui redditus habendas et percipiendas annuatim ab eodem magistro Roberto seu ab alio ab ipso causam habituro super quibusdam cameris et quadam domo que quondam fuerunt dicti magistri Johannis, sitis Parisius in civitate in vico de Marchepalu. Asseruit etiam dictus executor quod post decessum ipsius defuncti magistri Johannis super testamento seu ultima voluntate sua plures altercationes et lites orte fuerunt et deducte, et propter hujusmodi altercationes et lites maximas expensas fecerunt et quod predictam domum ratione expensarum in hujusmodi altercationibus ab eisdem executoribus factarum vendiderunt. Nichilominus tamen dictus frater Gregorius cupiens quantum

potest adimplere in hac parte voluntatem ipsius defuncti, quam omnino perficere non potest, ut asseruit, rationibus antedictis dictas cameras, prout se comportant, dicto magistro Roberto et causam habituris ab ipso et quicquid ibi juris habent occasione dicti defuncti Johannis in acquitationem dicti legati nomine suo et executorum suorum perpetuo assignavit, necnon et quinquaginta libras duas parisiens. in pecunia numerata eidem magistro Roberto nomine duorum dictorum magistrorum tradidit, bone fidei ejus et sibi succedencium committens secundum intentionem dicti defuncti prout poterit. Prefatus vero magister Robertus de Sorbonna coram nobis constitutus in jure confessus est se recepisse et habuisse ab eodem fratre Gregorio suo et coexecutorum suorum nomine dictas quinquaginta duas libras parisiens. in pecunia numerata vice et nomine suo et dictorum duorum magistrorum et de ipsis cameris, ac tenuit et habuit idem magister Robertus nomine suo et dictorum duorum magistrorum coram nobis pro contento et pagato, quitans penitus et absolvens ipsos executores et eorum quemlibet et causam habituros ab ipsis, suo et dictorum magistrorum nomine, pro dictis quinquaginta duabus libris et dictis cameris sic assignatis et receptis de dictis sexdecim libris parisiens. dictis duobus magistris, ut dictum est, a dicto testatore legatis, promittens quod contra hujusmodi quittationem jure aliquo per se vel per alium non veniet in futurum, et quod eisdem duobus magistris administrabit vite necessaria secundum facultatem et estimationem dictarum camerarum et dictarum quinquaginta duarum librarum, promittens predictos executores indempnes reddere suis sumptibus quantum ad ea que pro dicto legato recepit si forte eos contigerit occasione dicti legati ab aliquo vel ab aliquibus impeti vel eciam molestari, obligans quantum ad hoc bona sua mobilia et immobilia presentia et futura. Datum anno Domini M, ducentesimo septuagesimo primo, mense Maii.

Cartul. de la Sorbonne, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, f. 55 b, cum rubrica : « Pro cameris et censu in vico de Marchepalu ». — Communis refert opinio hoc ipso anno a Roberto de Sorbona « parvam Sorbonam » esse fundatam ad hunc finem, ut ibi pars scholarum elementarium claustri Beatae Mariae transferretur. Cf. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, fol. 121 b sqq. Jaillot, *Recherches critiques sur la ville de Paris*, V : *Quartier Saint-André-des-Arcs*, p. 141. Franklin, *La Sorbonne*, p. 15; *Anciennes Bibliothèques de Paris*, I, 225. Verum est Robertum hoc anno, April. 16, a Guillelmo de Camberiaco, canonico S. Johannis Morinens., Viennensis dioecesis, recepisse quamdam domum vicinam (Originale in Arch. nat. Paris., S. 6213, nº 28. *Cartul. de la Sorbonne*, fol. 22 b; 51 b. Cf. fol. 116 b), ubi postea fuit collegium Calvi. Sed in documentis istius temporis et apud auctores aequales frustra quaeras notitiam seu mentionem « parvae Sorbonae » vel finis supra memorati. Utique tamen in taxationibus domorum ann. 1281, 1282 (vide infra) diversae domus Sorbonistarum distinguuntur.

---

436. *Testamentum magistri Gerardi de Abbatisvilla in favorem scholarium theologiae domus Sorbonae.*

1271, Octobris 19.

Ego Gerardus de Abbatisvilla archidiaconus ecclesie Ambianensis in Pontivo, ad honorem Dei et gloriosissime matris sue et omnium sanctorum ejus et ecclesie sue sancte. Sanus et incolumis mente et corpore, anno Domini MºCCºLXXº primo, die lune

post Inventionem beati Firmini martyris[1], cogitans de novissimis, Deum habens pre oculis, testamentum meum condidi in modum qui sequitur :

In primis lego scolaribus theologie secularibus, tam in communitate domus magistri Roberti de Sorbonio quam aliis humanitatis (?) scolaribus[2], de quibus spes proficiendi habebitur, licet in villa morantibus, unum corpus theologie, in quo studebam et legebam. Item lego omnia originalia mea necnon tabulas originalium. Item lego eis omnes postillas meas theologie. Item omnes summas sermonum quas habeo. Item omnes summas questionum et omnia scripta que compilavi, tam de questionibus quam de sermonibus, et breviter omnes libros theologie quos habeo simplices. Item lego eis omnes libros canonicos et omnes summas quas habeo super decreta et decretales. Volo autem quod de originalibus et summis fiat copia magistris theologie secularibus duntaxat, quia religiosi satis habent. Volo autem quod in dicta domo a procuratore dicte domus magistri Roberti fideliter custodiantur, et supplico magistris theologie secularibus quod diligentia et cautela ab eis adhibeatur in faciendo custodiri libros supradictos, et fiat inventarium, et quolibet anno coram ipsis predictis doctoribus a procuratore dicte domus ratio reddatur, et quod sub idonea cautione scolaribus mutuentur. Item lego tam dictis scolaribus quam artistis actu regentibus omnes libros meos philosophie, in eadem domo custodiendos a dicto procuratore et sub certa cautione eisdem mutuandos, et ad custodiendos libros volo quod habeant armarium meum et tres cistas quas habeo meliores. Pro labore vero custodie lego eis capellam meam et unum par simplicium vestimentorum scilicet incensarium argenteum, duo candelabra argentea, calicem argenteum intus et extra deauratum, pixidem eburneam, duos urceos et unum par vestimentorum, unam casulam de panno serico avibus intexto, parvum missale et unum coffrum ad custodienda supradicta. Volo autem quod omnes libri mei theologie et omnes libri juris canonici quos habeo depositos in cistis apud dictos scolares, et quos habeo penes me, incatenati penes eos remaneant in perpetuum, secundum formam supradictam. Et omnes libri medicine quos habeo depositos apud eos mixtos cum libris philosophie et aliis libris vendantur, et inde debita mea, si necesse fuerit, reddantur[3]...... Item [lego] Gregorio scriptori meo Ambianensi sexaginta solidos parisiens. Quicquid autem residuum fuerit, volo quod distribuatur in duas portiones, scilicet quod pauperes scolares Parisienses tam theologi quam artiste habeant medietatem distribuendam per manus executorum meorum, de qua medietate volo quod magister Hugo et magister Andreas de Feuchariis[4] habeant unusquisque decem libras parisiens.; reliqua vero medietas pauperibus parentibus meis quibus nichil legavi volo quod distribuantur per manus majoris et scabinorum Abbatisville.... Et ad predicta legata solvenda volo quod vendantur domus mee Parisius et omnes libri quos habeo de medicina apud scolares, sicut superius dictum est.... Ad omnia autem supradicta fideliter et diligenter adimplenda et solvenda istos deputavi executores, videlicet magistrum Robertum de Sorbonio, canonicum Parisiensem, magistrum Radulphum Lasach.,

magistrum Gregorium canonicum S. Quintini et magistrum Johannem nepotem meum. Item lego Roberto barbitonsori meo Ambianensi quadraginta solid. parisiens...... Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die lune post Inventionem beati Firmini martyris.

Bibl. Arsen. Paris., ms. 1228, fol. 518^{b} (saec. XVI), ex *vidimus* praepositi, decani totiusque capituli Cameracensis ecclesiae, qui testantur se « anno Domini MCCLXXII die mercurii post octavam Omnium Sanctorum (nov. 9) vidisse testamentum seu ultimam voluntatem *bone memorie* mag. Geraudi [de] Abbatisvilla, quondam Cameracensis ecclesie archidiaconi in Brabantia ». — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5493 (continens opus Hemeraei, *Sorbonae origines*), fol. 103. — Cf. Delisle, *Cabinet des manuscrits*, II, 149. Ignace de Jesus Maria, *Hist. eccles. de la ville d'Abbeville*, p. 518, transcripsit tantum initium documenti. — In *Necrologio Sorbon.* legitur ad vj id. Novemb. (8 Nov.) : « Obiit magister Geraudus de Abbatisvilla, qui nobis legavit quasi iij centum volumina librorum tam in theologia quam in philosophia et omnia ornamenta que pertinent ad capellam. Pro pictancia x sol. » Bibl. nat. Paris. 16574, fol. 44. Sic et in *Necrol. S. Genovefae* ad vj id. Novemb. ejus obitus assignatur. Bibl. S. Genovefae, ms. BB^{1}, 42^{2}, in-4°, fol. 154. Obiit ergo 8 Novemb. an. 1271 vel 1272, ut ex ms. Arsen. liquet. De ipso vide supra n^{is} 367, notae, 374 sqq. — Testamentum Guillelmi de S. Amore exstat in Bibl. Arsenal. Paris. ms. 1228, fol. 536, 541, non tamen ad Universitatem Paris. respicit.

1. Octob. 16. — 2. Hemeraeus : « litteratis secularibus ». — 3. Sequuntur legata facta diversis ecclesiis et personis. Notatu dignum Gerardum pecuniam fratribus S. Bernardi et S. Mathurini atque canonicis S. Genovefae et S. Victoris assignasse, non tamen fratribus mendicantibus. — 4. Utique Feuchères (Ardennes, vel Seine-et-Marne).

---

437. *Nomina librorum theologiae quos magister Stephanus, quondam archidiaconus Cantuariensis, legavit accommodandos pauperibus scholaribus Parisiis in theologia studentibus per manus cancellarii Parisiensis.*

1271, Octobris 28, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis officialis curie Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constitutus magister Johannes de Aurelianis, canonicus et cancellarius Parisiensis[1], recognoscit et confitetur se recepisse et habuisse a venerabili viro magistro Nicolao ecclesie Parisiensis archidiacono, quondam predicte ecclesie Parisiensis cancellario[2], libros inferius annotatos tradendos et recuperandos pauperibus scolaribus in theologia studentibus, secundum quod in quadam clausula testamenti bone memorie magistri Stephani, quondam archidiaconi Cantuariensis, presenti instrumento inserta continetur, que talis est :

Volo etiam et precipio quod libri mei theologie cancellario Parisiensi tradantur, qui eos pauperibus scolaribus in theologia studentibus Parisius et libris indigentibus ad studendum, acomodet intuitu pietatis; ita tamen, quod cancellarius qui pro tempore fuerit quolibet anno dictos libros recuperet, et recuperatos iterum retradat et comodet annuatim pauperibus scolaribus quibus viderit expedire. Nomina vero librorum sunt hec, videlicet : Biblia sine glosa completa. Item Genesis et Exodus glosati in uno volumine. Item libri Salomonis glosati in uno volumine. Item Exodus glosatus per se. Item Job glosatus per se. Item Ezechiel glosatus per se. Item Evangelia glosata in uno volumine, per se. Item Psalterium glosatum completum. Item quatuor libri Sententiarum. Item libri Numerorum. Item Josue, Judicum, Ruth, Deutronomii, glosati, in uno volumine. Item quatuor libri

Regum, Parlipomenon primus et secundus. Item Esdras, Machabeorum primus et secundus, Ammos[3], glosati in uno volumine. Item xij prophete, glosati in uno volumine. Item Psalterium glosatum et completum. Item epistole Pauli glosate. Item Psalterium glosatum et completum. Item ystorie scolastice. Item quatuor Evangelia glosata. Item epistole Pauli glosate, cum minori glosa. Item Psaltherium glosatum et completum. Item liber Machabeorum primus et secundus, usque ad decimum capitulum glosatus. Item evangelium Marchi. Evangelia glosata.

Nos vero supradictus officialis in supradictorum omnium fidem et testimonium presentibus litteris sigillum curie Parisiensis duximus apponendum, una cum sigillo cancellarii memorati, optantis et rogantis, ut successores sui cancellarii, qui pro tempore fuerint, ordinent et faciant de libris predictis, divine pietatis intuitu, secundum quod continetur in clausula supradicta. Dat. anno Domini millesimo CC° LXX° primo, die mercurii in festo apostolorum Symonis et Jude.

Item Biblia postillata in duobus voluminibus, quam contulit episcopus Stephanus. Item originale Sententiarum magistri Petri Lumbardi in quodam libro cooperto de corio vitulino, jam quasi depilito, cum clavis rotundis de cupro in asseribus.

Magnum Pastorale eccl. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 176, p. 737. — Guérard, *Cartul. de l'église de Notre-Dame de Paris*, II, 495. Delisle, *Cabinet des mss.*, III, 2.

1. Johannes de Aurelianis sive de Allodio (de quo supra n[is] 400, 416) eodem anno, id est 1271, 10 Nov., homagium fecit episcopo Stephano de cancellaria Parisiensi. Cf. Guérard, *Cart. de l'église de Notre-Dame de Paris*, I, 195. Successit magistro Nicolao, qui cancellariam cum archidiaconatu Parisiensi commutavit. Johannes fuit cancellarius usque ad an. 1280 (non 1281), quo anno, die 20 Aprilis, Ordinem Praed. intravit. Vide *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalt.*, II, 208, n° 32, n. 4. *Gallia Christ.*, VII, *Instrum.*, p. 118. — 2. Cf. supra n° 422, n. 1. — 3. « omnes » ?

---

438. *Philippus III, Francorum rex, Ivoni abbati et conventui Cluniac. concedit commutando quemdam vicum juxta duas domus eorum Parisiis ad hoc ut ipsas possint conjungere et perficere.*

1271, Decembris 23, apud Montem Argi.

Philippus Dei gratia Francorum rex universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod cum viri religiosi abbas et conventus Cluniac. nos requisierint ut quendam vicum nostrum situm Parisius juxta domum suam, quam jam diu est Parisius edificare ceperunt, prope domum fratrum Predicatorum Parisiens. ex una parte, et aliam domum ipsorum abbatis et conventus, que fuit quondam domus Dei Parisiens., ex altera, per legitimam recompensationem alterius vici eque boni vel etiam melioris nobis[1] in sua terra propria faciendam[2], eisdem abbati et conventui vellemus concedere intuitu pietatis, ut predictas domos suas possint jungere, perficere et consumare in dicto vico edificando sicut sibi expedire viderent, et ipsis nobis et successoribus nostris in recompensationem vici hujusmodi in predicta terra sua concesserint et deliberaverint unum vicum eque

bonum seu meliorem situm inter quandam domum fratrum Predicatorum Parisiensium ex una parte, et predictam domum que fuit ut predictum est domus Dei Parisiens., ex altera parte : nos ad requisitionem predictorum abbatis et conventus intuitu pietatis et pro redemptione ejusdem perpetuo concessimus et donavimus dictum vicum juxta domos suas ex utraque parte situm ut dictum est pro suis domibus jungendis et perficiendis sicut voluerint et viderint expedire. Volentes tamen indempnitati ac tranquillitati[3] fratrum Predicatorum, qui scolas suas, dormitorium et alias officinas suas habere noscuntur dicto vico vicinas, utiliter providere, in concessione hujusmodi vici (h)as conditiones duximus apponendas, videlicet quod non liceat dictis abbati et conventui Cluniac. versus fratres in superiori parte vici predicti coquinam vel cloactam facere seu construere vel aliquid quod turbet, inquietet aut dampnificet dictos fratres, aut etiam campanam erigere seu aliquid aliud attemptare in parte predicta, quod nocumentum seu dampnum inferat fratribus antedictis, aut studium, quietem seu officium eorum impediat aliquatenus aut perturbet. Predicti autem abbas et conventus nichil juris, possessionis seu proprietatis penitus retinent in dicto vico nobis ab eisdem ut dictum in recompensationem dato, immo nos et successores nostri in eodem vico habebimus in futurum omnimodam justiciam altam et bassam sicut in alio vico, quem sibi concessimus, prius habebamus, omnibus aliis litteris nostris antea super premissis conditionibus confectis aut quibuscunque traditis aut concessis decetero minime[4] valituris. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Montem Argi, die mercurii ante Natale Domini anno ejusdem M°CC° septuagesimo primo, mense Decembris.

Chartul. Cluniacense (saec. XIII) in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5458, n° 209, sub rubrica : « Carta Philippi regis. Domum nostram Parisien. ». Desideratur in *Chartulariis* mss. lat. 5459 et 17087. De ipsis vide Delisle, *Inventaire des ms. de la Bibl. nat.*, *Fonds de Cluni*, n[is] 138-140. — Haud dubie hic agitur de collegio Cluniacensium et quidem de parte ejusdem versus posteriora conventus fratrum Praedicatorum. « Jam diu est » unam domum Parisiis aedificare coeperunt. Cf. supra n[is] 370, 375.

1. Repetitur in ms. — 2. Ms. : « faciendem ». — 3. Ms. « transquillitati ». — 4. Ms. : « munimine ».

---

439. *Magister Nicolaus Lexoviensis scribit Guillelmo de S. Amore in exsilium ejecto ipsique suum librum contra mendicantes compositum transmittit.*

An. 1270-1271.

Si[1] instituta apostolica, ut nobis sunt a sanctis apostolis tradita et ab eorum successoribus doctrina et opere roborata, corde simplici servaremus, nulla inter catholicos dubietas, nulla varietas, nulla prophana novitas oriretur. Sed nobis sompno torporis dormientibus inimicus per suos testiculos in medio tritici non desinit zizania seminare, et cauda sua non solum tertiam partem sed innumerabiles, et fere omnes, quia filius hominis veniens fidem in terra non inveniet, secum in terram trahere et deicere in errorem. Jam enim videtur eam stringere quasi cedrum immo utinam non supra cedrum. Jam cornu modicum se erigit ut loquatur magnifica et in Christum proferat blasphemias. Quidam

enim, ut ex scripturis eorum vidistis, et nos audivimus auribus nostris, in tantam vesaniam prolapsi sunt, ut dicerent quod Dominus noster Jhesus Christus, Deus de Deo verus, a perfectis viris non sit in omnibus ejus operibus imitandus, immo, quod insanius est dicere, ut homo in sanctitate perficiatur, aliquorum ejus operum contrarium teneatur[1]. In quo errore homines se precipitant, ut super omnes alios se exaltent. Et cum Dominus Jhesus Christus placita semper fecerit Deo Patri, nec ulli etiam homini sapienti aut cuilibet artifici sui operis imperfectio placeat : isti mirabili cecitate capti probare nituntur et suis fantasmatibus astruere, quod aliquid egerit quod Deo patri debeat displicere. Hinc est quod patres in Christo dormientes in hiis operibus ipsum Dominum imitantes non verentur (utinam sola ignorantia non malitia) diffamare, ipsos accusando de imperfectione. Nec mirum, quia si patremfamilias Belzebuth vocaverunt, quanto magis ejus servos ? Sed ne videar magis quod absit contra personas, quas ut karissimos amplector brachiis caritatis, inherere, quam errorem arguere, de personis hactenus sileatur. Sed ut ait quidam sanctus : etsi nostras injurias pati debeamus, injurias Christi dissimulare nec possumus nec debemus, nec sanctorum precedencium patrum, quia blasphemia servi in injuriam redundat domini. Et si servi, quanto magis filii et amici ? Jam non dicam, inquit, servos, servus enim nescit quid faciat dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia nota feci vobis, quantum audivi a patre meo. Quis unquam pater fidelium crederet, jam nos ad ista tempora devenisse, ut vita Christi Domini sperneretur, institutio apostolica de imperfectione crearetur, sancti martires accusarentur, alii pontifices arguerentur, ecclesie fundamentum mutaretur, apex pontificalis vilesceret, contra dominicam sententiam discipuli supra magistros se erigerent, prelatos subditi lacerarent ? Vere si, ut domatizatur, Christus aliqua opera egit quorum contrarium imitandum sit perfectis, ejus vita est a perfectis quantum ad illa opera contempnenda, si, ut solum imperfectis exemplum fugiendi daret, fugiit[2]..... Sane si exemplum solum prebens imperfectis carnes comedit vinumque bibit, male apostolus perfectum discipulum Thimotheum, quem pre ceteris discipulis suis de caritatis sinceritate commendat, vinum bibere propter stomachum suadebat..... Amplius si Christus loculos habuit in exemplum ac formam imperfectionis, statutum apostolicum de imperfectione creatur, qui sanctis Christi perfectis militibus in regulis communia esse omnia statuerunt, ut nec inter eos egens aliquis inveniretur. Precedentes etiam pontifices arguuntur, qui possessiones in ecclesia receperunt, et hoc ubique debere fieri secundum dictamen apostolicum in ecclesia statuerunt. Nutat fundamentum ecclesie, si apostolis, martiribus, aliisque sanctis atque pontificibus non creditur de sanctitate; apex pontificalis vilescit, si propter predicta sanctitas pereat sacerdotum. Et si nomen vilescit pontificum, sicut ait Damasus papa, omnis status ecclesie perturbatur. Subditi etiam preferuntur prelatis, si propter bonorum ecclesie administrationem via deseratur perfectionis. Quia enim sanctam ecclesiam in temporalibus florere heretici vident, eam projectam non ab homine sed a Deo credentes nunc derident.... Hec breviter tetigi de hiis erroribus et

aliis quampluribus, ut percipere, pater sancte, potuistis, que in libro quem ad vos misi plenius continentur. Quos errores quidam nominate scientie in manifesto tueri nituntur[4], cum tamen coram omnibus, qui adesse voluerunt, quantum ad possessiones ecclesiasticas a magistro G. de Abbatisvilla in scolis publice contrarium plane et dilucide per omnes sanctorum scripturas fuerit determinatum[5], quem ut a pluribus creditur quidam in occulto propter hoc apud potentes et divites persecuntur. Quod autem super hac materia ex ejus determinatione collegi, et a dictis sanctorum doctorum colligere potui, vestre paternitati transmitto[6], ut qui eximia temporalium dona vobis ob paupertatem mittere non possum istud munusculum de paupertate ac mee scientie parvitate habeatis acceptum, pensantes quod Dominus potius acceptat mentem misericordem et in conferendo animi largitatem, quam dati quantitatem. Audacius etiam hoc facio, quia a terrenis occupationibus nunc vos impeditum non credo, et qui minoratur actu[7], recte de sapientia judicabit, distinguere sciens inter verum et falsum, et a sancto segregare prophanum. Rogo igitur toto caritatis affectu et obsecro in Domino Jhesu Christo, ut librum si que minus recte dicta sunt, corrigatis, nec mee malitie sed potius infirmitati et ignorancie deputetis. Si aliqua vero digna laude inveniantur ibidem, non mihi sed sanctis patribus immo potius ei, a quo est omnis veritas, tribuatur. Rogo insuper, pater, pro vobis et obsecro Dominum Jhesum Christum, quantum mea infirmitas sinit, ne in vestris tribulationibus deficiatis, quas patimini pro veritate, istud existimans, quia si particeps fuero tribulationis, ero et consolationis, et si compatior, conregnabo. Et si enim justus perit, est (etsi ad hoc juvare non potest) qui recogitat in corde suo; licet enim absens sim corpore, sed tamen in presenti sum caritate. Quod si in hoc mundo tantum speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Ibi igitur bonis operibus sanctis meditationibus a mundi exclusi cupiditate tendamus, ubi sine fine et corpore nobismetipsis presentes erimus, quia si talem diligimus hunc mundum, non jam gaudia diligimus sed flagella. Presenciam etiam nunc corporis videre, pater karissime, desidero. Sed tamen hac dignus adhuc non fui, nec etiam ut a vobis solatium haberem alicujus responsi. Hoc tamen non deputo superbie aut malitie vel indignationi, sed potius prudenti cautele, quia multe insidie sunt dolosi; propter quod etiam cavetis ab amico, ne occasionem prebeatis inimico. Sed tamen quando placuerit et expedire vestra sanctitas judicaverit, de vestro statu et qualiter quod mitto et misi alias acceptatis mihi quoquo modo aliquod solatium prebeatis. Orantem continue pro me vestram sanctitatem Dominus Jhesus Christus custodiat et conservet, atque ab omni tribulatione liberet, vere reverende atque honorabilis pater. Amen.

Bibl. Univers. Paris. ms. t. II, 40ª, fol. 322ᵇ-323.

1. In subsequenti epistola, quae est responsum ad has litteras, scriptor designatur per N., is vero ad quem directae erant, per G. Iste N. est magister Nicolaus thesaurarius Lexoviensis, qui eidem magistro G. opusculum, directum contra aliquas quaestiones ex scriptis Johannis Peckham (*Tractatus pauperis contra insipientem*; cf. supra ad n[um] 367) et S. Thomae (*Contra retrahentes a religionis ingressu,* opusc. 19) desumptas dedicavit. Cf. mss. in Bibl. nat. Paris. 15986,

fol. 234; Epinal., ms. 46, fol. 1; Bibl. Monac., ms. lat. 21059, fol. 148; Cod. Burghes. 192. In isto opusculo (Paris., fol. 251[b]) dicit, eum composuisse (contra S. Thomae opusc. 18: *De perfectione vitae spiritual.*, ex quo etiam 17 « errores » excerpsit) librum *De perfectione et excellentia status clericorum* (Bibl. Univers. Paris. ms. t. II. 40[a], fol. 215), qui hucusque perperam mag. Gerardo de Abbatisvilla ascriptus fuit (cf. *Hist. litt. de la France*, XXI, 492). Quisnam vero est mag. G.? Haud dubie Guillelmus de S. Amore, cujus tribulationum Nicolaus in hac epistola meminit, quem, utpote exsul a Parisiis, ubi vero Nicolaus morabatur, videre desiderat, et cum quo per magistrum Thomam communicat (vide epistolam sequentem). Guillelmus de S. Amore secundum epitaphium in Sancto Amore (dép. Jura) an. 1272 obiit. Cf. Severtius, *Chronol. hist. episcop. Matiscon.*, p. 165. Bibl. Arsen., ms. 1022, p. 13. *Mem. de la soc. d'émulation du Jura* (sect. philotechn.), Lons-le-Saunier, 1869, p. 325. S. Thomas suum opusculum supra citatum scripsit circa idem tempus, quando Parisiis de *Quol.* III et V disputabat, quod in Paschate an. 1270, et an. 1271 (Cod. Monac. lat. 14383 et cod. Erlangen. 328) evenit, ut ex Cod. Univers. Paris. cit., fol. 316, liquet. Epistola supra edita minime ergo prius scripta est. De tota ista quaestione in opere *Die Universitaeten des Mittelalters* plenius disseremus. — 2. Auctor libri *Manus quae contra Omnipotentem, etc.* (supra nº 367), non omnino verbis sequentibus usus est nec sensum hic expressum intendit. — 3. Sequitur brevis explanatio dictorum, sicut et postea ad alia duo puncta. — 4. Designare vult S. Thomam de Aquino, quem Nicolaus in suo opusculo supra memorato « magnum magistrum » nominat, Joannem Peckham, S. Bonaventuram, etc. — 5. Magister Gerardus de Abbatisvilla determinavit de hoc praesertim in suo *Quolibeto* V (Cod. Vat. 1015, fol. 23; Bibl. Paris. 16405, fol. 39[b]), qu. 5 et 6. *Quol.* XVI et XVIII (ibid.). De facultatibus et possessionibus ecclesiasticis fecit etiam sermonem *Postquam consummati sunt*, Paris., l. c., fol. 46[b]. — 6. Cf. nº 440, nota 2. — 7. Hic et in sequentibus alludit tribulationibus Guillelmi de S. Amore, qui tunc in fine suae vitae fuit.

---

440. *Guillelmus de S. Amore ex exsilio respondet Nicolao Lexoviensi.*

An. 1270-1271.

Karissimo in Christo fratri specialiter predilecto N., *etc.*, G[1]., *etc.*, salutem cum sincera in Domino caritate. Libellos vestros[2] letanter recepi, karissime, a Spiritu Sancto, ut arbitror, editos per os vestrum, quos tanto libencius ac frequenter intueor, quanto per eos convincor, quam sincera et ferventi caritate amplexamini sacrosanctam ecclesiasticam ierarchiam, legislatori in monte Synai[3] et beato apostolo in raptu ab ipso Domino exemplariter demonstratam, et per ejusdem apostoli spiritualem doctrinam a beatis Dyonisio et Ierotheo in scriptis redactam ac per sancta et veneranda sanctorum patrum consilia postmodum explanatam, quantaque ira per zelum secundum scientiam vestra caritas moveatur contra illos ypocritas detestandos, qui se ipsos magis quam Dominum predicantes, non ejus gloriam sed suam querentes, ac se in prefate ierarchie gradu infimo, si tamen in aliquo, existentes in supremum per superbiam erigentes, ac supremos contra divinam ordinationem in infimo collocantes, eandem sacram ierarchiam totis viribus nituntur subvertere et tam per se quam per seductos ab eis potentes seculi hujus quantum in eis est in immane periculum totius ecclesie reversare. Quoniam autem litteras meas dirigere ac verba mea per litteras destinata multiplicare non sine causa formido[4], idcirco ad presens nichil aliud vobis scribo nisi quod magistro Thome[5] exhibitori presencium fidem velitis omnimodam adhibere, in hiis que vobis ex parte mea vel verbo vel scripto duxerit intimanda. Valeatis in Domino. Hoc autem scitote quod plus quam velim exprimere desidero vos videre ac vestro colloquio congaudere.

Bibl. Univers. Paris. ms. t. II. 40[a], fol. 323.

1. Vide not. 1 ad epistolam superiorem. — 2. Utique aut opusc. supra nº 439, nota 1, laudatum, aut potius opus tripartitum *De perfect. et excel. stat. clericorum*. — 3. Nicolaus loquitur de « legali hierarchia » et de aliis in tertio libro 63.

operis tripartiti. — 4. Ex his concludere possumus, commercium litterarum inter Guillelmum de S. Amore et magistros Paris. fuisse adhuc prohibitum. Vide supra n[is] 339, 354, 356. — 5. Iste Thomas forsan est Thomas de Casello, qui an. 1259 fuit nuntius Universitatis ad curiam contra mendicantes pro Guillelmo de S. Amore (vide supra n[is] 343, 353), et certe idem atque ille Thomas, qui Clementi IV novum opus Guillelmi de S. Amore praesentavit (vide supra nº 412), ut jam Le Clerc in *Hist. litt. de la France*, XXI, 496, autumavit.

---

441. *Statutum facultatis artium contra artistas tractantes quaestiones theologicas, et ne quis quaestiones, quae fidem attingunt simulque philosophiam, contra fidem determinare audeat.*

1272, Aprilis 1, Parisiis.

Universis ac singulis presentibus et futuris sancte matris ecclesie filiis presentem paginam inspecturis, omnes et singuli magistri logicalis scientie seu etiam naturalis Parisius professores, qui statutum et ordinationem super separatione nacionum deliberatione provida factam[1] venerabilis patris domini Symonis divina permissione tituli Sancte Cecilie presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, tenent observantque firmiter pronuntiativeque sentencie septem judicum ab eodem legato datorum in eodem statuto totaliter adherentes, salutem in omnium Salutari. Noverint universi quod nos omnes magistri et singuli de bonorum consilio deliberationeque plurima et provida super hoc precedente, volentes toto posse presentibus et futuris precavere periculis, que occasione hujusmodi rei nostre facultati possent in futurum accidere, de communi consensu nullo ex nobis contradicente die veneris precedente diem dominicam qua cantatur *Letare Jerusalem*[2], convocatis propter hoc magistris omnibus et singulis in ecclesia sancte Genovefe Parisiensis, statuimus et ordinamus quod nullus magister vel bachellarius nostre facultatis aliquam questionem pure theologicam, utpote de Trinitate et Incarnatione sicque de consimilibus omnibus, determinare seu etiam disputare presumat, tanquam sibi determinatos limites transgrediens, cum sicut dicit philosophus non geometram cum geometra sit penitus inconveniens disputare. Quod si presumpserit, nisi infra tres dies postquam a nobis monitus vel requisitus fuerit suam presumptionem in scolis vel in disputationibus publicis, ubi prius dictam questionem disputaverit, revocare publice voluerit, ex tunc a nostra societate perpetuo sit privatus. Statuimus insuper et ordinamus quod si questionem aliquam, que fidem videatur attingere simulque philosophiam[3], alicubi disputaverit Parisius, si illam contra fidem determinaverit, ex tunc ab eadem nostra societate tanquam hereticus perpetuo sit privatus, nisi suum errorem suamque heresim infra tres dies post monitionem nostram in plena congregatione vel alibi, ubi nobis videbitur expedire, revocare curaverit humiliter et devote. Superaddentes iterum quod si magister vel bachellarius aliquis nostre facultatis passus aliquos difficiles vel aliquas questiones legat vel disputet, que fidem videantur dissolvere, aliquatenus videatur[4]; rationes autem seu textum, si que contra fidem, dissolvat vel etiam falsas simpliciter et erroneas totaliter esse concedat, et[5] aliter hujusmodi difficultates vel in textu vel in auctoritatibus disputare vel legere non presumat, sed hec totaliter tanquam

erronea pretermittat. Quod si quis in hoc rebellis fuerit, pena secundum facultatis nostre arbitrium sue culpe competenti ac debita puniatur. Ut autem hec omnia inviolabiliter valeant observari, fide corporali prestita in manu rectoris nostre facultatis nos omnes et singuli magistri juravimus et nos omnes ad hoc spontanee concessimus astringendos. In cujus rei memoriam hoc idem statutum in Registro nostre facultatis sub eisdem verbis scribi fecimus ac etiam ordinari. Jurabit autem rector quilibet in facultate decetero creandus quod omnes bachellarios in nostra facultate incepturos ad hoc idem observandum astringi faciat corporalis fidei in manu sua prestito juramento. Datum Parisius anno Domini M° CC° septuagesimo primo, prima die Aprilis.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 60b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 62b, sub rubrica : « Ordinatio artistarum de questionibus disputandis ». — Bulaeus, III, 398.

1. Supra n° 409. Vide ad sequentia p. 454. — 2. I. e. Aprilis 1, cum dominica dicta 3 Aprilis fuisset. — 3. Ut v. g. quaestiones, de quibus supra n° 432 errores afferuntur. — 4. Ad hoc, ut legendo cautela adhiberi possit. — 5. Mss. : « aut ».

---

442. *Consilium magistrorum Parisiis regentium in decretis de magistro Guidone de Gastina ad collegium ipsorum non admittendo, nisi statuta observare juraverit.*

1272, Maii 17, Parisiis.

Anno ab incarnatione Domini millesimo CC° LXX° secundo, die martis post dominicam qua cantatur *Jubilate,* congregatis omnibus magistris Parisius regentibus in decretis et specialiter super hoc evocatis; considentibus universis in capella beate Marie seu cancello apud Sanctum Julianum Parisiens. videlicet magistris Gerardo de Cutri, decano, Hugone de Bappalmis[1], Alberto Teutonico, Symone archidiacono Pissiacensi, Johanne de Gandavo, Johanne de Curciaco, Symone de Valleum[2], Bernardo de Caturco, Johanne de Blanesco[3], Alexandro de Remis, Laurentio de Potetaria et Johanne de Totivilla[4], nondum actu regente, post multos tractatus super principio in decretis magistri Guidonis de Gastina[5], canonici Parisiensis, presentibus decano Abricensi et magistro Johanne de Chanleyo[6], canonico Remensi, qui jam actum regendi in decretis diviserant inter eos, habito et communicato per eosdem regentes cum eisdem consilio, in hoc resedit finale consilium eorundem, quod dictum Guidonem de Gastina ad collegium suum, tanquam unum ex se non admitterent sine juramento suorum statutorum, prout moris est incepturorum in decretis; nec facerent ei in principio comitivam, nec in hoc impenderent sibi consilium aut favorem, nisi idem Guido circa hoc privilegio vel consuetudine ostenderet se exemptum. Super quibus dicti regentes singulariter et communiter requisiti per suum decanum Gerardum de Cutri predictum ad sancta Dei evangelia juraverunt, quod honorem collegii et utilitatem defenderent ac prosequerentur, et maxime in casu ejusdem principii, et quod nullum reciperent in collegium decretorum, nisi primitus juratum super

premissis fideliter observandis. In cujus rei testimonium in libro magistrorum inter alia eorum statutorum premissa jusserunt conscribenda. Datum ut prius.

Chartul. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 175. — *Preuves justificatives des droits des docteurs régents et de l'état des docteurs agrégés à la faculté des droits de Paris.*, Paris, 1766, p. 13. Ms. et editio quandoque *t* pro *c* ponunt. Jourdain, nº 229.

1. Bapaume? — 2. Iste magister minime est idem ac fr. Simon de Valle, ex Ord. Praed., ut Jourdain putat, cum fratres Praedicatores non ad facultatem Decretorum pertinere potuerint. Sic nec Albertus Theutonicus antea laudatus confundi debet cum Alberto Magno ex Ord. Praed. Hic illicque eadem ratio valet. — 3. Forte idem ac Johannes de Blanosco, Burgundus, jura civilia Bononiae, saltem an. 1256, professus. Vide Savigny, *Geschichte des Röm. Rechts*, V, 496 sqq. — 4. Utique Totainville (Vosges). — 5. Gastine. Iste Guido saepe nominatur in *Cartul. de l'église de Notre-Dame de Paris*, IV, 264. — 6. Non videtur esse idem ac supra nº 416, n. 9, laudatus.

---

443. *Carolus I, rex Siciliae, doctores et scholares Parisienses invitat ut Neapolim, ubi studium generale instauravit, docendi et audiendi causa veniant.*

1272, Julii 31, apud Montemfortem.

Universis[1] doctoribus et scolaribus Parisiensibus. Dispensatoris providi debitum, qui pacis et belli tempora congrua provisione dispensat, implere quantum nobis ex alto permittitur cupientes post nostros sudores bellicos et labores, quibus dextera salubrem jam finem imposuit, studia nostra convertimus ad pacis commoda in regno nostro Sicilie instauranda. Inter que id providimus subditis nostris potissimum quod in regno nostro refloreat et vigeat jugiter studium litterarum, per quod erudiantur indocti, docti tam aliis quam sibi proficiant, pullulentque viri virtutum varietate prediti ac donis scientie ad regendum in justitia populos profulgentes. Institutum siquidem ab antiquo in Neapolitana civitate hujusmodi studium supplementis instaurare debitis, adaugere oportunis presidiis et congruis fovere favoribus decernentes, ad civitatem ipsam, que aeris puritate salubris, loci amenitate conspicua, ubertate rerum omnium opulenta, et marinis[2] commoditatibus oportuna inter cetera loca Italie juxta sapientium antiquorum sententiam extollitur et laudatur, et in qua non sine causa pensatis tantorum bonorum dotibus institutio studii fieri meruit, viros in omnibus scientiis eruditos duximus jam pro hujusmodi studio evocandos, ut in eo velud fonte irriguo pusilli et magni, minores, periti et provecti tam in trivio et quadruvio, jure canonico et civili, quam theologia studere volentes, inveniant unde juxta suam possibilitatem et modum refici valeat unusquisque. Ad hoc igitur studium velud grande convivium multis in eo recombentibus viris honorabilibus exornatum, omniumque reficientium ciborum diversitate refertum vos universos et singulos, quos bonorum nostrorum participes fieri cupimus, invitamus[3], doctores omnes atque scolares ad ipsum venientes studium nedum privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis accedentibus ad studium generale gaudere volentes, verum etiam promittentes tenore presentium in ipsos affluenter effundere alias multimodas gratias et beneficia, que

consueverunt et debent a munificentia regia emanare. Datum apud Montemfortem per eundem, ultimo Julii, xv indictionis.

Del Giudice, *Cod. diplom. del regno di Carlo I e II*, p. 255, nota, ex Regesto 1272, fol. 98, nº 17, in Arch. di stato, Neapoli. Ex eodem Reg. Minieri Riccio, *Il regno di Carlo I d'Angiò negli anni* 1271 *et* 1272, p. 74. Nunc tamen in isto Regesto folium praedictum desideratur. — Carolus eodem modo et sub eadem temporis nota Aurelianensibus etiam doctoribus et scholaribus scripsit. Del Giudice adjungit : « E con altro diploma, che leggesi nello stesso registro alla pagina precedente, il re avendo chiamato di Francia presso di se alcuni maestri dello studio di Parigi ed Orléans, ordina che loro si pagassero le spese di viaggio. I maestri ivi nominati sono Odone di Bles dottore in legge, Roberto di Courton, e Giovanni di Centenovilla ».

1. Praemittitur « Scriptum est ». — 2. Riccio : « maximis ». — 3. Riccio : « intermittimus ».

---

444. *Ordinatio facta a magistris facultatis medicinae, quod omnis baccalareus in praedicta facultate incepturus omnibus in medicina magistris in suo principio exsistentibus pileos administrabit.*

An. 1272, [Parisiis].

Anno Domini Mº CCº LXXº II magistri facultatis medicine Franco de Luveyn, Guillermus de Blans, J. de Roseto, tunc vices decani gerens, Hugo de Parma[1], Francus Lombardus, J. de Sancto Dyonisio, pro bono et utilitate et honestate facultatis ordinaverunt in hunc modum qui sequitur, scilicet quod omnis bachellarius in facultate predicta incepturus magistris in medicina omnibus existentibus in suo principio pilleos administrabit. Item ordinaverunt quod pilleos suos in missa, principiis, disputationibus, comestionibus portare tenerentur et alibi, ubi eis pro honestate facultatis videbitur expedire. Item decanus pro tempore legat eis capitulum de hoc actu quod tenentur jurare, alias non admittantur ad incipiendum in facultate medicine.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 58. Mus. Britann., Addit. mss., nº 17304, fol. 69, in utroque sub rubrica : « De ordinatione magistrorum sive statutis ». Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 402.

1. Vat. Reg. : « Paxina ».

---

445. *Declaratio facultatis Decretorum de sensu privilegii summi pontificis quoad suspensionem lectionum.*

1272, [Parisiis].

Anno Domini MºCCºLXXºII. Cum universitas magistrorum et scolarium ab actibus scolasticis a Quadragesima usque ad festum Johannis Baptiste Parisius contra episcopum Paris. et suos officiarios et satellites pro quibusdam facinoribus cessavissent et actus scolasticos penitus suspendissent secundum tenorem privilegii papalis, quo dicitur « nisi monicione prehabita cesset injuria, statim a lectionibus cessare[1] », *etc.*, hujusmodi verbum dicta facultas decretorum scilicet de injuria cessanda intellexit cum effectu, videlicet lectiones non resumens, nisi primitus emenda dicte Universitati saltem pro parte

exhibita. Alie autem facultates ad promissionem dicte emende etsi nullo modo prestite organa sua resumpserunt.

Chartul. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 157.

1. Vide supra privilegium Gregorii IX, nº 79, p. 138.

---

446. *Conventio inter magistrum Johannem cancellarium Parisiensem et facultatem Decretorum de usu sigilli ejusdem facultatis.*

1271-1272, [Parisiis].

Anno ab incarnatione Domini millesimo CCºLXXº primo. Cum decretorum facultas sicut expediebat variis urgentibus negociis sigillo facultatis proprio communiter uteretur maxime pro magistris et scolaribus ejusdem facultatis, sicut naciones magistrorum arcium propriis sigillis uti consueverunt[1] nemine super hoc contradicente, magister Johannes dictus de Allodio, cancellarius Parisiensis[2], usui ejusdem sigilli per se et per alios multipliciter se opponens, bachalarios dicte facultatis et recipere et licenciare hujusmodi sigilli pretextu contra formam et tenorem privilegiorum etiam a se juratorum penitus recusavit, quanquam pluries requisitus. Hujus recusationis causa in capitulo Parisiensi tempore capituli presentibus decano et capitulo Parisiens. inter dictos magistros et eundem cancellarium multis altercationibus habitis, adhibitis nichilominus dictis bachalariis, iidem magistri ad instanciam ejusdem capituli et maxime magistri Johannis dicti de Parisius, archidiaconi in ecclesia Suessionensi[3], Parisiensis canonici, de voluntate et consensu expresso ejusdem cancellarii thesaurario Suessionensi eorum sigillum hinc ad annum vel circiter custodiendum commiserunt sub forma que sequitur, videlicet quod nisi papa infra dictum annum aliter super eodem sigillo ordinaret, eisdem magistris dictum sigillum redderetur, et eodem pro beneplacito uterentur voluntatis, ut in instrumentis publicis plenius hec habentur, que archa communi reponuntur. Quibus etiam ita peractis idem cancellarius dictos bachalarios recepit ad presentacionem magistrorum, et eos prout moris est expedivit.

Infra quem annum, quia papa nichil super eodem ordinavit sigillo, mortuo dicto thesaurario[4], ejus frater, archidiaconus in Bria Suession., executor post multas altercationes cum laboribus et expensis dicti Collegii idem sigillum prout fuerat conventum facultati restituit memorate et in presentiarum archa reconditur supradicta ad utendum prout visum fuerit facultati decretorum. Statuerunt etiam quod decetero dictum sigillum nullatenus deponatur nisi ex precepto pape[5].

Chartul. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 156. Cf. Bulaeum, III, 410, qui chartam cognovit, sed non transcripsit.

1. De facultate medicorum cf. infra nº 451. — 2. Vide supra nº 437, n. 1. Cum ipse factus sit cancellarius post medium annum 1271, haec charta non an. 1271 scripta esse potest; supponere insuper debemus cancellarium ab initio se opposuisse usui sigilli. — 3. Qui etiam dicebatur Barberius. Obiit Aug. 6, auctore vero Guérard, *Cartul. de Notre-Dame*, IV, 126, « circa 1270 ». Certe an. 1274 jam erat defunctus, ut ex documento ibid. p. 128 nº 216 edito apparet. — 4. Ms. : « cancellario ». — 5. Vide simile statutum medicorum infra l. c. ad an. 1274.

447. *Universitas artistarum Parisiens. Capitulo generali fratrum Praedicatorum de obitu Thomae de Aquino scribit corpusque et aliquos libros philosophicos ejusdem petit.*

1274, Maii 2, Parisiis.

Venerabilibus in Christo patribus, magistro et provincialibus Ordinis fratrum Predicatorum ac universis fratribus congregatis in Capitulo generali Lugduni rector Universitatis Parisiensis et procuratores ceterique magistri Parisius actu regentes in artibus salutem in eo qui salubriter universa disponit et sapienter toti providet universo. Singultuoso clamore totius ecclesie universale dispendium necnon et Parisiensis studii manifestam desolationem lacrimabiliter deplangimus, et his diebus preelegimus in communi non immerito deplorare. Heu, quis det nobis, ut representare possimus Jeremie lamentum, quod supra solitum modum in mentes deinceps singulorum inauditam ectasim causans et inextimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum interiora transfodit, et quasi letaliter cordium intima penetravit? Fatemur, quod vix valemus exprimere; amor enim retrahit, sed dolor et vehemens angustia dicere nos compellit, ex communi relatu et certo rumore multorum nos scire, doctorem venerabilem fratrem Thomam de Aquino ab hoc seculo fuisse vocatum[1]. Quis posset estimare divinam providentiam permisisse, stellam matutinam preeminentem in mundo, jubar in lucem seculi, immo, ut verius dicamus, luminare majus, quod preerat diei, suos radios retraxisse? Plane non irrationabiliter judicamus solem suum revocasse fulgorem et passum fuisse tenebrosam ac inoppinatam eclipsim, dum toti ecclesie tanti splendoris radius est subtractus. Et licet non ignoremus conditorem nature ipsum toti mundo ad tempus speciali privilegio concessisse, nichilominus si antiquorum philosophorum auctoritatibus vellemus inniti, eum videbatur simpliciter posuisse natura ad elucidandum ipsius occulta. Et cur frustra nunc verbis talibus immoremur? Eum, quem a vestro collegio generali Capitulo vestro Florentie[2] celebrato, licet requisissemus instanter, proh dolor, non potuimus obtinere tamen ad tanti clerici, tanti patris, tanti doctoris memoriam, non existentes ingrati, devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus rehabere, ipsius jam defuncti a vobis ossa humiliter pro maximo munere postulamus, quoniam omnino est indecens et indignum, ut altera [natio] aut alius locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, que ipsum prius educavit, nutrivit et fovit, et postmodum ab eodem nutrimenta[3] et ineffabilia fomenta suscepit, ossa hec humata[4] et sepulta habeat et detineat. Si enim merito ecclesia ossa et reliquias sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur honestum et sanctum, tanti doctoris corpus in perpetuum honorem haberi, ut cujus famam apud nos scripta perpetuant, ejusdem perseverans memoria sepulture ipsorum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine. Ceterum sperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus ut cum quedam scripta ad phylosophiam spectantia, Parisius inchoata ab eo, que in suo recessu[5] reliquerit imperfecta, et ipsum cre-

damus, ubi translatus fuerat, complevisse, nobis benivolentia vestra cito communicari procuret, et specialiter super librum *Simplicii*[6], super librum *de celo et mundo*[7]; et *expositionem Tymei*[6] Platonis, ac librum *de aquarum conductibus*[6] et *ingeniis erigendis*[6]; de quibus nobis mittendis speciali promissione fecerat mentionem. Si qua similiter[8] ad loycam pertinentia composuit, sicut quando recessit a nobis humiliter petivimus ab eodem, ea vestra benignitas nostro communicare collegio dignetur. Et sicut melius vestra discretio novit, in hoc nequam seculo periculis multis sumus expositi, fraternaliter precibus devotis exposcimus, ut in hoc vestro capitulo speciali affectu nos orationum vestrarum suffragio supportetis. Hanc autem litteram sigillis rectoris et procuratorum voluimus sigillari. Datum Parisius anno Domini MCC°LXX°IV[9], die mercurii ante Inventionem sancte Crucis.

Ms. Rom. Capp. general. Ord. Praed. (saec. XIII), fol. 60. — Bibl. nat. Paris., mss. lat. 14707 (Ludovicus Valleotanus), fol. 188 b; 11414 (saec. XV), fol. 25. Ibi invenitur rubrica : « Littera, quam misit Universitas Parisiensis Capitulo generali fratrum Predicatorum de obitu beati Thome de Aquino, ubi petit corpus suum et aliquos libros ejusdem doctoris ». Bulaeus, III, 408.

1. Obiit an. 1274, Martii 7, in conventu Cisterc. Fossa Nova, pergens ad Concilium Lugdunense. — 2. Anno 1272 celebrato. Vide insuper infra n. 5. — 3. Valleot. : « doctrine documenta et inestimabilia fomenta ». — 4. Valleot. : « inhumata ». — 5. Bis Thomas a Parisiis recessit et in Italiam reversus est. Primo an. 1260-1261. An. 1265 capitulum provinciale provinciae Romanae Anagniae celebratum ipsi injunxit, « quod teneat studium Rome », adduntque definitores : « et volumus quod fratribus qui stant secum ad studendum provideatur in necessariis vestimentis a conventibus, de quorum predicatione traxerunt originem ; si autem illi studentes inventi fuerint negligentes in studio, damus potestatem fratri Thome quod ad conventus suos possit eos remittere ». Ms. Rom. Capp. general., fol. 139. An. 1269 iterum Parisios venit, et secundo duobus annis peractis Italiam petiit. Anno 1272 capitulum provinciale Romanae provinciae Florentiae celebratum statuit : « Studium generale theologie quantum ad locum et personas et numerum studentium committimus plenarie fratri Thome de Aquino ». Ms. Rom., fol. 142 b. Thomam Neapolim ut locum studii elegisse liquet ex Del Giudice, *Codice diplom. del regno di Carlo I*, I, 257. — 6. Ad nos non pervenit, et forte sicut et alii tres infra nominatos non scripsit. — 7. S. Thomas non complevit commentarium, neque longius quam ad lect. 8 libri III perduxit. — 8. Ms. Rom. : « simpliciter ». — 9. Paris. 11414 : « MCCLXIIII ».

---

448. *Primaeva statuta domus Sorbonae.*

Ante an. 1274, Augusti 15.

Volo quod consuetudo que ab inicio in hac domo de bonorum consilio instituta fuit omnino servetur, et si quis usque nunc transgressus fuerit, decetero transgredi non presumat.

Nullus igitur comedat carnes intus in Adventu Domini, nec eciam in die lune nec in die martis carnisprivii, nec a die Ascensionis usque ad Penthecosten.

Item volo quod propter commestiones factas in cameris communitas non gravetur. Quod si non possit fieri equalitas, melius est quod gravetur socius comedens in camera, quam tota communitas.

Item nullus comedat in camera nisi ex causa. Si hospes alicui supervenerit, comedat in aula. Si autem illi socio non videatur expediens illum hospitem in aulam adducere, comedat in camera, et suam pro se non pro hospite integraliter habeat porcionem. Si autem plus voluerit vel pro se vel pro hospite, istud solvere teneatur. Si vero hospes ille fuerit persona valens vel talis, per quem possit domus juvari vel socius promoveri

secundum judicium socii qui adducit, tunc possit socius predictus secum vocare unum socium vel duos, ut hospiti faciant solacium et honorem, qui similiter habeant de communi sibi debitas porciones, semper tamen sine dampno communitatis.

Item nullus morans in villa comedat intus nisi in aula, et si in camera ex causa comederit, coram latore rotuli fideliter se excuset.

Item si fuerint tres minuti[1] vel pauciores, possunt habere unum socium non minutum. Si fuerint plures quam tres et minus quam octo, duos possunt habere non minutos. Si autem octo vel amplius sint minuti, tres tunc habeant non minutos, qui non minuti suas habeant porciones. Si autem plures fuerint non minuti, quam secundum quod dictum est, nichil habeant de communi.

Item minuti si velint possint in camera comedere per tres dies, nam secundum quod dicitur Gen. XXXIII : « die tertio gravior est vulneris dolor ».

Item sociis comedentibus in cameris colligantur fragmenta ne pereant, et reddantur dispensatori, qui reponet in communi beneficio pauperum clericorum.

Item moneantur socii a latore rotuli, ut comedentes in cameris pacifice se habeant et caveant a clamore nimio, ne transeuntes per curiam vel per viam scandalizentur, et ne socii in cameris vicinis studentes a suis studiis impediantur.

Item comedentes in cameris provideant sibi de rebus sibi necessariis tempestive secundum quod poterunt, ut servicium communitatis minime perturbetur. Si vero hujus statuti aliqui fuerint abusores, qui assuescant comedere in cameris sine causa, moneantur a latore rotuli ut desistant; quod si facere noluerint denuncietur magistro. Si autem alie cause evenerint, propter quas possit aliquis in camera comedere, in arbitrio latoris rotuli et procuratorum relinquatur, donec aliter fuerit ordinatum.

Item infirmis non est lex posita. Si vero contigerit aliquem propter infirmitatem in camera comedere, possit habere unum socium secum si voluerit, qui ei faciat solacium et juvamen, qui eciam habeat sibi debitam porcionem. Que autem sit porcio unius socii, in dispensatoris arbitrio relinquatur. Si vero socius venerit tarde in parvo prandio, si venerit de scolis vel de sermone vel de negociis communitatis, habeat integraliter porcionem suam; si vero de negociis propriis, habeat panem.

Item si aliquis socius comederit in bursa v diebus vel paucioribus, erit hospes; si vero comedat in villa, non minus solvat quam si comedisset in domo.

Item quantumcunque aliquis socius comedat in villa, dicat hoc vel non dicat familie, solvat totam bursam videlicet et excessus, et hoc ut socii arceantur a frequenti comestione in villa.

Item omnes habeant supertunicalia clausa, nec habeant forraturas de vario vel grisio vel de cendato rubeo sive viridi in supertunicali vel capucio.

Item nullus habeat sotulares vel vestes notabiles, per quod possit aliquo modo scandalum generari.

Item nullus recipiatur in domo nisi voluerit ista deponere si fuerint, et predicta servare.

Item nullus recipiatur in domo, nisi fidem prestet, quod si contigerit ipsum libros de communi recipere, quod sicut suos ita illos fideliter observabit, et nullo modo distrahet nec accommodabit extra domum, et per integrum reddet eos quandocumque exigentur ab eo et quando contigerit eum villam exire.

Item quilibet socius habeat signum proprium in pannis suis et unicum tantum et ab aliis diversum. Et omnia signa sint scripta in una cedula, et super quodlibet signum nomen illius cujus est. Et illa cedula tradatur famulo, ut sciat cognoscere signum cujuslibet. Et famulus non recipiat pannos ab aliquo socio, nisi videat signum. Et tunc famulus poterit reddere cuilibet socio pannos suos.

Item non ponat aliquis extraneus in bursa sine licentia magistri, nec comedat aut jaceat in domo tanquam hospes ultra iij vel iiij dies sine ejus licentia.

Item ordinatum est quod illi qui steterunt in domo cum expensis domus, quatinus provideant sibi ut infra breve tempus se preparent et disponent ad proficiendum in sermonibus publicis per parrochias, in disputationibus et lectionibus in scolis; alias beneficiis domus totaliter privabuntur. Et licet possent hoc facere ex virtute privilegii : tamen karitative premoneo. De illis vero, qui noviter sunt recepti, vel qui recipiendi sunt, taliter est ordinatum, quod nisi profecerint in sermonibus, disputationibus et lectionibus, ut dictum est, infra septimum annum a tempore receptionis sue similiter privabuntur. Et si forte contigerit, quod aliquis timore amissionis bursarum vellet se ingerere ad legendum aliquem librum incautus, improvisus, insufficiens vel indignus, quod non permitteretur eidem propter scandalum aliorum, nisi judicio et testimonio magis provectorum in domo reputaretur esse sufficiens vel ydoneus ad legendum.

Item volo, precipio et statuo quod diebus jejunalibus a festo Omnium Sanctorum usque ad carniprivium non comedatur in domo ista de bursa nisi in vesperis et post omnes lectiones diurnas.

Item pro pace et utilitate explicamus quod nullus secularis morans in villa, scriptor, corrector vel quicunque alius sine magna causa comedat, jaceat in camera, nec remaneat sociis comedentibus, nec in pratellis vel aula vel aliis locis domus frequenter conversetur, ne secreto domus et conversacio sociorum omnibus patefiant.

Item nullus extraneus ad compotum vel congregationes speciales sociorum accedat, et ille cujus fuerit hospes, hoc attendat.

Item nullus socius frequenter adducat extraneos ad potandum de communi, et si fecerit, solvat secundum existimacionem dispensatoris.

Item nullus socius habeat clavem de coquina.

Item nullus socius jacere in villa extra domum presumat, et si ex causa fecerit, coram latore rotuli de hoc fideliter se excuset.

Item nullus socius coram extraneis in aula proponat aliqua ad societatem pertinencia, excepto verbo Dei, quod nullus impedire presumat, sed omnes cum silentio audiant illum qui proponit.

Item nulle mulieres cujuscunque condicionis comedant in cameris. Si oppositum quis fecerit, solvat penam taxatam, scilicet vj denarios.

Item nullus socius mittat aliquod vas de domo extra, nisi ex consensu illius cujus interest illa custodire.

Item si quis dixerit verba obprobriosa vel turpia alicui socio, dum tamen duobus sociis de domo hoc constiterit, solvat unam bursam, que debet esse societatis.

Item si quis sociorum aliquem de famulis intruserit, projecerit vel seviter verberabit, solvat unum sextarium vini sociis, et hoc vinum debet esse de meliori ad extra.

Item nullus presumat accipere scutellam vel ferculum sive in parvo sive in magno prandio, nisi secundum quod sibi a preposito et suis coadjutoribus vel famulis ministrabitur; qui vero aliter fecerit, tenebitur ad duas quartas vini. Et ideo quilibet prepositus sit diligens bene ministrare sociis.

Item in deliberacionibus sociorum quilibet pacifice taceat, donec fuerit a priore requisitus, et cum suam voluntatem dixerit, alios pacifice audiat.

Item nullus assuetus sit nimis alte in mensa loqui. Qui vero post monitionem super hoc sibi a priore factam nimis alte loquendo excesserit, dum tamen hoc relacione quorumdam sociorum postea priori constiterit, tenebitur ad penam consuetam in domo, scilicet ad duas quartas vini.

Pena enim transgressorum statutorum, que non cadunt sub juramento, est duorum denariorum, si non sint ab aliquo deprehensi; si autem fuerint deprehensi, pena est sex denariorum in illis, in quibus tenentur ad pecuniam. Non deprehensum intelligo, si antequam ad noticiam prioris pervenerit, ipsemet se priori accuset vel clerico dixerit, quod super eum scribat duos denarios pro tali emenda, non enim sufficit dicere sociis « ego me accuso ». *Non transivit nec servatur hoc.*

In omnibus istis et aliis bonis consuetudinibus domus lator rotuli sit sollicitus; quod si remissus fuerit, ad penam in domo taxatam quam incurrunt transgressores teneatur[2].

Statuta de officio subprocuratorum eis cum papiro tradenda. Et primo de procuratoribus minoribus eligendis et de his que pertinent ad officia eorum exercenda.

Pro[3] pace et utilitate communitatis de procuratoribus minoribus eligendis et de eis que pertinent ad officia eorum exercenda taliter ordinamus. Primo quod quilibet socius in receptione officii procurationis teneatur jurare secundum formam juramenti quod socii in sua receptione prestant communiter, scilicet quod bene et fideliter et diligenter officium exercebit.

De procuratorum parvorum electione et de eligendorum nominatione, tempore et responsione.

Item quod antequam exeant a procuratione debent eligere et nominare procuratores sibi succedentes ante terminos hactenus observatos per quindenam. Termini sunt hii: festum beati Bartholomei, Natale Domini et Pascha[4]. Nominati teneantur respondere societati eadem die, si in prandio fuerint nominati; si in sero, die crastina in prandio sub pena xij denariorum quantum ad responsionem, si aliqualiter sibi innotuerit sua electio que eis debet per electores intimari. Si autem acceptaverunt illa vice, extunc si velint compotum recipiant et predecessores reddere compotum sint parati. Sed si volunt possint expectare usque ad terminum, nisi illi vel alter illorum velit a domo recedere vel intendat.

De procuratorum absentia et recessu.

De quibus recedentibus taliter ordinamus quod si aliquis de electis velit a domo recedere infra quindenam prenominatam, si officium acceptaverit, compotum recipiat ante ejus recessum et suus coelectus secum recipere compotum teneatur et ea que pertinent ad officium exercere. Nec postquam officium acceptaverint possint, illud refutare nisi propter simplicem recessum a domo sine spe infra procurationis terminum redeundi, vel propter gravem infirmitatem, vel lecturam, quin illud per se vel per ydoneum compleat diligenter, quia si recessum simplicem allegaret, propter quem officium dimitteret et infra terminum procurationis rediret, eamdem penam quam si officium non acceptasset solvere teneretur. Si autem electi et nominati officium refutaverint, solvant penam pretaxatam, scilicet x solidos infra diem crastinam nominacionis sue inclusive; quod si non solverint pro qualibet die qua defecerint quilibet ad vj denarios teneatur et procuratores electores successive alios eligant quousque procuratores novi habeantur, ne utilitas societatis retardetur.

De eligendorum ordine.

Talis autem ordinatio observetur in illis qui alias officium exercuerint, quod illi primo eligantur qui magis a tempore quo exercuerint officium fuerint elongati, nisi per societatem vel majorem partem societatis non esse ydonei fuerint reputati. Si autem de illis antiquioribus duo alias officium simul exercuerint vel penam solverint, in voluntate eligencium est eligere hunc vel illum. Illi autem qui alias procuratores non fuerunt si minora officia exercuerint, videlicet lecturam in aula, prepposituram, et officium in capella, possunt indifferenter eligi secundum eligencium discretionem atque voluntatem.

De famulorum a parvis procuratoribus correctione.

Ad ista autem tenentur generaliter minores procuratores omnes, scilicet famulos corrigere necnon et de ipsis ordinare per hunc modum quod ipsi omni tempore cum personis hic nominatis, scilicet lectore, preposito, clerico capelle et sacerdote ebdomadariis sine alia deliberatione sociorum aliorum possint vel major pars predictarum perso-

narum pro utilitate sociorum secundum eorum conscientiam cum salario vel sine salario expellere, et procuratores tenebuntur de aliis ydoneis providere.

De receptis a parvis procuratoribus nonnisi sub certo numero integro et perfecto recipiendis.

Item procuratores minores generaliter omnes tenentur in principio procurationis sue vasorum et supellectilium numerum integrum procuratoribus precedentibus et famulis recipere et in scriptis redigere et sub scripto et numero certo suis succedentibus tradere; quod si aliqua sint fracta vel amissa, prius debent ea reparare ut numerus vasorum certus et integrus semper possit remanere.

De vasis reintegrandis, mundandis ac clarificandis finaliter antequam recipiuntur.

Insuper omnia vasa que ad mensam afferuntur, clara, munda et integra in fine procurationis sue reddant.

De capella et aula, pratellis et secretis a portario mundandis.

Item de capella, aula, curia mundandis et pratellis falcandis temporibus debitis, et de circa hoc adjacentibus universis.

Item de mappis, manutergiis ita sufficienter provideant quod mappe saltem bis in septimana et ter manutergia possint lota haberi et honesta.

De necessariis societati procurandis a parvis procuratoribus proponendis.

Item teneantur semel in mense proponere que sociis expedient providenda, et habita deliberacione a majori et meliori parte sociorum qui in congregacione remanserint, secundum eorum deliberacionem debent procedere, et si nullam deliberacionem potuerint habere, nichilominus de necessariis societati provideant secundum quod videbitur eis expedire.

De provisione vinorum ad minus duorum doliorum.

Item de vinis tantum provideant ut saltem duo dolia plena in fine procuracionis sue possint remanere.

De taxatoribus vini, et modo appreciandi.

Item vina empta per se ipsos non apprecientur, sed cum tribus vel quatuor sociis ad hoc vocatis et ita precise apprecientur secundum forum quo empta fuerint, ut secundum quod possibile erit equalitas observetur.

De rotulis clamandis et solvendis infra octavam vel cum emenda persolvendis.

Item rotulos suos clament per octavam more solito, et tempore expirato deficientes nominent ad emendam nisi pro eis de propria peccunia solvere voluerint. Quod si pro eis solvere velint, de rotulo ante tempus expiratum eos delere teneantur; quod si non fecerint, ipsi vel alteri ad emendam tenebuntur. Emenda consueta in domo talis est, scilicet vj denarii pro defectu prime diei et unus denarius pro defectu cujuslibet diei succedentis.

De pecunia sociis communi nequaquam utenda a parvis procuratoribus neque a magnis nisi pro communi utilitate sociorum.

Item nulli personalem utilitatem de pecunia societatis possint facere quod cedat in dampnum societatis seu gravamen. Immo perintegre in exitu procuracionis sue reddant in sicca pecunia vel in denariatis; quod si non fecerint, ad x solidos crastina die tenebuntur; si vero non solverint et emendam et principale, pro quolibet die quo defecerint quilibet in vj denariis punietur. Si autem in predictis solucionibus contumaciter usque ad quindenam se habuerint, a communi convictu societatis, famulorum servicio et omnibus aliis quantum in nobis est, sine alia habita deliberacione, extunc sint privati.

De lucro parvorum procuratorum loco deperditorum retinendo, amissis vero restauratis sociis distribuendo.

Item si in aliquibus denariatis amissum aliquid fuerit seu deperditum et in aliis lucratum, non accipiatur lucrum distribuendum nisi prius deperditum restauretur.

Item si fuerit aliquid male assignatum in aliquibus debitis per aliquem casum inopinatum et in aliquibus denariatis aliquid fuerit lucratum quod debeat distribui, conputetur illud malum debitum in distribucione et restauretur de lucro quod erat diminutum de pecunia societatis, et hoc ut socii quibus debebit fieri distribucio sint magis solliciti de recuperacione debiti et ut pecunia semper integra remaneat que est usui societatis deputata[5].

De procuratorum officiis specialiter electorum circa Pascha.

Cum illis ad que tenentur generaliter omnes minores procuratores, tamen quidam ad aliqua specialiter tenebuntur, scilicet illi qui in Pasca electi fuerunt : de famulis providere in festo beati Johannis, vel de precedentibus si ydonei fuerint, et de novo fidejussores recipere, nomina eorum fidejussorum, vicos in quibus morabuntur et sufficientiam inquirere, in scriptis redigere et suis successoribus relinquere; si novos introducant eadem facere tenentur. Et antequam simpliciter et ad plenum detineantur, per viij dies vel xv, secundum quod consuetum est, probantur; qui approbati per totam societatem vel saltem majorem partem detineantur. Secundum vero consuetudinem Parisiensem fidejussores sui pro eis fidejubeant, hoc tamen addito vel specificato quod si famuli pro quibus fidejubent contraherent debita, que eis fuissent credita propter reverenciam domus et societatis nolentibus sociis et ignorantibus, si sine solucione a domo recederent, ad illa debita tenebuntur. Illi autem famuli detenti secundum formam eis datam prestabunt juramentum.

De provisione necessariorum, utpote lignorum pro hyeme in aula et semper pro coquina.

Item iidem procuratores debent providere de lignis pro aula et coquina pro anno, nisi per socios deliberatum fuerit quod tempus usque post festum beati Bartholomei protrahatur.

Item de aliis omnibus necessariis societati que tempore sue procuracionis occurrent facienda.

De procuratorum provisione facienda circa festum beati Bartholomei.

Illi vero de festo beati Bartholomei tenentur providere de lignis nisi ab aliis fuerit provisum et de agresta facienda nisi predecessoribus suis occurrerint facienda, et precipue in vindemiis de salinato, rapeto et aliis vinis secundum possibilitatem pecunie et aliis que occurrerint facienda.

De provisione parvorum procuratorum existentium circa Natale.

Illi vero de Natali tenentur providere pro Quadragesima de pisis, halecibus, speciebus et aliis secundum quod tempus requiret.

De collecta pro communibus expensis persolvendis tempore debito facienda.

Item iidem tenentur facere secundum modum consuetum collectam de expensis communibus, scilicet lignis pro aula, servicio famulorum, mappis, manutergiis et aliis hujusmodi vocatis, quatuor vel quinque sociis discretis parum post Natale, ut collecta perintegre saltem ante brandones solvatur. Socios autem pro anno illo morantes in domo presencialiter, vel absentes qui pro se habent in domo respondentes, solum ponant ad collectam. Si autem alios, qui absentes fuerint per totum annum, ad collectam aliqua de causa deponere voluerint, et si de bonis suis in domo habuerint, hoc modo eos ponant quod hoc sit ultra summam in collecta ponendam, ut semper sine debitis pecunia societati deputata in compotis procuracionum tota integra tam in denariatis quam in pecunia sicca remaneat, ne indigencia pecunie et debitorum racione utilitas societatis retardetur. Non solventes autem collectam termino statuto tenebuntur ad emendam consuetam, quam estimamus xij denariorum pro defectu prime diei, et unius denarii pro defectu cujuslibet diei subsequentis.

De lege emendandi et emendas persolvendi eadem tam absenti quam presenti.

Quod autem prediximus de emendis non solvencium tam rotulos quam collectas et omnia alia debita in quibus socii particulares tenebuntur societati, intelligimus eadem lege teneri tam absentes quam presentes, et[6] hoc ut sint antequam recedant solliciti inquirere, ad que tenentur, et solvere vel saltem aliquos socios pro se relinquere qui pro eis respondeant et satisfaciant ita diligenter sicut pro se ipsis[7].

Explicit pars rotuli secunda. Incipit pars rotuli tertia et ultima. De officio janitoris. Et primo de ejus curiali modo respondendi, vocandi vel requirendi.

Ista[8] sunt, que tenetur janitor facere. Primo tenetur cuilibet venienti curialiter respondere, et si ille aliquem socium de domo pecierit, illum querere vel vocare tenetur, nisi fuerit aliquis scolaris, pro quo sibi specialiter aliquis socius de domo preceperit, ut ad ejus cameram liberum possit habere accessum.

De extraneis infra duas portas remansuris, nisi ipsi sint notabiliter digne persone.

Cum vero aliquem socium ad cameram vel alibi quesierit, ostium post se claudat. Si vero ille sit homo notabilis, ipsum in curia manere permittat. Si autem non sit ita notabilis, inter duas portas remaneat.

De vico, porticu et domo ac de privatis a portario mundandis.

Item curiam totam interius et exterius et totum vicum, quantum domus nostra se extendit, ac vias et gradus et omnes cameras sociorum ac etiam viam communem ad cameras privatas tenetur munde servare; aquam pro lavatorio ac ipsum lavatorium interius et exterius mundare.

De servitio portarii se non extendentis ad comedentes seu bibentes in cameris.

Item nulli comedenti vel bibenti in camera serviat, nisi post ignitegium porta firmata cum clave, quam clavem secum habeat.

De portatore nequaquam sine custodia sufficienti portam dimittere.

Item nullo modo pro aliquo intrabit villam. Quod si aliqua necessitate propria urgente ipsum contingeret villam intrare, portam per aliquem de domo custodire teneatur; quod si non fecerit et porta sine custode inventa fuerit, sex denarios pro pena de salario suo solvat.

De janitore, ex quo nichil faciet in coquina, cam nunquam intrabit.

Item nullo modo in coquina commoretur, nec ibi aliquid faciat.

De tempore aperiendi et claudendi et accusandi extraneos et intraneos, tam famulos quam magistros.

Item pulsato ignitegio tenetur magnam portam claudere et in signo Sancti Jacobi semper aperire ac claves semper penes se reservare. Si vero aliquem de domo ante horam contigerit exire, tenetur surgere et portam post illum claudere. Si vero aliqui consueti fuerint post predictam horam intrare, vel ante aliquem exire, per juramentum suum tenetur priori revelare. Similiter si aliquos defectus in famulis viderit, vel aliquid de bonis domus extra portari per aliquem viderit, tenetur revelare. Item si viderit aliquem extraneum portantem aliquid sub veste extra domum, non permittat eum exire, nisi aliquis de domo ipsum ad portam associaverit.

De portione portarii, qui in tota die non habeat nisi pintam vini; sed in aliis sicut alii.

Item in parvo prandio habeat portionem unius socii sine vino; in magno vero habeat de pane et potagio quantum semel sibi sufficere creditur, ac dimidium ferculum de ferculis remanentibus post servitium sociorum, et debitas portiones famulorum. Quolibet etiam die habeat unam pintam.

De loco et tempore commestionis portarii, ac de ejus, si corrigibilis est, correctione.

Ista autem debet semper comedere in porta, cum socii fuerint de mensa. Nichil autem debet reservare in camera sua, sed fragmenta reddere in communi beneficio clericorum. Si autem istorum fuerit transgressor, prior ipsum corrigat. Si autem testimonio sociorum vel majoris partis incorrigibilis inveniatur, prior ipsum libere possit expellere.

Ejus salarium xij solidi[9].

Explicit pars rotuli tertia.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16574 (primae partis saec. XIV, reliquis posterius adjunctis), Statuta et Necrologium Sorbonae continens, fol. 1-5. Apographum Statutorum hujus cod. ibid. ms. lat. 9961, p. 1-12. — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 10983, (saec. XIV-XV, fol. 9, secundam et tertiam tantum partem Statutorum seu rotuli cum rubricis continens. Pro prima parte exscribenda in principio duodecim paginae vacuae sunt relictae. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 228-231. Ibid. ms. lat. 9943, Richerii *Hist. Paris. Academiae* continens (tom. I) fol. 426. Haud dubie prima pars Statutorum Robertum de Sorbona auctorem habet, quod tamen de secunda et tertia parte pro certo affirmari nequit. In istis duabus partibus nunquam dicitur ut in prima parte ex persona Roberti : « volo », « precipio », « statuo », « premoneo », *etc.*, sed semper in plurali : « ordinamus », sicut et « prediximus ». Modus dicendi insuper in istis partibus non omnino concordat. In primo praeterea supra allato codice statim post ordinationes Roberti seu primam partem sequitur Statutum anni 1293, mensis Junii (fol. 2b-3), quod fol. 3b, spatio relicto in fol. 3, excipiunt caetera supra edita Statuta (id est, secunda et tertia pars), quae propterea probabiliter, quamvis parum certe, post an. 1293 seu hoc ipso anno sunt composita. Nos tamen hic omnes tres partes una conjunximus, cum Statuta postea hac forma fuerint divulgata. Divisio in tres partes desumpta est ex ms. 10983. et habet in ipsis Statutis fundamentum. Prima pars Statutorum composita est a Roberto de Sorbona ante 15 Augusti an. 1274, i. e. diem et annum ejus mortis. Vide supra nº 431, n. 1.

1. Minuti erant, quibus vena incidebatur ad sanguinem detrahendum. In monasteriis stata erant minutionis tempora. Cf. Ducange-Henschel, IV, 423 sq. — 2. Sequitur hic in mss. 16574 et 9961 Statutum anni 1293 supra memoratum. — 3. Hic initium sumit secunda pars et ms. 10983, ex quo rubricae desumptae sunt. In ms. etiam 16574 in margine subtili charactere adjectae sunt notae seu rubricae, quae tamen nunc vix legi possunt. — 4. Ms. 10983 affert haec festa : beati Dyonisii, Thomae apostoli, Annunciationis, et apostolorum Petri et Pauli. — 5. In ms. 16574 relinquitur aliquod spatium. — 6. Ms. 10983 : « in ». — 7. Ms. 16574 hic paginam dimidiam vacuam relinquit. Hemeraeus Statutum « de minori procuratione » inserit, quod in ms. 16574 fol. 7 post omnia Statuta locum tenet et certe posterius est. Ms. vero 10983 affert quosdam paragraphos, qui ex Statuto an. 1293 mensis Junii codicis 16574 fol. 2b desumpti sunt, adjungens illis quoddam Statutum an. 1297, cui succedit aliud de minori procuratione ab Hemeraeo exscriptum. — 8. Ms. 16574 offert rubricam : « De janitoris officiis ». — 9. Ms. 10983 et Hemeraeus hoc omittunt; ms. 10983 tamen affert prius ante tertiam partem, et dicit hic « quod fiat in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen ».

---

449. *Epistola, qua Gregorius X suas in Concilio Lugdunensi II promulgatas Constitutiones Universitati Parisiensi transmittit.*

1274, Novembris 1, Lugduni.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper in generali Concilio Lugdunensi et post quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, uti velitis amodo tam in judiciis quam in scolis ipsas sub suis titulis, prout super eis exprimitur, inseri facientes. Dat.[1] Lugduni kal. Novembris pontificatus nostri anno tertio.

Epistola praefixa Constitutionibus (in 31 capita divisis) Gregorii X, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15407, fol. 234; Bibl. Capituli Posonii ms. 13, fol. 263; Bibl. Ambian., nº 359, fol. 346. In Bibl. Turonensi ms. 571 legitur : « ... Bononie et

Parisius ». In Bibl. Univers. Erlangen. ms. 404, fol. 30 b, dicitur : « Gregorius... venerabili fratri episcopo et dil. filiis universis magistris Paris. », *etc.*, sicut litterae ejusdem pontificis pro Univers. Paduana in aliquibus mss. inscriptae sunt : « G... venerabili fratri episcopo et dil. filiis universis doctoribus et scolaribus Paduanis ». Bibl. Posonii, ms. 13, fol. 254. Campi, *Hist. eccl. di Piacenza*, II, 458. In aliis mss., v. g. in Bibl. Remensi ms. 540/534, fol. 309, legitur : « Greg... dil. fil. Universitati mag. et scol. Bononie », *etc.* Constitutiones Gregorii editae inveniuntur (sine epistola) apud Mansi, *Coll. Concil.* XXIV, 90. Apud Boehmer, *Corp. jur. can.*, II, App. p. 369 exstant variantes lectiones ad Harduin., *Coll. Concil.*, VII, 705.

1. Nota temporis apposita est ubique in fine Constitutionum, sicut et in Reg. Vat. Gregorii X an. 3, ep. 204, fol. 209, ubi fol. 204 Constitutionibus sequens epistola praecedit : « Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem, *etc.* Infrascriptas Constitutiones nuper in generali Concilio Lugdunensi et post super certis articulis duximus promulgandas, quibus universi uti volumus et mandamus in judiciis et in scolis, ipsosque sub suis titulis inseri, prout exprimitur super eis ».

---

450. *Gaufridus de Barro notum facit se bona omnia quorum heres a bonae memoriae Roberto de Sorbona constitutus fuerat, congregationi pauperum scholarium ejusdem Roberti donare.*

1274, mense Novembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis magister Gaufridus de Barro, decanus Parisiensis, eternam in Domino salutem. Noveritis quod nos omnia bona quorum vir venerabilis bone memorie magister Robertus de Surbonio (*sic*), quondam canonicus Parisiensis, suum constituit nos heredem[1], pietatis intuitu in puram et perpetuam elemosinam donamus donatione inter vivos congregationi pauperum magistrorum seu ipsis pauperibus magistris Parisius in theologica facultate studentibus, quorum diu provisor extitit magister antedictus, ex nunc dominium et proprietatem dictorum bonorum cum eorum pertinentiis seu appenditiis cum omni jure quod in premissis omnibus et singulis qualicunque ratione habemus seu habere possumus, in ipsos pauperes magistros transferendo hac conditione apposita, quod dicti magistri et eorum congregatio et provisor eorum nomine dicte congregationis et ipsorum magistrorum et pro ipsis teneantur satisfacere omnibus creditoribus dicti magistri R. de omnibus debitis, in quibus dictus magister R. tenebatur tempore mortis sue et ad omnia onera, in quibus tenemur et teneri possumus occasione hereditatis predicte. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M°CC° septuagesimo quarto, mense Novembri.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, n° 196. Deest sigillum. — *Cartul. de la Sorbonne*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 3. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 233 b, Ducange, *Histoire de S. Louys, écrite par Jean sire de Joinville*, Observations, p. 37. D'Achery, *Spicil.*, 2 ed., III, 679.

1. Vide supra n° 431.

---

451. *Ordinatio a magistris facultatis medicinae facta de magistris decedentibus, de sigillo facultatis et de lectionibus.*

An. 1274.

Anno Domini M°CC° septuagesimo quarto, magistro J. de Roseto[1] tunc decano, magistri ordinaverunt in hunc modum quod si forte accideret magistrum recedere in medicina regentem a civitate Parisiensi habente propositum resumendi in medicina lec-

tiones suas ipsum mori, magistri regentes tenentur ad sui servicium ac si esset presens, et hoc statutum est de communi omnium voluntate.

Item predicto anno, predicto J. decano existente, ordinatum fuit in presencia magistrorum et venerabilium virorum H. de Parma[1], J. Parvi, F. Britonis, P. de Alvernia[2], P. de Novo Castello, V. Bouret, J. de Cathalago, R. Meldensis, J. de Nigella[3], J. Normanni, quod decetero sigillum eorum in manu sequestra non deponetur nisi super hoc dominus papa ordinaverit[4].

Item eodem anno, magistro J. de Roseto decano existente, ordinaverunt quod sigillum eorum fieret de argento ad majorem confirmationem. Item ordinatum est de consensu omnium predictorum pro utilitate et honestate communi quod nullus magister legat cursorie per quindenam ante et post festum sancte Crucis[5].

Cod. Vat. Reg. 406, fol 58^{b}. Mus. Britann., Addit. mss., nº 17304, fol. 69^{b}, ubique sub rubrica : « De eodem », sequitur enim in mss. documentum infra nº 453 editum. Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 410.

1. Vide supra nº 444. — 2. Iste Petrus de Alvernia facultatis medicinae non est idem ac Petrus de Alvernia, qui 1275 a Simone legato rector Universitatis est nominatus, cum jam isto tempore sicut et antea rectores Universitatis nonnisi ex facultate artium electi fuerint. — 3. Juxta ms. lat. 5005 in Bibl. nat. Paris. magister Johannes de Nigella fuit physicus regis Caroli I (d'Anjou) Siciliae. Vide Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 386. Verisimiliter est idem, qui anno 1259 rector artistarum fuit. Cf. supra nº 354, n. 2. — 4. Cf. ad hoc supra nº 446. — 5. 14 Septembris.

---

452. *Capitulum eorum ad quae tenentur cursum incipere volentes.*

An. 1270-1274, [Parisiis].

Sciendum quod bachalarii in facultate medicine de novo cursum incipere volentes tenentur per fidem ad omnia que sequuntur. Pro facto fidem dabunt quod servabunt[1] ordinaciones, statuta, honores, consuetudines facultatis, que per decanum[2] vel per alium et vices decani gerentem[3] vel que per totam facultatem indicabuntur eisdem. Item dabunt fidem decano vel alii decani officium tunc gerenti vel[4] coram tota facultate quod in medicina audiverint per annos[5] novem, et sint in quarto, de quo audiverint per v menses. Et si bachalarius de quolibet dictorum annorum per ix menses medicine studio non vacaverit, nichilominus eidem legendi cursum licencia concedetur, dummodo per 30ta et duos menses bachalarius in dicta scientia Parisius studuerit diligenter, scilicet audiendo ordinarie non computando tempore vacationis. Item fidem dabunt quod bis responderint de questione in scolis duorum magistrorum, sic intelligendo, in disputatione sollempni et non in lectione, vel saltem semel in disputatione generali. Item dabunt quarto fidem quod librum quem legent cursorie eundem ordinarie audiverint. Item dabunt iiij^{or} bursas que primo a bachalario cursum de novo legere volenti ante omne juramentum receptum petantur. Item bedello unam bursam ad minus. Item fidem dabunt quod qualibet die Sabbati intererunt misse sicut magistri quamdiu legent hoc in pena duorum denariorum.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 57^{b}. Mus. Britann., Addit. mss., nº 17304, fol. 68, sub rubrica ut supra. Deest in cod. Cheltenh.

— Bulaeus, III, 403. — Hoc et quatuor subsequentia documenta, quae ad facultatem medicinae respiciunt, in mss. temporis nota carent; obtinent tamen locum inter documenta ad eamdem facultatem pertinentia annorum 1270-1274.

1. Mss. : « secreto ». — 2. « Quo per decanum » om. mss. — 3. Mss. : « gerentes ». — 4. Vat. Reg. addit « qui ». — 5. Vat. Reg. : « menses ».

---

453. *Capitulum eorum ad quae tenentur illi qui volunt licentiari in medicina Parisiis, et de libris audiendis.*

An. 1270-1274, [Parisiis].

Hec est forma bachelariorum in medicina licenciandorum. Primo debet dare fidem magister, sub quo est bachalarius, cancellario presentibus magistris ad hoc vocatis de ydoneitate bachelarii licentiandi. Tempus auditionis debet probare per duos testes ad minus, et tempus auditionis quod debet audivisse per quinque annos cum dimidio si rexerit in artibus vel licentiatus fuerit, vel per sex si non rexerit vel licentiatus fuerit. Forma auditionis librorum est quod debet audivisse bis artem medicine ordinarie et semel cursorie exceptis *urinis*[1] *Theophili*, quas sufficit semel audivisse ordinarie vel cursorie; *Viaticum*[2] bis ordinarie, alios *libros Ysaac*[3] semel ordinarie, bis cursorie, exceptis *dietis particularibus*, quas sufficit audivisse cursorie vel ordinarie; *Antidotarium Nicholai*[4] semel. *Versus Egidii*[5] non sunt de forma. Item debet unum librum de *theorica* legisse, et alium de *practica*[6]. Et hoc debet jurare; si quis autem de perjurio vel de mendacio convictus fuerit, qui licentiatus poterit repelli.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 58. Mus. Britann., Addit. mss., nº 17304, fol. 69, sub rubrica ut supra usque « Parisius ». Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 403.

1. In mss. perperam : « unius ». Designatur Theophili *liber urinarum*, qui saepe in mss. occurrit, v. g. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16176, fol. 19 ; nouv. acquisit. lat. 1479, fol. 4 ; 1480, fol. 7. Bibl. Amplon. Fol. ms. 238, fol. 27 ; 255, fol. 6, *etc.* — 2. Quod, licet Constantinus Africanus idem sibi ascripsit (inter opp. Isaaci, Lugduni, 1515), composuit discipulus Isaaci, Abu Djâfar Ahmad. Cf. Dugat, *Études sur le traité de médecine d'Abou Djâfar Ahmad, intitulé « Zad el-Mouçafir »*, in *Journal asiatique*, Vᵉ série, t. I, p. 289 sqq. Mss. in Bibl. nat. Paris., mss. lat. 14390, fol. 116 ; 15116, fol. 1. Cod. Vat. Reg. 1304, *etc.* — 3. Scripsit inter alia *Librum dietarum universalium*, *Librum dietarum particularium*, *Librum urinarum*, *Librum febrium*, transl. ex arabico a Constantino Africano. Haec scripta in mss. sicut et in ed. cit. opp. Isaaci plerumque sunt conjuncta. Cf. Wuestenfeld, *Uebersetzungen arabischer Werke in das Latein.*, p. 17. Ad mss. ibid. allata cf. Cod. Vat. lat. 4455. Bibl. Amplon. Fol. mss. 238, 286. Quarto 182, *etc.* — 4. Salernitani. Cf. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15116 ; 16176 ; nouv. acquisit. 343, fol. 130 ; 1485, fol. 129 ; Bibl. Amplon. Fol. mss. 238, 289. Quarto 185, *etc.* — 5. Corboliensis, qui sub Philippo Augusto Parisiis medicinam docuit. Vide supra nº 8, n. De ejus operibus, quae in versibus scripsit, cf. Astruc, *Mém. pour servir à l'histoire de la faculté de médec. de Montpellier*, p. 142. *Hist. litt. de la France*, XXI, 333, 840. Daremberg in *Archives des missions scientifiques*, III (1854), p. 53. — 6. Hic designatur *Opus Pantegni* auctoris Ali ben Abbâs, in *Theoricam* et *Practicam* divisum, quod quandoque « Constantini theorica et practica » vocabatur, v. g. in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14393. Cf. adhuc ibid. mss. 13000 ; 16180, *etc.* Bibl. Amplon. Fol. ms. 184, *etc.* Wuestenfeld, l. c., p. 12.

---

454. *Capitulum eorum ad quae tenentur baccalarei in medicina incipere volentes.*

An. 1270-1274, [Parisiis].

Sciendum quod bachalarii in medicina incipere volentes ad ea que sequuntur per fidem tenentur. Nam fidem dabunt quod ordinacioni de missa[1] facte a magistris in facul-

tate medicine actu regentibus stabunt et eandem dum actu erunt regentes perpetuo observabunt. Item fidem dabunt quod nullum bachelarium in facultate medicine causa examinationis audierint nisi in scolis propriis vel in scolis aliorum, in quibus congregantur magistri causa alicujus bachellarii incepturi. Item ante omne juramentum iiij[or] burse ab eisdem petantur[2], et quod dabunt servienti, antequam incipiant, xx solidos parisiens. ad minus. Item quod consuetudines et statuta facultatis observabunt.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 57[b]. Mus. Britann., Addit. mss., n° 17304, fol. 68[b], ubique sub rubrica ut supra. Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 403.

1. Mss. : « misse ». Ad haec vide supra n° 452. — 2. Cf. ibid.

---

455. *Capitulum de antiquis consuetudinibus et ordinationibus magistrorum in medicina.*

Ann. 1270-1274, [Parisiis].

Nullus magister debet legere cursorie de mane. Nullus debet legere in die quo generaliter festivatur, nec magister nec bachelarius. Item nullus magister debet suas lectiones ordinarias finire cursorie. Item nullus debet legere cursorie a festo Omnium Sanctorum usque ad Quadragesimam die disputabili. Item non disputatur in vigilia festi sollempnis. Item secundum quod magistri incipiunt ita ordinatur. Item nullus debet disputare prima die legibili.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 58[b]. Mus. Britann., Addit. mss., n° 17304, fol. 69[b]. Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 404.

---

456. *Statuta quae in facultate medicinae observari debent.*

Ann. 1270-1274, [Parisiis].

Statuta autem et consuetudines quas debent observare sunt hec, primum de missa[1], secundum de forma licentiandi ad cursus[2], tercium de forma licentiandi magistros per cancellarium[3], quartum de hiis ad que tenentur in medicina incipere volentes[4], quintum de antiquis consuetudinibus observandis[5], et hec debent eis legi si velint. Item statutum est quod quicunque bachelarius recipiet licentiam contra statuta facultatis et consuetudinem, vel magister qui hec procuraret, ipso facto est privatus in sempiternum societate magistrorum et omni actu scolastico predicte facultatis. Simili pena punitur qui renuit formas et ordinationes contentas in hoc libro jurare. Et hec omnia debent per juramentum singulorum inviolabiliter observari.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 58. Mus. Britann., Addit. mss., n° 17304, fol. 68[b], sub rubrica : « Articuli quos debent observare ». Deest in cod. Cheltenh. — Bulaeus, III, 403. — Hoc documentum in mss. locum tenet inter n[um] 454 et n[um] 444.

1. Supra n° 452. — 2. Ibid. — 3. Supra n° 453. — 4. Supra n° 454. — 5. Supra n° 455.

457. *Gregorii X litterae ad Guillelmum provisorem et magistros domus de Sorbona, quibus concedit ne extra civitatem Parisiensem in jus trahantur super bonis quae habent.*

1275, Januarii 5, Lugduni.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. provisori[1] et pauperibus magistris domus de vico ad portas ante palatium de Thermis Parisius in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Vestre meritis devotionis inducimur ut vos speciali prosequamur gratia et favore. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati vobis auctoritate presentium indulgemus ut tu, fili, provisor, seu procuratores quos ad promovenda negotia domus vestre duxeritis ordinandos, extra civitatem Parisiensem super bonis que infra civitatem et diocesim Parisiens. habetis, aut actionibus personalibus, quandiu parati fueritis coram venerabili fratre nostro .. Parisiensi episcopo stare juri, a quoquam trahi non possitis in causam per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni non. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Vat. Gregorii X an. 3, ep. 83, fol. 103. — Hemeraeus, *Sorbonae origines*; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5493, fol. 233[b]. Jourdain, nº 233, ubi istae et litterae nº 459 editae perperam ad an. 1273 (1274) referuntur.

1. Guillelmo de Monte-Morenciaco. Vide infra nº 469.

---

458. *Gregorii X litterae ad Guillelmum provisorem et magistros domus Sorbonae, ut bona ipsis a magistro Gaufrido, decano Parisiensi, collata, vendere, alienare, etc., nequaquam cogi possint.*

1275, Januarii 5, Lugduni.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. provisori et pauperibus magistris domus de vico ad portas ante palatium de Thermis Parisius in theologica facultate studentibus salutem et apostolicam benedictionem. Provisionis nostre provenire debet auxilio, ut domus vestra, quam sinceral diligimus in Domino caritate, spiritualibus bonis proficiat et temporalium prosperitate concrescat. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod dilectus filius magister Gaufridus de Barro, decanus ecclesie Parisiensis, quasdam domos, terras, vineas, possessiones et alia bona ad ipsum ratione persone sue spectantia et in districtu ac territorio personarum ecclesiasticarum consistentia, vobis et domui vestre contulit intuitu pietatis[1]. Cum igitur fe. re. Alexander papa predecessor noster duxerit statuendum ut non liceat dominis temporalibus ecclesias et personas ecclesiasticas compellere ad distrahendum vel alienandum aut extra manum suam ponendum domos, predia, vel quascunque possessiones ab eisdem ecclesiis et personis ecclesiasticis legitime acquisita vel etiam acquirenda, nos ejusdem predecessoris vestigiis inherentes

vestris supplicationibus inclinati, ut ad vendendum vel alienandum aut extra manum vestram ponendum domos, terras, vineas, possessiones et alia bona predicta vobis ab eodem decano collata cogi contra predicte constitutionis tenorem pretextu alicujus consuetudinis non possitis auctoritate presentium districtius inhibemus; decernentes irritum et inane, si quid super hiis contra inhibitionem hujusmodi fuerit attemptatum, dummodo eis quorum interest, ut predicta extra manus vestras ponatis de suo in hac parte interesse ad arbitrium dilecti filii nostri S. tit. Sancte Cecilie presbyteri cardinalis apostolice sedis legati satisfactionem debitam impendatis. Nulli ergo, *etc.*, nostre inhibitionis et constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. Lugduni non. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 264, n° 52. Deest bulla. — Reg. Vat. Gregorii X an. 3, ep. 92, fol. 166. In Arch. nat. Paris., l. c., n° 54 sicut et MM. 281 exstat etiam *vidimus* officialis Paris. anni 1279; n° 53 *vidimus* officialis curie archidiaconi Paris. an. 1281. In Arch. nat. praeterea S. 6213 n[is] 141-205 hae et sequentes litterae Gregorii X multis chartis insertae occurrunt. In *Cartul. de la Sorbonne*, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 4 et 5[b], epistola supra edita cum sequenti inserta duabus chartis Simonis legati an. 1281, Septemb. 25, invenitur. Hemeraeus, *Sorbonae origines*, ibid., ms. lat. 5493, fol. 21[b].

1. Cf. supra n° 450.

---

459. *Gregorii X litterae ad Simonem, apostolicae sedis legatum, de eodem argumento.*

1275, Januarii 5, Lugduni.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tit. Sancte Cecilie presbytero cardinali apostolice sedis legato salutem et apostolicam benedictionem. Provisionis nostre provenire debet auxilio, ut domus dilectorum filiorum provisoris et pauperum magistrorum de vico ad portas ante palatium de Thermis Parisius in theologica facultate studentium, quam sincera diligimus in Domino caritate, spiritualibus bonis proficiat et temporalium prosperitate concrescat. Sane petitio dictorum provisoris et magistrorum nobis exhibita continebat quod dilectus, *etc.*, *ut supra* n° 458, *mutatis mutandis*, *usque* quorum interest, ut predicta extra manus suas ponant, de facto in hac parte interesse ad arbitrium tuum debitam satisfactionem impendant. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus provisori et magistris predictis per te vel alium seu alios presidio efficacis defensionis assistens[1] non permittas eos super hiis contra inhibitionis et constitutionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, proviso ut de interesse predicto facias prefatis personis, sicut predicitur, debitam satisfactionem impendi, molestatores et contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Dat. Lugduni non. Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 264, n° 55. Bulla plumbea fil. cannab. appenditur. Ibid. (n[is] 56, 57) duo apographa officialis curiae Paris. anni 1279. — Hemeraeus, *Sorbonae origines*, in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5493, fol. 22[b]. Jourdain, n° 234.

1. Simon card. legatus vices suas in hujusmodi negotio postea magistro Nicolao thesaurario Catalaunensi commisit (originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, nº 197 — an. 1274, Julii 13), Nicolao vero mortuo Simoni de Belloloco, archidiacono eccl. Carnot. (orig. ibid. nº 190 — an. 1276, Aug. 16.)

---

460. *Simonis apostolicae sedis legati litterae, quibus ad placanda nova dissidia inter quatuor nationes artistarum exorta rectorem, procuratores et bedellos eligendi potestatem sibi hac vice vindicat aliaque definit, et Petrum de Alvernia Universitati praeficit rectorem.*

1275, Maii 7, Parisiis apud S. Genovefam.

Simon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus ad perpetuam rei memoriam. Humane nature condicio per immoderanciam sauciata, habens in malum ab adolescencia pronitatem, de facili labitur instigante eo qui tanquam leo rugiens paratus ad predam, circumdans ovile dominicum rimas querit atque foramina per que possit immittere nequicie sue virus, et ubi locum aptiorem invenit ad ruinam, vanos ut leo frequentat insultus, et astute molitur ut draco consolidata infringere, congregata dispergere, dissipare et perdere restaurata. Recens quidem facti memoria a nostro pectore non recessit, quemadmodum alias dum in partibus Gallicanis legationis officio fungeremur[1] seductor ille malignus faces suas gravis discordie grandisque seditionis ignitas sulphure accenderat in facultate arcium Parisius inter quatuor naciones. Sed nos hujusmodi flammis pestiferis jam vehementer accensis tum ex sinceritatis affectu, quem ad studium Parisiense gerimus ex cujus uberibus primaria scientie duximus elementa, tum ex injuncto nobis legationis officio maxime cum in dissidio ipsius studii cerneremus philosophie fontem arescere ejusque rivulos, quos ad cuncta orbis climata fecundus derivabat, non absque maximo detrimento universalis ecclesie desiccari, cum qua potuimus sollicitudine nos opposuimus, pacem in ipso studio per nostram providenciam cum Dei adjutorio reformantes. Verum ille draco antiquus pacis emulus et posteritatis Ade continuus persecutor, qui insidiando circumvolat ut latendo corrumpat, in ipso studio lapidem offensionis et petram scandali suscitavit inter nonnullos magistros facultatis predicte tres, scilicet naciones Gallicorum, Picardorum, Anglicorum, quamlibet pro majori parte ipsorum, et quosdam de Normannorum nacione, illos scilicet de civitate et dyocesi Rothomagensi ex una parte, et alios Normannorum de sex episcopatibus[2] Rothomagensis provincie ac tres magistros de tribus aliis nacionibus et adherentes eisdem ex altera, discordie zizania seminando occasione eleccionis facte de magistro Alberico de Remis in rectorem Universitatis ipsius, cujus etsi non eleccioni, institutioni faciende tamen et facte se dicti magistri de sex episcopatibus una cum dictis tribus magistris et aliis suis sequacibus opponendos duxerunt, ipsis tribus magistris plura proponentibus crimina contra ipsum, que se offerebant legitime probaturum. Et propter hoc dicebat pars ipsa, dictum magistrum A. inhabilem et indignum ad predicte officium rectorie et ideo ipsum non debere institui in eadem. Et quia non cognito de predictis prefatus Albericus in rectoriam ipsam extitit

institutus, dicebat pars ipsa ejus institutionem in rectorem Universitatis predicte minus legitime aptatam fuisse et contra statuta et consuetudines facultatis, propter quod pars ipsa cum suis sequacibus eidem tanquam rectori noluit, prout sicut dicit nec debuit, obedire.

Sane pars altera, que institutioni prefati consenserat Alberici, asserens partem alteram se contra ordinacionis nostre quam circa hocolym edidimus[1] seriem separasse, fecit ipsam coram tribus magistris in theologica facultate et quatuor in decretis antiquioribus Parisius tunc actu regentibus, juxta tenorem ordinationis ejusdem, ut asserit, conveniri. Qui cognito de separatione predicta infra tempus in eadem ordinatione expressum cum eis ut dicebant constaret, dictam partem Normannorum et sibi in hoc casu adherencium separacionem fecisse et se ab aliis minus legitime separasse, pronunciasse dicuntur, causam separationis partis ipsius minus canonicam et minus sufficienter fuisse probatam, a quorum processu a parte adversa dicitur fuisse ante pronunciationem eandem ex certis causis et gravaminibus et post etiam ab ipsa pronunciatione ad sedem apostolicam appellatum.

Porro tempore regiminis ipsius Alberici decurso, pars illa que in ipsum consenserat adveniente termino juxta facultatis ipsius consuetudinem in hoc, ut dicit, antiquitus observatam, adherens pronunciationi magistrorum expressorum superius, rectorem Universitatis elegit parte altera non vocata, utpote sententia excommunicationis late per nos in predicta ordinacione in transgressores ejusdem, ut dicebat, astricta quoniam se separaverat absque causa que deberet justa, rationabilis et evidens[2] reputari et alias constitutionis ipsius tenore nullatenus observato. Pars vero altera vocata, ut dicit, parte contraria nec cum ea ad eligendum rectorem venire volente reputans jus eligendi rectorem ob contemptum hujusmodi ad se fuisse totaliter devolutum, sibi rectorem Universitatis elegit. Et sic duobus rectoribus tunc in ipsa Universitate electis pars quelibet modo consimili sibi rectorem, procuratores atque bedellos creavit proprios suis temporibus successive, uni corpori plura preficiendo capita quasi monstrum. Demum ipso negocio per appellationem sicut predicitur ad sedem apostolicam devoluto, partes ipse saniori consilio ducte dubiis litium dimissis anfractibus pacis remedia cogitantes, ordinacioni ac dispositioni nostre se sub certa forma submittere curaverunt, litteras confectas super hujusmodi submissione sigillatas sigillo universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium nobis ad curiam destinantes, triennio a tempore pronunciationis dictorum judicum et amplius jam elapso[4].

Nos igitur considerantes hoc ex ejus providencia qui in sui dispositione non fallitur processisse, qui in pacis multitudine delectatur, in cujus conspectu revocatio dissidencium inter se invicem animorum ad tranquillitatis et concordie fedus est sacrificium vespertinum, in nos suscepimus submissionem hujusmodi sperantes cum ejus adjutorio statum facultatis ipsius, jam pro magna sui parte divulse, proh dolor, et collapse, per rationabilis ordinacionis semitas reformare, ut fomite discordie a facultate predicta radi-

citus extirpato motus quos juvenilis fervor consuevit aliquociens effrenare mansuetudo benigna mitiget, evitentur scandala, injurie, rancores, odia, rerum dispendia, pericula personarum et animarum exicia relegentur, subcrescat caritas in studii tranquillitatis radicata virgulto, et moderna curiositas que plus solito innumeras multiplicat questiones, laberintum declinans litium, quibus pro minimo, dum affectus imperat rationi, se aliquociens insolenter immergit ad prosequendum debite operacionis officium vacet penitus et intendat. Procuratoribus igitur partium postquam ad partes Gallicanas accessimus in nostra presencia constitutis diligenter audivimus, que coram nobis super ipso negotio proponere voluerunt. Et ut magis in negotio ipso essemus instructi, narraciones, propositiones ac peticiones partium nobis in scriptis fecimus exhiberi.

Proposuit siquidem coram nobis procurator partis, que pars Alberici vulgariter appellatur, contra partem adversam, *primo* quod Normanni de parte ipsa contraria, qui tunc majorem partem nacionis Normannorum faciebant, unacum procuratore nacionis ipsius et quidam de tribus aliis nacionibus tunc predictis adherentes Normanni et alii postmodum succedentes eisdem opponentes se institutioni facte de magistro Alberico de Remis in rectorem Universitatis Parisiensis contra ordinacionem per nos dudum factam in pluribus venientes et se ab aliis nacionibus tribus pro majori parte cujuslibet et magistris Rothomagensis civitatis et dyocesis eisdem adherentibus contra ordinacionem ipsam illicite separantes, latam per nos quoad hoc in transgressores ordinacionis ipsius excommunicationis sententiam incurrerunt. *Secundo* quod cognitores seu judices per ordinacionem hujusmodi deputati cognoscentes de prefata separatione et causa separationis ipsius diffiniverunt, partem Normannorum de sex episcopatibus et sibi adherentium se ab aliis tribus nacionibus per majorem partem cujuslibet minus legitime separasse, et causam separationis ipsorum non fuisse legitimam, sed injustam et minus sufficienter probatam. Ex quibus procurator ipse petebat, ex primo scilicet, per nos pronunciari partem adversam contra dictam ordinacionem nostram separacionem fecisse et per hoc latam per nos contra tales in predicta ordinacione excommunicationis sententiam incurrisse; ex secundo, pronunciationem dictorum judicum decerni legitimam et omnes actus partis adverse post separationem et pronunciationem predictas revocari in irritum, actusque singulos sue partis comprobari et jus totius facultatis post dictas separationem et pronunciationem in magistros sue partis totaliter remansisse. Petebat etiam parti adverse debitas penas infligi.

Procurator vero partis adverse, que pars Sigerii[6] communiter nominatur, contra partem alteram proposuit ex adverso. *Primo* quod dudum magistro aliquo electo ad officium rectorie ante ejus juramentum et institucionem, sine quibus rector execucionem officii habere non debet, diversis sibi objectis criminibus et pendentibus ac opponentibus objecta probare paratis paucis ibi presentibus et aliquibus reclamantibus juravit et contra statuta et consuetudines facultatis absente rectore predecessore suo se ipsum instituit in

officium rectorie. *Secundo* proposuit quod toto tempore rectorie dicti Alberici omnes illos, qui sue institucioni se opposuerant paratos pecuniam refundere et omnia quecumque ad facultatem pertinent communiter exercere[6] per procuratorem sicut fieri debet rectoria vacante pars adversa injuste admittere recusavit. *Tercio* vero et *quarto* proposuit quod super predicta institucione Alberici cognicio non spectabat ad judices in nostra ordinacione contentos, cum nulla nacio se vellet ab aliis separare, nec ipsius institucioni se opponeret nacio, sed certi magistri singularum nacionum, et sic non erat hec separacio de qua nostra ordinacio loquebatur. *Quinto* proposuit quedam ad excusacionem partis sue super inceptione cujusdam bachallarii de Normannorum nacione. *Sexto* proposuit processus predictorum judicum fuisse ante pronunciationem et post legitimam provocationem suspensos. *Septimo* proposuit quod elapso tempore rectorie predicti Alberici persone singulares de singulis nacionibus, que se opposuerunt institucioni hujusmodi in rectorem, vocatis singulis magistris facultatis ter cum debitis intervallis hora solita et loco ad talia consueto elegerunt rectorem, sic facientes de procuratoribus, de bedellis, quando imminebat electio talium personarum. Adversarii vero ipsis contemptis et contra ipsorum prohibitionem publice factam personas communes sibi tunc et postea successivis temporibus creaverunt. *Octavo* proposuit quod examinatores partis adverse duodecim bachalarios licentiaverunt et communes tenuerunt preter conscientiam et voluntatem cancellarii Sancte Genovefe, et quod cancellarius predictorum licentias in irritum revocavit. Ex quibus omnibus petiit infrascripta. Ex primo videlicet pronunciari, predictum Albericum non rite institutum fuisse et quod eidem tanquam rectori obediendum non fuit ejusque actus tanquam a rectore factos in irritum revocari. Ex secundo petiit pronunciari, magistros partis alterius contra predictam ordinacionem venisse et propter hoc latam in ea per nos excommunicationis sententiam incurrisse. Ex tercio, quarto, quinto et sexto propositis petiit pronunciari, ad statutum nostrum dissencionem que nunc est Parisius non spectare, et judices ipsos non in hoc, sed Universitatem Parisiensem cognoscere debuisse, et sententiam dictorum judicum nullam fuisse ac partem suam nequaquam separacionem fecisse. Ex vij° vero petiit rectorias et omnes actus sue partis in bedellis et aliis confirmari et actus singulos partis adverse circa bedellos et alia in irritum revocari. Ex octavo petiit predictas xij licencias annullari et examinatores eorum a facultatis consortio separari. Petiit etiam generaliter ex premissis, principales qui impediverunt quominus cognosceretur de criminibus Alberico objectis, quique supra nostram ordinacionem venerunt, juxta condignum puniri, protestans quod non intendebat quicquam petere aut ad aliquid respondere nomine nacionis vel majoris partis nacionis alicujus, sed solum nomine singularium personarum. Finaliter vero petebat pars quelibet sibi partem adversam in mille libras parisiens. expensarum nomine condempnari, quibusdam peticionibus additis que in superioribus expresse vel ex consequencia includuntur.

Facta autem hinc inde copia de omnibus ab ipsis partibus exhibitis coram nobis

responsiones ad ipsa et rationes, quas utralibet partium dare voluit tam pro se quam contra partem alteram, in scriptis recepimus et examinavimus diligenter et procuratores ipsos jurare fecimus in predicto negocio de veritate dicenda ad interrogaciones quasdam, quas ex officio nostro fecimus et ad eas per juramentum prestitum respondere. Ceterum quia per ea que coram nobis actitata fuere constitit evidenter plures ac diversos magistros facultatis predicte negocium hujusmodi persequi coram nobis, quam fuissent tempore submissionis super discordia hujusmodi in nos facte, quodque in submissione predicta tangebatur inter alia de bedellis, de quorum assensu sive nominibus necnon illorum qui se submiserant nulla in ipsa submissione mencio habebatur, visum fuit expediens quod licet res totius facultatis, que consurgit ex singularibus, in hujusmodi negocio ageretur, quia tamen quo ad partem alteram prosequebantur idem negocium singulariter singulares, ut pars eadem asserebat, de predictorum consilio extitit ordinatum quod bedelli et maxima multitudo magistrorum qui post dictam submissionem inceperant aut forsitan tunc legentes ei nequaquam consenserant, ab utraque parte prosequentium hujusmodi negocium coram nobis sive singulariter sive etiam in communi pro se et sibi adherentibus in quantum poterant de alto et basso in nos compromitterent et se nobis submitterent super ipso principali dicti negocii accessoriis et sequelis, quod ipsi et alias etiam ad majorem securitatem negocii, prout in instrumento publico super hujusmodi compromisso et submissione confecto plenius continetur, facere curaverunt, acceptantes et approbantes omnes et singuli specialiter magistri et bedelli priorem submissionem predictam et omnia que coram nobis facta vel actitata fuerant aut imposterum fierent vel agerentur per dictos procuratores in negocio supradicto. Et ipsis magistris ac bedellis presentibus consentientibus et expresse mandantibus dicti procuratores in suis et aliorum omnium animabus juraverunt se ac omnes magistros atque bedellos premissa omnia servare perpetuo et inviolabiliter, et quicquid nos semel et pluries dixerimus, ordinaverimus, sententiaverimus, decreverimus, fecerimus, statuerimus seu arbitrati fuerimus in premissis omnibus et singulis, et contra aliquatenus per se vel per alios aliquibus arte vel ingenio non venire, tacite vel expresse.

Nos autem tum ex virtute ipsius submissionis tum etiam ex viribus compromissi, approbationis et acceptationis hujus pro acceleratione negocii ordine judiciario pretermisso ex potestate nobis a partibus tradita procedentes peticionibus partium et rationibus earumdem ac quibusdam actis, litteris et instrumentis hinc inde exhibitis coram nobis frequenti diligencia et frequencia diligenti primo per nos et postea per discretos alias plene discussis et sepius recensitis procuratores partium frequenter interrogavimus, si in dicto negocio vellent aliqua alia proponere. Qui renuntiantes expresse probacionibus et rationibus universis ulterius in ipso negocio producendis vel proponendis concluserunt in eodem negocio petendo et cum instancia supplicando negocium hujusmodi per sententiam, dispositionem seu ordinacionem nostram juxta beneplacitum nostrum et potestatem

nobis ab ipsis traditam terminari. Ad hec vero ut liberius et in majori animorum tranquillitate ordinacio seu dispositio nostra procederet, rectores, procuratores et bedelli partis utriusque officia sua et jura, si qua in dictis officiis vel ratione ipsorum habebant, libere in nostris manibus resignarunt, que officia ipsis eisdem usque ad nostrum beneplacitum commendavimus exercenda.

Desiderantes itaque affeccione multiplici et desiderio plurimo affectantes a futuris precavere periculis, ad quod discrimina preteriti temporis nos oculatos instituunt et novorum[7] efficiunt cautiores, rogamus que ad pacem sunt Parisiensis studii propter domum Domini Dei nostri, cujus cultus et decor continue multiplicantur exinde, structuram concordie stabilis et pacis perpetue in dicto studio cupientes erigere posito fundamento in ipso summo angulari lapide Jhesu Christo. In ejus itaque nomine, qui fecit utraque unum, qui unus in uno novo homine faciens pacem reconciliavit duos in corpore uno Deo, in primis pronunciamus, arbitramur, disponimus et etiam ordinamus ut facultas artium magistrorum Parisiensium per callidi hostis astutiam propter dissenciones hujusmodi olym divisa ad consuetam et debitam redeat unionem, ne remanens sic divisa in posterum, quod absit, se lugeat desolatam; unius tantum rectoris sit contenta regimine, ut unum fiat ovile et unus pastor, unum corpus unius capitis regimine gubernandum; quatuor procuratores et quatuor bedellos habeat et non plures juxta consuetudinem facultatis ipsius in talibus approbatam. Et super unione hujusmodi conservanda et separacione in ipsa certo modo tantum vel minime facienda ordinacionem nostram alias super dissensione dudum in facultate ipsa suborta editam cum aliis in ea contentis necnon cum suppletionibus et declarationibus infrascriptis volumus et precipimus inviolabiliter observari. Ne autem presentis reformationis teneritas instigante pacis emulo ex electione rectoris, procuratorum et etiam bedellorum aliquod sopite discordie sentiat recidivum, recommendationem dictorum officialium quam predictis fecimus revocantes, creationem ipsorum nobis hac vice duximus reservandam. Volumus tamen quod decursus juxta predictam ordinacionem nostram illorum temporibus quos ad dicta officia hac vice duximus assumendos, alii suis temporibus libere subrogentur eisdem secundum statuta in eadem ordinacione nostra contenta et consuetudinem laudabilem in Parisiensi studio super hiis hactenus observatam. Quia vero preteritas intendimus sic sedare discordias, ut futuris de quibus magis timendum est obviemus periculis, et ne ignorancie pretextu vel obscuritatis quam nimia generalitas interdum inducit colore similia presumi valeant in futurum, omnia in luce cupientes clarescere, peticiones singulas utriusque partis decrevimus seriose ac singulariter dilucide terminare equitatem videndo, non a justicia discrepando, ut obviet misericordia veritati, justicia et pax se invicem osculentur, et ubi expedire viderimus rigore juris misericordie oleo mitigato Domino dante benignitatem, terra Parisiensis studii producat libere fructum suum.

Et idcirco super primo propositis et petitis a parte, que pars dicitur Alberici, contra

partem adversam, que dicitur pars Sigeri, visis et diligenter inspectis actis omnibus habitis coram nobis ac tenore ordinacionis nostre predicte omnibusque appositis hinc et inde primo per nos et postmodum per plures discretos et peritos viros sepe et sepius ruminatis communicato consilio sapientum, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti pronunciamus et dicimus, nacionem Normannorum (quam per illos de sex episcopatibus Rothomagensis provincie, qui non solum majorem sed tres fere nacionis totius partes cum procuratore ipsius tunc ipsis faciebant representari et intelligi, juris ambiguum non extitit) separationem contra nostre constitutionis tenorem fecisse in diversis publicis, communibus et manifestis actibus, qui de consuetudine sive jure per singulares personas consideratas singulariter nequeunt exerceri, ac illos[3] de nacionibus aliis qui ipsis taliter separatis in hujusmodi actibus adheserunt et alios in vicium succedentes eisdem participasse in crimine criminosis. Processus autem atque sententiam cognitorum seu judicum predictorum non duximus confirmandos, quin potius ipsos non propter objecta a parte contraria, sed propter eorum defectus multiplices tum ex parte prosequentium personarum tum ex modo et ineptitudine procedendi ac pronunciandi forma, cogente nos ad hoc justicia, reprobandos. Et ideo actus partis, que dicitur Alberici, occasione dicte sententie, que sicut predicitur nulla extitit ipso jure, robur aut vires assumere nequiverunt nec per ipsam jus sive auctoritas facultatis in eandem partem transferri potuit, nec debet occasione hujusmodi in ea remansisse decerni, nec actus partis alterius ob hanc causam in irritum revocari. Plane separacio facta minus legitime penis nostre constitutionis implicat et involvit taliter separatos; sed statim in partem aliam nichil transfert, sed tunc demum, postquam juxta formam constitutionis ejusdem rite cognitum et pronunciatum fuerit, partem, que se injuste separat, causam separacionis justam rationabilem et etiam manifestam parti alteri prestitisse, et in prestacione emende juxta formam ejusdem constitutionis taxate se contumacem exhibuerit aut rebellem maxime in communibus negotiis facultatis, in quibus secundum prefate constitutionis seriem nacio seu naciones auctoritatem separatim sibi vindicare nequeunt specialem. Ex quibus evidenter apparet, ex separacione presenti parti, que dicitur Alberici, nichil penitus accrevisse. Propter quod et alia dicta superius peticiones ejusdem partis super confirmationibus ac aliis circa hoc prout superius sunt expresse duximus reprobandas. Super irritacione vero actuum partis Sigeri, quam occasione separacionis predicte fieri pars petiit Alberici, illud servari volumus et teneri quod circa id inferius hec nostra ordinacio, dispositio, sententia seu pronunciatio comprehendit.

Ceterum quoad illa que ex parte que Sigeri dicitur coram nobis fuere proposita et petita arbitramur, pronunciamus et dicimus nichil rationabile ab ipsa parte fuisse probatum, propter quod predicti Alberici institucio in rectorem injusta debeat reputari, aut ea que ut rector exercuit irritari seu rectoria pro tempore sui regiminis pro vacante haberi, presertim cum ab ipsa parte contra electionem predictam nichil propositum fuerit

vel objectum. Et ideo petitiones omnes et singulas partis ejusdem super injusta institutione ipsius Alberici et vacatione rectorie regimine ipsius durante fundatas duximus reprobandas. Per hoc tamen institucionem eandem maxime cum a nobis petitum non fuerit non intendimus approbare, nec dicere, quod contra rectorem etiam legitime institutum non possint opponi crimina et probari, seu quod criminum objectorum cognitio ad illos pertineat quos in nostra constitutione dedimus cognitores, nisi forte occasione oppositionis hujusmodi contra ipsius constitutionis tenorem nacionis seu nacionum saltem pro majori parte ipsarum (quod non solum in contractibus sed etiam in delictis et commissione penarum quoad actus publicos seu communes juris interpretatio reputat pro eodem) diceretur separacio subsecuta, nam tunc de separacione et ejus causa ad ipsos judices cognicio et diffinicio pertineret. Unde processum et sententiam judicum non propter rationes partis ipsius, sed propter alia sicut pridem duximus reprobandos. Nec illa appellacio que ante pronunciationem judicum dicitur propter hoc interjecta, quod ad probandam excommunicationem contra testes objectam viij dierum dilatio non dabatur, debet legittima reputari, cum probatio excommunicationis objecte peremptorie contra testes non sit viij dierum spatio limitata, quin breviari possit a judice cujus potissime cognicio, sicut erat in casu presenti, certa meta temporis coartatur, nec ipsa appellatio nec illa etiam, que a pronunciatione judicum interposita dicitur, adjuvat seu relevat appellationem, etiamsi legitima extitisset, cum nullam ipsarum pars appellans fuerit legittime prosecuta et ideo non appellans merito reputatur. Ad hec bachalariorum utriusque partis licencias petitas durante discordia ab illis, qui ipsas conferre poterant, et optentas valuisse pronunciamus et dicimus et valere, cum contra eas ab alterutra partium nichil probatum fuerit, propter quod debeant irritari, et nostra constitutio cancellariorum auctoritatem, a qua ipse licencie vires recipiunt, quo ad hoc [non] minuat vel infringat. Verum circa principia ad predictas licencias dissencione durante in utralibet partium subsecuta, que forsitan sugillare[9] possit rigoris severitas et prima facie depravare, attendentes quod censure rigor et severitas ultionis non posset in eis absque gravi scandalo et animarum periculo manifesto propter multitudinem exerceri, benigniorem viam duximus eligendam. Cupientes itaque vitare scandala et animarum providere saluti, volentes etiam ut equitas stricto juri, severitati misericordia et benignitas, et potestati caritas preferantur, inter partes favorabiliter disponentes pro pace utilitate ac tranquillitate Parisiensis studii decernimus, ordinamus et dicimus, ipsa principia firma perpetuaque remanere et magistros qui tunc in artibus[10] inceperunt pro rite promotis et veris magistris reputari ab omnibus et censeri, utrique parti super refricatione hactenus objectorum contra ipsa principia sub interminacione anathematis silentium perpetuum imponentes. Ceteros vero actus facultatis legitimos et communes ad ipsam facultatem seu naciones aut nacionem spectantes vel spectantem per partem post predictam separacionem habitos Sigeri tanquam illicitos reprobantes ipsos actus sive consimiles pro parte, que dicitur Alberici, maxime ipsius Alberici finito regi-

mine subsecutos, propter illa que ex superioribus colliguntur non duximus approbandos. Super expensarum autem articulo, cum utramque partem sicut prediximus in multis invenerimus excessisse, earum utrique silentium perpetuum duximus imponendum. Sane articulum de xij licenciis, quas pars Sigeri nominat abusivas, cum adhuc de ipso nobis plene non liqueat, nostro reservamus examini juste donante Domino prout expediens fore viderimus decidendum. Illorum etiam qui contra ordinacionem nostram notabiliter excesserunt eorumque quos tanquam dyaboli satellites et ministros in seminatione ac continuacione dissencionis predicte fuisse invenerimus principales, condampnacionem ac impositionem penarum, prout delicti qualitas et culpe modus exegerint, propter exempli perniciem nostro arbitrio, ordinacioni, dispositioni ac beneplacito retinemus, ut mucrone justicie in sollercia perversorum taliter feriatur quod pena docente cognoscant, quam grave, quam periculosum, quam presumptuosum quamque actori pacis odiosum existat in agro Parisiensis studii virus discordie seminare, et ultionis condigne gladius videntibus transeat in exemplum et aures audientium tinnire faciat pre timore. Reservamus nobis nichilominus declarandi, interpretandi, addendi et diminuendi circa premissa et eorum quodlibet plenariam potestatem. Ne autem ab observatione predicte ordinacionis contra mentem ipsius se aliquis seva prerogativa verborum fraudulenter excuset vel maliciose confingat se propter ipsius ordinacionis traditionem obscuram crasse et supreme ignorancie nubilo circumventum, sed intellectu ejus manifestius cognito, universi et singuli, qui comprehenduntur in ipsa, inhibita per eam declinent et permissa sectentur, ac ea que agenda fuerint lympidius atque lucidius videant et cognoscant et ut inde procedat dubiorum moderacio ex ordinacione prelibata nascentium, unde ordinacio ipsa dignoscitur processisse, illam in quibusdam infrascriptis articulis auctoritate legationis qua fungimur duximus cum aliquibus supplecionibus declarandam.

Decernimus itaque statuentes ut quemadmodum statuta et interdicta de quibus in ipsa ordinacione nostra fit mentio de communi ac expresso cujuslibet nacionis consensu juxta formam ordinacionis ejusdem debent procedere, et aliter quidem facta non valent nec etiam sunt servanda: sic et simili consensu procedant cetera communia negocia facultatis, nec alio modo procedencia valeant vel serventur. Adicientes nichilominus ut sicut ex ordinacione predicta nulli nacioni licet se a tribus vel a duabus aliis separare, nisi justa rationabilis et manifesta separacionis causa suffuerit et secundum modum ibi traditum declarata: ita nec duabus a duabus vel uni vel tribus ab una se aliter liceat separare. Illud sane quod in separatione, cognitione ac decisione cause separationis et emende prestande incursione penarum aliisque[11] moderacione prefata statutum legitur observandum, quando una nacio a tribus vel due a duabus se separaverint aut voluerint separare, locum habere dicimus et tenere, quando unica nacio a duabus vel due seu tres ab una se separare voluerint aut duxerint separandas. Ad hoc quoque mentem verborum ordinacionis ejusdem ad juris intelligenciam referentes interpretando seu declarando

subjungimus ut, quod a majori parte nacionis in actibus communibus publice contra ordinacionis predicte tenorem excedendo factum fuerit aut obmittendo commissum, illud a tota nacione quantum ad illud omnes articulos in ordinacione sepe facta expressos, ubi de nacione sive nacionibus habetur mentio, actum et obmissum per omnia intelligi debeat ac censeri.

Ad officia quidem predicta, ne dispendiose vacet exercitium eorumdem, personas quas secundum qualitatem temporis et condicionem negocii congruere vidimus hac vice duximus eligendas. Magistrum Petrum de Alvernia[12] preficimus Universitatis rectorem; nacioni autem Gallicorum magistrum Stephanum Gebenensem, nacioni vero Picardorum magistrum Jacobum de Duaco, nationi vero Anglicorum magistrum Mauricium de Hibernia, et nacioni Normannorum magistrum Robertum dictum Rufum procuratores specialiter deputamus, — nacioni Gallicorum de Johanne de Cande, nacioni Picardorum[13] de Radulpho barbitonsore, ac dicte nacioni Anglicorum de Symoneto Anglico in bedellis nichilominus providentes. Sed de bedello nacionis Normannorum taliter ordinando disponimus et disponendo etiam ordinamus, quod Henricus de Haya sit bedellus nacionis ipsius, ipso tamen cedente officio bedellie vel etiam decedente per magistros nacionis ejusdem ad dictum officium aliquis qui sit de civitate vel de dyocesi Rothomagensi illa vice communiter eligatur. Volumus tamen quod si scriptura, que inter magistros civitatis et dyocesis Rothomagensis ex parte una, et magistros de sex episcopatibus provincia Rothomagensis ex alia confecta dicitur super creatione bedelli in nacione eadem, que fidem legitime faciat, valeat reperiri, illud quod per ipsam scripturam circa creationem bedelli in nacione ipsa apparuerit esse servandum, inviolabiliter observetur. Actum Parisius apud Sanctam Genovefam vocatis ad hoc et presentibus procuratoribus partium predictarum utriusque partis Parisius actu regentium et non regentium, et plurium aliorum multitudine copiosa die martis, non. Mayi[14], anno Domini M°CC°LXX° quinto, pontificatus domini Gregorii pape x^{i}, anno quarto[15].

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 32. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 40^{b}. — Bulaeus, III, 411.

1. Vide supra n° 409. — 2. Isti sex episcopatus erant : Abrincensis, Bajocensis, Constanciensis, Ebroicensis, Loxoviensis et Sagiensis. — 3. Vat. Reg. : « ejusdem ». — 4. I. e. circa an. 1272. — 5. Vide de ipso supra n^{is} 409 et 432. — 6. Vat. Reg. : « excommunicare ». — 7. Ibid. : « nimirum ». — 8. Ubique : « illis ». — 9. Vat. Reg. : « sigillare ». — 10. Ubique : « ipsis ». — 11. Vat. Reg. : « aliasque ». — 12. Idem Petrus de Alvernia rector Universitatis invenitur in documento anni 1296, die veneris in festo apostolorum Petri et Pauli (Arch. nat. S. 6219, n° 9 bis) quo inter procuratorem canonicorum S. Benedicti atque magistrorum domus de Sorbona arbiter occurrit. — 13. « Nacioni Picardorum » om. Vat. Reg. — 14. Bulaeus et Jourdain perperam : « die martis ante non. Maii », i. e. Aprilis 30. — 15. Ubique perperam : « quinto ».

---

461. *Ordinatio facultatis artium de determinantibus, de baccalareis et de magistris.*

1275, Decembris 5, [Parisiis].

Noverint universi quod nos omnes et singuli magistri regentes Parisius in artibus, attendentes et considerantes nostram facultatem multipliciter esse lapsam, lapsum ejus ex

omni parte cupientes pro nostris viribus reparare, utilitati private publicam preferentes, longa et provida deliberatione prehabita circa statum quemlibet facultatis predicte, quod magnum temporis spatium cogitando et quemlibet articulum versando diu et diutius ruminando velud in statera singula queque ponderantes, communicato bonorum antiquorum non regentium et maxime in artibus expertorum consilio, de communi consensu nostrum omnium nullo penitus contradicente quedam circa statum quemlibet facultatis prefate ordinavimus, statuimus et juramento vallamus deinceps observanda.

Inchoantes igitur a statu determinantium forme antique ab eisdem jurande quedam ad moderamen expensarum denuo adjungentes, quedam simpliciter in eadem contenta duximus renovanda, ut si qua male fuerint a nostris antecessoribus hactenus observata, a nobis successoribus imposterum artius observentur. *Primo* ergo statuimus ut nullus decetero, nisi prius in scolis publice magistro regenti actu de questione responderit ante Natale[1], ad examen determinantium admittatur. *Secundo* statuimus ut magistri non possint decetero a determinatoribus ex pacto recipere ultra duas bursas precii scolarum, sive tantum unicus determinator in scolis alicujus sive plures fuerint in scolis eisdem. *Tercio* statuimus ut determinatores non possint dare potationes nisi prima die et ultima sue determinationis. *Quarto* statuimus ut nullus audeat decetero illuminare cereos in vico nec in domo in die clara, nec illuminare permittat. *Quinto* statuimus ut determinatores nullum sibi capitaneum eligant quocumque nomine censeatur, sed regimine rectoris et procuratorum penitus sint contenti. *Sexto* statuimus ut omnes determinare inchoent infra octavas cinerum et deinceps per totam determinent Quadragesimam, nisi subdeterminatorem habeant, quem qui habuerint usque ad mediam Quadragesimam determinent; subdeterminatores vero determinare per residuum temporis teneantur. Istos autem articulos cum aliis omnibus in antiqua forma contentis volumus ut jurent bachellarii fide prestita corporali se firmiter et fideliter servaturos, antequam ipsis determinandi licentia conferatur, potestate dispensandi cum aliquo super premissis seu aliquo premissorum rectori, procuratoribus necnon examinatoribus penitus interdicta.

Circa statum vero bachellariorum *primo* duximus ordinandum ut nullus bachellarius licentiatus vel non licentiatus possit decetero legere cursorie, nisi prius fuerit nostre facultati juratus quod obediet rectori et procuratori in licitis et honestis. *Secundo* statuimus ut nullus bachellarius legat librum aliquem cursorie, nisi audiverit ipsum Parisius semel ad minus, vel bis in alio studio generali. In istis duobus articulis per rectorem et procuratores bachellarii astringentur, antequam eisdem legendi cursorie licencia concedatur.

Circa statum utique magistrorum statutum est et juratum, *primo* quod nullus magister recipiatur ad actus communes nostre facultatis vel alicujus nacionis nisi fuerit actu regens. Per actu regentem intelligimus eum qui legit qualibet die legibili in scolis in habitu et hora debita, nisi legittimum habeat impedimentum, quod rectori et procurato-

ribus pretendat, et super hoc fidem faciat si fuerit requisitus, antequam ad premissa fuerit admittendus. *Secundo* statuimus quod decetero non fiat in una septimana nisi una congregatio nostre facultatis, nisi casus emerserit pro quo oporteat cessare, ut mutilationis vel interfectionis; sed alia negocia per rectorem et procuratores expediantur, et si consilio indigeant, vocent antiquiores aliquos et discretos, vel usque ad congregationem negocia reserventur. Et fiat congregatio die disputabili, ita tamen quod disputationes non propter hoc impediantur, sed qui voluerint disputare, de licencia rectoris et sui procuratoris de congregatione recedant. Si vero in septimana non fuerit dies disputabilis, quod raro accidit, die sabbati post missas nacionum fiat congregatio, et illa die cursorie postea non legatur. *Tercio* statuimus ut nullus magister cujuscunque fuerit nacionis, provincie vel episcopatus, intromittat se nisi de unico festo principali in una nacione et etiam speciali, exceptis festis beati Nicholai et beate Katerine, que sunt communia et sollempnia toti clero. *Quarto* statuimus ut in eisdem festis vel aliis nullus magister faciat nec quantum in se est fieri permittat paramenta nec coreas duci in vico de die nec de nocte cum torticiis vel sine, cum talia clericos non deceant nec magistros precipue, sed potius redundent in vituperium clericorum.

Hec autem omnia statuimus et juravimus inviolabiliter observanda, retenta facultati predicte potestate addendi, mutandi, minuendi, corrigendi et etiam exponendi, dispensandi similiter, quocienscumque videbitur expedire, ita tamen quod de communi consensu omnium hoc procedat. Si quis vero magister vel bachellarius contra premissa vel premissorum aliquid quicquam attemptare presumpserit, a nostra societate se noverit expellendum, donec satisfactione premissa tota facultas ipsum duxerit revocandum. In cujus rei testimonium statutis presentibus signum rectoris et signum quatuor nacionum duximus apponenda. Datum anno Domini M°CC°LXXV°, die jovis ante festum beati Nicholai hiemalis.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 69. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 66b, sub rubrica : « De modo determinandi et licentiandi et incipiendi magistrorum ». — Bulaeus, III, 420.

1. De disputationibus circa Natale vide *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalt.*, III, 320, nota.

---

462. *Ordinatio Universitatis Parisiensis de librariis sive stationariis.*

1275, Decembris 8, Parisiis.

Universitas magistrorum et scolarium Parisius ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ager ille fructus uberes afferre noscitur, cui cura coloni caucius undique providetur, ne nos dominico laborantes in agro ad fructum centenum virtutibus et scientia Domino disponente querendum utrunque molestari vel impediri contingat, ab illis maxime qui circa Parisiense studium propter questum in operibus mercennariis et ministerio quod impen-

dunt malo more versantur, ordinamus statuendo et statuimus ordinando ut stacionarii, qui vulgo librarii appellantur, annis singulis vel de biennio in biennium, aut alias quando ab Universitate fuerint requisiti, corporale prebeant juramentum, quod libros recipiendo venales, custodiendo, exponendo eosdem et vendendo et alias suum ministerium circa studium exhibendo fideliter et legitime se habebunt.

Item quia nonnulli de librariis supradictis insaciabili cupiditati studentes ipsi studio ingrati quodammodo sunt et graves, dum in libris habendis quorum usus maxime necessarius est studiosis difficultatem inducunt et emendo vilius, vendendo carius, et aliis excogitatis fraudibus libros ipsos efficiunt cariores, licet ad instar eorum qui ex officio amministrant, in hujusmodi debeant se habere palam et bona fide, quam utique melius observarent, si simul emptoris et venditoris officio nullatenus uterentur, statuimus ut ipsi librarii jurent, sicut superius est expressum, quod infra mensem a die quo libros venales recipient numerandum[1] de libris illis ut sibi habeant nullum[2] celebrabunt aut simulabunt[3] contractum, nec ipsos libros suppriment aut celabunt, ut postmodum sibi emant sive retineant, sed bona fide statim libris receptis vel aliis quandocumque loco et tempore oportuno ipsos ad vendendum exponent. Et si requisiti fuerint a venditoribus, estimabunt et dicent bona fide quantum credent in veritate libros ad vendendum oblatos justo et legitimo precio posse vendi; libri etiam venalis precium et nomen venditoris[4] ponent in aliqua parte libri[5], ut pateat intuenti. Jurabunt etiam quod cum libros vendiderint, eos non assignabunt ex toto nec transferent in emptores nec precium recipient pro eisdem, donec denuncient venditori vel mandato suo quod precium veniat recepturus; et quod de precio pro libris oblato puram et simplicem sine fraude dicent et[6] mendacio veritatem, nec alias quoquomodo vel cupiditate vel dolo circa suum officium aliquid attentabunt, unde posset studio vel studentibus irrogari aliquod detrimentum.

Item licet dignus operarius sit mercede, quam et lege civili petit licite (*Proxenetica*[7]), quia tamen a librariis frequenter modus exceditur qui in talibus est habendus, statuimus ut stacionarii jurent quod ultra quatuor denarios de libra et de minori quantitate pro rata de salario pro libris venditis non exigent, et illos non a venditore exigent, sed emptore.

Item quoniam ex corruptis exemplaribus et mendosis dispendia multa proveniunt[8], statuimus quod dicti librarii jurent se prestaturos curam et operam efficacem cum omni diligencia et labore quod exemplaria vera habeant et correcta et quod pro exemplaribus aliquid ultra justum et moderatum salarium vel mercedem seu ultra id quod ab Universitate vel deputatis ab ea taxatum fuerit[9] non exigent a quocunque.

Item statuimus quod si forte librarii supradicti premissa vel aliqua de premissis jurare noluerint, aut circa predicta postquam juraverint fraudem commiserint, aut ipsa omnia et singula diligenter non observaverint, non solum Universitatis gratia et favore sint penitus alieni, sed et officium quod prius ratione studii exercebant exercendi liberam non habeant decetero facultatem, ita quod nullus magister aut scolaris cum librariis

supradictis ullum prorsus commercium aut contractum habere presumat, postquam dictos librarios circa premissa vel aliqua de premissis constiterit commisisse. Si vero magister aliquis aut scolaris contravenire presumpserit, beneficio societatis magistrorum et scolarium sit eo ipso privatus, donec per ipsam Universitatem fuerit restitutus[10]. Acta ex deliberacione et statuta sunt hec in congregatione generali Parisius in capitulo fratrum Predicatorum et sigillo Universitatis sigillata vj° idus Decembris, anno Domini M°CC°LXX° quinto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 68, n° 1. Fragmentum sigilli cerei filis seric. rub. coloris appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 72b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 68, sub rubrica ut supra, demptis verbis « Universitatis Paris. ». *Chartul. facult. Decret.* in Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, fol. 160b. — Bulaeus, III, 419.

1. « Infra duos menses... numerandos » suprascripsit in Orig. manus altera sed coaeva. — 2. Om. Vat. Reg. — 3. Ibid. : « stipulabunt ». — 4. « Et nomen venditoris » add. in Orig. manus altera coaeva, alibi praeterquam in Cod. Arsen. loco horum verborum : « et nomen illius cujus liber est ». — 5. Om. Vat. Reg. — 6. Add. manus altera in Orig. « sine ». — 7. Orig. et mss. perperam : « pro senecta ». Cf. L. I. D. de proxeneticis, 50, 14 : Proxenetica jure licito petuntur. — 8. Cf. supra n° 278, n. 3, ex Rogero Bacone. — 9. Ex hoc apparet magistros isto jam tempore quaedam exemplaria taxasse. — 10. Ad haec vide statuta Studii Bononiensis in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch. des Mittelalt.*, III, 291 sqq.

---

463. *Officialis curiae Parisiensis notas facit duas chartas in favorem Roberti de Sorbona, ex cujus testamento de suis bonis mobilibus quasdam clausulas affert.*

1275, mense Decembri, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis .. officialis curie Paris. salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis constituti vir venerabilis magister Matheus de Clariaco, canonicus Parisiensis, et Petrus beneficiatus in scoliam Sancti Mederici Parisiens. executores ut dicebant testamenti seu ultime voluntatis bone memorie defuncti magistri Roberti de Sorbon, canonici quondam Parisiensis, asseruerunt quod vir nobilis dominus Rogerus frater Castellani de Insula miles tenebatur dicto defuncto magistro Roberto, tempore quo decessit, in quadraginta libris parisiens. ex parte una, et viginti libris parisiens. ex alia parte prout continetur in duobus parris litterarum sigillo predicti militis sigillatarum prout prima facie apparebat. Quarum litterarum in Romano scriptarum [una] formam continet que talis est :

« Je Rogiers, chevaliers freres au Chastelain de Lille, fas asavoir a touz ceus qui ces lestres verront et orront que je doi a mestre Robert de Sorbon, chanoine de Paris, quarente livres de parisis qu'il a paies por moi a Paris por mes propres despans, lesquiex je promest a rendre par ma foi au devant dit mestre Robert ou a son commandemant de la Pasque qui pruchéniemant vient an un an, et an tesmoing de ceste chose je li ai bailliees ces lestres seellees de mon seel. Ce fu fai an l'an de l'incarnacion nostre Seigneur mil dex cenz et septante dex, le lundi apres la thiephanie. »

Item et alteram litteram in Romano vidimus sub hac forma :

« Je Rogiers, chevaliers freres au Chastelain de Lille, fas asavoir a touz ceus qui ces lestres verront et orront que je doi à mestre Robert de Sorbon, chanoine de Paris,

vint livres de parisis qu'il a paiez por moi a Paris por mes propres despens, lesquiex je promest a rendre par ma foi au devant dit maistre Robert ou a son commendemant dedanz la quinzene de la Purification notre dame qui prochenemant vient. Et an tesmoing de ceste chose je li ai baillies ces lestres seellees de mon seel. Ce fut fait l'an de l'incarnation nostre Seigneur mil dex cens et septente dex, le lundi après la thephanie. »

Et exhibuerunt prenominati executores testamentum dicti defuncti magistri Roberti, sigillo curie Paris. et sigillo ipsius magistri Roberti sigillatum, prout prima facie apparebat. In quo testamento[1] continetur clausula que talis est : « Item legavit congregationi pauperum magistrorum quorum provisor extitit libros suos theologie, videlicet textus, questiones, sermones, exceptis dumtaxat quibusdam sermonibus de quibus fecit executoribus suis mentionem ». Item in dicto testamento clausula continetur que talis est : « Item voluit et ordinavit quod medietas bonorum suorum residuorum mobilium solutis debitis et legatis supradictis cedat in utilitatem supradictorum pauperum magistrorum ». Quarum litterarum et clausularum predictarum transcriptum, sicut superius exprimitur, fecimus cujuslibet jure salvo. Qui quidem executores supradicti coram nobis propter hoc constituti predictas pecunie summas a dicto milite ut dictum est debitas, et omne jus ac omnem actionem que ipsis executoribus competunt aut competere possunt vel debent erga dictum militem occasione dictorum debitorum ab eodem, juxta formam et potestatem sibi traditam a dicto magistro Roberto, prout in dicto suo testamento contineri dicebant, dederunt, cesserunt et quitaverunt ex nunc coram nobis congregationi dictorum pauperum magistrorum supradicte, et in eandem congregationem exnunc totaliter transtulerunt juxta ordinacionem et ultimam voluntatem dicti defuncti magistri Roberti pro porcione illam communitatem contingente in residuo supradicto. Quitantes ipsi executores nomine executorum dicti testamenti predictum militem et heredes ipsius de dictis petivere summis, si dicte communitati fuerint persolute, et promittentes bona fide nomine quo prius quod contra donationem, cessionem, translationem et quitacionem predictas jure aliquo per se aut per alios non venient infuturum. Que autem audivimus, hec cujuslibet jure salvo testamur, in premissorum testimonium ad requisicionem dictorum executorum sigillum curie Parisiens. presentibus litteris apponentes. Dat. anno Domini millesimo CC°LXX° quinto, mense decembri.

J. de S. Prion.

Originale in Archiv. nat. S. 6213, n° 153. Appenditur taeniolum, sigillo avulso.

1. De rebus mobilibus. Vide ad haec supra n° 431, n. 5.

464. *Fundatio Collegii Daciae.*

An. 1275.

Messire Jehan dict que l'an MCCLXXV un docteur du pays de Dace[1] donna un hostel assis à Paris pour les escolliers du royaume de Dace à tiltre[2], et depuis en lieu dudit hostel les escolliers du royaume de Dace à tiltre de permutation et eschange ont eu un autre hostel assis emprès les Carmes.

Ex charta an. 1384, Jul. 13 (incipit : « Du joudy XIII jour de juillet MCCCLXXXIV entre messire Jehan de Dace d'une part et le recteur et université de Paris et plusieurs autres d'autre part, Messire Jehan dict », *etc.*) apud Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, IV, 535.

1. Secundum Grammium (*Oratio de orig. et statu rei litter. in Dania*) iste doctor fuit Erlandus, 15 April. an. 1274 in archiepiscopum Lundensem electus, et 28 Aug. 1276 defunctus. Juxta alios nominabatur Johannes de Dacia, canonicus S. Genovefae (cf. *Gallia christiana*, VII, 743), cujus obitus in *Necrol. S. Genovefae* ad vj non. Octob. assignatur. Bibl. S. Genovefae, ms. BB[1]. 42[2]. — 2. Dani primo habitabant domum in vico S. Genovefae.

---

465. *Summus pontifex cancellarium Parisiensem hortatur ut fr. Johanni de Lixiaco, Cluniacensis Ordinis, licentiam in theologia regendi tribuat.*

An. 1259-1275.

Dilecto filio cancellario ecclesie Parisiensis. Virtutum[1] intenta cultui sacra religio Cluniacensis Ordinis, cui ex providencie divine consilio ille confessor altissimus gratia Benedictus et nomine, cujus odor sidereus per orbem longe lateque diffusus preeminentia claritatis irradiat, preclarum dedit initium et admirabile contulit incrementum, sancte religionis decore prefulget et precellentium rutilans operum sanctitate, Deo placidum se exhibet et apud alios gratiam gloriose opinionis effundit, circa cujus revera statum eo perspicacius acie apostolice considerationis extendimus, ejusque prosperitate eo desiderabilius affectamus, quo per eam tam sedi apostolice quam universali ecclesie ampliores fructus honoris accedunt et potioris utilitatis proveniunt incrementa. Inter hujusmodi enim religionis angelice professores, cujus orbem terre spatiosa latitudo complectitur, personas decet omnibusque inveniri temporibus que thesauro scientie splendeant sicut rutilant sanctitate, ut ex utriusque concursu luminis tanti dignitas Ordinis taliter illustretur quod in declaranda scientia fidei et roboranda operum disciplina sui desiderii sanctitate proficere valeant, Ordo ipse sit semper in lucem gentium et perempnis glorie mereatur augmentum. Sane porrecta nobis ex parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Cluniacensis .. diocesis petitio continebat quod nos olim ad ipsorum supplicationis instantiam te per alias nostras litteras rogandum duximus et hortandum, per apostolica tibi nichilominus scripta mandantes ut dilecto filio J. de Lixiaco, suppriori prioratus de Caritate dicti Ordinis, Autisiodorensis diocesis, qui librum *Sententiarum* legerat solempniter Parisius septem annis tunc elapsis, et reputabatur ydoneus ad obtinendum licentiam in theologica facultate, si eum invenires ydoneum, ordine qui servari

consuevit in talibus observato, in ea sibi licentiam hujusmodi largiaris. Et licet postmodum eisdem per te receptis litteris prefatus J. servato hujusmodi ordine ad optinendum licentiam ipsam adeo repertus fuisset ydoneus ut in eum majoris partis magistrorum in dicta facultate regentium et non regentium super hoc vota concurrerent, tu tamen sibi dictam licentiam concedere pro tue voluntatis libito distulisti, quamvis ab eadem etiam majori parte fuisset propterea legitime ac humiliter supplicatum, ut super hoc per nostras litteras expressius tibi scribere dignaremur. Nos igitur, qui eorundem abbatis et conventus in hac parte supplicationibus libenter annuimus, nolentes imperfectum deseri quod de ipso Johanne laudabiliter noscimur inchoasse, quin potius volentes eum pietatis paterne studio in hujusmodi suo voto laudabili favorabiliter promovere, quo prudenter attendit quod scientiarum generosa possessio in plures dispersa non deperit et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit, distributa quoque incrementum suscipit, et avarum dedignata possessorem nisi publicetur elabitur, et propter hoc donum scientie sacre pagine sibi a Domino creditum tanto docendo accumularet uberius, quanto diligentius legendo aliis studiosius erogaret, post diutinos labores exactos in hujusmodi sacre pagine studio ad magisterii gradum ferventer aspirat : quocirca discretionem tuam rogando monemus et hortamur attentius per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes quatinus attendentes provide, quod aurum dispersum rutilat melius quam signatum, nichilque a vilibus tophis gemme differunt nisi deducantur in medium, nec sunt claudendi doctrine rivi sed, juxta Salomonem, « deriventur fontes tui foras et aquas tuas in plateis divide », si dictus Johannes ordine qui servari consuevit in talibus observato per depositiones magistrorum Parisius in dicta facultate regentium et non regentium vel majoris partis eorum reperiatur ydoneus ad hujusmodi licentiam obtinendam, eidem Johanni licentiam ipsam absque dilacionis obstaculo ac difficultatis obice largiaris. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis cancellario ecclesie Parisiensis, qui est pro tempore, aut eidem ecclesie vel universitati magistrorum et scolarium Parisiens. concessis seu statutis et consuetudinibus cancellarii ecclesie ac universitatis predictorum contrariis, juramento, confirmatione sedis apostolice vel quavis firmitate alia roboratis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta largitio dicte licentie impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumcunque totis tenoribus oporteat in eisdem nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum fieri mentionem. Hujusmodi autem preceptum nostrum sic prompte absque difficultatis obstaculo ob reverenciam dicte sedis et nostram executioni demandes ac efficaciter adimplere procures, quod super hoc aliquatenus de negligentia vel inobedientia reprehendi non valeas, quin potius a nobis et eadem sede proinde commendari merito tamquam devotionis et obedientie filius merearis.

Collectio Marini de Ebolo in Arch. S. Petri de Urbe C. 117, fol. 196b, et quidem in margine inferiori. Deest in cod. Arch.

Vat. — Epistola caret temporis nota et inscriptione nominis papae. Ad an. 1275, Martii 25, quidam fr. Johannes supprior prioratus de Charitate nominatur. Cf. De Lespinasse, *Cartul. du prieuré de la Charité-sur-Loire*, p. 261, nº 125. Epistola haud facile post praedictum annum scripta est, nec etiam ante an. 1259, quo primus magister Ord. Cluniac. laudatur (supra nº 340). Quod ad cancellarium attinet charta optime congrueret aetati magistri Stephani (circa an. 1263 usque 1268). De initiis Collegii Cluniacensis Parisiis vide supra nº 375, nota.

1. Hoc initium epistolae, demptis quibusdam lectionibus variantibus, congruit cum initio litterarum Innocentii IV pro Cisterciensibus supra nº 133 editarum.

---

466. *Philippus III, Francorum rex, notum facit se litteras vidisse quibus Ludovicus IX recognoscit privilegia magistris et scholaribus Parisiensibus a Philippo Augusto concessa.*

1276, mense Januario, Parisiis.

Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos litteras inclite recordationis preklarissimi domini et genitoris nostri Ludovici regis Francorum vidimus in hec verba : In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia, *etc. sicut supra* nº 66, *usque in finem. Deinde :* In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense Januario.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 6. Sigillum cereum vir. col. filis seric. rub. et vir. col. appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers.

---

467. *Philippus III, Francorum rex, praeposito Parisiensi mandat ut magistros et scholares Parisiens. ab injustis violentiis defendat.*

1276, Julii 27, apud Melodunum.

Philippus Dei gratia Francorum rex .. preposito Parisiensi salutem. Mandamus tibi quatinus universitatem magistrorum et scolarium Parisius studentium defendas ab injustis violenciis et gravaminibus manifestis. Actum apud Meledunum die lune post festum beate Marie Magdalene, anno Domini MºCCº septuagesimo sexto.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 21. e. — Jourdain, nº 245, qui chartam perperam ad Jul. 26 refert.

---

468. *Ordinatio Universitatis Parisiensis, ne magistri et baccalarei in locis privatis libros, exceptis grammaticalibus et logicalibus, legant.*

1276, Septembris 2, apud S. Bernardum.

Universitas magistrorum et scolarium Parisiensium ad perpetuam rei memoriam. Verus Samaritanus noster in mundum veniens naturam humanam miserabiliter sauciatam sanitati restituit, vinum et oleum sauciati vulneribus infundendo. Quia vero patitur recidivum, adhiberi debuit medicina, que foret utilis ad salutem juxta qualitatem morbi, nunc fomenta, nunc actiora remedia salubriter apponendo. Propter quod sacrosancta ecclesia diversosca nones edidit secundum culparum exigentiam puniens transgressores et futuris

periculis cautelam adhibens. Nos suo magisterio edocet, quid in consimilibus facere debeamus. Hinc est, quod nos attendentes occulta conventicula ad docendum sacris canonibus interdicta et inimica sapientie (cujus professores existimus), que mentes hominum illuminans tenebras detestatur, communi utilitate pensata presumptioni quorumdam malignantium obviare volentes de communi consensu statuimus ac etiam ordinamus, quod nullus magister vel bachallarius cujuscumque fuerit facultatis, legere decetero acceptent[1] in locis privatis aliquos libros propter multa pericula, que inde emergere possunt, sed in locis communibus ubi omnes possint confluere, qui ea que ibi docentur[2] valeant reportare[3] fideliter, exceptis dumtaxat libris gramaticalibus ac logicalibus, in quibus nulla presumptio potest esse. Hec autem statuimus et ordinamus inviolabiliter secundum tenorem privilegiorum a sede apostolica indultorum magistris et scolaribus Parisiens. observanda. Si quis autem contra hoc statutum seu ordinationem venire presumpserit, privationem societatis magistrorum et scolarium se noverit incursurum. Actum et ordinatum apud Sanctum Bernardum in Cardineto in congregatione generali, anno Domini M°CC°LXX° sexto, die mercurii ante Nativitatem beate Marie, retenta nobis addendi, subtrahendi, inmutandi et revocandi cum nobis videbitur potestate.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 7. a. Restat taeniol. membr. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 61b. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 64, sub rubrica : « Ordinatio qui libri debentur legi in locis privatis ». — Bulaeus, III, 430.

1. Ubique excepto orig. : « attemptent ». — 2. Orig. : « doceretur ». — 3. I. e. « transcribere ».

---

469. *Guillelmus, archidiaconus ecclesiae Parisiensis, notum facit magistrum Guillelmum de Monte-Morenciaco electum fuisse in provisorem pauperum magistrorum de Sorbona.*

1276, Novembris 14, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis Guillermus in ecclesia Paris. archidiaconus salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, die sabbati post festum beati Martini hiemalis, litteras fel. rec. domini Clementis pape quarti non cancellatas, non abolitas, non in aliqua sui parte viciatas vidisse in hec verba : « Clemens episcopus servus servorum Dei dil. fil. provisori pauperum magistrorum et ipsis magistris in theologica facultate studentibus in vico ad portas ante palacium de Termis, *etc. sicut supra* n° 421. Dat. Viterbii x kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto ». Nos autem Guillermus archidiaconus loci cum ceteris personis superius nominatis, ad quas auctoritate presentis littere pertinebat electio provisoris in domo predicta, habita deliberatione diligenti super provisore eligendo magistrum Guillermum de Monte Morenciaco, tunc archipresbyterum Sancti Severini Paris., nunc vero canonicum Parisiensem, elegimus ad provisorem et regimen dicte domus[1]. In cujus rei testimonium

presentes litteras sigillo curie nostre ad petitionem dicti magistri Guillermi fecimus sigillari. Datum anno et die predictis [2].

Magnum Chartul. eccles. Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 53^b. — Bulaeus, III, 235.

1. Ipse fuit primus provisor Sorbonae post Robertum de Sorbona, ut legitur in *Necrol. Sorbon.* ad vj non. Martii : « anniversarium mag. Guillermi de Monte Morenciacho quondam succentoris Paris., secundi provisoris domus de Sorbona, qui legavit C libr. turon. et libros usque ad valorem I libr., et xxxviij sol. paris. annuatim pro pictantia in redditibus ». Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16574, fol. 28. Vide Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 153. — 2. Haec temporis nota, id est 14 Novemb. 1276, non designat momentum, quo secundus provisor domus Sorbonae electus est, cum ipse in *Cartul. de la Sorbonne* (Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 35, 54^b, 34) jam ad Decemb. 1275 (Orig. in Arch. nat. Paris. S. 6229, nº 26), Jun. et Jul. 1276 afferatur, sed potius tempus, quo provisor a Guillelmo archidiacono chartam sigillatam de sua electione habita petiit.

---

470. *Simon legatus excommunicat illos qui in festo alicujus nationis ducunt publice choreas, portant arma, faciunt comessationes, in ecclesiis ad taxillos ludunt aliaque nefanda perpetrant.*

1276, Decembris 6, Parisiis.

Simon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus ad futuram rei memoriam. Omnipotens Dominus in sanctis suis mirabilis ipsos sanctos et electos suos hic certantes in carne ac propter ipsum afflictos irremuneratos nequaquam preteriens in terris decoravit miraculis, et in celesti patria vite perhempnis gloria sublimavit : quos et in terris ab invocantibus nomen ejus condigna voluit honorificentia revereri. Horum autem memoriam christiana religio in valle miserie presentis seculi constituta festivis sollempniis congruis ad hoc temporibus representat, qua laus sanctorum exaltetur in populis ac debitis attollatur honoribus, et caritas representantium ipsorum patrocinio in amorem Christi ferventius accendatur. Sane ex pia devotione scolarium, qui olim Parisius studuerunt, credimus processisse et annis plurimis ab eorum sequacibus observatum, quod unaqueque natio scolarium eorundem aliqua sanctorum festa cum veneratione sollempni specialiter celebrabat, divinis exequendis officiis reverenter, orationibus, eleemosinis aliisque pietatis operibus cum attentiori diligentia habundancius insistendo. Nunc vero, sicut multiplicatis clamoribus audivimus ammirantes et dolentes referimus, bene sonantis cithare dulcis sonus in vocem lamentationis lugubrem miserabiliter est conversus, et odor devotionis alias consuetus fetorem diffundit lascivie et in virorum cordibus honestorum amaritudinis materiam subministrat. Fertur enim quod modernis temporibus, cum occurrunt festivitates hujusmodi celebrande, predicti scolares, devotione cultus divini postposita spretisque caritatis operibus consuetis, commessationibus, potationibus aliisque reprobandis actibus intendentes choreasque et alia nephanda exercere ludibria nichilominus presumentes, honestatem militie clericalis a se prorsus abiciunt, arma sumunt et armati incedunt nocturno tempore catervatim, perturbantes tumultuosis ac inhonestis vocibus civitatem aliaque varia committentes, per que non solum incurrunt rerum dispendia, sed etiam non sine gravi laicorum scandalo subse-

cuntur frequentius pericula personarum. Et quod gravius est ferendum, in contemptum illius qui vendentes et ementes ejecit de templo, ad abominabilia manus suas detestabiliter extendentes, quod est dictu horribile, factoque nephandius in ipsis ecclesiis, dum divina celebrare deberent officia, etiam super sacris altaribus ubi corpus et sanguis Redemptoris nostri per sacerdotum ministerium consecratur, non sine nota heretice pravitatis ad taxillos ludere non verentur, nomen Creatoris ipsius et Virginis gloriose et aliorum sanctorum Domini prout in ludis hujusmodi, qui non ludi sed crimina sunt censendi, ab ipsis lusoribus usitatum est fieri, blasphemantes. Et sic quod ad salutis commodum antiquorum introduxit devotio, ad lugendum pertrahitur exitium animarum. Nos itaque, qui statum Parisiensis studii fore prosperum et honestum ab annis teneris affectamus, tam perniciosum abusum a non paucis annis inolitum in vituperium ordinis clericalis, ex quo predicti studii deformatur honestas, profectus scolarium spiritualiter et temporaliter impeditur, divina majestas offenditur et scandalum in populo generatur, cupientes ab ipso studio penitus aboleri; verentes etiam ne talis lapsus scolarium predictorum, si illum sub dissimulatione transeundum duxerimus, nobis ad culpam a districto judice debeat imputari : insolentias, enormitates, ludibria, et excessus predictos qua fungimur auctoritate decetero fieri prohibentes, eos qui contra nostram prohibitionem hujusmodi venire presumpserint, sive talia fieri procuraverint, vel ut fiant opem et operam, consilium vel favorem prebuerint aut consensum, excommunicationis sententie quam in ipsos proferimus ipso facto volumus subjacere. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Dat. Parisius viij id. Decembris, pontificatus domini Johannis pape XXI anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66ª, nº 7. Sigillum cer. rub. col. taeniolo memb. appenditur. Pertinebat ad Arch. Univers. — Bulaeus, III, 431.

---

471. *Johannes XXI Stephano episcopo Parisiensi scribit ut de erroribus contra fidem, qui Parisiis de novo pullulare dicuntur, inquirat.*

1277, Januarii 18, Viterbii.

.. Episcopo Parisiensi. Relatio nimis implacida nostrum nuper turbavit auditum, amaricavit et animum, quod Parisius, ubi fons vivus sapientie salutaris habundanter huc usque scaturiit suos rivos limpidissimos fidem patefacientes catholicam usque ad terminos orbis terre diffundens, quidam errores in prejudicium ejusdem fidei de novo pullulasse dicuntur. Volumus itaque tibique auctoritate presentium districte precipiendo mandamus quatinus diligenter facias inspici vel inquiri[1], a quibus personis et in quibus locis errores hujusmodi dicti sunt sive scripti, et que didiceris sive inveneris, conscripta fideliter nobis per tuum nuntium transmittere quamcitius non omittas. Dat. Viterbii xv kal. Februarii[2], anno primo.

Reg. Vat. Johannis XXI, ep. 159, fol. 57. — Bulaeus, III, 431. — Johannes XXI vocabatur magister Petrus Hispanus,

quem Salimbene in suo *Chron.* (ed. Parm., p. 133) magnum sophistam, logicum, disputatorem et theologum nominat. Auctor esse dicitur *Summularum logicalium*, olim in scholis adhibitarum. In veteri catalogo scriptorum Ord. Praed. ante an. 1323 composito fr. Petro Alphonsi Hispano, Ord. Praed., ascribuntur (vide *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalt.* II, 233, nº 63), quod tamen admitti nequit, cum in mss. antiquis auctor nunquam « fr. Ord. Praed. » nominatur. Sic v. g. in codice paene coaevo Bibl. Capit. Cordubensis nº 318 habetur in fine : « Expliciunt Sincategoreumata mag. Petri Hispani. »

1. Vide nº 473. — 2. Bulaeus, l. c., D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 175, Jourdain, nº 249, perperam « v kal. Febr. », i. e. 28 Januarii.

---

472. *Ordinatio facultatis Decretorum contra magistrum Emmanuelem, archidiaconum Cremonensem, perjurum et contumacem.*

1277, Februarii 18, [Parisiis].

Anno Domini MºCCºLXXºVIº, die jovis post brandones fuit recitatum inter magistros decretorum apud Sanctum Julianum, missa expleta, qualiter magister Emanuel archidiaconus Cremonensis, ut dicit, legerat in suo nomine in scolis magistri G. de Cutri[1], quo pretextu sibi fuerat injunctum pluries ut solveret medietatem pensionis scolarum, scilicet sex libras, aut racionem redderet quare non teneretur, cum in mane se legisse confiteretur in eisdem, datis auditoribus a collegio facultatis ad raciones audiendas. Qui auditis partibus collegio retulerunt die jovis ante eosdem brandones[2] non audivisse causam, quare idem Emanuel dicte pensionis medietatem solvere non deberet. Et sic dictum collegium per juramentum, quod fecerat eidem collegio, injunxit per bedellum communem eidem multis presentibus, quod satisfaceret eidem Gerardo de dicta pensionis medietate infra dictum diem jovis post brandones, alioquin interdicebat idem collegium eidem actum legendi seu potestatem tanquam perjuro atque rebelli. Et quia non est satisfactum dicta die, idem ab eodem collegio, ad instanciam ejusdem, privatus est actu et potestate legendi decretales Parisius. Item cum idem jurasset eidem collegio obedire et ad mandatum decani venire cum vocaretur, aut quatuor solidos solveret collegio, si non veniret, et quinquies fuerit vocatus, nec se excusaverit nec satisfecerit pro eisdem, licet pluries fuerit monitus, tanquam inobedienti, perjuro et contumaci actus predictus legendi est eciam ex hiis causis ei non immerito interdictus. Immo plus, cum idem Emanuel reverenciam et obedienciam jurasset decano facultatis predicte et ea que dicerentur in facultate celare, ipse proprium juramentum contempnens eundem decanum irreverenter contra statuta et consuetudinem Universitatis coram officiali Parisiensi trahere minime formidavit super hiis, que idem asserebat per eundem decanum in collegio sibi dicta fuisse. De quibus dictis dictus officialis, quia pocius ad collegium et Universitatem pertinebant quam ad se, se intromittere penitus non curavit, etiam episcopo Parisiensi hoc sibi injungente.

Chart. facult. Decret. in Bibl. Arsen. Paris., ms. 1121, fol. 176b.

1. Gerardi de Cutri. Vide supra nº 442. — 2. 11 Februarii.

473. *Opiniones ducentae undeviginti Sigeri de Brabantia, Boetii de Dacia aliorumque, a Stephano episcopo Parisiensi de consilio doctorum sacrae scripturae condemnatae.*

1277, Martii 7, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis Stephanus, permissione divina Parisiensis ecclesie minister indignus, salutem in filio Virginis gloriose. Magnarum et gravium personarum crebra zeloque fidei accensa insinuavit relatio, quod nonnulli Parisius studentes in artibus proprie facultatis limites excedentes quosdam manifestos et execrabiles errores, immo potius vanitates et insanias falsas in rotulo seu cedulis, presentibus hiis annexo seu annexis contentos quasi dubitabiles in scolis tractare et disputare presumunt, non attendentes illud Gregorii : Qui sapienter loqui nititur, magno opere metuat[1], ne ejus eloquio audientium unitas confundatur, presertim, cum[2] errores predictos gentilium scripturis muniant[3], quas, proh pudor! ad suam imperitiam asserunt sic cogentes, ut eis nesciant respondere. Ne autem, quod sic innuunt[4], asserere videantur, responsiones ita palliant, quod, dum cupiunt[5] vitare Scillam, incidunt in Caripdim. Dicunt enim ea esse vera secundum philosophiam, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint due contrarie veritates, et quasi contra veritatem sacre scripture sit veritas in dictis gentilium dampnatorum, de quibus scriptum est : « Perdam sapientiam sapientium », quia vera sapientia perdit falsam sapientiam. Utinam tales attenderent consilium sapientis dicentis : « Si tibi est intellectus, responde proximo tuo : sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris ». Ne igitur incauta locutio simplices pertrahat in errorem, nos tam doctorum sacre scripture[6], quam aliorum prudentium virorum communicato consilio districte talia et similia fieri prohibemus, et ea totaliter condempnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores vel aliquem ex illis[7] dogmatizaverint, aut deffendere seu sustinere presumpserint quoquomodo, necnon et auditores, nisi infra vij dies nobis vel cancellario Parisiensi duxerint revelandum, nichilominus processuri contra eos pro qualitate culpe ad penas alias, prout jus dictaverit, infligendas. Librum etiam « De amore », sive « De Deo amoris[8] », qui sic incipit : *Cogit me multum, etc.*, et sic terminatur : *Cave igitur, Galtere, amoris exercere mandata, etc.;* item librum Geomantie[9], qui sic incipit : *Estimaverunt Indi*[10], *etc.*, et sic terminatur : *Ratiocinare ergo super eum, et invenies, etc.,* item libros, rotulos seu quaternos nigromanticos aut[11] continentes experimenta sortilegiorum, invocationes demonum, sive conjurationes in periculum animarum, seu in quibus de talibus et similibus fidei orthodoxe et bonis moribus evidenter adversantibus tractatur, per eandem sententiam nostram condempnamus, in omnes, qui dictos rotulos, libros, quaternos dogmatizaverint, aut audierint, nisi infra vij dies nobis vel cancellario Parisiensi predicto revelaverint eo modo, quo superius est expressum, in hiis scriptis excommunicationis[12] sententiam proferentes, ad alias penas, prout gravitas culpe exegerit, nichilominus processuri. Datum anno Domini

millesimo CC° septuagesimo sexto, die dominica, qua cantatur *Letare Jherusalem*, in curia Parisiensi.

Explicit epistola. Sequuntur errores annotati in rotulo[13].

1. Quod Deus non est trinus et unus, quoniam trinitas non stat cum summa simplicitate. Ubi enim est pluralitas realis, ibi necessario est additio et compositio. Exemplum de acervo lapidum.

2. Quod Deus non potest generare sibi similem. Quod enim generatur, ab aliquo habet principium, a quo dependet. Et, quod in Deo generare non esset[14] signum perfectionis.

3. Quod Deus non cognoscit alia a se.

4. Quod nichil est eternum a parte finis, quod non sit eternum a parte principii.

5. Quod omnia separata coeterna sunt primo principio.

6. Quod redeuntibus corporibus celestibus omnibus in idem punctum, quod fit in xxx sex milibus annorum, redibunt idem effectus, qui sunt modo[15].

7. Quod intellectus non est forma corporis[16], nisi sicut nauta navis, nec est perfectio essentialis hominis.

8. Quod intellectus, quando vult, dimittit corpus, et quando vult, induit[17].

9. Quod non fuit primus homo, nec erit ultimus, immo semper fuit et semper erit generatio hominis ex homine.

10. Quod generatio hominis est circularis, eo quod forma hominis redit pluries super eandem partem materie[18].

11. Quod homo est homo preter animam rationalem.

12. Quod, quia Socrates factus est non[19] receptibilis eternitatis, si debet esse eternus, necesse est ut transmutetur natura et specie.

13. Quod ex sensitivo et intellectivo[20] in homine non fit unum per essentiam, nisi sicut ex intelligentia et orbe, hoc est, unum per operationem[21].

14. Quod homo pro tanto dicitur intelligere, pro quanto celum dicitur ex se intelligere, vel vivere, vel moveri, id est, quia agens istas actiones est ei unitum ut motor mobili, et non substantialiter.

15. Quod homo post mortem amittit omne bonum.

16. Quod de fide non est curandum, si dicatur aliquid esse hereticum, quia[22] est contra fidem.

17. Quod non contingit[23] corpus corruptum redire idem numero, nec idem numero resurget.

18. Quod resurrectio futura non debet concedi a philosopho, quia impossibile est eam investigari per rationem. — Error, quia etiam philosophus debet captivare intellectum in obsequium Christi.

19. Quod anima separata nullo modo patitur ab igne.

20. Quod lex naturalis prohibet interfectionem animalium irrationabilium sicut rationabilium, licet non tantum.

21. Quod nichil fit a casu, sed omnia de necessitate eveniunt, et, quod omnia futura, que erunt, de necessitate erunt, et que non erunt[24], impossibile est esse, et quod nichil fit contingenter, considerando omnes causas. — Error, quia concursus causarum est de diffinitione casualis, ut dicit Boetius libro de Consolatione.

22. Quod felicitas non potest a Deo immitti immediate.

23. Quod dicere Deum dare felicitatem uni, et non alii, est sine ratione et figmentum.

24. Quod omnes scientie sunt necessarie, preter philosophicas disciplinas, et, quod non sunt necessarie, nisi propter consuetudinem hominum.

25. Quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili et corruptibili.

26. Quod prima causa posset producere effectum sibi equalem[25], nisi temperaret potentiam suam.

27. Quod Deus non posset facere plures animas in numero[26].

28. Quod Deus nunquam plus creavit intelligentiam, quam modo creat.

29. Quod Deus est infinite virtutis in duratione, non in actione, quia talis infinitas non est[27], nisi in corpore infinito, si esset.

30. Quod intelligentie superiores creant animas rationales sine motu celi; intelligentie autem inferiores creant vegetativam et sensitivam motu celi mediante.

31. Quod intellectus humanus est eternus, quia est a causa eodem modo semper se habente, et quia non habet materiam[28], per quam prius sit in potentia quam in actu.

32. Quod intellectus est unus numero omnium, licet enim separetur a corpore hoc, non tamen ab omni.

33. Quod raptus et visiones non fiunt, nisi per naturam.

34. Quod prima causa non posset plures mundos facere.

35. Quod sine agente proprio, ut patre et homine, non posset fieri homo a deo.

36. Quod Deum in hac vita mortali possumus intelligere per essentiam.

37. Quod nichil est credendum, nisi per se notum, vel ex per se notis possit declarari.

38. Quod Deus non potuit fecisse[29] primam materiam, nisi mediante corpore celesti.

39. Quod a voluntate antiqua non potest novum procedere[30] absque transmutatione precedente.

40. Quod non est excellentior status, quam vacare philosophie.

41. Quod intellectus Socratis corrupti non habet scientiam eorum, quorum habuit.

42. Quod causa prima non habet scientiam futurorum contingentium. Prima ratio, quia futura contingentia sunt non entia. Secunda, quia futura contingentia sunt particularia; Deus autem cognoscit virtute intellectiva, que non potest particulare cognoscere.

Unde, si non esset sensus, forte [31] intellectus non distingueret inter Socratem et Platonem, licet distingueret inter hominem et asinum. Tertia est ordo cause ad causatum; prescientia enim divina est causa necessaria prescitorum. Quarta est ordo scientie ad scitum; quamvis enim scientia non sit causa sciti, ex quo tamen scitur, determinatur ad alteram partem contradictionis; et hoc multo magis in scientia divina, quam nostra.

43. Quod primum principium non potest esse causa diversorum factorum hic inferius, nisi mediantibus aliis causis, eo quod nullum transmutans diversimode transmutat, nisi transmutatum.

44. Quod ab uno primo agente non potest esse multitudo effectuum.

45. Quod primum principium non est propria causa eternorum, nisi metaphorice, quia conservat ea, id est, quia, nisi esset, ea non essent.

46. Quod, sicut ex materia non potest aliquid fieri sine agente, ita nec ex agente potest aliquid fieri sine materia; et, quod Deus non est causa efficiens, nisi respectu ejus quod habet esse in potentia materie.

47. Quod entia declinant ab ordine prime cause, in se considerata, licet non in ordine ad alias [32] causas agentes in universo. — Error, quia essentialior et inseparabilior est ordo entium ad primam causam, quam ad causas inferiores.

48. Quod Deus non potest esse causa novi facti, nec potest aliquid de novo producere.

49. Quod Deus non possit movere celum motu recto. Et ratio est, quia tunc relinqueret vacuum.

50. Quod Deus non potest irregulariter, id est, alio modo, quam movet, movere aliquid, quia in eo non est diversitas voluntatis.

51. Quod Deus est eternus in agendo et movendo, sicut in essendo; aliter ab alio determinaretur, quod esset prius illo.

52. Quod id, quod de se determinatur ut Deus, vel semper agit, vel nunquam; et, quod multa sunt eterna.

53. Quod Deum necesse est facere, quicquid inmediate fit ab ipso. — Error, sive intelligatur de necessitate coactionis, quia tollit libertatem, sive de necessitate inmutabilitatis, quia ponit impotentiam [33] aliter faciendi.

54. Quod primum principium non potest inmediate producere generabilia, quia sunt effectus novi. Effectus autem novus exigit causam inmediatam, que [34] potest aliter se habere.

55. Quod primum non potest aliud a se producere; quia omnis differentia, que est inter agens et factum, est per materiam [35].

56. Quod Deus non potest inmediate cognoscere contingentia, nisi per aliam particularem causam et proximam.

57. Quod si omnes cause aliquando fuerint in quiete, necesse est ponere Deum mobilem.

58. Quod Deus est causa necessaria prime intelligentie : qua posita ponitur effectus, et sunt simul duratione.

59. Quod Deus est causa necessaria motus corporum[36] superiorum et conjunctionis et divisionis continentis in stellis.

60. Quod ad hoc, quod omnes effectus sint necessarii respectu cause prime, non sufficit, quod ipsa causa prima non sit impedibilis; sed exigitur, quod cause medie non sint impedibiles. — Error, quia tunc Deus non posset facere effectum necessarium sine causis posterioribus.

61. Quod Deus possit agere contraria, hoc est, mediante corpore celesti, quod est diversum in ubi.

62. Quod Deus est infinite virtutis, non quia faciat aliquid de nichilo, sed quia continuat motum infinitum.

63. Quod Deus non potest in effectum cause secundarie sine ipsa causa secundaria[37].

64. Quod effectus inmediatus a primo debet esse unus tantum, et simillimus primo.

65. Quod Deus vel intelligentia non infundit scientiam anime humane in sompno, nisi mediante corpore celesti.

66. Quod plures sunt motores primi.

67. Quod primum inmobile simpliciter non movet, nisi aliquo moto mediante, et quod tale movens inmobile est pars moti ex se.

68. Quod potentia activa, que potest esse sine operatione, est potentie passive permixta. — Error, si intelligatur de quacumque operatione[38].

69. Quod substantie separate, eo quod habent unum appetitum, non mutantur in opere[39].

70. Quod intelligentie, sive substantie separate, quas dicunt eternas, non habent proprie causam efficientem, sed metaphorice, quia habent conservantem causam in esse; sed non sunt facte de novo, quia sic essent transmutabiles.

71. Quod in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio; nec sunt in potentia ad aliquid, quia eterne et immunes sunt a materia[40].

72. Quod substantie separate, quia[41] non habent materiam, per quam prius sint in potentia, quam in actu, et sunt a causa eodem modo semper se habente : ideo sunt eterne.

73. Quod substantie separate per suum intellectum creant res.

74. Quod intelligentia motrix celi influit in animam rationalem, sicut corpus celi influit in corpus humanum.

75. Quod angelus non potest in actus oppositos inmediate, sed in actus mediatos mediante alio, ut orbe.

76. Quod angelus nichil intelligit de novo.

77. Quod si esset aliqua substantia separata, que non moveret aliquod corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo.

78. Quod substantie sempiterne separate a materia habent bonum, quod est eis possibile, cum producuntur, nec desiderant aliquid, quo carent.

79. Quod substantie separate sunt sua essentia, quia in eis idem est quo est, et quod est[42].

80. Quod omne, quod non habet materiam, est eternum; quia, quod non est factum per transmutationem materie, prius non fuit[43] : ergo est eternum[44].

81. Quod, quia intelligentie non habent materiam, Deus non posset facere plures ejusdem speciei[45].

82. Quod intelligentie superiores non sunt causa alicujus novitatis in inferioribus, et quod superiores sunt inferioribus causa eterne cognitionis.

83. Quod intelligentia perficitur a Deo in eternitate, quia secundum totum inmutabilis est, anima autem celi non.

84. Quod intelligentia recipit a Deo esse per intelligentias medias.

85. Quod scientia intelligentie non differt a substantia ejus; ubi[46] enim non est diversitas intellecti ab intelligente, nec diversitas intellectorum.

86. Quod substantie separate sunt actu infinite. Infinitas enim non est impossibilis, nisi in rebus materialibus.

87. Quod mundus est eternus, quantum ad omnes species in eo contentas; et, quod tempus est eternum, et motus, et materia, et agens, et suscipiens; et quia est a potentia Dei infinita, et impossibile est innovationem esse in effectu sine innovatione in causa.

88. Quod nichil esset novum, nisi celum esset variatum respectu materie generabilium.

89. Quod impossibile est solvere rationes philosophi de eternitate mundi, nisi dicamus, quod voluntas primi implicat incompossibilia.

90. Quod naturalis philosophus debet negare simpliciter mundi novitatem, quia innititur causis naturalibus, et rationibus naturalibus. Fidelis autem potest negare mundi eternitatem, quia innititur causis supernaturalibus.

91. Quod ratio philosophi demonstrans motum celi esse eternum non[47] est sophistica; et mirum, quod homines profundi hoc non vident.

92. Quod corpora celestia moventur a principio intrinseco, quod est anima; et quod moventur per animam et per virtutem appetitivam, sicut animal. Sicut enim animal appetens movetur, ita et celum.

93. Quod corpora celestia habent ex se eternitatem sue substantie, sed non eternitatem motus.

94. Quod duo sunt principia eterna, scilicet corpus celi, et anima ejus.

95. Quod tria sunt principia in celestibus: subjectum motus eterni; anima corporis celestis[48]; et primum movens ut desideratum. — Error est quoad duo prima.

96. Quod Deus non potest multiplicare[49] individua sub una specie sine materia.

97. Quod individua ejusdem speciei differunt sola positione materie, ut Socrates et Plato[50], et quod forma humana existente in utroque eadem numero non est mirum, si idem numero est in diversis locis.

98. Quod mundus est eternus, quia quod habet naturam, per quam possit esse in toto futuro, habet naturam, per quam potuit esse in toto preterito[51].

99. Quod mundus, licet sit factus de nichilo, non tamen est factus de novo; et quamvis de non esse exierit in esse, tamen non esse non precessit esse duratione, sed natura tantum.

100. Quod theologi dicentes quod celum quandoque quiescit, arguunt ex falsa suppositione; et, quod dicere, celum esse, et non moveri, est dicere contradictoria.

101. Quod infinite precesserunt revolutiones celi, quas non fuit impossibile comprehendi a prima causa, sed ab intellectu creato.

102. Quod anima celi est intelligentia, et orbes celestes non sunt instrumenta intelligentiarum sed organa, sicut auris et oculus sunt organa virtutis sensitive.

103. Quod forma, quam oportet esse et fieri[52] in materia, non potest agi ab illo, quod non agit ex materia[53].

104. Quod humanitas non est forma rei, sed rationis.

105. Quod forma hominis non est ab extrinseco, sed educitur de potentia materie, quia aliter non esset generatio univoca.

106. Quod omnium formarum causa effectiva inmediata est orbis.

107. Quod elementa sunt eterna. Sunt tamen facta de novo[54] in dispositione, quam modo habent.

108. Quod anima humana nullo modo est mobilis secundum locum, nec per se, nec per accidens; et si ponatur alicubi per substantiam suam, nunquam movebitur de ubi ad ubi.

109. Quod substantia anime est eterna; et quod intellectus agens et possibilis sunt eterni.

110. Quod motus celi sunt propter animam intellectivam; et anima intellectiva sive intellectus non potest educi, nisi mediante corpore.

111. Quod nulla forma ab extrinseco veniens potest facere unum cum materia. Quod enim separabile est, cum eo, quod est corruptibile, unum non facit.

112. Quod intelligentie superiores imprimunt in inferiores, sicut anima una imprimit in aliam, et etiam in animam sensitivam; et per talem impressionem incantator aliquis prohicit camelum in foveam solo visu.

113. Quod anima separata non est alterabilis secundum philosophiam, licet secundum fidem[55] alteretur.

114. Quod anima rationalis, quando recedit ab animali, adhuc remanet animal vivum.

115. Quod anima intellectiva cognoscendo se cognoscit omnia alia. Species enim omnium rerum sunt sibi concreate. Sed hec cognitio non debetur intellectui nostro, secundum quod noster est, sed secundum quod est intellectus agens.

116. Quod anima est inseparabilis[56] a corpore; et quod ad corruptionem harmonie corporalis corrumpitur anima.

117. Quod scientia magistri et discipuli est una numero; ratio autem, quod intellectus sic unus est[57]: quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentia materie.

118. Quod intellectus agens non copulatur nostro possibili; et quod intellectus possibilis non unitur nobiscum secundum substantiam. Et si uniretur nobis ut forma, esset inseparabilis[58].

119. Quod operatio intellectus non uniti copulatur corpori, ita quod operatio est rei non habentis formam, qua operatur. — Error, quia ponit, quod intellectus non sit forma hominis.

120. Quod nichil potest sciri de intellectu post ejus separationem.

121. Quod intellectus, qui est ultima[59] hominis perfectio, est penitus abstractus.

122. Quod intellectus possibilis[60] est inseparabilis[61] a corpore simpliciter quantum ad hunc[62] actum, qui est specierum receptio, et quantum ad judicium, quod fit per simplicem specierum[63] adeptionem, vel intelligibilium compositionem. — Error, si intelligatur de omnimoda receptione.

123. Quod intellectus agens est quedam substantia separata superior ad intellectum possibilem; et quod secundum substantiam, potentiam et operationem est separatus a corpore, nec est forma corporis humani.

124. Quod inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis; quia cum ista diversitas non possit esse a parte corporum, oportet quod sit a parte intelligentiarum; et sic anime nobiles et ignobiles essent necessario diversarum specierum, sicut intelligentie. — Error, quia sic anima Christi non esset nobilior anima Jude.

125. Quod intellectus speculativus simpliciter est eternus et incorruptibilis; respectu vero hujus hominis corrumpitur corruptis fantasmatibus in eo.

126. Quod intellectus possibilis nichil est in actu, antequam intelligat; quia in natura[64] intelligibili esse aliquid in actu est esse actu intelligens.

127. Quod ex intelligente et intellecto fit una substantia, eo quod intellectus sit ipsa intelligentia[65] formaliter.

128. Quod illud, quod de sui natura non est determinatum ad esse vel non esse, non determinatur, nisi per aliquid, quod est necessarium respectu sui.

129. Quod voluntas manente passione et scientia particulari in actu non potest agere contra eam.

130. Quod, si ratio recta, et voluntas recta. — Error; quia contra glossam Augustini super illud psalmi : « Concupivit anima mea desiderare », *etc.*, et quia secundum hoc, ad rectitudinem voluntatis non esset necessaria gratia, sed scientia solum, quod est error Pelagii.

131. Quod voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moveri et manente[66] sic disposito, quod natum est movere, impossibile est voluntatem non velle.

132. Quod orbis est causa voluntatis medici, ut sanet.

133. Quod voluntas et intellectus non moventur in actu per se, sed per causam sempiternam, scilicet corpora celestia.

134. Quod appetitus, cessantibus impedimentis, necessario movetur ab appetibili. — Error est de intellectivo.

135. Quod voluntas secundum se est indeterminata ad opposita sicut materia; determinatur autem ab appetibili[67], sicut materia ab agente.

136. Quod homo agens ex passione coacte agit.

137. Quod quamvis generatio hominum possit deficere, virtute[68] primi tamen non deficiet; quia orbis primus non solum movet ad generationem elementorum, sed etiam hominum.

138. Quod, cum Deus non comparetur ad entia in ratione cause materialis vel formalis, non facit accidens esse sine subjecto, de cujus ratione est actu inesse subjecto[69].

139. Quod accidens existens sine subjecto non est accidens, nisi equivoce; et quod impossibile est quantitatem sive dimensionem esse per se; hoc enim esset ipsam esse substantiam.

140. Quod facere accidens esse sine subjecto, habet rationem impossibilis, implicantis contradictionem.

141. Quod Deus non potest facere accidens esse sine subjecto, nec plures dimensiones simul esse.

142. Quod ex diversitate locorum acquiruntur necessitates eventuum.

143. Quod ex diversis signis celi signantur diverse conditiones in hominibus tam donorum spiritualium, quam rerum temporalium[70].

144. Quod omne bonum, quod homini possibile est, consistit in virtutibus intellectualibus.

145. Quod nulla questio est disputabilis per rationem, quam philosophus non debeat

disputare et determinare, quia rationes accipiuntur a rebus. Philosophia autem omnes res habet considerare secundum diversas sui partes.

146. Quod possibile vel impossibile simpliciter, id est, omnibus modis, est possibile vel impossibile secundum philosophiam.

147. Quod impossibile simpliciter non potest fieri a Deo, vel ab agente alio. — Error, si de impossibili secundum naturam intelligatur.

148. Quod homo per nutritionem potest fieri alius numeraliter et individualiter.

149. Quod alius est intellectus in ratione secundum quod Deus intelligit se et alia. — Error, quia licet sit alia ratio intelligendi, non tamen alius intellectus secundum rationem.

150. Quod homo non debet esse contentus auctoritate ad habendum certitudinem[71] alicujus questionis.

151. Quod ad hoc, quod homo habeat aliquam certitudinem alicujus conclusionis[72] oportet, quod sit fundatus super principia per se nota. — Error, quia generaliter tam de certitudine[73] apprehensionis quam adhesionis loquitur.

152. Quod sermones theologi fundati sunt in fabulis.

153. Quod nichil plus scitur propter scire theologiam.

154. Quod sapientes mundi sunt philosophi tantum.

155. Quod non est curandum de sepultura.

156. Quod si celum staret, ignis in stupam non ageret, quia Deus non esset[74].

157. Quod homo ordinatus quantum ad intellectum et affectum, sicut potest sufficienter esse per virtutes intellectuales et alias morales, de quibus loquitur philosophus in Ethicis, est sufficienter dispositus ad felicitatem eternam.

158. Quod post conclusionem factam de aliquo faciendo, voluntas non manet libera; et quod pene non adhibentur a lege, nisi ad ignorantie correptionem, et ut correptio sit aliis principium cognitionis.

159. Quod voluntas hominis[75] necessitatur per suam cognitionem, sicut appetitus bruti.

160. Quod nullum agens est ad utrumlibet, immo determinatur.

161. Quod effectus stellarum super liberum arbitrium sunt occulti.

162. Quod voluntas nostra subjacet potestati corporum celestium.

163. Quod voluntas necessario prosequitur, quod firmiter creditum est a ratione; et quod non potest abstinere ab eo, quod ratio dictat. Hec autem necessitatio non est coactio, sed natura voluntatis.

164. Quod homo in omnibus actionibus suis sequitur appetitum, et semper majorem. — Error, si intelligatur de majori in movendo[76].

165. Quod non est possibile esse peccatum in potentiis anime superioribus. Et ita peccatum fit[77] passione, non voluntate.

166. Quod peccatum contra naturam, utpote abusus in coitu, licet sit contra naturam speciei, non tamen est contra naturam individui.

167. Quod quibusdam signis sciuntur hominum intentiones et mutationes intentionum, et an ille intentiones perficiende sint, et quod per tales figuras sciuntur eventus peregrinorum, captivatio hominum, solutio captivorum, et an futuri sint scientes an latrones.

168. Quod continentia non est[78] essentialiter virtus.

169. Quod perfecta abstinentia ab actu carnis corrumpit virtutem et speciem[79].

170. Quod pauper bonis fortune non potest bene agere in moralibus.

171. Quod humilitas, prout quis non ostentat[80] ea que habet, sed vilipendit et humiliat se, non est virtus. — Error, si intelligatur: nec virtus nec actus virtuosus.

172. Quod delectatio in actibus venereis non impedit actum seu usum intellectus.

173. Quod scientia contrariorum solum est causa[81], quare anima rationalis potest in opposita; et quod potentia simpliciter una non potest in opposita, nisi per accidens, et ratione alterius.

174. Quod fabule et falsa sunt in lege christiana, sicut in aliis.

175. Quod lex christiana impedit addiscere.

176. Quod felicitas habetur in ista[82] vita, et non in alia.

177. Quod non sunt possibiles alie virtutes, nisi acquisite, vel innate.

178. Quod finis[83] terribilium est mors. — Error, si excludat inferni terrorem[84] qui extremus est.

179. Quod non est confitendum, nisi ad apparentiam.

180. Quod non est orandum.

181. Quod castitas non est majus bonum, quam perfecta abstinentia[85].

182. Quod possibile est, quod fiat naturaliter universale diluvium ignis.

183. Quod simplex fornicatio, utpote soluti cum soluta, non est peccatum.

184. Quod creatio non est possibilis, quamvis contrarium tenendum sit secundum fidem.

185. Quod non est verum, quod aliquid fiat ex nichilo, neque factum sit in prima creatione.

186. Quod celum nunquam quiescit, quia generatio inferiorum, que est finis motus celi, cessare non debet; alia ratio[86], quia celum suum esse et suam virtutem habet a motore suo; et hec conservat celum per suum motum. Unde si cessaret a motu, cessaret ab esse.

187. Quod nos pejus aut melius intelligimus, hoc provenit ab intellectu passivo, quem dicit[87] esse potentiam sensitivam. — Error, quia hoc[88] ponit unum intellectum in omnibus, aut equalitatem in omnibus animabus.

188. Quod si in aliquo humore virtute stellarum deveniretur ad talem proportionem,

cujusmodi proportio est in seminibus parentum, ex illo humore posset generari homo; et sic[89] homo posset sufficienter generari ex putrefactione.

189. Quod cum intelligentia sit plena formis, imprimit illas formas in materiam per corpora celestia tanquam per instrumenta.

190. Quod prima causa est causa omnium remotissima. — Error, si intelligatur ita scilicet, quod non propinquissima.

191. Quod forme non recipiunt divisionem, nisi per materiam. — Error, nisi intelligatur de formis eductis de potentia materie.

192. Quod materialis forma non potest creari.

193. Quod intellectus potest transire de corpore in corpus, ita quod sit successive motor diversorum corporum.

194. Quod anima nichil vult, nisi mota ab alio. Unde illud est falsum : anima seipsa vult. — Error, si intelligatur mota ab alio scilicet ab appetibili vel objecto, ita quod appetibile vel objectum sit tota ratio motus ipsius voluntatis.

195. Quod fatum, quod est dispositio universi, procedit ex providentia divina non inmediate, sed mediante motu corporum superiorum; et quod istud fatum non imponit necessitatem inferioribus, quia habent contrarietatem, sed superioribus.

196. Quod dignitatis est in causis superioribus, posse facere peccata et monstra[90] preter intentionem, cum natura hoc possit.

197. Quod aliqua possunt casualiter evenire respectu cause prime; et quod falsum est, omnia esse preordinata a causa prima, quia tunc evenirent de necessitate.

198. Quod in causis efficientibus causa secunda habet actionem, quam non accepit a causa prima.

199. Quod in causis efficientibus cessante prima non cessat secunda ab operatione sua, dum tamen secunda operetur secundum naturam suam.

200. Quod evum et tempus nichil sunt in re, sed solum in apprehensione.

201. Quod, qui generat mundum secundum totum, ponit vacuum, quia locus necessario precedit generatum in loco; et tunc ante mundi generationem fuisset locus sine locato, quod est vacuum.

202. Quod elementa previa[91] generatione sunt facta ex illo chaos; sed sunt eterna.

203. Quod universum non potest deficere, quia primum agens habet transmutare eternaliter vicissim, nunc ad istam formam, nunc ad illam, et similiter[92] materia nata est transmutari.

204. Quod substantie separate sunt alicubi per operationem; et quod non possunt moveri ab extremo in extremum, nec in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis. — Error, si intelligatur, sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco ad locum.

205. Quod tempus est infinitum quantum ad utrumque extremum, licet enim impos-

sibile sit, infinita esse pertransita, quorum aliquid fuit pertranseundum; non tamen impossibile est, infinita esse pertransita, quorum nullum fuit pertranseundum.

206. Quod sanitatem, infirmitatem, vitam et mortem attribuit[93] positioni siderum et aspectui fortune, dicens quod si aspexerit eum fortuna, vivet; si non aspexerit, morietur.

207. Quod, in hora generationis hominis in corpore suo et per consequens in anima, que sequitur corpus, ex ordine causarum superiorum et inferiorum inest homini dispositio inclinans ad tales actiones vel eventus. — Error, nisi intelligatur de eventibus naturalibus, et per viam dispositionis.

208. Quod duobus bonis propositis quod fortius est fortius movet. — Error, nisi intelligatur quantum est[94] ex parte boni moventis.

209. Quod omnes motus voluntarii reducuntur in motorem primum. — Error, nisi intelligatur in motorem primum simpliciter, non creatum; et intelligendo de motu secundum substantiam, non[95] secundum defformitatem.

210. Quod materia exterior obedit substantie spirituali. — Error, si intelligatur simpliciter, et secundum omnem modum transmutationis.

211. Quod intellectus noster per sua naturalia[96] potest pertingere[97] ad cognitionem prime cause. — Hoc male sonat, et est error, si intelligatur de cognitione inmediata.

212. Quod intelligentia sola voluntate movet celum.

213. Quod natura, que est principium motus in corporibus celestibus, est intelligentia movens. — Error, si intelligatur de natura intrinseca, que est actus vel forma.

214. Quod anima nunquam moveretur, nisi corpus moveretur, sicut grave vel leve nunquam moveretur, nisi aër moveretur.

215. Quod de Deo non potest cognosci, nisi quia ipse est, sive ipsum esse.

216. Quod Deum esse ens per se[98] positive, non est intelligibile; sed privative est ens per se.

217. Quod creatio non debet dici mutatio ad esse. — Error, si intelligatur de omni modo mutationis.

218. Quod intelligentia, vel angelus, vel anima separata nusquam est.

219. Quod substantie separate nusquam sunt secundum substantiam. — Error, si intelligatur ita, quod substantia non sit in loco. Si autem intelligatur, quod substantia[99] sit ratio essendi in loco, verum est, quod nusquam sunt secundum substantiam.

Explicit[100] *rotulus errorum continens ducentos et decem et novem articulos Parisius dampnatos*[101] *a Stephano ejusdem loci fidedigno ministro et episcopo anno Domini M°CC° septuagesimo sexto, die dominica, qua cantatur* Letare Jherusalem *in curia Parisiensi.*

Bibl. Trecensis, ms. 665 (saec. XIII), fol. 253ᵇ, cum quo ms. lat. (saec. XIII-XIV) 4391 in Bibl. nat. Paris. quantum ad lectiones variantes maxima ex parte concordat. Utrumque olim ad Ord. Cisterc. pertinuit. Bibl. Burghes. 360, fol. 304ᵇ (saec. XIII). Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15661 (olim Sorb. 395, saec. XIII), fol. 79; ms. lat. 17476 (saec. XIII), fol. 185; ms. lat. 14508 (saec. XIII-XIV) ubi fol. 257ᵇ in margine : « articuli condempnati Parisius ab episcopo anno Domini M° CC° LXXVI, qui excommunicavit [eum] qui aliquem de eis dogmatizare vel [etiam] sustinere presumpserit quoquo modo ». Epistola

episcopi deest in isto ultimo ms. et collectio finit nunc cum 114 articulo. Ms. lat. 16533 (saec. XIII-XIV) fol. 54[b] sqq. unacum epistola Stephani est notae inferioris. Bibl. Brugensis, ms. 154. In ms. lat. Paris. 15761, fol. 155[b], collectio non supergreditur 26 errorem, sicut Bibl. de Rouen ms. A. 263, fol. 300, non 21 art. At in isto ultimo fol. 307 invenitur epistola Stephani, quae sola sine Erroribus in ms. lat. 15888, fol. 181[b] (saec. XIV), Bibl. Arsen. ms. 329, fol. 233, scripta est. In Bibl. Burghes. 296 in fine (saec. XIV) sunt 126 errores (cum epistola) diverso ordine. In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16393, fol. 129, 257[b], exstat instrumentum vulgo *vidimus* appellatum officialis Paris. omnium 219 articulorum atque epistolae Stephani, anno 1303 (in fine tamen, fol. 258, legitur : « indict. 13 pontif. Johann. XXII anno 14 », id est, 1330) confectum quod eundem textum praebet atque alii mss. Paris., sicut et Bibl. Amplon. ms. 179 in-fol. (saec. XIV exeunt.), fol. 112; Cod. convent. Ord. Praed. Vindob. in-4° (saec. XV, sicut et duo codd. sequentes), fol. 87, et iterum fol. 117[b]; Cod. Vat. lat. 900, fol. 116[b]; Bibl. Univers. Paris. ms. t. I. 36, fol. 80 (sine epistola); Carlsruhe, Bibl. publ. n° 168, fol. 33 (saec. XIV), ut taceamus de editionibus.

Aliqui errorum a diversis doctoribus saec. XIII et XIV occasione data in medium proferuntur. Raimundus Lullus tamen omnes, quanquam ordine inverso, affert in suo libro an. 1297 vel 1298 composito et adhuc inedito : *Declaratio per modum dialogi edita contra aliquorum philosophorum et eorum sequacium opiniones, etc.*, in. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16117 (saec. XIV), fol. 54; Bibl. Monac., mss. lat. 10497, fol. 77 (s. XIV), et 10590, fol. 72; Cod. Vat. Urbin., ms. 1394, fol. 145 (usque ad err. 62), defenditque opposita eorum contra philosophum eos astruentem. Hunc librum Lulli esse eundem, qui in catalogo opp. Lulli an. 1311 (Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15450, f. 80) intitulatur : *Liber contra errores Boetii et Sigerii*, jam Hauréau in *Hist. litt. de la France*, XXIX, 334, autumavit. Sicque quidam Boetius et Sigerus saec. XIII exeunte principales istarum opinionum assertores habebantur. De Sigero de Brabantia jam supra ad errores an. 1270 n° 432 verba facimus. Boetius vero nominatur etiam ad calcem errorum in ms. Paris. 16533, fol. 60 (vide infra in fine n. 100). In ms. lat. 4391 Bibl. nat. Paris., fol. 68, revera omnes 219 errores eodem ordine sicut supra se subsequentes perstringuntur (cujus contrarium quis conjicere posset ex *Journal des Savants* infra citato) sub rubrica : *Contra Segerum et Boetium hereticos*. Hauréau in *Journal des Savants*, 1886, p. 176 sqq., monstravit istum Boetium fuisse quemdam Boetium de Dacia, et aliquos errores inveniri in ejusdem opere : *Quaestiones supra libros Topicorum* (quae etiam in Cod. Vat. lat. 4883, fol. 88, exstant), minime vero « presque littéralement », ut ipse asserit. Adhuc tamen sub judice lis est, an iste Boetius Dacus sit ille frater Ord. Praed. ejusdem nominis et forte ejusdem temporis, quem Echard in *SS. Ord. Praed.*, I, 640, perperam ad an. 1353 refert, et cui insuper opera apud Echard, p. 734 (Pignon, n° 63) relata ascribuntur, inter quae quoddam scriptum in *Topica* Aristot. recensetur (cf. antiquum catalogum in *Arch. f. Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalt.*, II, 230, n° 35). Certum tantum est Boetium auctorem *Quaestionum super libros Topicorum* in nullo quatuor codd. ut alumnum Ord. Praed. designari (quod alias, quando auctor ad Ord. pertinet, vulgo fit) nec ut fratrem, nec etiam ut religiosum publice philosophiam docere potuisse in vico Garlandiae seu Straminis. — Minime tamen duo tantum, immo plures fuerunt auctores istarum opinionum, ut nobis ex collatione ipsarum persuasum fit. Auctores vero non, ut quandoque credebatur, scholae Franciscanae erant alumni. Plures opiniones injuste a Stephano episcopo, de cujus indole vide supra n° 396, n. 3, condemnatae sunt, ut jam theologi aequales, v. g. Aegydius de Roma (*Quol.* II, qu. 7) et Godofredus de Fontibus (*Quol.* XII, qu. 5), asseruerunt (vide D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 213 sq. ubi etiam a p. 175-184 ista collectio errorum). Sententiam S. Thomae de Aquino *de principio individuationis* tangere videntur « errores » 81; 96; 191. Immo magister Johannes de Neapoli, O. P., scribit saec. XIV ineunte in suo *Quolibeto* II, qu. ult., suo tempore quosdam credidisse, per sequentes articulos S. Thomae sententias esse condemnatas : 79; 81 (cf. 27, 96, 97); 124; 129 (cf. 163); per primam partem erroris 156; 173; 187; 212; 218 et 219 (cf. ad ultimos articulum contrarium 204). Probare nititur, per nullum illorum derogari doctrinae S. Thomae (ms. conventus Ord. Praed. Vindobon. in-4°, articulos insuper condemnatos continens, fol. 98[b]). Certe in condemnatione an. 1277 Parisiis non aperte agitur de S. Thoma. Nominatim de quibusdam ejus opinionibus, praesertim *de unitate formae* in homine, tractatum est in Universitate Paris. primo adhuc eo vivente et praesente ann. 1269-1271, deinde eo mortuo inter 20 Maii et 25 Novemb. 1277, ut apparet ex epistolis Johannis Peckham infra n[is] 517, 518, 523 relatis.

Post editionem errorum a Stephano, episcopo Parisiensi, et a Roberto, archiepiscopo Cantuariensi, proscriptorum quidam ignotus (haud dubie in Anglia) majoris commoditatis gratia varios elenchos errorum processu temporis Parisiis et Oxoniae damnatorum in unum collegit et composuit *Collectionem errorum omnium in Anglia et Parisius condemnatorum*. Uti circa finem saec. XIII privatus quidam, scilicet celeber fr. Aegydius de Roma, Ord. S. Augustini, collectionem errorum philosophorum Aristotelis, Averrois, Avicennae, Algazelis, Alkindi et Rabbi Moysis redegit, teste ms. 68 in Bibl. Univers. Matrit. (cf. errores in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 16195, fol. 31; 16533, fol. 47; Bibl. Escorial. ms. T. I. 15, in fine 1 partis *Summae* S. Thomae; Amplon. Fol. ms. 288, fol. 27, truncatim; in-4° ms. 151, fol. 11-19; Bibl. Burghes. ms. 360, fol. 307[b], et imperfecte apud D'Argentré, p. 338), sic et « Collectio errorum in Anglia et Parisiis condemnatorum » ex opere privato provenit. Persaepe in mss. occurrit, v. g. in Bibl. de l'école de médecine de Montpellier, ms. 33. Bibl. Burghes. ms. 361, fol. 219[b] (scriptura anglica). Oxoniae, Merton Coll. ms. 267, fol. 115, ubi responsum datum a Roberto Kilwardby epistolae ei a P. archiepiscopo Corinthiensi, i. e. Petro de Confleto seu Confluentia, O. P., missae de aliquibus erroribus a Roberto Oxoniae condemnatis praecedit. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15661, fol. 99; 15820; Bibl. Monac. ms. lat. 3798, fol. 119; Bamberg. E. VII, 59; Amplon. in Erfurt, in-4°, ms. 151, fol. 2. D'Argentré, l. c., p. 184. In ista collectione paene semper antecedit index capitum, deinde primo ponuntur errores a Roberto Kilwardby Oxoniae an. 1277, Martii 18 (cf. infra n° 474), secundo errores a Guillelmo episcopo Paris. an. 1241 damnati (supra n° 128); tertium locum occupant errores a Stephano

episcopo Paris. an. 1270 (supra nº 432), quartum et ultimum illi an. 1277, proscripti, sine epistola episcopi (excepto in cod. Burghes.) cum lectionibus variantibus textum quandoque obscurantibus. Errores an. 1277 istius collectionis ad exemplum errorum Oxoniae proscriptorum in diversa (17) capita secundum materias sunt divisi alioque ordine quam supra redacti. In aliquibus mss. quidam errores omittuntur (v. g. in mss. Oxoniensi, Paris. 15661, 15820), ita ut non omnes 219 afferantur, quod et quandoque ex hoc evenit, quod aliqui errores conjunctim cum aliis perstringuntur; in quibusdam tamen mss. plus quam 219 afferuntur, quamvis specie tantum, cum quidam errores in plures dividantur, v. g. error 30 in fere omnibus mss. collectionis cap. 7, in nºˢ 2 et 3, et (in paucis mss.) error 141 repetatur, scil. cap. 6, nº 43, et cap. 15, nº 4. Ex his rationibus apud D'Argentré 221 errores numerantur. Compilator istius collectionis loco epistolae brevem rubricam ex epistola desumptam et ad normam aliarum rubricarum adaptatam erroribus anteposuit. Isti 219 errores vulgo exstant in mss. sub his titulis : errores de Deo; err. de intelligentia vel angelo; err. de anima intellectiva; err. de voluntate et libero arbitrio; err. de toto conjuncto sive de homine; err. de mundo et mundi eternitate; err. de celo et stellis; err. de natura generabilium et corruptibilium; err. de necessitate eventus rerum; err. de accidente; err. de scientia et philosophia; err. de scriptura sacra; err. de raptu; err. de fide et sacramentis; err. de vitiis et virtutibus; err. de resurrectione; err. de beatitudine. In Cod. Vat. lat. 4847, fol. 66ᵇ, in collectione desunt errores Oxoniae damnati; in cod. Vindobon. conv. O. P., qui supra, fol. 117, collectio incipit cum erroribus an. 1270, 1241, 1277 (Parisiis) sed non in capita divisis; deinde sequuntur quidam errores saec. XIV; in fine vero errores an. 1277 Oxoniae damnati. Alium ordinem sequitur ms. A. 263 in Bibl. Rotomag. a fol. 305, et supprimit errores Paris. an. 1277, cum quidam fol. 300ᵇ locum habeant. In cod. Helmst. 680 saec. XV (Wolfenbüttel) fol. 230 errores tantum Paris. an. 1277 damnati cum epistola exstant, ut apud Bulaeum, III, 434. Adjungemus, in cod. Bibl. Carlsruhe supra citato post elenchum 219 errorum tabulam ordine alphabetico compositam super relatis articulis sequi, cujus primum verbum est « anima », ultimum « voluntas ».

1. Trec. et Paris. 4391 : « studeat ». — 2. Trec. et Paris. cit. sic; alii : « dum ». — 3. Burgh. : « innuunt ». — 4. Trec. : « quod ita sit asserere », *etc.* — 5. Burgh. : « putant ». — 6. Paris. 16533 hic : « tam prelatorum quam doctorum sacre pagine et aliorum prudentium virorum communicato consilio ». Trec. : « quam aliorum freti consilio ». Non dicitur utrum *omnes* magistri theologiae adfuerint. Quidquid est, certe non omnes quantum ad omnia capita votum unanime dederunt, cum inter alia quandoque unus articulus affirmet quod alter neget, ut supra vidimus, et saltem magistri Ord. Praed., si praesentes fuerunt (verisimiliter Berengarius Notarii et Johannes de Turno) vix pro contrariis sententiis opinionibus S. Thomae steterint. — 7. Sic Trec., alii : « de eisdem ». — 8. Iste liber exstat in Bibl. Amplon. Fol. nº 50, fol. 123-160. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 8758, fol. 1; Bibl. de la faculté de médecine de Montpellier, nº 217, fol. 1. Quantum ad edd. aliaque cf. *Hist. litt. de la France*, XXI, 320 sqq. Brunet, *Manuel du libraire*, 5 ed., I, 267. Auctor libri nominabatur magister Andreas, et verisimiliter tempore Stephani episcopi Parisiensis vivebat. — 9. Paris. 16533 : « necremantie ». — 10. Trec. : « Judei ». Tractatus iste *de astrologia* invenitur in Bibl. Amplon. Quarto nº 365, fol. 53-82. — 11. « nigrom. aut » deest in Trec. — 12. Om. Trec. — 13. Haec tantum in Trec., in Paris. 17476 : « hi autem sunt articuli dampnati inferius annotati ». — 14. Sic et Lullus. — 15. Sic Paris. 14508, Burgh., et Lullus; alii ponunt sententiam « quod fit... annorum » in fine. — 16. Lullus : « Quod intellectus humanus non est actus corporis ». Burgh. : « actus ». — 17. Sic Trec.; alii : « induit corpus... non induit ». — 18. « nature » Lullus. — 19. Paris. 15661, 16533 add. « est ». Burgh. Lullus : « factus est receptibilis ». — 20. Trec. : « intellecta ». — 21. Trec. et Paris. 4391 : « compositionem ». Lullus add. « vel compositionem ». — 22. Lull. : « quod ». — 23. Lull. : « convenit... resurgere ». — 24. Trec. : « fuerunt ». — 25. In Trec., Lullo et Paris. 4391 corrigitur « non posset ». Trec. : « sibi inequalem ». — 26. Paris. 14508 om. « non », et scribit « uno » loco « numero ». — 27. Lull. : « non esset ». — 28. Al. praeter Trec. : « naturam ». Cf. n. 41. — 29. Paris. 14508 : « facere ». — 30. Paris. 15661 : « producere ». — 31. Trec. : « forme ». — 32. Burgh., Lull. : « reliquas ». — 33. Sic Trec.; alii : « impossibilitatem ». — 34. Lull. add. « non ». — 35. Trec., Paris. 4391, Lull. : « naturam ». — 36. Burgh., Lull. om. « corporum ». — 37. Trec. om. « causa secundaria ». — 38. Paris. 14508 : « parte ». — 39. Burgh. : « operatione ». — 40. In *Journal des Savants*, l. c., p. 180, hic articulus ex Paris. 4391 fallaciter affertur. — 41. Quandoque « que » loco « quia ». Burgh., Paris. 14508, 15661, 17476, Lull. : « naturam » loco « materiam ». Cf. supra. n. 28. Sec. Boetium Dacum in *Top. Arist.* (cod. Vat. 4883, fol. 99) debet poni « materiam » : « Substantia separata dicitur, quia materiam non habet », *etc.* — 42. Burgh. : « quod est, in quo est ». Paris. 14508, 16393, 16533, 17476, Burgh.², Vindob. : « quod est et per quod est ». — 43. Burgh.² add. « non ens ». Sed debet poni « in potentia ». Cf. D'Argentré, p. 179, not. i. Paris. 16533 : « quia quod est factum per transmutationem materie, prius non fuit, ergo non est eternum ». — 44. Vindob. : « igitur fuit eternum ». — 45. In nullo ms. legitur additio « contra fratrem Thomam », nec etiam in mss. Collectionis errorum in Anglia et Parisiis, « errores de angelis », art. 17. — 46. Sic Trec. et Lull.; alii : « ibi ». — 47. Trec., Paris. 4391 omittunt « non ». Lull. : « motum celi esse eternum, non est soluta ». — 48. « anima... celestis » om. Trec. — 49. Lull. add. « plura ». — 50. Lull. : « differunt sola positione materie sue ». — 51. preterito] posito, Paris. 14508. — 52. Lull. add. « vel agi ». — 53. Lull. add. « univoca ». — 54. « de novo » om. Trec. — 55. Lull. add. « naturaliter ». — 56. Trec. corrigit : « non est inseparabilis ». — 57. Trec. et Paris. 4391 : « et ratio est, quod intellectus est ». — 58. Trec. et Paris. 4391 om. « et si uniretur nobis » et prosequuntur « ut forma, quia esset inseparabilis ». Lull. : « Et si uniretur nobis sec. substantiam, uniretur nobis sicut forma, et sic esset inseparabilis ». — 59. Burgh., Paris. 17476 et Lull. : « postrema ». Burgh., Lull. loco « penitus » : « totaliter ». — 60. Burgh. :

« passibilis ». — 61. Trec. et Paris. 4391 : « separabilis ». — 62. om. Trec. et Paris. cit. — 63. Trec. et Paris. cit. : « rerum ». — 64. natura] anima, Paris. 16533. — 65. Paris. 17476 et Lull. : « intellecta ». — 66. Paris. 17476, Burgh. et Lull. : « movente ». — 67. Trec., Paris 4391 : « ... ad apposita ; sicut determinatur ab appetitu sicut », *etc.* — 68. Lull. Burgh. : « voluntate ». — 69. Trec., Paris. 4391, Burgh. : « esse in subjecto ». — 70. Lull. : « corporalium ». — 71. Trec. et Paris. cit. : « veritatem ». — 72. Burgh., Paris. cit., Trec. : « questionis ». — 73. In aliquibus : « scientia ». — 74. Sic Burgh., Lull., sed Paris. 15661 : « quia natura deus esset » ; Paris. 17476 : « quia nec Deus esset » ; Paris. 4391 ; Trec. : « quia natura deesset ». — 75. Paris. 16533 et Lull. add. « non ». — 76. Trec. : « innuendo ». — 77. Trec. et Lull. om. « fit ». Paris. 4391 : « peccatur passione ». Burgh. : « *peccat passione* ». — 78. Alii praeter Paris. 4391, Trec. et Lull. add. « ex se » ; Lull., Burgh. : « essentialiter » ; alii : « naturaliter ». Lull. add. post « virtus » : « et hoc est, quia natura hominis finem appetit, quare est, sc. ut multiplicet naturam ». — 79. Paris. 17476 om. « et speciem ». — 80. Trec., Paris. 4391 et Lull. : « ostendit », Trec. add. : « id est ». — 81. Trec., Paris. 4391 : « contrariorum est solum causa ». — 82. Paris. cit., Trec., Burgh. : « hac ». — 83. Lull. add. « omnium ». — 84. Trec., Paris. 4391 : « excludatur terror ». — 85. Lull. : « quod caritas... abstinentia, et quod castitas non est », *etc.* — 86. Sic Burgh., Paris.17476 et Lull. — 87. Trec. : « constat »., Lull. : « dicunt » ; Vindob. : « dicit Aristoteles ». — 88. Joannes de Neapoli : « hic ». — 89. sic] quod, Paris., Lull. — 90. Lull. : « monstrua ». — 91. Vel « prima ». — 92. similiter] semper, Trec. — 93. Vindob. : « attribuit philosophia dispositioni », *etc.* Trec. : « attribuunt... dicentes ». Sic et Paris. 4391. — 94. « quantum est » deest in Trec. et Paris 4391. — 95. Om. Trec. — 96. naturalia] essentialia, Paris. 4391, Trec. — 97. Burgh., Paris. 4391, Trec., Lull. : « attingere ». — 98. Trec. add. « ens ». — 99. Trec., Paris. 4391, Lullus addunt « non ». — 100. Postscriptum in Trec. ; in ms. Paris. 16533 autem legitur (fol. 60) : « Principalis assertor istorum articulorum fuit quidam clericus bōt᷒ (Boetus) appellatus, nonnulli vero post premissorum condempnationem, qui diversimode erraverunt, simili modo dampnati vel condempnati sunt vel eorum errores, de quibus infra ». In ms. Paris. 17476 et Cod. Vat. 900 « Numerus articulorum presentium dampnatorum CCXIX. Actum anno Domini M° CC° LXX sexto et die dominica suprascripta ». — 101. Huc usque etiam ms. Paris 4391.

---

474. *Robertus Kilwardby, Ord. Praed., archiepiscopus Cantuariensis quosdam errores in grammaticalibus, logicalibus et naturalibus de consensu magistrorum Oxoniensium condemnat.*

1277, Martii 18, Oxoniae.

Isti sunt errores condempnati[1] a fratre R. Kilewardebi archiepiscopo Cantuariensi de consensu omnium magistrorum tam non regencium quam regencium[2] apud Oxoniam die jovis proxima ante festum sancti Cutberti in Quadragesima anno Domini M°CC°LXXVI[3].

In Grammaticalibus.

1. Ego[4] currit, tu currit, currit et curro eque sunt perfecte et congrue orationes. Similiter currens est ego.

2. Item Socratis legere, Socrati legere sicut Socratem legere.

3. Item quod verbum manens verbum potest privari omnibus accidentibus.

4. Item quod nullum nomen est tertie persone.

In Logicalibus.

1. Quod contraria simul possunt esse vera in aliqua materia.

2. Item quod sillogismus peccans in materia non est sillogismus.

3. Item quod non est suppositio in propositione magis pro supposito quam pro significato, et ideo idem est dicere, cujuslibet hominis asinus currit, et asinus cujuslibet hominis currit.

4. Item quod animal est omnis homo.

5. Item quod signum non distribuit subjectum in comparatione ad predicatum.

6. Item quod veritas cum necessitate tantum est cum constancia subjecti.

7. Item quod non est ponere demonstracionem sine rebus entibus.

8. Item quod omnis propositio de futuro vera est necessaria.

9. Item quod terminus cum verbo de presenti distribuitur pro omnibus differentiis temporum.

10. Item quod ex negativa de predicato finito sequitur affirmativa de predicato infinito sine constancia subjecti.

In Naturalibus.

1. Item quod quot sunt composita, tot principia omnino prima.

2. Item quod forma corrumpitur in pure nichil.

3. Item quod nulla potentia activa est in materia.

4. Item quod privatio[5] est pure nichil, et quod est in corporibus supra celestibus et hiis inferioribus.

5. Item quod est conversiva generatio animalium sicut elementorum.

6. Item quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sunt simul in embrione tempore[6].

7. Item quod intellectiva introducta corrumpitur sensitiva et vegetativa[7].

8. Item quod substantia prima non est composita nec simplex.

9. Item quod tempus non est in predicamento quantitatis.

10. Item quod non est inventum ab Aristotele, quod intellectiva manet post separacionem.

11. Item quod quando incompletum fit completum, diversificant essentiam; sed quando incompletum fit sub completo, tunc non.

12. Item quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sint una forma simplex[8].

13. Item quod corpus vivum et mortuum[9] est equivoce corpus, et corpus mortuum secundum quod corpus mortuum sit corpus secundum quid.

14. Item quod materia et forma non distinguantur per essentiam.

15. Item quod causa prima est ordinabilis in genere, tamen est extra genus.

16. Item quod intellectiva unitur materie prime ita quod corrumpitur illud quod precessit usque ad materiam primam.

Qui[10] sustinet, docet, vel defendit ex intencione propria aliquid istorum predictorum, si sit magister, ab officio magisterii deponatur ex communi consilio[11], si bachelarius, ad magisterium non promoveatur sed ab Universitate expellatur.

Oxon. Merton Coll. ms. 267, fol. 115[b], et sic plus minusve omnes codd., qui Collectionem errorum in Anglia et Parisiis condemnatorum, de qua supra nº 473 in nota verba fecimus, continent. Cf. etiam D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 184. Isti articuli ad Universitatem Paris. non directe, tamen quodam modo respiciunt, cum quidam ex his « erroribus » praecipue capitis « in naturalibus », a magistris Parisiensibus, v. g. a Thoma de Aquino, propugnati fuerint et Parisienses non multo post condemnationem horum errorum notitiam condemnationis habuerint. Patet hoc ex epistola ipsius Roberti Kilwardby missa Petro de Conflcto archiepiscopo Corinthiensi, qui prohibitioni sex articulorum inter *naturalia* (2, 3, 4, 5, 6, 12) contrarius fuit; scribit enim Robertus : « Reverendo patri fratri P. Dei gratia archiepiscopo Corinthiensi frater Robertus Cantuariensis sacerdos indignus salutem et quidquid tibi gratie et honoris. Scripsistis michi nuper, quod venerabilis pater dominus episcopus Parisiensis vobis significavit, quod ego de consensu omnium magistrorum tam regentium quam non regentium articulos Oxonie condempnavi quosdam in grammaticalibus, quosdam in logicalibus, quosdam in naturalibus », *etc.* Ms.

Oxon. cit. fol. 109. Iste archiepiscopus Corinthiensis non fuit Guillelmus de Moerbeka, O. P., ut vult Echard, *SS. Ord Praed.*, I, 379, sed fr. Petrus de Confleto seu Confluentia (in Francia), O. P., qui erat baccalareus in theologia, non magister, quia, ut dicit Bernardus Guidonis, « plus voluit pontificaliter cathedrari, quam Parisius magistrari ». Ms. Agennens. nº 3. Denifle in *Archiv f. Litteratur- und Kirchengesch.*, II, 207, n. 5. An. 1268, Mart. 2, designatus est archiepiscopus Corinth. (Martène, *Thes. nov. anecd.*, II, 578), an. 1278, April. 5, archiepiscopus Casentinus (Reg. Vat. Nicolai III, nº 39, an. 1, ep. 23), eodemque anno, April. 9, Guillelmus de Moerbeka ut successor in sede Corinthiensi nominabatur (Reg. Vat., l. c., ep. 20). Episcopus ergo Parisiensis, scilicet Stephanus, multo ante April. 5, an. 1278, Petro de Confleto errores Oxoniae condemnatos transmisit, cum, ut vidimus, Robertus Petro ut archiepiscopo Corinthiensi adhuc responderit.

Horum errorum diversae formae in mss. conservantur : una in Collectione errorum in Anglia et Parisiis condemnatorum ; altera in Cod. Burghes. 360 (saec. XIII), fol. 304, ubi errores separatim afferuntur ; tertia in *Annal. de Oseneia.*, ed. Luard, p. 298 (et Wood, *Hist. Univers. Oxon.*, I, 127 ; D'Argentré, l. c., p. 234 sq.). Ubique tamen errores in capita sunt divisi. Forma quam supra edidimus, saltem quantum ad quinque priores ex sex articulis, quos Petrus de Confleto affert, magis genuina esse videtur, cum forma altera adjuncta posteriora contineat. Notatu tamen dignum, Johannem Peckham, archiepiscopum Cantuariensem 14 Novemb. an. 1284 non plenam notitiam errorum in forma authentica habuisse, ut ex ejus epistola ad mag. Rogerium, cancellarium Oxoniensem, praedicto tempore directa liquet. *Registrum Joh. Peckham*, ed. Martin, III, 852. Cf. p. 862. Sicut infra ex nota 8 apparet quidam articuli jam ab initio sub diversa forma venerunt. Cum hi errores Universitatem Paris. directe non attingant, aliquas tantum lectiones variantes ad explicationem in notis ponemus.

1. Robertus scribit in sua epistola ad Petrum de Confleto : « Hec igitur paternitati vestre notifico, quod dampnatio ibi facta non fuit talis, quomodo solebat esse expressarum heresum, set fuit prohibitio in scolis determinando vel legendo vel alias dogmatizando talia asserendi, tum quia quidam sunt manifeste falsi, tum quia quidam sunt veritati philosophice devii, tum quia quidam sunt erroribus intolerabilibus proximi, tum quia quidam sunt apertissime iniqui, quia fidei catholice repugnantes ». Ms. Oxon., l. c. — 2. Robertus dicit ibid. : « Solus non fui in ista prohibitione, immo ut scripsistis omnium magistrorum Oxon. assensus accessit, et etiam multorum magis provectorum quam sim ego theologorum et philosophorum suasio compulit ». Ms. Oxon. — 3. Ms. Burgh. affert istam praefationem : « Iste sunt positiones reprobate heretice apud Oxoniam a fratre Roberto de Kilwardby archiepiscopo. Quicunque hec dicta non sustinet nec docet, habet a fratre R. archiepiscopo xl dies de indulgentia ; qui autem dictas positiones defendit et asserit, si magister fuerit, deponatur, si bachelarius sit, nunquam ad statum magistri recipiatur, sed expellatur ab Universitate tanquam hereticus ». — 4. Cod. Oxon. in duobus prioribus articulis est, ut ita dicamus, mutilatus. Correctio ex mss. aliis. Prolixiores sunt cod. Burghes. et *Ann. de Oseneia.* — 5. Ms. Oxon addit « non », sicut et in epistola Roberti (fol. 110ᵇ). Sed, ut ex declaratione Roberti apparet, articulus habere debet formam ut supra, nam Robertus probat contra Petrum de Confleto, quod « privatio non est pure nichil, set imperfectum quiddam cum materia concreatum », *etc.* Et concludit : « ideo ergo prohibita est hec assercio dicentium : quod privacio est pure nichil ». Sic et alii codd. — 6. Occasione hujus articuli Robertus loquitur de originalibus rationibus, fol. 113. Explicat vero articulum hoc modo : « Non est dicendum, quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sunt simul tempore in embrione, nec quod sint id ipsum per essentiam ita quod simplicis essentie ; ita etiam nec dicendum est : quo sentit homo, quo vegetatur, quo intelligit, esse accidentia ». Robertus sumit vegetativam, sensitivam, intellectivam pro « tribus formis substantialibus unum totum constituentibus ». — 7. Cf. S. Thomas, *Summa theol.* 1 p. qu. 118 a. 2. *Quol.* 1 qu. 4 a. 1. — 8. Robertus respondet Petro de Confleto, qui istud etiam caput affert : « Noveritis, quod istum articulum de simplicitate anime non memini me sub hac forma illo tempore audivisse, tamen conjunctus est precedentibus » (deest insuper in *Ann. de Oseneia*). Ex hoc evincitur, articulos Oxoniae condemnatos jam inde in diversa forma divulgatos esse. Et cum Robertus dicat « non memini », conjicere possumus, formam genuinam tunc ipsum etiam fugisse, forte quia Oxoniae non tantam adhibuerunt curam de conscribendis erroribus, sicut antea Parisiis. — Quasi in transitu sit dictum Johannem Peckham eundem articulum an. 1286 April. 30 condemnasse. *Reg.*, ed. Martin, III, 923 (octav. art.). — 9. « et mortuum » restitutum ex *Ann. de Oseneia* et Cod. Burghes. Est sententia S. Thomae, *Summa theol.* 3 p. qu. 25 a. 6 ad 3 ; qu. 50 a. 5 et ad 1. Eam condemnavit etiam Joh. Peckham l. c. art. 5. Jam circa an. 1271 Nicolaus Lexoviensis sententiam S. Thomae, *Quol.* III, a. 4 « oculum mortuum esse aequivoce oculum » ut erroneum designavit. Bibl. Univers. Paris. ms. t. II. 40ᵃ, fol. 316ᵇ. — 10. Quae sequuntur om. cod. Burghes. et *Ann. de Oseneia*. In *Ann.* plures afferuntur errores tum in *logicalibus* tum *in naturalibus* quam supra, desunt tamen ibi quidam supra allati. — 11. « ex communi consilio » om. ms. Oxon.

---

475. *Universitas Parisiensis Robertum episcopum Silvanectensem rogat ut Adamum et Henricum Anglicos scholares Parisienses, per quosdam villicos vulneratos et in carcere detentos, liberandos curet.*

1277, Junii 19, Parisiis.

Venerabili patri in Christo Domino .. Dei gratia Silvanectensi episcopo universitas magistrorum et scolarium Parisius degencium salutem in eo qui salus est animarum.

Ex relacione fide dignorum nuper intelleximus quod quidam villici de Playlliaco[1] Adamum et Henricum Anglicos scolares Parisienses, instigante dyabolo ac Dei timore postposito, graviter vulneraverunt; quos dicti loci ballivus carcerali custodie detinet mancipatos nomine vestro, ut dicit, et vestri officii Silvanectensis, et injuste. Quapropter paternitati vestre humiliter supplicamus quatinus dictos scolares nostros nobis per latores presencium si placet faciatis liberari, juxta officii vestri debitum in predictos malefactores animadvertendo quod ceteri a similibus arceantur; memoriter si placet recolentes quod, cum sitis privilegiorum nostrorum conservator, non debetis in vestris subditis[2] tolerare ea que in aliorum subditis de mandato apostolico tenemini prohibere. Valeat paternitas vestra semper in Domino. Datum Parisius die sabbati proxima ante Nativitatem sancti Johannis Baptiste, anno Domini M°CC° septuagesimo septimo.

Bibl. Coll. Corp. Christi Oxoniae, ms. 283, fol. 159b.

1. Plailly (Oise) prope Silvanectum. — 2. Ms. : « subsidiis ».

---

476. *Universitas Parisiensis Robertum episcopum Silvanectensem rogat ut injurias Adae et Henrico Anglicis scholaribus Parisiensibus illatas puniat.*

1277, Junii 28, Parisiis.

Venerabili patri ac domino .. Dei gratia Silvanectensi episcopo universitas magistrorum et scolarium Parisius degencium salutem in eo qui salus est omnium et salvator. Quia nobis gravem querelam et famosam exposuerunt Adamus et Henricus Anglici scolares Parisienses super hoc quod transitum per vestram dyocesim facientes ab hominibus de Playlliaco et Fonte Mortuo[1] vestre jurisdictionis fuerunt, dyabolico instinctu ac Dei timore postposito, cum clamore capti contra justiciam, quasi fures viliter ligati et post ligacionem enormiter pertractati, pulsati, verberati, letaliter vulnerati, ita quod de eorum vita non inmerito desperatur, et post ista carceribus mancipati meritis eorum non exigentibus, ut scit Deus, et hoc idem dicti loci ballivus coram fide dignis publice recognovit, quos[2] vestra paternitas ad nostram supplicationem nobis fecit vestri gratia liberari: quocirca vestram paternitatem reverendam in Domino exoramus quatinus amore Dei et studii Parisiensis et intuitu universalis ecclesie necnon ex officii vestri debito res dictorum scolarium per ballivum dicti loci injuste detentas latori presencium faciat liberari, et insuper presenti facinori et sacrilegio apponi remedium prout decet, ut nobis et dictis lesis super dictis injuriis atrocissimis per vos, reverende pater, fiat justicie complementum, ne delicta malefactorum remaneant inpunita et eorum audacia temeraria in alios simili modo innocentes valeat prorogari. Tantum ad presens si placet super hoc facientes ut eorum pena in posterum metus aliorum existat, et ceteri perterriti a similibus arceantur, ne ex eorum iniquitate premia consequantur, unde penas condignas meruerint obtinere, et ut dicti lesi Universitatis filii matris[3] preces uberrimas erga vos sibi sen-

ciant profuisse et aditus ad studium Parisiense venire volentibus per vestram dyocesim appareat fore tutus. Valeat vestra paternitas semper in Domino. Datum Parisius anno Domini M°CC° septuagesimo septimo, die lune proxima post Nativitatem beati Johannis Baptiste.

Bibl. Coll. Corp. Christi Oxoniae, ms. 282, fol. 159b.

1. Mortefontaine (Oise) prope Silvanectum. — 2. Ms. : « quo ». — 3. Primum hic occurrit Universitatem Parisiensem fuisse nominatam « matrem ». Cf. Denifle, *Die Universitaeten des Mittelalters*, I, 33. Infra n° 515 facultas artistarum vocatur etiam filia Universitatis Paris., matris.

477. *Universitas Parisiensis ad episcopum Silvanectensem de eodem argumento.*

1277, post Junii 28, [Parisiis].

[Venerabili patri in Christo Domino .. Dei gratia Silvanectensi episcopo universitas magistrorum et scolarium Parisius degencium salutem[1]] cum honore. Cum universitas magistrorum et scolarium Parisiensium paternitati vestre pluries supplicaverit affectanter, ut injurie et atrocitates illate Ade et H. Anglicis scolaribus Parisiensibus ab hominibus de Playliaco et Mortuo Fonte vestre jurisdiccionis exigente justicia punirentur, licet vos officiali vestro injunxeritis, ut de dictis injuriis et violenciis fieret Universitati Parisiensi et dictis scolaribus per eundem officialem justicie complementum, idem tamen officialis negligens et remissus in premissis exequendis predicta non impleverit ad peticionem Universitatis Parisiensis : paternitati vestre supplicamus humiliter et devote quatinus per vestram solicitudinem et diligenciam prefati officialis negligencia suppleatur, committendo vices vestras aliquibus viris providis et discretis, per quos dicte Universitati et dictis scolaribus justicia valeat exiberi, cum premissa adeo dicantur esse notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari, hoc modo inde facientes, ut per vos tanquam per verum patrem et cultorem justicie predictorum malefactorum perversitas puniatur et ceteri eorum pena perterriti a similibus arceantur.

Bibl. Coll. Corp. Christi Oxoniae, ms. 283, fol. 158b.

1. Inscriptio deest in ms., et charta temporis nota caret; non multum tamen post duas priores scripta est.

478. *Statutum de non reddendo domum vel scholas aliquo termino anni.*

1277, Junii 28, [Parisiis].

Universis presentem paginam audituris, visuris seu intellecturis, universitas magistrorum et scolarium Parisius studencium in eo qui est salus animarum salutem. Noveritis pro pace et tranquillitate studii Parisiensis in ordinationem que sequitur nos

magistros predictos sub forma infrascripta unanimiter concessisse et ea que sequuntur utiliter ordinasse.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, die lune post Nativitatem beati Johannis Baptiste ad honorem Dei et utilitatem tocius universitatis magistrorum et scolarium Parisius studencium ob perpetuam rei memoriam et ad fraudes que fieri consueverunt penitus excludendas in Christi nomine ordinatum est per totam Universitatem, quatuor facultatibus hoc volentibus et statui ac ordinari atque scriptis specialiter redigi postulantibus, quod nullus studens Parisius, qui membrum Universitatis se reputare velit et Universitatis privilegiis gaudere intendat, litteras dare presumat de reddendis domo vel scolis liberis quocumque termino anni, seu juramentum super hoc interponere audeat. Si est juratus in aliqua facultate, sub juramento quo tenetur facultati hoc ex nunc sibi noverit prohibitum; si non est juratus, sub pena quam Universitas potest injungere hoc similiter sibi noverit interdictum. Juratus contrafaciens pro perjuro habeatur et nichilominus magistrorum et scolarium societate per annum totaliter privetur; non juratus vero tamdiu si contrafecerit societate magistrorum et scolarium privetur, donec gratiam Universitatis per beneficium reconciliacionis, emenda nichilominus Universitati prestita competenti, duxerit promerendam. Exactor autem dicte promissionis seu juramenti, si pertinax fuerit in exigendo, hanc penam sustineat, quod hospicium super quo exactionem faciebat a scolaribus vel magistris proximo anno post exactionem nullatenus habitetur, sed quasi interdictum quo ad illum annum penitus evitetur.

Anno et die predictis ab eadem Universitate est ordinatum, ne super domibus aut scolis ad firmam seu censum recipiendis aliquis audiatur, nisi juraverit quod imperpetuum aut ad vitam suam, aut etiam ad decennium ad minus hujusmodi scolas vel domum recepit et sine fraude, et si contingeret ipsum vel non legere quoad scolas vel non habitare quoad domum, alteri, in cujus prejudicium presumeretur recepisse, jus suum dimitteret, nisi predictas scolas et domum sine fraude non animo prejudicandi alteri precario duceret concedendas. Et hec sunt ordinata, ut privilegia Universitatis super domibus et scolis taxandis impetrata plenius custodiantur et fraudes penitus excludantur. In predictorum firmitatem sigillum Universitatis Parisiensis presentibus duximus apponendum, precipientes ut in ecclesiis, sermonibus et scolis predicta statuta bis vel ter in anno publice imposterum divulgentur, ne quis circa hec ignoranciam valeat pretendere in futurum. Datum anno et die predictis.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 19. i. Superest taeniolum membranae. Alterum originale ibid. theca VII. D. 11. a, ubi adhuc pars sigilli cerei. — Cod. Vat. Reg. 406, fol. 62. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 64[b], sub rubrica ut supra. In fine amborum : « Rasuram hiis verbis *non juratus vero* approbamus. Datum ut supra », quae clausula desumpta est ex altero amborum originalium, ubi « non juratus vero » super rasuram. Bulaeus, III, 432, eumdem textum sicut duo mss. offert.

479. *« Accord fait le Roy present entre les nations d'Angleterre et Picardye, et semble que ce feussent escolliers. »*

An. 1278.

Delisle, *Essai de restitution d'un volume des « Olim »*, p. 345, nº 291, « In Parlamento Epiphanie anno MCCLXXVII ». — Forte hic de gravi discordia orta inter clericos nationis Picardiæ et studentes Anglicos agitur, de qua Guillelmus de Nangio ad an. 1281 in *Gestis Philippi III*, et in *Chron.* (*Rec. des hist. des Gaules*, XX, 520; 568).

---

480. *Enormes excessus a Gerardo abbate et monachis S. Germani de Pratis aliisque nequiter irrogati magistris et scholaribus Parisiensibus, quos petunt per Simonem apost. sedis legatum emendari ac in exemplum puniri.*

1278, post Maii 14, [Parisiis].

Hi sunt enormes excessus, atroces injurie ac scelerata delicta ab abbate et monachis S. Germani de Pratis ac eorum complicibus servientibus ac hominibus predicte communitatis S. Germani ac aliarum quarumcumque predictis abbati et monachis subjectarum magistris et scolaribus Parisiensibus nequiter irrogata, que tanquam notoria ac manifesta in foro et nundinis et locis publicis multis astantibus turbis commissa, et cum maxima armatorum multitudine illata, petunt per reverendissimum patrem dominum Simonem apostolice sedis legatum secundum Deum et justitiam emendari, ac in exemplum puniri, ut a similibus alii arceantur, presertim cum in nullo penitus injuriatum fuisset prius ipsis abbati et monachis ab ipsis magistris et scolaribus quando predicta maleficia ipsis magistris et scolaribus fuerunt a predictis abbate et monachis et aliis irrogata.

Imprimis dicunt quod cum pridie aliqui de predictis scolaribus et magistris causa recreationis ivissent ad campos et precipue versus S. Germanum, iidem abbas et monachi pulsata campana pro suis hominibus convocandis, ac ipsis cornu, tuba seu buccinis congregatis et in multitudinem maximam coadunatis cum armis, bannis publicis et edictis vociferando premissis fecerunt generaliter et publice proclamari ex parte sua *ad mortem clericorum* verbis crudelibus, *ad mortem, ad mortem,* inhumaniter pluries repetitis. Preceperunt etiam publice ut ad tres portas civitatis Parisiensis, que sunt versus S. Germanum, sui homines et servientes currerent, et caverent seu servarent ne ad civitatem pro presidio seu refugio reintrarent magistri et scolares.

Item dicunt prefati magistri et scolares quod post predicta in instanti quamplurimi de hominibus et complicibus supradictis in ipsos magistros et scolares strictis gladiis irruerunt.

Item dicunt quod dicti malefactores multos de ipsis scolaribus et magistris tractantes nequiter et nequissime verberantes, post ictus et verbera plura et pluries repetita, dejecerunt in terram, ac deinde ad carcerem trahentes, eosdem in horrendis latronum carceribus detruserunt[1].

Item inter ceteros Gerardus de Dola famosus baccalarius in artibus fuit a dictis malefactoribus in capite letaliter vulneratus, quem fracto capitis craneo ipsum incidi oportuit et secari, ita quod de ejus vita etiam desperaretur. Fuitque ad carcerem vilissime ductus ac alias multipliciter male tractatus.

Item Jordanus filius magistri Petri sigillatoris fuit sagittis et fustibus et armis aliis ita graviter vulneratus, quod de ejus convalescentia simpliciter desperatur.

Item Adam de Pontisara fuit clava ferrea et armis aliis ita graviter in oculo et facie percussus, quod medici dicunt ipsum unum oculum totaliter amisisse.

Item quidam pauper scolaris beneficiarius fuit graviter fuste percussus et ei bursa cum pecunia amputata.

Item prepositus[2] Sancti Germani et alii monachi armati cum suis complicibus in Gaufridum de Troceio, L. de Prulego et R. de Fagiaco manus intulerunt temere violentas ac eos evaginatis gladiis graviter percusserunt, ac vestes eorum laniaverunt, ita quod cappa dicti Gaufridi in terram rupta cadente ei tunica sola remanserit, ac tandem ipsum et alios verberatos durissime attractos per medias nundinas et ad majorem confusionem nudatis maxime capitibus, in quibus nec capucia ponere permittebant, ad carcerem vilissimum deduxerunt et per diem et noctem eos ibi tenuerunt. Et istas omnes injurias ipsi monachi armati cum suis complicibus predictis clericis intulerunt, postquam ipsis pacifice se reddiderant, et ipsos in potestate sua tenebant.

Item dominus Stephanus de Lago presbyter fuit a predictis malefactoribus vilissime incarceratus.

Item cum malefactores predicti plures portas civitatis predicte custodirent nec scolares intrare permitterent, sed eos ibi nequissime tractarent, alii ab aliis malefactoribus per campos et diversa loca fugati cum armis ingredi sunt compulsi, ita quod de submersione quorundam probabiliter dubitatur.

Item magistri N.[3] de Torculari in theologia, ac Johannes de Roseto[4] in medicina actu regentes, ac alii multi propter predictos malefactores omnes clericos horribiliter persequentes fugere sunt coacti.

Item Firminus de Hotopa Picardus cum redibat de campis in pace, fuit a predictis malefactoribus graviter fustibus et aliis armis percussus et ad terram prostratus, et postmodum ad abbatiam turpissime ductus, et ad ultimum in vilissimum carcerem intrusus.

Item cuidam magistro in artibus, qui in nullo penitus eis injuriatus fuerat, immo quam potuerat, inhibuerat ne ipsis monachis injuriarentur, quod paratus est sufficienter probare, cum lancea cappam et vestes omnes perforarunt usque ad carnem tangendo : et quendam alium clericum scolarem qui propter hoc, quod ipsi malefactores volebant ipsum percutere in capite, manum ad tuitionem capitis levavit, cum eadem lancea in brachio graviter vulnerarunt, ita quod totum os brachii est confractum.

Fuerunt etiam plures alii magistri et scolares a predictis malefactoribus capti, detenti, dilacerati, mutilati, et de multorum morte timetur. Et de istis fiet alias expressius nobis sermo.

Fuerunt etiam quinque vel sex scolares seu magistri, de quibus constat quod fuerunt a predictis malefactoribus fustigati, verberati, vulnerati, incarcerati et alias nequissime tractati, cum quibus predicti monachi mediante eorum pecunia multitudine copiosa fecerunt pacem, propter quod sciri non potest adhuc plenissime qui fecerunt.

Preter hoc etiam multi de monachis supradictis cum multis aliis desuper muros monasterii S. Germani lapides et sagittas in predictos scolares multipliciter immittebant et trahebant.

Effecta omnia supradicta predicti abbas et monachi fecerunt et temere attentarunt, in nullo penitus prius a scolaribus seu magistris eis injuriato, et pendentibus nichilominus questione et tractatu pacis de mediis finibus inter predictos abbatem et monachos, et magistros et scolares, que[5] reverendissime paternitati vestre[6] predicti magistri et scolares ostendere noluerunt, quousque super ipsis inquisivissent plenissime veritatem. Que nisi reverendissima vestra paternitas infra xv dies fecerit emendari, tota Universitas a lectionibus cessabit. Istud enim est unicum eorum refugium, cum sint multitudo alienigenarum inermis, quibus ab indigenis atroces injurie frequentius irrogantur. Et ista predicta flagitia perpetrata fuerunt die veneris[7] post festum Translationis S. Nicolai. Si qua autem gravamina a ribaldis vel aliis personis ipsis abbati et monachis fuerint illata, hoc fuit die sabbati sequenti.

Bulaeus, III, 453 (perperam ad an. 1280 referens), ex charta originali signata B. 5. a, quam frustra quaerebamus, nec etiam exstat in Arch. nat. Paris. S. 6180-91, ubi inter alia conservantur documenta, quae ad *Pré-aux-Clercs* respiciunt. Sed jam diu desideratur; legimus enim in *Inventaire* Arch. Univers. nº 98 ad B. 5 : *Manque la cotte entière. Desunt.*

1. Causa hujus atrocitatis ex parte monachorum S. Germani refertur infra n^is^ 482, 484. — 2. I. e. administrator monasterii, isto tempore frater Stephanus de Pontisara, monachus ejusdem monast., « quem ad scandalum sedandum officio prepositure privavit » cardinalis legatus Simon, ipsumque in aliqua Cluniacensis monasterii cella ad paenitentiam inibi peragendam per quinquennium recludi mandavit, ut ediscimus ex litteris Nicolai IV ad abbat. S. Germani de Pratis ij id. Januar. an. 4 directis. Reg. Vat. Nicolai IV an. 4, ep. 692, fol. 138 b. *Vidimus* apud Bouillart, *Hist. de l'abbaye de S. Germain*, nº 103, p. LXIX. De hoc facto chartae quaedam supersunt; una Ivonis II abbatis Cluniac. an. 1281, Sept. 5; altera Humberti, prioris Cluniac., an. 1283, Novembris, in qua legimus, Stephanum fuisse reclusum « ad instantiam Universitatis ». Bouillart, l. c., nis 99, 100. Abbas Gerardus sponte in manibus Simonis legati officio et dignitati cessit. Cf. infra nº 484. — 3. Apud Bul. : « R ». Immo est Nicolaus de Pressorio. — 4. Vide supra nis 444, 451. — 5. Bul. : « qui ». — 6. Simoni, apost. sedis legato. — 7. Maii 13.

---

481. *Capitulum generale Ord. Praed. sub Johanne de Vercellis Mediolani celebratum duos lectores in Angliam mittit ut illos fratres puniant, qui scriptis Thomae de Aquino detraxerant.*

1278, Junio ineunte, Mediolani.

Injungimus districte fratri Raymundo de Medulione[1] et fratri Johanni Vigorosi lectori Montispesulani[2], ut cum festinatione vadant in Angliam, inquisituri diligenter

super statum fratrum, qui in scandalum Ordinis detraxerunt scriptis venerabilis patris fratris Thome de Aquino, quibus ex nunc plenam damus auctoritatem in capite et in membris; quos culpabiles invenerint in predictis puniendi, extra provinciam mittendi et omni officio privandi plenam habeant potestatem[3]. Quod si unus eorum fuerit casu aliquo legiptimo impeditus, alter eorum nichilominus exequatur. Quibus priores in sociis competentibus, quos ipsi ad hoc ydoneos judicaverint, teneantur quandocunque requisiti fuerint providere.

Mss. Rom. et Rutenens. Capp. general. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1739, nº 19.

1. Juniori. Vide de ipso Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne au XIIIe et au XIVe siècle*, p. 477. — 2. Cf. Douais, l. c., p. 441 sq. — 3. Vide similem ordinationem, sed generalem, Capituli generalis Parisiis anno sequenti celebrati apud Martène, p. 1797, nº 17. In Anglia Robertus Kilwardby, O. P., archiepiscopus Cantuariensis, infensus erat quibusdam opinionibus Thomae de Aquino (cf. supra nº *474*), secumque traxit quosdam ex suo Ordine. Minus tamen fratres Praedicatores, quam potius fratres Minores in Anglia doctrinam Thomae oppugnabant. Cf. infra n^is 517, 518, 523.

---

482. *Litterae Philippi III, regis Francorum, quibus edicit ut ad expiandam duorum scholarium interfectionem abbas et conventus S. Germani de Pratis duas capellanias instituant, et utramque dotent de viginti libris parisiens. annui et perpetui redditus.*

1278, mense Julio, apud Pissiacum.

Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod gravi ad nos ex parte magistrorum et scolarium Universitatis Parisiensis conquestione delata, quod monachis monasterii Sancti Germani de Pratis Paris. muros seu edificia que construi faciebant protendentibus in vicum quo itur ad pratum Universitatis situm subtus abbatiam ipsorum monachorum in prejudicium dicte Universitatis, ac denunciantibus seu inhibentibus illis, qui ad hoc ex parte Universitatis missi erant, ne ulterius monachi edificarent in loco predicto : homines de villa Sancti Germani et quidam servientes non absque consensu Gerardi abbatis et quorumdam in dicto monasterio administrationem habentium, banno preconizato, cum armis exeuntes de abbatia irruerant fortiter in denunciantes, ut dictum est, ex parte Universitatis et quosdam scolares tam assistentes eisdem, quam qui ad spatiandum exierant, ac eos usque ad pratum murorum ville Parisiensis et per campos insequentes cum clamore *ad mortem clericorum* plures ex ipsis scolaribus omnino innocentes letaliter vulneraverant, et quosdam mutilaverant, ac nonnullos eorum turpiter verberaverant, et extractis gladiis dictum sepe repetentes rumorem fugarant, ex quibus vulneratis duo scolares ad minus, videlicet Gerardus de Dola et filius Petri sigillarii ex ipsa vulneratione postmodum obierunt[1], ac petentibus dictis magistris et scolaribus, quod nos hec omnia, prout ad nos pertinebat, sibi competenter emendari faceremus : nos super premissis veritatem inquiri fecimus diligenter. Et visa inquesta inde facta super his diffinivimus seu ordinavimus, quatinus ad nos spectabat, in modum qui sequitur, videlicet quod abbas et conventus Sancti Germani de Pratis duas capellanias perpetuas instituent pro dictis duobus clericis interfectis,

unam videlicet in ecclesia Vallis Scolarium Parisius, in qua unus ex fratribus ejusdem loci pro remedio anime dicti defuncti Gerardi de Dola, qui inibi sepultus est, perpetuo celebrabit; et aliam in capella veteri Sancti Martini existente inter muros abbatie, in qua unus capellanus pro defunctis perpetuo deserviet. Ad quam cum vacaverit, ille qui pro tempore Universitatis rector erit, personam idoneam presentabit abbati Sancti Germani. Et utramque capellaniam abbas et conventus de viginti libris parisiens. annui et perpetui redditus dotabunt[2]. Ac pro veteri capella reparanda et libris ac ornamentis ad opus ejus querendis ducentas libras turonens. statim solvent. Solvent etiam dicto Petro sigillario ducentas libras ejusdem monete, et quadringentas libras turonens. similiter parentibus dicti defuncti Gerardi, et preterea ducentas libras turonens. rectori Universitatis semel tantum pauperibus magistris et scolaribus per eum distribuendas de consilio magistrorum. De illis vero laicis, qui ad clamorem exierunt et in conflictu, in quo scolares ut dictum est vulnerati et male tractati fuerunt, usque ad decem, qui magis suspecti ex certis causis fuerunt, banniri fecimus, videlicet quatuor de regno nostro usque ad revocationem nostram, et sex de civitate Parisiensi usque ad festum Omnium Sanctorum. Due vero turricule, que sunt supra portam monachorum, demolientur usque ad altitudinem murorum antiquorum versus pratum, ita quod monachi muros suos sicut erant antequam turricule construerentur super ipsos muros versus pratum, restaurare poterunt et habere. Ordinatum est insuper quod vici, quo itur ad pratum, in quo monachi suos muros protendebant, remanebit sesina, in qua ante constructionem seu protensionem erat. Et antiqua via, que olim fuit inter dictam capellam veterem et murum abbatie Sancti Germani, in statum pristinum reducetur. In cujus rei testimonium et munimentum presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Piciacum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, mense Julio.

Apographum saec. XVII in Arch. Univers. Paris. theca IX, nº 16. — Bulaeus, III, 454.

1. Ad haec omnia vide supra nº 480. Philippus IV etiam an. 1286, mense Julio, de isto negotio tractavit chartamque Philippi III confirmavit. Cf. Bulaeum, III, 480. — 2. I. e. quadraginta libris simul. Cf. infra nº 524.

---

483. *Statutum Capituli generalis Ord. Cisterc. de indole eorum, qui Parisios ad studendum mittuntur.*

1278, Septembris 12, [Cistercii].

Tales persone decetero gratia studendi mittantur Parisius, qui competentis sint etatis, vite laudabilis, et honeste conversationis, et ita sufficientes in litteratura, quod magis proficiant et non deficiant in studendo : et si aliter missi fuerint, per abbatem Clarevallis ad propria remittantur.

Cod. Capp. general. Ord. Cist. in Bibl. conventus Mehrerau. Hoc statutum deest in Collectione Capp. general. in Arch. status in Luzern. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1460, nº 2.

---

484. *Simon cardinalis legatus Gerardo, quondam abbati S. Germani de Pratis, qui propter atroces a monachis sui monasterii illatas scholaribus injurias officio et dignitati sponte cessit, possessiones assignat.*

1278, Septembris 18, in monasterio S. Germani de Pratis.

Symon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus religioso viro fratri Gerardo[1] quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiens. Ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis salutem in Domino. Olim inter vos et nonnullos alios monachos monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiens. Ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ex parte una, et Universitatem Parisiensem ex altera, occasione quorumdam fundamentorum latitudinis amplioris, que vos non longe ab ipsius monasterii septis in via seu secus viam qua itur ad prata scolarium mandavistis et fecistis construi, viam ipsam plus solito coartando, gravis et dispendiose nimis dissentionis materia suscitata, et enormibus periculosis et detestandis exinde subsecutis excessibus in quorumdam de Universitate predicta personas ausu dampnabili perpetratis[2] : nos, cum ex parte Universitatis ipsius et alias etiam publicus super hiis clamor validus ad nostram audientiam pervenisset, ad inquirendum super jam dictis excessibus nostri partes exolventes officii duximus procedendum. Et tandem hujusmodi pendente processu, vos contemptis comodis propriis et honoris postposito vestri statu, pro bono pacis et ejusdem monasterii tranquillitate ac etiam Universitatis reverentia supradicte, sponte in nostris manibus cedere curavistis, quam siquidem cessionem duximus admittendam, prout hec omnia in litteris super ordinatione nostra in hujusmodi negocio edita confectis plenius continentur. Nos itaque vestram tam humilem et spontaneam hujusmodi cessionem vestreque devotionis affectum, quem erga Romanam ecclesiam gessisse noscimini, benigne considerationis indagine metientes, pensantes etiam quod vos laudabiliter dicto monasterio prefuistis, bona ejus temporalia multipliciter augmentando, et propter hoc non indigne dignum extimantes et consonum rationi ut vobis de bonis predictis decentis et honorabilis provisionis gratia conferatur, vobis pro persona vestra vestraque familia competenti de communi voluntate, consensu unanimi, ac instantibus precibus totius conventus monasterii prelibati singulariter expressis, ab omnibus de ipso conventu a nobis propter hoc specialiter convocato, coram nobis tunc in eodem monasterio constitutis, predictorum bonorum sufficientia diligenter inspecta, de Brolii, Parêti et Euranville, villis predicti monasterii, cum domibus, grangiis, juribus et pertinentiis suis (exceptis septuaginta et tribus libris parisiens., quas idem conventus in eadem villa Euranville percipit annuatim), et de domo de Yssiaco ejusdem monasterii, que fuit quondam magistri Johannis Barbitonsoris, archidiaconi Suessionensis, cum omnibus que infra clausuram ipsius domus consistunt, ac etiam de redditibus centum librarum monete predicte, seu de ipsis centum libris, que ab hominibus ville de Antogniaco memorati monasterii

Parisiensis diocesis ratione libertatis a vobis tunc abbate dictoque conventu olim hominibus concesse prefatis annis singulis persolvuntur, a vobis, quoad vixeritis, possidendis auctoritate qua fungimur providemus, universis et singulis de conventu predicto super hoc specialiter requisitis provisionem hujusmodi ratam habentibus et acceptam. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, si secus de villis et aliis supradictis vel aliquo seu aliquibus eorundem contra prefatam provisionem nostram contigerit attemptari. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Actum in monasterio supradicto die dominico xiiij kal. Octobris anno Domini M°CC° septuagesimo octavo, pontificatus domini Nicolai pape III anno primo.

Epistola inserta litteris Martini IV (olim Simonis legati supra nominati) xij kal. Februar. an. primo (Reg. Vat. n° 41, ep. 99, fol. 27). Cf. infra n° 509. Sequuntur fol. 27ᵇ duae epistolae ejusdem Simonis de eodem argumento ad archidiaconos Carnotens. et Melodunens. in ecclesia Senonens. (una ejusdem temporis notae, alia xij kal. Novemb.), qui executores constituuntur; fol. 28ᵇ epistola fratris Simonis prioris et conventus monasterii S. Germani (xiiij kal. Octobris). Factum Universitatem Parisiensem respiciens ubique eodem modo refertur.

1. In *Gallia Christ.*, VII, 454, dicitur abbatem Gerardum de Moreto anno 1279 esse mortuum, quod tamen veritati minime congruit, cum Martinus IV ad eum adhuc an. 1282 litteras suas direxerit. Vide *infra* n° 509. — 2. Cf. *supra* nis 480, 482.

---

485. *Decretum facultatis artium ut nulli dies ad incipiendum assignetur nullusque ad examen superius admittatur, nisi juraverit se determinasse Parisiis vel ubi sint ad minus duodecim magistri regentes.*

1279, Februarii 3, [Parisiis].

Universis Christi fidelibus rector et procuratores iiijor nacionum, ceterique magistri regentes Parisius in artibus salutem in omnium Salvatore. Noveritis quod nos omnes et singuli considerantes nostram facultatem multipliciter esse lapsam, lapsum ejus cupientes pro totis viribus reparare et ad hoc apud Sanctum Julianum vocati et specialiter congregati de consensu unanimi, nullo contradicente, longo tractatu et diligenti super hoc habito, statuimus et ordinamus quod nulli bachellario ubicumque licentiatus fuerit, inferius vel superius[1], dies ad incipiendum decetero assignetur, nisi prius omni fraude ammota rectori juraverit se determinasse Parisius vel alibi in alio studio generali, ubi sint ad minus xij magistri regentes.

Secundo statuimus quod nullus, cujuscunque conditionis fuerit, donec se ita determinasse examinatoribus juraverit, ad examen superius admittatur.

Tercio statuimus quod examinatores in sua institutione jurabunt quod nullum bachellarium ad examen superius recipient donec prius juraverit, se determinasse sicut superius est expressum.

Quarto statuimus quod si bachellarius licentiatus in istis perjurus inventus fuerit, ejus licentia, si inceperit ejus magisterium, quoad hoc sibi prorsus denegata gratia per scolas et sermones publice revocetur.

Quinto statuimus quod jurent magistri bachellarios presentantes, antequam bachel-

larii eorum audiantur, quod si contingeret eos scire sive ante licentiam sive post suos bachellarios vel quoscumque alios non determinasse sicut superius est expressum, rectori quamcitius poterunt revelabunt. Hec autem omnia statuimus, concessimus, volumus inviolabiliter observari super hoc data fide cujuslibet corporali, retenta tamen potestate diminuendi, addendi, corrigendi, si necesse fuerit, et mutandi. In cujus rei testimonium sigilla quatuor nacionum jussimus apponenda. Datum anno Domini M°CC°LXX°VIII, die veneris post Purificationem beate Marie Virginis.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 63[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 66, sub rubrica : « Statutum de determinatoribus ». — Bulaeus, III, 447.

1. Inferius, i. e. in insula apud Nostram Dominam coram cancellario Paris.; superius, i. e. in monte San-Genovefiano coram cancellario S. Genovefae.

---

486. *Nicolaus III Simoni cardinali legato et Stephano episcopo Parisiensi injungit ut inquirant, an monachis Cluniacensibus collegii Paris. facultas dari possit alta voce in eorum oratorio celebrandi et coëmeterium possidendi.*

1279, Februarii 5, Romae.

Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali apostolice sedis legato et venerabili fratri .. episcopo Parisiensi. Sicut dilectus filius .. abbas[1] monasterii Cluniacensis nobis exposuit, in domo quam edificari fecit Parisius[2], in qua magnus degit Cluniacensis Ordinis conventus monachorum studentium ibidem in theologica facultate[3], duxit oratorium construendum[4]. Quare dictus abbas humiliter petebat a nobis ut eidem conventui celebrandi alta voce in oratorio ipso, habendi campanas ibidem et cimiterium pro corporibus fratrum ipsius Ordinis cum decedunt sepeliendis decenter licentiam concedere dignaremur. Nos itaque intendentes super hiis deliberatione qua convenit salubriter provideri, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus de premissis et universis eorum circumstantiis diligentius indagetis, nobis quid inde perceperitis et quid vobis videbitur per vestras litteras harum seriem continentes fideliter rescripturi, ut a vobis diligenter instructi, quid postmodum in predictis fieri magis expediat clarius et salubrius dante Domino discernere valeamus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum non. Februarii, anno secundo.

Reg. Vat. Nicolai III (n° 39) an. 2, ep. 66, fol. 138[b].

1. Ivo II, qui Ivoni I (1256-1275) successit. — 2. Vide tamen supra n[is] 361, 370, 375. — 3. Honorius IV an. 1286, Martii 6, ad Johannem legatum apost. sedis litteras dirigens, scribit in domo praedicta « quadraginta Cluniacensis Ordinis studentes in theologica facultate quasi continue commorari ». Cf. Jourdain, n° 282. — 4. Sic et olim inscriptio ad januam capellae in claustro collegii habebat : « Yvo II abbas Cluniacensis... hanc aedem D. Virgini sacram... fecit ». Cf. Du Breul, p. 473; Bulaeus, III, 395, et supra n° 375, nota.

---

487. *Litterae magistri Guillelmi de Saana, Rotomagensis ecclesiae thesaurarii, quibus Ricardum de Alacrimonte, clericum, constituit procuratorem suum ad mittendum clericos, a Guillelmo olim designatos, in possessionem bonorum omnium quae eis praedictus de Saana dederat.*

1279, Maii 6.

Omnibus hec visuris magister Guillermus de Saana, Rothomagensis ecclesie thesaurarius, salutem in Domino. Noveritis me constituisse Ricardum de Alacrimonte, clericum, procuratorem meum quantum ad ponendum seu mittendum in possessionem corporalem, vel quasi, clericos de quibus fit mentio in quadam littera sigillo meo sigillata, que sic incipit[1] : « Omnibus hec visuris magister Guillermus de Saana, thesaurarius ecclesie Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis me infirmum corpore, mentis tamen compotem, Domino concedente, dedisse seu donasse », *etc.*, et sic terminatur : « Johanne de Osquevilla presbitero et magistro Guillermo de Grinibonvilla dicto Fabro, clerico, et aliis », omnium possessionum, terrarum, reddituum, edificiorum et omnium aliorum quas, quos et que dictis clericis dedi seu donavi causa mortis, concessi ac etiam contuli penitus et in perpetuum, ut in predicta littera, sigillo meo sigillata, plenius continetur. Et volo et affecto, quod dictus procurator ponat seu mittat dictos clericos in possessionem, vel quasi, premissorum, sicut ego sum sive eram in possessione eorumdem : ratum et gratum habiturus quicquid dictus procurator loco mei fecerit in premissis; dans eidem procuratori potestatem generalem et mandatum speciale faciendi premissa loco mei dictis clericis, per eosdem clericos vel per procuratorem suum seu procuratores eorum, sicut facerem seu facere possem, si presentialiter interessem. Quod omnibus quorum interest et interesse poterit tenore presentium volo notum fieri et apertum. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus volui hiis apponi. Datum anno Domini M° CC° LXX nono, die sabbati in festo sancti Johannis ante Portam Latinam.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca XXII. Z. 1. 4. Deest sigillum. — Jourdain, n° 255.

1. Charta hic designata confundi non debet cum charta supra n° 423 edita, quae certe prius condita erat quam memorata. Haec, quam huc usque invenire non potuimus, verisimiliter ad primam respiciebat et forte non multum ab ea differebat.

---

488. *Litterae officialis Rotomagensis, quibus notum facit a magistro Guillelmo de Saana constitutos fuisse magistrum Bertaudum de S. Dionysio, canonicum Parisiensem, et Guillebertum de Saana, canonicum Bajocensem, procuratores suos ad mittendum scholares in theologia in possessionem duarum domorum librorumque et utensilium in eis contentorum.*

1279, Maii 14, [Rotomagi].

Omnibus hec visuris officialis Rothomagensis salutem in Domino. Noveritis quod in presentia Ade de V... jurati nostri ad hoc a nobis specialiter destinati, constitutus venerabilis vir et discretus magister Guillermus [de Saana, the]saurarius ecclesie Rothomagensis, dilectos suos viros venerabiles et discretos magistros Bertaudum de Sancto [Dionysio], canonicum Parisiensem[1], in theologica facultate Parisius legentem, et Guille-

bertum de Saana, canonicum Bajocensem, physicum illustrissime regine Francie, et utrumque eorum in solidum, exhibitores presentium, suos constituit et fecit att.... natos et procuratores generales, ita quod non sit melior conditio occupantis, conjunctim seu divisim, ad ponendum et mittendum nomine ipsius thesaurarii et pro ipso scolares in theologia studentes Parisius, qui de bonis ipsius thesaurarii a Domino sibi collatis ibidem in studio sustententur, in possessionem corporalem duarum domorum, librorum, et omnium utensilium in eisdem contentorum, quas dicebat se habere idem thesaurarius Parisius sitas, unam videlicet in vico Cytare, in parrochia Sancti Severini Parisiensis, et alteram in vico Sancti Cosme[2], juxta domum monachorum Clugniacensium, ab opposito domus reverendi patris episcopi Autisiodorensis[3], de quibus fit mencio in quibusdam litteris sigillis curie Rothomagensis et ipsius thesaurarii sigillatis, prout asserebat idem thesaurarius, et in quibusdam aliis litteris super premissis confectis, quas penes se dicuntur habere scolares antedicti; et dans eisdem venerabilibus viris procuratoribus suis, et utrique conjunctim, et eorum alteri divisim, plenariam potestatem et speciale mandatum ponendi, constituendi et mittendi per se ipsos conjunctim, seu per eorum alterum divisim, seu per alium vel alios quos vel quem ipsi insimul, vel alter eorum divisim, ad hoc constituere voluerint loco ipsorum seu alterius eorumdem, in possessionem corporalem premissorum; et eos missos in dicta possessione tuendi, defendendi, et omnia alia faciendi super premissis seu aliquo premissorum[4], que ipse thesaurarius faceret seu facere posset, si presens esset, gratum et ratum habiturus quicquid per dictos venerabiles viros procuratores suos, eorum gratia quoad hoc, seu per alterum eorumdem, seu per substitutos vel substitutum ab eis seu altero eorumdem, ordinatum et factum fuerit in premissis. Quod omnibus quorum interest, ex relatione predicti jurati nostri nobis facta, cui fidem plenariam quoad hoc adhibemus, tenore presentium sub sigillo curie Rothomagensis facimus manifestum. Datum anno Domini M° CC° LXX nono, die dominica post Ascensionem Domini.

Habentur gratis pro thesaurario.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca XXII. Z. 1. 5. Charta sigillo munita. — Jourdain, n° 256. — In charta originali aliqua verba deleta sunt.

1. Bertaudus seu Bertoldus de S. Dionysio fuit famosus theologus, postea cancellarius Parisiensis, an. 1300 episcopus Aurelianensis. Vide de ipso Hauréau in *Hist. litt. de la France*, XXV, 317 sqq.; Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen âge*, 2 ed., p. 500. — 2. Hanc domum Guillelmus de Saana et Johannes de Gemeticis pro pretio ducentarum et octoginta libr. turon. habuerunt a magistro Richardo de Nealfa, canonico Remensi, teste charta an. 1273, mensis Septembris, in Arch. nat. Paris. S. 6586ª, n° 15. Apographum ibid. n° 13. — 3. De ista domo vide supra n° 361 (ubi etiam de domo Cluniacensium) et *Topographie historique du vieux Paris*, par Tisserand : *Région occidentale de l'Université*, p. 428 sqq. — 4. Orig. : « premissis ».

489. *Litterae a pluribus magistris sigillatae, quibus notum faciunt magistros Petrum de Osquevilla et Johannem de Tribus Petris a magistro Bertaudo de S. Dionysio de mandato magistri Guillelmi de Saana, thesaurarii Rotomagensis, in possessionem bonorum quae magister Guillelmus eis donaverat, positos fuisse.*

1279, Maii 22.

Universis presentes litteras inspecturis et etiam audituris magister Radulphus de Aurelianis, archipresbiter Sancti Severini Parisiensis, regens actu tunc temporis Parisius in decretis; magister Alanus Martel, canonicus Constantiensis; magister Henricus Martel, frater ejus; magister Ricardus de Fiscanno, regens actu tunc temporis Parisius in decretis; Guillermus de Greinville, clericus; magister Balduinus de Aube Marle, rector ecclesie Sancti Viviani Rothomagensis; magister Guillermus Malet, rector ecclesie de Blinquetuit; magister Radulphus de la Bruiere, rector ecclesie de Escreinville; magister Johannes de Bosco Normanni, rector ecclesie de Guellefontainnes; magister Guillermus de Osonvilla, rector ecclesie de Fouquart Escales; magister Reginaldus de Osonvilla, frater ejus; magister Helyas de Plembosc, rector ecclesie de Ne.... juxta Novum Castrum; magister Nicolaus Postel, rector ecclesie de Bouquelont; Robertus de Tionvilla, clericus; Nicolaus de Breau...; Johannes de Cithara, clericus; Johannes dictus Brachi; Johannes dictus de Puteo; Johannes dictus de Insula; Daniel dictus Caperon; Johannes dictus Danebi, ac Nicolaus le Chistoleur, salutem in Domino. Noveritis quod nos, presentibus etiam pluribus aliis fide dignis et legitimis, presentes fuimus et vidimus quod venerabilis vir magister Bertaudus, dictus de Sancto Dyonisio, canonicus Parisiensis, regens actu Parisius in theologica facultate, juxta mandatum venerabilis viri magistri Guillermi de Saana, thesaurarii Rothomagensis[1] (quod mandatum audivimus legi, et vidimus sigillo curie Rothomagensis sigillatum) magistros Petrum de Osquevilla, et Johannem de Tribus Petris, nomine suo et sociorum suorum magistrorum Parisius in theologica facultate studentium, videlicet Rogeri de Sancto Albino, Ade de Haya, Ricardi de Barentin, Nicolai dicti Reingot, Roberti dicti de Bondevilla, Rogeri dicti Laloier, Thome dicti Torel, Johannis dicti Anglici, ac Roberti dicti de Fovilla, allata magna copia librorum in presentia ejusdem magistri et nostra, presentibus dictis sociis, de quadam domo sita Parisius ultra parvum pontem in vico Cithare, inter domum que dicitur ad Citharam ex una parte, et domum que fuit Tierici Frisonis ex altera, et de libris predictis et omnibus pertinentibus ad eosdem, saisivit vice et nomine dicti thesaurarii, et juxta mandatum predictum posuit in possessionem eorumdem. Ac postmodum idem magister Bertaudus, nobis presentibus et videntibus, eosdem Petrum de Osquevilla et Johannem de Tribus Petris, de mandato et vice predicti thesaurarii, nomine eorumdem et sociorum suorum, de quadam alia domo sita Parisius in magno vico Sanctorum Cosme et Damiani, ante domum episcopi Altisiodorensis, faciente conum vici Poretarum supra vicum Sancti Cosme ex una parte et ex parte altera in vico Poretarum faciente conum vici Lathomorum, ab oppositis

domus monachorum Cluniacensium, contigua in vico Sancti Cosme grangie Guillermi olearii, et domui Guillermi Vingneron in vico Lathomorum, saisivit, et ipsos, nomine suo et sociorum suorum predictorum, tam de dicta domo quam de appendentiis ejusdem in possessionem posuit. Et hec omnibus tenore presentium sigillis nostris sigillatarum intimamus. Actum anno Domini M° CC° septuagesimo nono, die lune in feriis Pentecostalibus.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca XXII, Z. 1. 6. Ex sigillis olim appensis restant adhuc 23 taeniola membranae cum aliquibus fragmentis sigillorum. — Jourdain, n° 257.

1. Vide supra n° 489.

---

490. *Simon cardinalis legatus, dissensione orta inter magistros facultatis artium ex una parte et magistros in decretis et medicina ex altera, inquisitionem ordinat de modo denuntiandi congregationes generales.*

1279, Augusti 5, [Parisiis].

Symon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis apostolice sedis legatus discretis viris magistris decano Parisiensis[1], et Gervasio[2], Cenomanensis ecclesiarum archidiacono, salutem in Domino. Orta dudum dissensio inter magistros facultatis artium ex parte una, et magistros in decretis et medicina ex altera super modo denuntiandi decanis magistrorum ipsorum in decretis et medicina congregationes generales magistrorum in Universitate Parisiensi regentium, que certis modis et conditionibus precedentibus consueverunt pro tempore fieri, fuit hactenus quadam, ut dicitur, concordia interveniente sedata. Set pacis emulo procurante hujusmodi est resuscitata dissensio, aliis asserentibus denunciationem hujusmodi per rectorem seu magistrum[3] Universitatis ejusdem actu regentem personaliter sue nomine facultatis; aliis vero assertim dicentibus non per rectorem vel magistrum, nisi de beneplacito rectoris procedat ejusdem, set per aliquem juratum Universitatis predicte debere fieri rectoris auctoritate prefati, ac decanis sufficere[4] supradictis, ut de congregationibus ipsis et de articulis, super quibus faciende noscuntur, per aliquem de juratis Universitatis predicte constet eisdem. Cum igitur ad instantiam partium predictarum hujusmodi dissensionis negotium duxerimus assumendum, et ad expeditionem ipsius tanto libentius intendamus, quanto ex hujusmodi discordia majus periculum noscitur imminere : nos de hoc volentes scire plenius veritatem, ac de probitate vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre qua fungimur auctoritate mandamus quatinus super negotio ipso per testes idoneos a vobis ad hoc per censuram ecclesiasticam, si opus fuerit, compellendos, quos pars ejusdem facultatis artium produxerit coram vobis, ita quod duodenario producendorum testium numero sit contenta, sine more dispendio inquiratis diligentius veritatem, dispositiones ipsorum testium fideliter in scriptis redactas nobis sub sigillo vestro inclusas quantocius fideliter transmissuri. Dat. Parisius nonis Augusti, pontificatus domini Nicolai pape tertii anno secundo.

Charta inserta litteris officialis curiae archidiaconi Parisiensis, quae incipiunt : « Universis presentes litteras inspec-

turis officialis curie reverendi patris domini Ancheri, cardinalis, archidiaconi Parisiensis, salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini M° CC° LXX nono, die lune ante festum beati Michaelis, litteras infra scriptas vidisse in hec verba ». In fine chartae Simonis card. legitur : « Transcriptum autem harum litterarum fecimus fieri sub sigillo predicte curie salvo jure cujuslibet. Dat. anno et die predictis ». Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 2. a. Restat taeniolum membranae. — Jourdain, n° 258.

1. Gaufrido de Barro. — 2. De Clino Campo. Cf. infra n° 493. — 3. Intellige ex n° 493 « in artibus ». — 4. Intellige « debere ».

---

491. *Capitulum generale Ord. Cisterc. statuit studentes in Montepessulano abbati Vallis-Magnae esse subjectos, sicut Parisienses abbati Claraevallis.*

1279, Septembris 12, [Cistercii].

Monachi studentes in Montepessulano abbati Vallis-Magne per omnia obedientes existant, sicut studentes Parisienses abbati Clare-Vallis tenentur per omnia obedire, et omnem jurisdictionem et coercitionem habeat super eos, quam dictus abbas Clare-Vallis super Parisienses hactenus noscitur habuisse.

Cod. definit. et Capp. general. Ord. Cisterc. in Arch. status in Luzern, I. 1, parte 1, p. 278. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1467, n° 26. — Simile statutum jam an. 1252 in Capitulo generali confectum est. Martène, l. c., p. 1398, n° 18. Anno 1280 studentibus in « studio » Oxoniensi Ordinis, quod comes Cornubiae propriis sumptibus aedificare intendebat, eadem privilegia conceduntur, et super eos abbas de Thama jurisdictionem obtinuit. Martène, l. c., p. 1472, n° 20. Anno 1281 petitio abbatis Grandis Silvae in Capitulo gen. « super studio ordinando in civitate Tolosa » exauditur, et scholaribus itidem privilegia scholarium apud S. Bernardum Paris. promittuntur. Martène, l. c., p. 1478, n° 30.

---

492. *Simon cardinalis legatus statuit ut rector quater in anno eligatur; normam electionis insuper praescribit.*

1279, Octobris 1, apud Nogentum.

Symon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum diligentius attendentes quod usus ille quinimmo abusus reprobabilis et dampnosus non[1] a longis retro temporibus introductus, videlicet quod rector Universitatis Parisiensis singulis mensibus vel sex eligatur ebdomadis, turbationem studii ac incentivum invidie ministrabat, illum duximus abolendum, statuentes et ordinantes quod rector hujusmodi quater in anno, videlicet prima die legibili post festum beati Dyonisii, ultima die legibili ante vacationes Nativitatem Domini precedentes, ultima die legibili ante Annunciationem beate Marie Virginis, et ultima die legibili ante festum beati Johannis Baptiste, et non pluries eligeretur, qui rectorie officium libere exercere valeret per tempus suo regimini deputatum, nisi forte infra tempus ipsum juste appareret suis culpis exigentibus ammovendus. Quo casu, vel si forte decederet vel cederet seu legendi actum dimitteret, tempus quod suo regimini superesse contingeret volumus excrescere successori. Adjecimus etiam huic ordinationi nostre quod eligeretur rector unicus a quatuor procuratoribus nationum Universitatis predicte, vel aliis quatuor earum magistris juratis secundum tenorem statuti dudum super hoc

editi[2], sicut a nonnulllis annis extiterit observatum, quodque eligeretur rector in posterum sub hac forma, quod quatuor procuratores quatuor nationum predictarum jurati sollempniter super sacrosancta coram ipsis nationibus eligerent bona fide alium a predecessore illum in rectorem Universitatis ejusdem quem secundum suam conscientiam crederent utiliorem officio rectorie, non moti ratione discordie precedentis, nec moti amore vel timore, odio vel honore vel pudore alicujus ex nationibus supradictis, nec moti amore vel odio, honore vel utilitate alicujus persone, sed moti propter bonum commune totius studii memorati, et ille in quem consentirent quatuor sic jurati vel tres illorum, staret rector Universitatis predicte usque ad tempus prefixum. Si vero nec illi quatuor nec illi tres in aliquem unum consentire valerent, tunc vocaretur rector predecessor vel duo rectores si essent jurati super sacrosancta secundum formam predictam ad eligendum, et ille in quem major pars consentiret, staret rector usque ad tempus terminatum. Quod si forte adhuc major pars in aliquem unum non consentiret, tunc mutarentur hujusmodi electores et vocarentur alii quatuor a singulis nationibus supradictis jurati sub eadem forma, donec major pars in aliquem consentiret, et ille usque ad determinati temporis exitum staret rector. Intendentes autem ad Universitatis predicte statum pacificum et tranquillum et ad ejus turbationem omnimodam submovendam, adhuc ordinandum duximus et etiam statuendum quod si contigerit tempore quo rectoris prefate Universitatis instat electio facienda procuratorem in aliqua de nationibus deficere supradictis, junior magister in theologica facultate Parisius actu regens ad eundem eligendum rectorem loco procuratoris hujusmodi admittatur, et si procuratores duarum ex eisdem nationibus tempore predicto defuerint, loco ipsorum duo juniores in eadem theologica facultate magistri regentes actu Parisius ibidem presentes recipiantur ad electionem hujusmodi faciendam. Datum apud Nogentum super Secanam kal. Octobris, pontificatus domini Nicholai pape tertii anno secundo.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 31. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 39b. Ubique sub rubrica: « Ordinatio, quando debet eligi rector ». — Bulaeus, III, 444. — Ad hoc statutum respicit decretum magistrorum artium, factum an. 1288 (1289), mense Januario (Codd. Vat. Reg., Cheltenh., Bibl. Carnot., ms. 662, fol. 114, Arch. Univers. Paris., ms. 94, pag. 59); quod apud Bulaeum, III, 451, et Jourdain, nº 264, perperam ad an. 1280, 8 mensis Jan., refertur. Sic et juxta laudatos codd. praeprimis Vat. Reg. et Cheltenh. statutum artistarum a Bulaeo, III, 449 (Jourdain, nº 260), ad an. 1279, Octob. 13, relatum, semel tantum et quidem an. 1289, Octob. 14, editum est.

1. Ubique omittitur « non », quod necessario poni debet. Cf. supra nº 409, p. 455. — 2. Vide ibid.

---

493. *Simon cardinalis legatus modum denuntiandi decanis facultatum in decretis et medicina congregationes generales definit.*

1279, Octobris 19, apud Divionem.

Simon miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Mentem nostram propensior cura sollicitat ut circa statum universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, quam affectione sincera prosequimur, intente considerationis aciem dirigentes ad ea

sollerti studio et studiosa sollercia intendamus per que sibi divina propiciante clementia tranquille pacis et stabilis bonum proveniat et votive prosperitatis commoda duratura succedant. Olym siquidem inter magistros facultatis artium ex una parte, et magistros in decretis et medicina Universitatis ejusdem ex altera super modo denunciandi decanis magistrorum ipsorum in decretis et medicina congregationes generales in eadem regentium Universitate, que certis modis et condicionibus precedentibus consueverunt pro tempore fieri, materia extitit discensionis exorta, que tandem fuisse dicitur in quadam generali congregatione apud ecclesiam sancti Bernardi Parisiensis facta certo modo interveniente sedata. Sed pacis emulo amatore litium procurante hujusmodi extitit resuscitata dissencio parte decretistarum et medicorum hujusmodi asserente quod congregationis denunciatio et articulorum expressio, super quibus eadem noscitur congregatio facienda, debent per rectorem vel alium magistrum in artibus Universitatis predicte actu regentem fieri rectore suo et facultatis artistarum nomine : ex adverso dicente quod sufficiens existebat, si per aliquem de bedellis Universitatis juratis licet non per rectorem vel per alium magistrum fieret hujusmodi congregationis denunciatio et articulorum expressio predictorum. Demum vero utraque pars hujusmodi negocium ordinationi et dispositioni seu beneplacito nostris alte et basse duxit totaliter supponendum, ut per nos summarie ac de plano absque strepitu et figura judicii possemus in negotio procedere supradicto et super eo disponere, ordinare ac totaliter facere de alto et basso, prout nobis placeret et videremus etiam faciendum. Nos autem Universitatis predicte statum pacificum et prosperum sicut premittitur diligentes ac intendentes precavere periculis, que hujusmodi posset discordia generare, prefatum negocium in forma supradicta quanquam tunc arduis quibusdam essemus occupati negociis duximus assumendum. Unde super eodem negocio volentes plenius informari, discretis viris decano ecclesie Parisiensis[1] et magistro Gervasio[2] de Clino Campo, archidiacono Cenomanensi, per litteras nostras sub certa forma dedimus in mandatis ut super jam dicto negotio per testes ydoneos ab eis ad perhibendum testimonium super hoc veritati per censuram ecclesiasticam, si opus existeret, compellendos, quos pars predicte facultatis artium produceret coram ipsis, ita quod duodenario producendorum testium esset contenta numero, inquirerent diligentius veritatem depositiones ipsorum testium fideliter in scriptis reductas nobis sub sigillis ipsorum inclusas quantocius transmissuri[3]. Prefati vero decanus et archidiaconus de hujusmodi mandato nostro recepto in inquisicionis ipsius negocio ejusdem mandati forma servata procedere curaverunt prout eorum nobis misse responsales littere continebant, et tandem illis nobis inquisicionem remittentibus supradictam ipsam attenta inspectione discussimus et diligenter intelleximus. Cumque sollicitis studiis in negotio procederemus eodem ad ipsius expeditionem celerem intendentes, sanctissimus pater ac dominus noster dominus N. divina providencia summus pontifex nos ad suam presenciam evocavit. Nos itaque sedula meditatione pensantes quod si juris rigorem in hac parte servare contingeret non posset

74.

ante recessum nostrum hujusmodi negotium terminari; considerantes etiam et diligenter attendentes quod ex dissentionibus pridem in Universitate predicta inimico homine zizaniam superseminante subortis non solum amissio studii et alia mala quamplurima graviaque dampna, verum etiam vulnera, mutilationes membrorum, cedes et homicidia nonnunquam etiam frequentius contigerunt; volentes quoque in posterum hujusmodi periculis et dispendiis per salubris provisionis obviare remedium ac de Universitate prefata turbacionis et discordie cujusquam materiam amputare : tam ex suppositionibus hujusmodi potestate quam etiam ex officio nostro pro bono pacis super negotio hujusmodi ordinandum duximus et etiam statuendum ut quando generalis imminebit congregatio facienda, rector per se ipsum vel per alium magistrum actu regentem Parisius in artibus denuntiet, si voluerit et viderit expedire, alioquin per cedulam vel per scripturam aliquo signo de novo facto ad hoc specialiter deputato signatam et clausam per aliquem de bedellis Universitatis predicte juratis transmissam dictam congregationem horam et locum et articulos super quibus erit ipsa congregatio facienda decretistarum et medicorum predictorum faciet denunciari decanis. Datum apud Dyvionem xiiij kal. Novembris, pontificatus domini N[4]. pape tertii anno secundo.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 30. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 38. Ubique rubrica : « De modo denunciandi decanis congregationes generales ». *Chart. facult. Decret.* in Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, fol. 172, sub rubrica : « Provisio Symonis legati circa admittendos ad licentiam in tribus facultatibus superioribus ». — Bulaeus, III, 445.

1. Magistro Gaufrido de Barro. — 2. Cod. Vat. Reg. : « Servasio ». Ipse qui an. 1288 jam defunctus erat, non semel apud Gérard, *Cartul. de Notre-Dame*, IV, 245, nominatur. — 3. Vide supra nº 490. — 4. Nicolai III.

---

494. ***Philippus III, Francorum rex, concedit ut viginti quatuor scholares thesaurarii Rotomagensis duas domos ipsis a praedicto thesaurario traditas pacifice possideant.***

1280, mense Januario, Parisiis.

Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum juxta tenorem ordinationis nostre viginti quatuor scolares thesaurarii Rothomagensis[1] finaverint cum preposito nostro Parisiensi finationem hujusmodi pro nobis recipiente super duabus domibus, quas predictus thesaurarius Rothomagensis eis intuitu pietatis dono dicitur concessisse, sibi et successoribus suis scolaribus seu ab eis causam habentibus perpetuo retinendis, quarum domuum una sita est in magno vico Sancti Cosme Parisiens. ante domum episcopi Autisiodorensis, faciens cuneum vici Poretarum supra vicum Sancti Cosme ex una parte et ex alia parte in vico Poretarum faciens cuneum vici Latomorum ab oppositis domus scolarium Cluniacensium, contigua grangie Guillermi Olearii a parte vici Sancti Cosme et domui Guillermi Vigneron a parte vici Latomorum; alia vero domus sita est similiter Parisius in vico Cithare inter domum que dicitur ad Citharam ex una parte et domum Thierrici Frisonis ex altera[2] : nos finationem predictam ratam et gratam habentes volumus et concedimus quantum in nobis est, quod

predicti scolares eorumque successores seu ab ipsis causam habentes dictas duas domos possint tenere in perpetuum et pacifice possidere sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro et jure etiam in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense Januario.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6586ª, nº 1. Fragmentum sigilli cer. vir. color. appensum est fil. seric. vir. et rub. col. Pertinebat ad Arch. Univers.

1. I. e. Guillelmi de Saana. — 2. Vide supra nº 488.

---

495. *Litterae Philippi III, regis Francorum, in gratiam scholarium Roberti de Sorbona.*

1280, mense Februario, Parisiis.

Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, sicut intelleximus, congregatio scolarium qui dicuntur scolares magistri Roberti de Sorbona, quondam Parisiensis canonici, justo titulo acquisivit Parisius res inferius annotatas valentes per annum triginta libras parisiens. vel circa, videlicet super domum Johannis Augeri sitam in magno vico sex libras parisiens.; item super domum magistri Mathei Dinfer quadraginta sex solidos; item super domum Galteri de Essi triginta duos sol., sitas in vico SS. Cosme et Damiani; item super domum Marie de Sancto Patulo juxta domum archiepiscopi Remensis viginti octo sol.; item super domum Petri Joscelini sita in vico Poretarum septem sol.; item super domum Johannis Coche novem sol.; item super domum Johannis qui facit ologia[1] duodecim sol.; item super domum Guillermi de Sancto Benedicto duodecim sol.; item super domum Clementis scriptoris decem sol.; item super domum Thome Hyrebec sita in magno vico sex libras parisiens.; item super duas domos Guillermi Cenomanen. ibidem centum et quatuor sol. parisiens.; item duas domos in vico Poretarum. Nos vero divini amoris intuitu volumus quantum in nobis est, et concedimus, quod dicti scolares predictos redditus possint tenere inperpetuum et pacifice possidere absque coactione aliqua vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in omnibus aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut ratum et stabile permaneret in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense Februario.

Originale in Arch. nat. Paris. S. 6213, nº 184. Sigillum cereum vir. col. fil. seric. rubei et vir. coloris appenditur. Nº 185 *vidimus* ejusdem chartae offic. cur. Paris. anni 1204. — *Cartul. de la Sorbonne* in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16069, fol. 2. Jourdain, nº 262, excerptum tantum offert. — Omittimus hic chartam super amortizatione terrae feodalis de Roseriis, quam tenent scholares de Sorbona, an. 1284, mensis Novembris, referre (*Magn. Chartul. episc. Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 53ᵇ; *Cartul. de la Sorbonne,* fol. 6ᵇ; Bulaeus, III, 235), cum sicut pleraeque aliae chartae domus Sorbonae Universitatem Parisiensem non respiciant.

1. I. e. retia.

496. *Jacobus archiepiscopus Upsaliensis studentibus Parisiis ex dioecesi Upsaliensi quasdam decimas episcopales assignat.*

1280, Aprilis 25, Upsaliae.

Omnibus in Christo fidelibus presentes litteras inspecturis Jacobus Dei gracia archiepiscopus Upsalensis salutem in Domino Jhesu Christo. Noverint universi quod nos ad honorem Dei, ecclesie profectum et nobis ad cumulum meritorum studentibus Parisius ex parte ecclesie Upsalensis decimas pauperum provenientes de provincia Lyundereth, Telgboa skiplagi, Riudboa skiplagi, Acherboa skiplagi et Danarøa skiplagi duximus assignandas. Verum quia decime hujusmodi ad usus nostros facilius colligi possunt et deduci, eo quod loca in quibus percipiuntur hujusmodi decime, sunt mari magis proxima et vicina, de communi consensu capituli nostri talem cum eis fecimus permutacionem, quod nos ad usus nostros recepimus ab eis decimas memoratas, deputantes in perpetuum ipsis pro dictis decimis pauperum decimas episcopales de provinciis Tyerp et Gestricaland provenientes. In cujus rei perpetuam firmitatem presentes litteras sigillo nostro et sigillo capituli nostri cujus consensu premissa omnia acta fuerunt fecimus communiri. Actum et datum Upsalie anno Domini M° CC° LXXX, vij kal. Maii.

Diplomatarium Suecanum, ed. Liljegren, I, 570, n° 699. — Collegium Upsaliense postea exstabat in domo, quam an. 1285, mense Augusto, magister Andreas And, praepositus Upsaliensis, Parisiis in vico Serpentis ultra parvum pontem prope vicum ad duas portas et domum regis ad ensem acquisivit. Cf. chartam apud Liljegren, l. c., n° 808. Praeterea Peringskiöld, *Mon. Upsal.*, II, 190. In hoc instrumento non quidem fit mentio scholarium dioecesis Upsaliensis, sed tamen in charta Johannis electi Upsaliensis condita an. 1291, infra octavam Paschae, dicitur magistrum Andream istam domum « scolaribus de nostra Upsalensi dyocesi in praedicto studio (Parisiensi) acquisitioni bonitatis discipline et scientie intendere cupientibus » contulisse. Apud Olde, *De Universitate Parisiensi a Suecis medio aevo frequentata*, p. 4 sqq. In ista domo degentibus eaedem decimae ut supra assignantur. De Suecis hoc et posteriori tempore Parisiis studentibus vide Annerstedt, *Upsala Universitets historia*, I, 6, n. 3; 9, n. 2; Budinszky, *Die Universität Paris und die Fremden an derselben*, p. 217 sqq.

---

497. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub magistro Johanne de Vercellis Oxonii celebrati de disputationibus magistrorum.*

1280, Junio ineunte, Oxonii.

Inhibemus ne lectores disputent de *Quolibet*, nisi sint magistri in theologia, nisi in locis in quibus generalia studia vigent, nisi forte ex causa aliqua in locis aliquibus specialibus prioribus provincialibus in suis provinciis aliud videatur.

Item monemus quod lectores et magistri questionibus theologicis et moralibus magis quam philosophicis et curiosis intendant.

Ms. Rom. Capp. general. Ord. Praed. — Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1801, nⁱ 11, 12.

---

498. *Nicolaus III Gualtero episcopo Pictaviensi, Ord. Minorum, injungit ut conventui Ord. Min. Paris. propter studentium multitudinem debitis onerato succurrat et summam 2000 lib. turon. persolvat.*

1280, Junii 13, Suriani.

Nicolaus, *etc.*, venerabili fratri G.[1] episcopo Pictavensi salutem, *etc.* Circa ea que summo patri sunt placida sedulo cogitantes, et circumspicientes undique quid illi a quo cuncta proveniunt debeatur speciale debitum, inter alia pietatis opera reputamus pie manum auxilii aperire pauperibus illis potissime, qui mandatorum Christi humiles sectatores mundi spretis divitiis degunt in presenti vita sub exercitio paupertatis voluntarii non coacti, ut tandem militent habundantius in gloria supernorum. Tunc enim ipse Christus glorificatur et collaudatur in gentibus et illi condigna laus et honor impenditur, cum talibus saltem in oportunitatibus subvenitur qui ejus vestigia sunt secuti, ut clarius eluceat fides obsequentium creatori. Et tunc hujusmodi pietatis opus in illud exercentibus potiori virtute clarescit, et per hoc animarum salus etiam in aliis procuratur, cum ex fervore caritatis ad Dominum gratiose indigentibus subvenitur, quod tibi ex causa eo fiducialius recensemus, quo tu Ordinis fratrum Minorum in humili paupertate fundati professor majorem horum notitiam dinosceris obtinere. Unde provenire conspicimus, quod .. minister generalis[2], et nonnulli discreti fratres ipsius Ordinis et universaliter Ordo ipse ad te in suis necessitatibus sicut ad refugium singulare confugiunt, et nunc specialiter .. guardiano et conventu fratrum Parisiensium dicti Ordinis propter studentium multitudinem et alia eis incumbentia (cum inibi fons scientiarum scaturiat et ex illo per universum Ordinem rivuli deriventur) gravi onere debitorum oppressis, ipsi (qui sicut nosti nedum in rebus temporalibus non habundant nec sibi ipsis sufficiunt, set interdum etiam pro eorum tenui satis victu magnam penuriam patiuntur, nisi aliorum subsidiis adjuventur) videntes per eos in hac parte non posse predictum exonerari conventum et dubitantes pericula que provenirent eidem Ordini, si conventus ipse deficeret vel studentibus immo quod absit Ordini proficiendi materia verisimiliter tolleretur, eo confidentius tuum implorant auxilium, quo securius confidunt de tua caritate quam habere te decet ad Ordinem, in quo tu nutritus, informatus, doctus, et demum provincialis minister in illis partibus non ignoras, quid illi et ejus professoribus competat, ac tandem ex illo succrescens, per Dei gratiam rebus temporalibus, presertim hiis diebus satis habundas, habito respectu ad ea que tempore diutine vacationis Pictavensis ecclesie[3] reservata, et que ad te in magna copia pervenissse dicuntur. Sicque idem minister et fratres ex hiis que te plus quam in alio seculari prelato concurrunt (cum ab alio talia petere non temptarent) se ad te in tante necessitatis articulo convertentes et sperantes quod ex tuis superexcrescentibus facultatibus tibi concessis a Domino dictus conventus nec minus Ordo prefatus ab hujusmodi debitis relevetur, petierunt a nobis humiliter, ut te induceremus monitis et excitaremus mandatis apostolicis pro debitis ipsis, que duorum milium librarum turonens.

summam dicuntur ascendere, persolvendis et ut exinde apud alios in mandatorum nostrorum observatione excusatus decentius habereris, certum ad id tibi prefigeremus terminum, et ex tunc si expediret, te ad id compelli per alium faceremus. Nos autem qui in fulgenti claritate dicti Ordinis delectamus et in illa quiescimus, attendentes, quod dictus minister et ejusdem Ordinis fratres circa virtutum exercitium jugiter insudantes per devotarum orationum instantiam salutem querunt ubilibet animarum et prosperi status generalis ecclesie fervidi zelatores eidem inde fessis laboribus argumentose deserviunt, et summe preminentiam libertatis acquirunt ministerio servitutis; considerantes etiam evidentes utilitates que predictis ecclesie ac Ordini ex ipso conventu proveniunt, et nichilominus formidantes pericula que possent illis emergere, si quod advertat Altissimus quovis casu dissolveretur seu decideret predictus conventus, a quo semina fructifera in domo Domini consperguntur, nec minus advertentes, quod tu specialiter in eodem conventu degens, a tue culture principiis ex illo finaliter theologice facultatis cathedram ascendere meruisti, quodque premissa et alia plura, que tu ipse, sicut gratus attendere poteris, in te digne concurrunt, et debent tibi merito sicut et nobis etiam esse motiva tuo precedenti et presenti statu pensato; recollentes insuper quod in tue promotionis auspitiis contrahendi mutuum usque ad magnam summam pecunie ut asserebas erogandam pauperibus a nobis postulasti licentiam, quam tibi tunc ex eo quod non erat plene nobis nota ipsius ecclesie Pictavensis conditio et ex aliis certis causis non duximus concedendam, set presenti tempore habendo respectum ad conservata predicta que dicuntur ad te ut predicitur provenisse, ita quod ad hoc absque mense tue notabili gravamine sufficiens esse crederis concedendi prefatis ministro et fratribus pro tam pio subsidio de rebus mobilibus ecclesie tue ad te spectantibus usque ad predictam summam duorum milium librarum turonens. licentiam elargimur; considerantes quoque id tibi non posse nec debere merito displicere, cum contingentia dictum Ordinem te contingant, et ejus prosperitas tibi succedere valeat ad gaudium salutare : fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus nostris beneplacitis juxta prudentie tue decentiam te conformans, cum de bonis episcoporum habundantium deceat pauperibus et indigentibus subveniri, hujusmodi debitum duorum milium librarum turonens., infra duos menses a receptione presentium computandos, sic liberaliter creditoribus secundum modum constitutionis quam per viam ordinationis circa observantiam regule ipsius Ordinis nuper edidimus[4] cum integritate persolvas vel persolvi procures, quod in hoc Deo et nobis digne placeas tibique sit meritorium apud Deum. Ipsa ergo te cogat pietas pia piis operibus ministrare subsidia, accendat et caritas in prebendo eisdem fratribus caritativa solamina; moveat te ipsius conventus tibi non ignota, set palpata penuria, immo et te consortio episcoporum aggregatum fore considerans, quorum gloria est et esse debet pauperum inopie providere, Christi pauperis, cujus patrimonii curam geris, pauperes filios et paupertatis ejus sedulos sectatores eorumque de ipsorum patris patrimonio rele-

vanda gravamina tibi ad eorum levamen sicut fidelis dispensator assumas, ut de pulvere suscitatus egenus, de carnis ergastulo erectus, ut pauper cum principibus inter principes populi Dei principaliter collocatus in filiorum ipsius sublevandis inopiis gratus filius, caritativus frater, dispensator fidus et diligens, quam professus es, sublevator inopie comproberis. Si vero aliquid rationabile te retraheret forsitan a predictis, quia nolumus, nec ipsi minister et fratres volunt, quod inter te ac eos ibi vel etiam alibi hac occasione litigium oriatur, illud infra dictos duos menses coram venerabilibus fratribus nostris .. Cenomanensi[5] et .. Petragoricensi[6] episcopis vel eorum altero exponere studeas, et ipsi aut ipsorum unus hoc a te diligenter audito, si talia proponeres que probata deberent legitima reputari, tibi prefigant ex parte nostra terminum competentem, quo tu ad nos specialem procuratorem cum pleno mandato super omnibus negotium ipsum contingentibus sufficienter instructum destinare procures, et denuntient nichilominus .. guardiano et conventui predictis, ut ipsi ad presentiam nostram in eodem termino aliquem vel aliquos fratrem seu fratres sui Ordinis pro nostra in hac parte informatione transmittant, ut nos tandem de negotio et negotii circumstantiis plenius informati super eo quod expediens fore videbimus ordinemus. Quod si tu infra prefatum terminum predicta non solveres, vel causas rationabiles ut premittitur non proponeres, eisdem episcopis damus nostris litteris in mandatis, ut ipsi vel alter eorumdem te ad solutionem predictam ut premittitur faciendam auctoritate nostra compellant. Dat. Suriani id. Junii pontificatus nostri anno tertio.

* Reg. Vat. Nicolai III (nº 40), an. 3, ep. 47, fol. 118b. — Sbaralea, *Bull. Francisc.*, III, 462. — In ep. 48, fol. 120b, episcopi Cenomanensis et Petragoricensis executores constituuntur. — Conventum Ord. Praed. etiam ex multitudine studentium nimis gravatum fuisse vidimus supra nº 371.

1. Gualtero de Brugis, ex Ord. Minorum. Primo cathedraticus in Universitate Paris., an. 1270, Decemb. 4, minister provincialis Franciae exsistens, a Nicolao III in episcopum Pictaviensem electus est, scil. ij non. Decemb. an. secundo (Sbaralea, l. c., p. 436, nº 138. Nicolaus III a die coronationis, 1277, Dec. 26), ut vulgo solebant saec. XIII, non a die electionis, Novemb. 25, annos pontificatus computavit, quod inter alia ex anno primo Regestorum Vat. nis 39 et 40 apparet). Vide de Gualteri vita ejusque scriptis Hauréau in *Hist. litt. de la France*, XXV, 296 sqq. Sed *Summa* ibid. p. 311 Gualtero ascripta ad magistrum Gaufridum Pictaviensem (ut et in cod. Paris. 15747 dicitur), aequalem Guillelmi Autissiodorensis, pertinet. Vide supra nº 90, nota 1. Tempore Gualteri *Summae theologicae* alio stilo alioque ingenio atque praedicta componebantur. — 2. Bonagratia. — 3. Sedes Pictaviensis ab an. 1271 vacabat. — 4. Scilicet in Bulla *Exiit qui seminat*, an. 1279, Aug. 14. Sbaralea, l. c., p. 404, nº 127. — 5. Johanni de Chanlai. Supra nº 416, n. 9. — 6. Raimundo d'Auberoche, qui post translationem Eliae ad sedem patriarchalem Hierosolymitanam an. 1279, Jun. 7, a Nicolao III electus est in episcopum Petrocoriensem. Reg. Vat. Nicolai III (nº 39), an. 2, ep. 121. Cf. ep. 182. Corrigendus Gams, *Series episc.*, p. 598.

---

499. *Ordinationes pro collegio Guillelmi de Saana ab ipso fundatore factae.*

1280, Augusti 18.

Omnibus hec visuris Guillermus de Saana thesaurarius Rothomagensis salutem in Domino. Noveritis nos scolarium nostrorum Parisius studentium ordinem fecisse in hunc modum qui sequitur. Primo volumus quod ii qui bursas habebunt, ex toto vacent theo-

logie, et quod apparenter proficiant, tum libros habeant competentes et alia necessaria. Et si[1] clericos habeant in villa exercendos, vel pro aliis laborent in alia scientia, nolumus his bursam dare, quia intentio nostra est tantummodo veris et puris pauperibus assidue studentibus providere et eos sustentare. Item, dicimus de illis qui adepti fuerint aliquod sufficiens beneficium, per cujus receptionem aliorum renunciant paupertati. Item, si aliquis eorum contentiosus sit et rixosus, qui alios impediat vel aliorum pacem perturbet, nolumus ei amplius bursam dare, nisi se ipsum festinanter correxerit. Idem dicimus de illis qui male vite fuerint vel etiam diffamate; et volumus quod alii nobis teneantur vel alicui alii, per quem scire valeamus, revelare, quia non intendimus providere perversis et dyscolis et ribaldis et lusoribus, vel prosecutoribus meretricum et tabernarum, sed bonis et veris scolaribus, per quos possit ecclesie[2] provideri et animarum saluti. Item, nolumus quod cum iis maneat aliquis dives qui alios provocet ad plus dependendum, vel impediat ad proficiendum. Si autem predicti scolares nostri aliquem divitem pacificum secum receperint, volumus quod pro camera sua viginti solidos parisiens. solvere teneantur. Item, nolumus quod cum iis maneat aliquis qui non ex toto vacet theologie. Item, nolumus quod libri accommodentur per villam ad transcribendum vel etiam studendum, quia sic possent perdi vel diminui vel etiam inquinari; et volumus quod eorum custodia deputentur qui de iis valeant respondere integre, et qui aliis ministrent et dividant, prout viderint expedire. Volumus etiam et ordinamus quod antiquior bursarius semel in hebdomada die dominica vel alia die solemni videat alios sua aliqua hora competenti; et omnibus coram se constitutis videat et audiat qualiter profecerint, et corrigat, si aliquem excessum invenerit inter eos et si aliquis eorum expelli debeat, fiat hoc communicato consilio aliorum, et si aliquem invenerit rebellem vel non proficientem, severe expellant. Et volumus quod omnes, in domo ad minus, latinis verbis utantur. Et volumus quod alii teneantur dicere veritatem de quolibet equali, vel alios accusare, nisi illi sua sponte suum defectum cognoscant et confiteantur, ac mitius et lenius agatur cum ipsis. Volumus etiam quod quantum ad victum non dividantur, sed accipiant simul quod domus ministrabit; et qui contra fecerit, de aliorum consortio expellatur. Item, volumus quod postquam fuerint licentiati in theologia[3], legant tantummodo per duos annos, quia amplius nolumus aliquid eis dare; quia intentio nostra tantum est eos disponere ad gradum magisterii theologie assequendum. Item, si aliquis eorum se obliget servitio alicujus divitis vel alterius, nolumus ei aliquid dare. Item si aliquis eorum post bursam obtentam velit audire de scientiis lucrativis, nolumus ei aliquid dare, quia intentio nostra est bene studentibus juvare, et non iis qui non sunt apti ad proficiendum theologie. Hanc autem observationem volumus firmiter et inviolabiliter observari. In cujus rei testimonium, et ad majorem confirmationem premissorum, presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno millesimo ducentesimo octogesimo, die dominica post Assumptionem beatissime Marie Virginis.

Charta inserta litteris officialis Paris. an. 1281, Martii 12, in Arch. Univers. Paris., theca XXII, Z. 1. 7 (an. 1639), Z. 1. 8

(an. 1704). Arch. Univ. Reg. 96, fol. 43b. — Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 287. — Guillelmus de Saana non multo post obiit. Hoc evenit 25 Septembris, vel an. 1280, vel 1281, vel 1282. Vide De Beaurepaire, *Recherches sur l'instruction publique dans le diocèse de Rouen*, I, 184 sq. In Arch. nat. Paris. alia etiam documenta quantum ad ejus collegium exstant. Hic fiat mentio tantum chartae an. 1284, mensis Octobris, in qua Alyz du Bosc Bernart « as escoliers que mestre Guillaume de Saane jadis trésorier de Roan avoit establi a Paris » donationem pro quadraginta libr. turon. contulit. Arch. nat. Paris. M. 194, nº 2.

1. Apogr. ambo et Reg. 96 : « non ». — 2. Apogr. ambo : « ecclesiis ». — 3. Apogr. ambo om. « in theologia ».

---

500. *Epistola, qua Nicolaus III Constitutiones suas Universitati Parisiensi transmittit.*

1280, Martii 23-Augusti 22.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universitati magistrorum et scolarium Parisiensium salutem et apostolicam benedictionem. Cum quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eis, quas vobis sub bulla nostra transmittimus, uti velitis tam in judiciis quam in scolis, ipsas sub suis titulis, prout super eis exprimitur, inseri facientes.

Bibl. Univers. Erlangens., ms. 464, ubi epistola Constitutionibus Nicolai III, quae ibidem quinque capita complectuntur et ad tres annos pontificatus pertinent, praefixa est (vide Schulte, *Die Decretalen zwischen den Decretales Gregorii IX und Liber VI*, p. 718). In Bibl. capit. Poson. ms. 13, fol. 233, omnino eaedem Constitutiones (absque epistola) occurrunt, loco quintae tantum invenitur celebris Constitutio : « Exiit qui seminat ». Nicolaus III an. 1280, Augusti 22, obiit; ultima decretalis Constitutionum est Martii 23 ejusdem anni.

---

501. *Juramenta incipientium in artibus.*

Circa an. 1280, [Parisiis].

Isti sunt articuli quos tenentur jurare bachellarii in artibus incepturi, quando veniunt ad rectorem, fide prestita corporali. Primo debet eis dici[1] : Vos legetis lectiones ordinarias in capa rotunda, vel in pallio. Disputabitis hora determinata, et questiones vestras determinabitis continue per xl dies postquam inceperitis. Procedetis per xv[2] dies habitu predicto. Non habebitis sotulares rostratos nec laqueatos nec fenestratos, nec induetis supertunicale scissum in lateribus nec habebitis mitram in capite quamdiu legetis sub capa rotunda, vel disputabitis. Intereritis congregationibus, parebitis mandatis rectoris ac procuratoris in licitis et honestis. Non sustinebitis choreas duci extra domum vestram, nec inhonestatem fieri in principio vestro sub pena degradationis magisterii. Non revelabitis secreta Universitatis. Intereritis sepulture scolarium diebus festivis quando scietis; aliis diebus quando vocatus fueritis in habitu predicto legetis psalterium in morte magistri actu regentis vel legi facietis. Observabitis et deffendetis libertatem solitam examinationis Beate Genovefe. Dabitis fidem quod sub magistro sub quo licentiatus fuistis incipietis[3], vel per consensum suum sub alio, ita quod consensum suum sufficienter requi-

sivistis, vel libenter requisivissetis si commode potuissetis, ita quod nullum dolum seu fraudem aliquam erga magistrum vestrum sub quo fuistis licentiatus quantum ad inceptionem vestram aliquatenus intendetis. Item servabitis ordinem sive ordinationem de modo legendi lectiones ordinarias et disputandi. Item stabitis cum magistris secularibus et deffendetis statum, statuta, et privilegia eorundem toto tempore vite vestre, ad quemcumque statum deveneritis. Item nullum religiosum cujuscumque fuerit professionis recipietis in aliqua examinatione, videlicet determinandorum et licentiandorum, nec intereritis suo principio, nec sue determinationi[4]. Item nullam questionem pure theologicam disputabitis quamdiu rexeritis in artibus, utpote de Trinitate et Incarnatione. Item si contingat vos determinare aliquam questionem, que tangat fidem et philosophiam, eam pro fide determinabitis, et rationes contra fidem dissolvetis secundum quod vobis dissolvende videbuntur.

Item jurabitis quod vos determinavistis in artibus Parisius secundum consuetudinem hactenus observatam, vel in alio studio generali, ubi ad minus sunt xij regentes, fraude qualibet ammota. Item quod vos observabitis ordinationem nuper factam de modo congregationes denunciandi generales decano decretorum et decano medicorum. Item jurabitis quod, si sciveritis debere insurgere nationem contra nationem, vel provinciam contra provinciam, vel personam contra personam, revelabitis nationi contra quam debet fieri insurrectio persone vel provincie. Item vos jurabitis quod vos non incipietis quamdiu videbitis alium bachellarium incipere, sed expectabitis quod suam lectionem legerit et suam questionem determinaverit, antequam incipiatis. Item quod vos observabitis ordinationem magistrorum de bachellariis examinatis inferius per magistros non[5] regentes. Item jurabitis et pro posse vestro procurabitis acquitationem a debitis[6] Universitatis. Item jurabitis quod incipietis in capa propria, non accommodata nec conducta, si ponatis duos solidos in bursa vel plus. Item jurabitis quod vos non estis citra vicesimum primum annum vestre etatis. Item jurabitis quod audivistis per sex annos de artibus. Item jurabitis quod legetis per duos annos continue nisi rationabilis causa intervenerit[7]. Item jurabitis quod libertates singulas facultatis et consuetudines facultatis honestas et totius Universitatis privilegia deffendetis, ad quemcumque statum deveneritis[8].

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 3[b]. Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 4[b], sub rubrica: « Juramentum incipientium ». — *Hoc statutum deest apud* Bulaeum et Jourdain; sed tamen exscribunt ad annum 1341 (Bulaeus, IV, 273) juramenta, quae, licet in aliquibus immutata, cum superioribus in prima parte concordant, in fine vero multum adaucta fuerunt. Cf. etiam *Registrum nat. Anglicanae* in Arch. Univers. Paris., III, fol. 57[b]. Juramenta supra edita in hac forma circa an. 1280 esse composita conjicere possumus ex verbis, quae « ordinationem *nuper* factam de modo congregationes denuntiandi » respiciunt; hoc enim an. 1279, Oct. 19, evenit. Vide supra n° 493. Postea, v. g. an. 1341, locutio « nuper factam » semper in instrumento remansit. Statuta etiam de modo disputandi quaestiones theologicas, de juramento praestando, incipientes determinasse in artibus Parisiis, *etc.*, quae in documento afferuntur, pertinent ad an. 1272 et 1279. Cf. n[is] 441, 485. Cf. praeterea infra notas 3 et 8.

1. Rector incipientibus formam juramenti recitabat. Usus similis vigebat Bononiae. Cf. *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalt.*, III, 328. — 2. Reg. Vat.: « *xl* ». — 3. Vide *infra* n° 515, p. 609. — 4. Revera non legitur de aliquo religioso, qui isto tempore ut *religiosus* magisterium in artibus acquisiverit. — 5. Sic et in juramentis an. 1341. Ordinatio

ipsa ad nos non pervenit. — 6. « A debitis » ex *Reg. nat. Angl.* — 7. Ad juramenta ultimo relata vide supra nº 20. — 8. Hoc juramentum secundum libellum accusationis contra cancellarium Philippum de Thoriaco ab antiquo erat introductum. Infra nº 515, p. 614. Cf. praeterea nº 503.

502. *Diffinitio de scholaribus Collegii Paris. (Ord. Cluniac.) quod non debent admitti nisi solvant totam pensionem et integram, facta anno Domini MºCCºLXXXI.*

1281, Maii 4, Cluniaci.

De scolaribus in domo Cluniac. Parisius commorantibus est a diffinitoribus ordinatum, ut nullus recipiatur ibidem quicunque fuerit et quocunque tempore venerit infra annum, nisi totam et integram solverit pensionem; et ipsa pensio nulli alteri tradatur nisi procuratoribus dicte domus.

Definitiones Capp. general Cluniac. in Bibl. nat. Paris. ms. lat., nouv. acquis., 2263, fol. 20 et 88b. — Similes definitiones annorum posteriorum in ms. non semel occurrunt. Sic et anno 1282 definitum est, ut pensiones a prioribus scholaribus cito solvantur, cum scholares aliter nimis graventur. Ibid. fol. 84.

503. *Appellatio ad sedem apostolicam a magistro Petro de S. Amore, rectore Universitatis, contra magistrum Philippum, cancellarium Parisiensem, facta, quod Ferrandum, fratrem regis Aragonum, nullo ante tentatum examine, licentiare intendebat.*

1281, Maii 23, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo octogesimo primo, indictione nona, pontificatus domini Martini pape quarti anno primo, die veneris proxima post festum Ascensionis dominice, in presentia mei Rogeri, notarii infra scripti, et testium infra scriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum, constitutus magister Petrus de Sancto Amore[1], rector universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium nomine ipsius rectoris ac vice et nomine quatuor procuratorum nationum quatuor facultatis artium, et nomine ipsius totius facultatis contra venerabilem virum magistrum Philipum[2], cancellarium Parisiensem, ad sedem apostolicam in scriptis appellavit, in modum qui sequitur.

Cum de consuetudine approbata a tempore a quo memoria non existit, consuetum existat, quod bachelarii, licenciandi Parisius in facultate artium per cancellarium Parisiensem, ad ipsorum bachelariorum licentiam nullatenus procedatur de rigore per eundem cancellarium, nisi prius fuerint examinati per magistros regentes actu in facultate predicta, et vos, domine cancellarie Parisiensis, contra hujusmodi consuetudinem et tenorem privilegiorum nostrorum nobilem virum dominum Ferrandum, fratrem regis Aragonum[3], non examinatum per dictos magistros actu regentes in nostra facultate licenciare intenditis[4] (*sic*), contra consuetudinem approbatam et a tempore a quo non stat memoria observatam et privilegiorum nostrorum tenorem, in prejudicium et gravamen totius nostre facultatis et privilegiorum nostrorum : ideo ego, magister Petrus de Sancto Amore, rector universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, me et quatuor procuratores quatuor nationum facultatis predicte et ipsam facultatem sentiens a vobis in casu premisso inde-

bite et contra justitiam aggravari, propter hoc contra vos in hiis scriptis sedem apostolicam, nomine quo supra, provoco et appello, et apostolos[5] peto; quod si denegaveritis, iterum ex hoc in scriptis ad dictam sedem apostolicam appello, nomine quo supra, ipsam totam facultatem, quatuor procuratores et me protectioni sedis apostolice suppono. Facta autem fuit hec appellatio coram predicto cancellario sedente in aula superiori domini Parisiensis episcopi et volente tenere communem dicti domini F.[6], presentibus magistris Christoforo de Pecusiis, Roberto de Suessione, de natione Gallicorum; Henrico de Harenis, Johanne de Marla, de natione Picardorum; Michaele de Furco Quemini, Nicolao de Essone, de natione Normannorum; Johanne Dico et Patricio de Hybernia, de natione Anglicorum, actu Parisius regentibus in arcium facultate predicta, et pluribus aliis ad hec testibus vocatis et rogatis. Actum Parisius in aula superiori domini Parisiensis episcopi, anno die et indictione predictis, coram supra dictis testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Rogerus, dictus carnifex, clericus Parisiensis, publicus auctoritate sedis apostolice notarius, premissis interfui, scripsi, publicavi, rogatus a dicto rectore me subscripsi et signum meum apposui.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca V. B. 6. c. — Jourdain, nº 266. Vide praeterea infra nº 515.

1. De ejus opp. philosoph. vide Delisle, *Mélanges de Paléographie et de Bibliographie*, p. 469 sq. Hauréau, in *Hist. litt. de la France*, XXVIII, 479. — 2. Philippum de Thoriaco, qui an. 1280 post 20 April. Johanni de Aurelianis in officio cancellarii successit. Supra nº 395, n. 1, vidimus, Stephano episcopo Parisiens. defuncto (1279, Sept. 3) Odonem de S. Dionysio in episcopum Paris. electum ejusque electionem a Nicolao III irritam promulgatam fuisse. Summus pontifex an. 1280, Martii 23, Johannem praedictum in episcopum Parisiensem designavit (Reg. Vat. Nicolai III, nº 39, an. 3, ep. 19), qui tamen litteras papales in conventu Ord. Praed. Paris., quem 20 April. intravit (vide supra ad num 437), recepit et per procuratorem generalem Ord. recusavit. Nicolaus III, 27 Junii, Renoldum de Homblonaria, de cujus eminenti litterarum scientia laudabile testimonium perhibetur, cum theologicae facultatis cathedram meruerit ascendere magistralem, episcopum Parisiensem pronuntiavit. Reg. Vat. Nicolai III (nº 40), ep. 51. Renoldi sive Ranulphi seu Arnulphi exstant *Quolibeta*, unum « de natali » an. 1274, in Bibl. Arsenalis, ms. 379, fol. 218, alterum in paschate, fol. 221. De ejus sermonibus vide Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2 ed., p. 80, 499. — 3. Petri III (1276-1285). Quisnam vero iste Ferrandus frater regis (Petri) fuit? Ex priore matrimonio Jacobi I, patris Petri, cum « doña Leonor de Castilla » prodiit tantum Alfonsus; ex secundo cum « doña Yolande » vero processerunt filii : Petrus (qui supra), Jacobus, Ferdinandus, Sancho. Ferdinandus tamen seu Ferrandus jam erat mortuus, quando mater ejus Oscae an. 1251, Octob. 12, suum testamentum condidit, cum in ipso fiat mentio omnium ejus filiorum, excepto Ferdinando (Arch. de la corona de Aragon, parch. de Jaime I, nº 1264. Cf. Tourtoulon, *Jacme Ier le conquérant*, Montpellier, 1867, II, 577. Prosp. de Bofarull, *Los condes de Barcelona vindicados*, II, 236). Ferrandus Sanchez, nothus Jacobi I, quem habuit ex una nobili domus « Blanca de Antillon », obiit an. 1275 (Tourtoulon, l. c., p. 496). Ferrandus supra laudatus debet esse quidam Jacobi I nothus, cujus alias vix mentio fit. — 4. Hemeraeus, *De acad. Paris.*, p. 79, et post eum Bulaeus, III, 398, 458, 607, hoc factum perperam referunt ad cancellarium Johannem de Aurelianis, antecessorem Philippi. — 5. I. e. litteras missorias. Cf. Ferraris, *Bibliotheca canon. jurid. moral. theol.*, s. v. « apostoli ». — 6. I. e. Ferrandi.

---

504. *Decretum Universitatis Paris. ut occasione injuriae magistro Hugoni medico illatae, magistri lectiones non resumant, nisi privilegium Philippi Augusti observetur et emenda medico laeso praestita fuerit.*

1281, Julii 10, Parisiis.

Anno ab Incarnatione Domini Mº CCº octogesimo primo, die jovis post festum Sancti Martini estivalis apud Sanctum Julianum Pauperem Parisius congregati magistri omnium facultatum nomine totius Universitatis et pro universitate tam magistrorum quam scola-

rium in resumendis lectionibus unanimiter consenserunt sub forma que sequitur, videlicet ut dominus rex adeatur personaliter ex parte universitatis, et sibi dicatur : « Domine rex, ad preces vestras et ob reverentiam vestram magistri volunt resumere lectiones suas, sub spe tamen firma quod privilegium inclite recordationis domini Philippi quondam regis Francorum, innovatum per patrem vestrum et etiam per vos, in perpetuum illibatum nobis observetur; item sub spe firma ut si non est emenda sufficienter prestita medico leso[1], ut equum est, prestetur sive fiat; item sub spe, ut prius, ut de articulo quem dicitis vobis de novo propositum, fiat fidelis inquisitio scilicet per illos, qui sciunt veritatem, et secundum inquisitionem fiat justicie complementum ». Convenerunt etiam prefati magistri pro se et bachelariis suis, qui secum antea convenerant, ut si super premissis non fuerit justicia facta infra octavas Nativitatis beate Marie, quod ipsi erunt in eodem statu cessandi, in quo erant ante tempus dictarum conventionum, volentes iidem magistri pro se et bachelariis suis predictis, quod si dictis conventionibus aliqui inveniantur rebelles, nomine Universitatis ex nunc priventur et privati tunc denuncientur consortio totius Universitatis. In quorum testimonium et munimen sigillum Universitatis jussimus apponendum.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 22. c. Deest sigillum. — Bulaeus, III, 455.

1. Hugoni. Factum infra nº 515, p. 615, in extenso narratur.

---

505. *Declarat Universitas facta facultatum esse facta Universitatis.*

1281, Julii 12, Parisiis.

Omnibus in Christo fidelibus ad quos presentes littere pervenerint, universitas magistrorum Parisius in quacumque facultate regentium, in eo qui salus est animarum, salutem. Noveritis quod nos universitas predictorum magistrorum, pro nobis et scolaribus nostris, utilitate communi pensata, et ad ora quorundam malignorum claudenda dicentium, quod facta facultatum non sunt facta Universitatis, privilegia ejusdem minuere sive pocius enervare cupientes, non attendentes quod principum beneficia sunt latissime interpretanda, anno ab Incarnatione Domini MCC octuagesimo primo, die sabbati post octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, hora ad capitulum jam pulsata, expectata a prima ejusdem diei, congregati apud Sanctum Julianum Parisius, prout moris est, vocatis omnibus qui debuerunt evocari, hac edictali constitutione ad perpetuam rei memoriam declaramus, facta facultatum theologie, decretorum, medicine, et arcium, in quantum illa facta respiciunt privilegia Universitatis seu negotia, esse facta Universitatis, et per Universitatem et nomine Universitatis debere fieri prosecutionem canonicam et debitum sortiri effectum. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostre Universitatis jussimus apponendum. Datum anno, die, et hora praedictis.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 13. a. Restant duo fragmenta sigilli taeniolo membr. appensi. — Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9958, fol. 10, ex cod. pergam. nat. Picard., fol. 111. — Bulaeus, III, 456.

506. *Decretum quo deliberatio 12 Julii habita innovatur et confirmatur. Quicumque habet privilegia, statuta, etc., Universitatis, ea ipsi restituat.*

1281, Julii 23, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis universitas magistrorum Parisius nomine suo et scolarium salutem in eo qui salus est animarum. Noveritis quod anno Domini M° CC° octuagesimo primo, die mercurii post festum beate Marie Magdalene nos prefati magistri in ecclesia Sancti Juliani Pauperis Parisius in hora tertia Beate Marie congregati, ordinavimus seu ordinationem antea factam innovavimus, videlicet ut facta facultatum seu negocia necnon personarum, in quantum contingunt privilegia Universitatis, essent seu defenderentur et agerentur nomine totius Universitatis. Ideoque provida deliberatione super hoc habita nos magistri memorati appellationes interpositas specialiter et nominatim nomine duarum facultatum decretorum et artium contra cancellarium Parisiensem, hiis scriptis innovamus nomine totius Universitatis in presentia omnium vestrum, ad perpetuam rei memoriam dictam innovacionem per latorem presentium legi facientes. Item vobis omnibus et singulis auctoritate dicte Universitatis injungimus et sub pena quam potest infligere, quod quicumque habet seu aliquem scit habere privilegia, statuta, seu etiam rescripta ad eamdem Universitatem pertinentia, in prima congregacione generali reddat et restituat, denunciet et incuset; alioquin, si est de juratis dicte Universitatis, penam perjurii poterit formidare et divulgacionem in sermonibus et in scolis; si autem est de non juratis, consorcio dicte Universitatis privabitur, et privilegiis ejusdem non gaudebit. In quorum testimonium presentibus sigillum dicte Universitatis jussimus apponendum. Datum anno, die et hora predictis.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca VII. D. 13, b. Restant fragmenta duorum sigillorum. — Jourdain, n° 269.

---

507. *Martinus IV Philippo III, regi Francorum, privilegia concedit in gratiam clericorum, qui ejus obsequiis insistunt et Parisiis student.*

1281, Octobris 10, apud Urbem Veterem.

Martinus episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regie serenitatis precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut si aliqui ex clericis tuis, qui tuis insistunt obsequiis vel insistent imposterum, de licentia regia se Parisius, ubi consuevisti frequentius immorari, litterarum studio duxerint deputandos, possint redditus et proventus beneficiorum suorum etiam si sint dignitates vel personatus et curam habeant animarum cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent personaliter residerent. Non obstantibus contrariis ecclesiarum ipsarum consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate vallatis, seu si in ecclesiis in quibus

beneficia ipsa obtinent, primam non fecerint residentiam consuetam, seu juramento ab ipsis prestito, quod non impetrabunt per se vel alios super hiis ab apostolica sede gratiam, et impetrata etiam ab alio non utentur, aut aliqua indulgentia sedis apostolice de qua cujusque toto tenore oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Proviso quod interim hujusmodi dignitates, personatus et beneficia debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis in quibus illa imminet nullatenus negligatur. Nulli ergo, *etc.*, nostre concessionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem vj id. Octobris, pontificatus nostri anno primo.

Originale in Arch. nat. Paris. J. 692, n° 141[3]. Bulla plumb. fil. ser. flav. et rub. col. appenditur. In membrana aversa : R̸, cum inscriptione « script. » et infra « cap° ». Juxta ponitur : xlviij°. Reg. Vat. Martini IV (n° 41) an. I, ep. 48, fol. 15. Ibid. abbas S. Dionysii exsecutor constituitur. — A. Tardif, *Privilèges accordés à la couronne de France par le Saint-Siège*, n° 87.

---

508. *Martinus IV fratribus Minoribus et Praedicatoribus privilegia quoad praedicationem et confessiones audiendas concedit.*

1281, Decembris 13, apud Urbem Veterem.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis generali et provincialibus ministris Ordinis fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem. Ad fructus uberes, quos in agro dominico predicando, verbo pariter et exemplo, confessiones audiendo, et per alia virtutum exercitia sacer Ordo vester et humiles ipsius Ordinis professores produxerunt hactenus, et in futurum sperantur Deo auspice producturi, attente considerationis aciem convertentes, ut fratres ejusdem Ordinis predicationis et audiendi confessiones officia eo liberius et efficacius exequi valeant, quo certius de ipsorum circa eadem auctoritate constabit, tibi, fili generalis, per te, vobis vero provincialibus ministris cum diffinitoribus in provincialibus vestris capitulis congregatis, committendi, auctoritate apostolica, fratribus ejusdem Ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, et approbatis a vobis, predicationis officium; audiendi vero confessiones, absolvendi confitentes, et injungendi eisdem penitentias salutares etiam fratribus alias ydoneis; concedendi eisdem quoque sepefati Ordinis fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa sive concessa fuerint, quod eadem libere valeant exercere : plenam damus et concedimus auctoritate presentium facultatem. Districtius inhibentes ne quis fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut premittitur, sive etiam committenda, in exercitio aut executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hii, qui fratribus confitebuntur eisdem, suis parrochialibus presbyteris confiteri saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nichilominus teneantur, quodque iidem fratres eos ad hoc diligenter et efficaciter secundum datam eis a Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo, *etc.,* nostre conces-

sionis et inhibitionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Vidimus Aymari archiepiscopi Lugdunens. an. 1283, mensis Julii, in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Cordeliers, liasse 907. Bibl. Turon. ms. 606, fol. 174. Poson. ms. 13, fol. 231 b. Glassberger, *Chron.* in *Analecta Francisc.*, II, 75. *Firmamenta trium Ord.* (Parisiis, 1512) juxta originale. Sed Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3120, fol. 1 b (et in lingua gallica), 3, 72 et 74 b, epistola data est iiij id. Januarii (Jan. 10, an. 1282), sicut eadem ad magistrum general. et provinciales priores Ord. Praed. in *Cartul.* des Dominicains in Arch. départ. de la Côte-d'Or, H. 221, fol. 44 b. Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 202. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, II, 1. — Hae litterae ansam praebuerunt magnae turbationi in Universitate, ut documenta infra et in II tomo relata probant. Cf. ad hoc epistolam 1 Julii an 1282 Guillelmi archiep. Rotomag. et Guillelmi episc. Ambianensis ad archiepiscopos Remensem, Senonensem, Turonensem de Concilio convocando directam. Marlot, *Metropolis Remens.*, II, 579. Idem Martinus IV jam an. 1268, Dec. 25, tempore quo adhuc legatus in Francia fuit, eodem sensu atque in litteris supra publicatis pro privilegiis Praedicatorum et Minorum contra aliquos articulos in provinciali Concilio ab archiepiscopo Remensi et ejus suffraganeis editos se declaravit. Cod. Rutenens. Constit. Ord. Praed., p. 205-208. — Capitulum generale Ord. Praed. anni 1282 admonuit fratres ut monita in litteris papae expressa observarent. Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1806, nº 3.

---

509. *Martinus IV Gerardo, quondam abbati S. Germani de Pratis, qui olim pro bono pacis in gratiam Universitatis Parisiensis regimini abbatiae cessit, bona et jura omnia ei collata confirmat.*

1282, Januarii 21, apud Urbem Veterem.

Gerardo monacho quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Sancti Benedicti. In executione regiminis monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiens. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis Sancti Benedicti, sic virtus Domini tibi astitisse dinoscitur ut apud nos et quamplures seu multos alios fama tua clara et laudabilis habeatur. Olim siquidem inter te et nonnullos monachos predicti monasterii communiter ex parte una, et universitatem magistrorum ac scolarium Parisiens. ex altera, occasione quorumdam fundamentorum latitudinis amplioris, que tu, dum adhuc esses abbas monasterii memorati, ejusque monachi non longe a septis ipsius in via seu secus viam qua itur ad prata scolarium Parisiens. mandavistis et fecistis construi viam ipsam plus solito coartando, gravis et dispendiose nimis discensionis materia suscitata et enormibus ac periculosis et detestandis exinde subsecutis excessibus, in quorumdam de Universitate predicta personas, ausu dampnabili perpetratis : nos tunc in minori officio constituti et in illis partibus legationis fungentes officio, cum ex parte ipsius Universitatis ac alias etiam publicus super hiis clamor validus ad nostram audientiam pervenisset, ad inquirendum de supradictis excessibus exolvendo nostri partes officii duximus procedendum, hujusmodi quidem nostro pendente processu, tu contemptis comodis propriis et honoris postposito tui statu, pro bono pacis et ejusdem tranquillitate monasterii ac etiam Universitatis reverentia supradicte, sponte in nostris manibus abbatie ipsius monasterii cedere curavisti, nosque hujusmodi tuam cessionem duximus admittendam. Ac tandem tuam tam humilem et spontaneam cessionem, tueque devotionis affectum, quam erga Romanam gessisti ecclesiam, benigne considerationis indagine metientes, pensantes quoque quod tu lauda-

biliter dicto monasterio prefuisti, bona ejus temporalia multipliciter augmentando, et propter hoc dignum extimantes et consonum rationi ut tibi de premissis bonis decentis et honorabilis provisionis gratia conferretur, tibi pro persona tua tuaque familia competenti de voluntate communi consensu unanimi ac instantibus precibus totius conventus monasterii prelibati singulariter expressis ab omnibus de ipso conventu a nobis propter hoc specialiter convocato in nostra presentia tunc in eodem monasterio constitutis, premissorum bonorum nichilominus sufficientia diligenter inspecta, de Brolii Pareti et Euranville villis ejusdem monasterii cum domibus, grangiis, juribus et pertinentiis suis (septuaginta et tribus libris parisiens., quas idem conventus in ipsa villa de Euranville percipit annuatim, exceptis), necnon de quadam domo de Yssiaco ad dictum monasterium pertinente cum omnibus que infra clausuram ipsius domus consistunt, ac de quibusdam redditibus centum librarum parisiens., que ab hominibus ville de Antogniaco Parisiens. diocesis ex certa causa annis singulis dicto monasterio solvebantur, auctoritate legationis nostre providimus a te quoad vixeris possidendis. Universis ergo et singulis de predicto conventu super hoc specialiter requisitis, ac provisionem hujusmodi ratam habentibus et acceptam, nos nichilominus irritum decernimus et inane, si secus de villis et aliis supradictis vel aliquo seu aliquibus eorundem contra prefatam provisionem nostram contingeret attemptari, prout in patentibus litteris nostris confectis exinde, ac sigillo quo utebamur tempore legationis premisse signatis plenius continetur. Ad hoc dilectis filiis .. Carnotens. et .. Meledunens. in ecclesia Senonensi archidiaconis per alias nostras litteras auctoritate predicta mandavimus, ut ipsi vel alter eorum te vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem villarum, domorum, grangiarum, jurium, pertinentiarum et aliorum premissorum inducerent et tuerentur inductum, facientes tibi vel dicto procuratori pro te de villarum, domorum, grangiarum et aliorum predictorum fructibus, redditibus, juribus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Verum quia processu temporis, dum adhuc premisse legationis officio fungeremur, intelleximus quod postquam tu in premissorum possessionem hujusmodi mandati nostri auctoritate inductus fuisti, nonnulli de conventu predicto se hujusmodi provisioni nostre, cui prius consenserant, opponebant pro sue libito voluntatis, nos volentes et talium temeritatem compescere ac provisionem eandem robur obtinere perpetue firmitatis, in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgavimus dictisque archidiaconis per alias adhuc nostras litteras auctoritate premissa dedimus in mandatis ut ipsi vel alter eorum eandem excommunicationis sententiam in predicto monasterio solemniter publicarent, qui super hoc mandatum nostrum exequi studuerunt. Quare humiliter petebas a nobis ut, cum post hec omnia ex dispensatione divina culmen ascenderimus apostolice dignitatis et in plenitudinem simus potestatis assumpti, opportunum firmumque robur provisioni predicte adicere dignaremur. Cum itaque premissa omnia memorie habeamus, nec illud oblivioni commiserimus quod tu

sicut premittitur sepedictum monasterium dum abbas ejus existeres augmentasti laudabiliter in premissis, quodque pro bono dumtaxat pacis et concordie ac reverentia Universitatis ejusdem sponte cessisti predicte regimini abbatie, te ad hoc quodammodo ingerendo, nos digne tuis devotis inclinati precibus provisionem eandem et quicquid nos ipsi dumtaxat circa eam tempore dicte legationis nostre fecimus et in premissis nostris litteris continetur, non obstantibus quibuscumque appellationibus ab eadem provisione ad sedem apostolicam interjectis, et omnibus aliis propositionibus ac allegationibus per procuratorem .. abbatis dicti monasterii coram nobis factis seu quibusvis contrariis constitutionibus, statutis, seu consuetudinibus juramento, confirmatione apostolica, seu quacumque firmitate vallatis auctoritate apostolica ex certa scientia de nostre potestatis plenitudine approbamus, rata et firma habemus et haberi volumus et etiam confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus. Decernentes nichilominus irritum et inane, si secus super premissis vel aliquo premissorum fuerit attemptatum. Tenores autem tam dictarum nostrarum quam ipsius conventus consensum super hoc exhibitum continentium litterarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui tales sunt. *Sequuntur tres epistolae Simonis cardinalis legati et una Simonis prioris S. Germani an.* 1278. *Cf. supra* n° 484. Nulli ergo, *etc.*, nostre approbationis, confirmationis et constitutionis, *etc.* Si quis autem, *etc.* Dat. apud Urbem Veterem xij kal. Februarii, anno primo.

Reg. Vat. Martini IV (n° 41) an. 1, ep. 99, fol. 26b. In ep. 100 episcopus Meldensis et mag. Gilo notarius apost., archidiaconus de Pontivo in eccles. Ambianensi, et praepositus eccl. S. Audomari Morinens. dioec. ut conservatores ordinantur. Ad Gerardum de Moreto capellanum papae, quondam abbatem S. Germani, Martinus IV etiam xiij kal. April. an. 1 direxit epistolam (Reg. Vat. Martini IV an. 1, ep. 108), ubi praeterea litterae circa idem negotium ad praedictos executores.

---

510. ***Responsum datum a magistris theologiae Parisiens. ad duos casus conscientiae propositos.***

1282, mense Novembri [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis R.[1] miseracione divina Parisiensis episcopus, magister Odo de Sancto Dyonisio[2], canonicus Parisiensis et decanus theologice facultatis, frater Gregorius, prior Vallis Scolarium Parisiens.[3], frater Johannes de Alodio, Ordinis fratrum Predicatorum, quondam cancellarius Parisiensis[4], magister Guillermus de Monciaco, canonicus Parisiensis, magister P[etrus] de Joingniaco, canonicus Parisiensis[5], magister Albertus, Ordinis Cluniacensis, prior de Monte Desiderii, magister Adenulphus, prepositus Sancti Audomari[6], magister Nicholaus de Pressorio[7], archidiaconus in ecclesia Bajocensi, frater Drogo Pruvinensis[8], minister provincialis Ordinis fratrum Minorum in Francia, frater Johannes de Turno[9], prior fratrum Predicatorum Parisiensium, frater Johannes de Sancto Benedicto[10], Ordinis fratrum Predicatorum, frater Symon de Lans[11], Ordinis fratrum Minorum, magister Adam de Gulyn[12], archidiaconus Laudonensis, frater Hugo de Bilomio[13], Ordinis fratrum Predicatorum, frater Arlotus de Prato[14], Ordinis

fratrum Minorum, in sacra theologia doctores, nos notum facimus, quod cum nobis fuerint casus propositi, « utrum aliquis vere penitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest teneatur eadem peccata numero iterum confiteri, et utrum aliquis possit aut debeat prohibere aut per modum obligatorium impedire, quominus possit eadem peccata vel alia alteri confiteri », respondimus et respondemus quantum ad primum, quod vere penitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest, si penitentiam sibi prius injunctam in memoria teneat, non tenetur eadem peccata numero iterum confiteri; quantum ad secundum dicimus, quod non potest aut debet aliquis auditor confessionum prohibere confitentem, confessum seu confessurum, quominus uni confessori confessus possit alteri confiteri eadem peccata numero vel alia introducta. Si qui autem dicunt aut dixerunt contrarium, quantum in nobis est erroneum reputamus. Datum anno Domini MCC octogesimo secundo, mense Novembri.

Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15899, fol. 130^{b}. Cod. Rutenens. continens Constitut. Ord. Praed. ad Ord. pertinens (saec. XIII-XIV), p. 339. Johannes Peckham transcribit et insuper declarat in suo *Registro epist.* (ed. Martin, III, 878, ad 17 Jan. 1285) idem documentum, visum ann. 1282 et 1284 ab officiali curiae Parisiensis. Primum sic incipit : « Universis presentes litteras inspecturis officialis curiae Paris. salutem in Domino. Notum facimus nos anno Domini MCC octogesimo secundo, die sabbati post festum S. Clementis [Nov. 29] litteras sigillo domini Paris. episcopi unacum quibusdam sigillis magistrorum in theologica facultate sigillatas vidisse in hec verba », *etc.* Non ergo charta ipsa sed transcriptum tantum officialis est 29 Novembris. — *Chron. Nicol. Glassberger* in *Analecta Francisc.*, II, 97 sq., ubi sicut apud Peckham et Baluze deest « mense Novembri ». Notantur ibid. duo *vidimus* ann. 1286 et 1287. Baluze, *Vitae paparum Avenion.*, II, 10.

1. Ranulphus de Hombloneria. Vide supra nº 503. — 2. Vide supra nº 395. — 3. Nominatur jam supra n[is] 416, 435. — 4. Joannes de Aurelianis. Supra nº 437. — 5. De duobus istis vide Guérard, *Cart. de Notre-Dame*, IV, 15; III, 350; IV, 205; Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 152; III, 4, et *Hist. litt. de la France*, XXVI, 448. — 6. Cf. Guérard, l. c., IV, 118; *Hist. litt. de la France*, XXI, 298; Delisle, *Cabinet des mss.*, II, 143, 210. — 7. Ejus exstant inter alia *Quaest. theolog.*, ann. 1273, 1274, v. g. in Bibl. nacion. Matrit. P. 37, in quibus jam notatur, eas esse factas « in vesperis », « in aula », « in die ». De ejus sermonibus cf. Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2 ed., p. 83. Nominatur etiam « de Torculari ». Supra nº 480. Obiit an. 1302, Jan. 26. Cf. Guérard, IV, 14. — 8. Priori Praed. et fr. Droconi de Pruvino doctori theologicae facult. Minorum fratrum Ordinum Parisiens. scripsit Honorius IV 30 Mart. an. 1282 (Reg. Vat. an. 1, ep. 247, fol. 67^{b}). Vide praeterea Lecoy de la Marche, p. 501, et infra n. 11. — 9. Vide Stephanum de Salanhaco in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. d. Mittelalt.*, II, 207, nº 31. Legebat Parisiis jam an. 1278. — 10. Vide ibid. nº 39, p. 210. Ejus saepe mentio fit in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3120; fuit acerrimus adversarius Guillelmi de Mâcon, episc. Ambianensis. — 11. I. e. Lens (Pas-de-Calais). Ipsi, Drogoni supra nominato, Arloto aliisque ex Ord. Min. an. 1283 minister generalis Bonagratia suspecta in doctrina fratris Petri Johannis Olivi examinanda exposuit. *Chron.* XXIV *General.* Glassberger, l. c., p. 100. *Archiv. f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, III, 416. — 12. Alias « Golyn ». Vide nº 511, alinea 1. — 13. Cf. Bernardum Guidonis in *Archiv, etc.*, p. 209, nº 37. — 14. In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14720, fol. 128, invenitur ejusdem *Quaestio disputata* an. 1281. An. 1285 in ministrum generalem electus, moritur an. sequenti. — Jam ante 1 Jul. ejusdem anni Parisiis celebratum est Concilium episcoporum propter eandem causam, ut apparet ex epistola Guillelmi archiepiscopi Rotomag. et Guillelmi episcopi Ambianensis apud Marlot, *Metropolis Remens.*, II, 579; et haec fuit *prima* congregatio facta circa illud negotium, et forte de illa etiam loquitur Henricus de Gandavo his verbis : « Super eadem questione *a cetu plurium episcoporum*, utpote XIII, quorum duo erant archiepiscopi, petitum fuit a collegiis magistrorum regentium Parisius in facultatibus theologie et decretorum, quid ipsi sentirent ». *Quol.* VII an. 1282, qu. 24 (in ms. lat. 3120, fol. 10^{b}). Postea forsitan aliqua Concilia provincialia sunt celebrata, si archiepiscopi voto archiepiscopi Rotomagensis et episcopi Ambian. in litteris laudatis apud Marlot l. c. expresso reponderunt; mense Novembri tamen XV magistri Parisienses Parisiis congregati responsum supra relatum dederunt, quod iterum ansam praebuit ad litigandum, an etiam omnes magistri praesentes sigillarint litteras, ut liquet ex *Quol.* X qu. 1 Henrici de Gandavo, ex epistola episcopi Ambian. in Bibl. nat Paris. ms. lat. 3120, fol. 32^{b}, ex sermone Johannis de S. Benedicto, ibid. fol. 36^{b}, et Quétif-Échard, I, 405. — Secundum *Hist. litt. de la France*, XXI, 22, 553; XXV, 387, et Langlois, *Le règne de Philippe III*, p. 245, an. 1282 vel 1283, Parisiis aliud Concilium (cujus tenor inter scripta Matthaei Flacii in Bibl. Wolfenbüttel, cod. Helmstad. 743. 8 [818], fol. 21, et apud Bulaeum, III, 465, partimque in cod. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3120, fol. 32^{b}, asservatur) in hac causa congregatum fuit. Hoc tamen an. 1286 evenisse, in tomo II probabimus.

511. *Taxationes quaedam domorum a magistris in theologia et in artibus civibusque Parisiensibus, ann. 1282 et 1283 factae.*

Ann. 1282-1283, Parisiis.

Anno Domini millesimo octuagesimo primo taxaverunt magistri in theologia Adam de Gouly[1], et Petrus de Vylarcheaus :

Die jovis ante festum Sancti Petri in cathedra[2], domum domini Clementis, presbyteri de Issiaco, in platea Malberti, ante domum ad nassam : sex libras.

Domum novam Sorbonistarum in claustro Sancti Benedicti, juxta magis novam, ad viginti libras parisiens., sicut anno preterito, taxamus.

Domum magistri Guillermi de Charleis, in vico Sancti Cosme, ante domum ad cervum : quatuor libras cum dimidia.

Domum ecclesie de Blesis, illam que est in medio in vico quo itur a porta Inferni ad Sanctum Jacobum : tresdecim libras.

Die mercurii.

Scole ad magnum Britonem, in vico de Attrebato : centum et decem solidos.

Domum Droconis de Cachant, in magno vico, ante Sanctum Maturinum.

Domum Domus Dei, juxta plateam vacuam in vico Petri Sarraceni : septem libras.

Domum Guillermi de Seint Cuir in vico Serpentis, ante domum magistri Henrici de Verdeliaco, cum pratello, cum cellario, sine stabulis : decem et octo libras parisiens.

Domum Johannis de Boigeval, in vico Sancti Germani : quinquaginta solidos.

Die jovis.

Domum Richardi le Fenier, in vico Plastri : IIII libras, X sol. parisiens.

Domum Petri Alverniensis, in vico Sancti Victoris contra vicum Alexandri Anglici : octo libras.

Domum heredum Guillermi de Poncello, in vico pavato, juxta domum Stephani de Moret : sex libras et quinque solidos.

Domum magistri Hugonis de Hermen, in vico pavato, cum stabulis : octo libras pro domo, et decem solidos pro stabulis.

Domum magistri Yvonis, decani de Clicon, ante domum comitum de Barro : sexdecim libras.

Domum Thome notarii, in magno vico, versus Sanctum Jacobum, juxta domum episcopi Lyngonensis : octo libras et quindecim solidos.

Domum Ludovici Chanscon, juxta domum archipresbyteri Sancti Severini, ad longum introitum : VIII libras.

Domum duorum mutonum : VI libras V sol.

Domum Guillermi dicti Giffard, supra domum ad Marmoses. : IIII libras V sol. pro toto anno.

Domum Theobaldi Britonis, ante Sanctum Ylarium : VIII libras et dimid.

Scolas Thomae Flamangi, inter tres portas cum columpnis : XL solidos.

Domum que fuit Domini Bernardi, presbyteri Sancti Nicolai, in vico Sancti Victoris, ante Serpentem : IIII libr. parisiens.

Domum magistri Ivonis, canonici Sancti Melonis de Pontisara, in vico Sancte Genovefe : X lib. et dimid. parisiens.

Domum Johannis, dicti de Sancto Martino, in monte Sancte Genovefe, sub carnificina[3].

Domum Nicolai, dicti Le Mascon, ad garnetum, in vico S. Ylarii : VII libr. parisiens.

Domum Nicolai imagerii, in vico S. Genovefe : LX sol. parisiens.

Domum Petri Morelli, in magno vico : VIII libras parisiens.

Domum Stephani Point Larne (l'asne?) et matris ejus : CX solidos parisiens.

Domum Biche Lonbardi[4], in vico S. Christofori : VI libras.

Domum magistri Petri de Villa Blovana : VI libr. parisiens.

Domum Guillermi de Seint Cuyr[5], in vico Serpentis, per terram : novem libr. parisiens.

Domum Guillermi le Mareschal, in vico Nucum, cum pratello sine celario, juxta domos Huguelini, servientis communis in decretis : LXV solid.

Domum Johannis Berbette, in vico Sancte Genovefe, per terram, cum celario, cum pratello : centum solidos parisiens.

Domum parvam Sancti Stephani.

Anno Domini MCC octuagesimo secundo, taxaverunt magistri in theologia frater Hugo de Billonio, de Ordine Predicatorum; frater Allotus, de Ordine Minorum[6]; et magistri quatuor in artibus; et burgenses Johannes Quidornoie, antiquior, Nicholaus de Altysiodoro[7].

Domum nepotis episcopi Caturcensis, in Buscheria, ad longum introitum : centum et octo solid.

Domum Ade de Attrebato, cum quinque cameris, in Guellandia : centum solidos parisiens.

Domum Domus Dei, in magno vico, ad longissimum gradum, in qua pendet clavis pro signo : VI libras cum dimidia.

Domum Stephani de Lymoges, clerici, in vico Plastri : centum et quinque solid.

Domum Michaelis Fresnel novam, in magno vico, quantum ad istum annum solum : octo libras.

Domum Guillermi de Roseto, in magno vico, per terram, juxta Hugonem le Convert, cum sex cameris : novem libras cum dimidia.

Domum scolarium de Sorbona, in vico Sorbonistarum, primam, in qua morantur clerici, a parte Sancti Cosme : X libras parisiens.

Domum que fuit Mathei Rufi defuncti, in magno vico, cum quinque cameris : centum et duodecim solidos.

Domum Theobaldi cissoris, in magno vico : quatuor libras parisiens.

Domum magistri Guidonis de Gravia, ante domum domini Roberti de Torota, in cono : novem libras cum dimidia.

Domum Theobaldi Britonis, in vico Amigdalorum, cum quatuor cameris et celario et coquina magna : septem libras.

Domum magistri Guidonis de Gravia, supra Sanctum Hilarium, ab opposito vici ad Cacabos, cum quinque cameris, cum coquina per terram, celario, stabulis : duodecim libras.

Domum Mathei Lombardi minorem, in vico Furni, cum quinque cameris et una super coquinam, sine expensa : centum et decem solidos.

Domum que dicitur Guilleberti de Vouta, in vico Quadrigarie : quatuor libras et decem solidos.

Domum Agnetis de Gravia, in Guellandia, que dicitur ad *Li plate pierre,* cum quatuor cameris, cum pratello, stabulis et expensa magna : sex libras et quatuordecim solidos.

Domum Henrici Lombardi, in vico Petri Sarraceni, que est contigua domui quam inhabitat dictus Henricus Lombardus, que habet IIII cameras : IIII libras XVI solidos.

Domum Yvonis Britonis, condam canonici Remensis, in vico Petri Sarraceni, cum quinque cameris et cellario : VII libras.

Domum magistri Joannis le Savoner, in vico Petri Sarraceni, que habet tres cameras principales, et celarium unum, juxta domum *au degoteres*[8] : C solidos parisiens.

Domum Ade de Stupis, in vico Potatorii, comitis Masticonensis : VIII lib. et X solid.

Domum Gaufridi Latomi, in vico Potatorii, comitis Masticonensis, que est supra domum in qua idem Gaufridus moratur, que habet quinque cameras : LXV solidos parisiens.

Domum Petri de Claustro, ad cornu, in vico de Bievra : VI libras V sol.

Domum Guillermi de Bacia : C solidos paris. in vico Poreta.

Domum magistri Guillermi de Gandavo, in vico de Bievra[9] : IIII libr. et X solid paris.

Domum magistri Remigii, in vico Sancte Genovefe, cum duabus cameris et cellario bono, et coquina parva : decem libr. parisiens.

Domum Noelli Latomi, in vico Sancti Hylarii, cum IIII cameris et coquina : libras tres, solidos decem paris.

Domum domine Johanne *Pie d'o*[*ë*][10], in vico ecclesie Sancti Hylarii, cum quatuor cameris et coquina : LXXVI solidos parisiens.

Domum[11] chanonici Sancti Stephani, ante domum magistri Johannis Romani, ad longum introitum, in vico magno Sancti Jacobi, cum sex cameris, cum cellario et prato : novem libras parisiens.

Domum Nicolai juvennis, in vico Bucherie : octo libras et quindecim solid. paris.

Domum pitanciarii Sancti Jermani de Pratis : LX lib. XII sol. in medio.

Domum pitanciarii Sancti Jermani de Pratis, in fundis super parvum pontem : VIII libr. et quindecim solidos parisiens.

Domum in vico novo domini Johannis de Duaco : x libras parisiens.

Domum magistri Gandulfi, in civitate : centum solid.

Domum Roberti le Seeleur, in vico Erambour de Brie : VIII libras et x solid.

Domum superiorem Alani juvenis, in magno vico : VI libras et x solid.

Domum Rogerii de Pratis, in magno [vico] : pro VII libris paris.

Domum Michaelis Flemengi, scilicet inferiorem, in vico Sancti Ylarii : LX et XV solid.

Domum inferiorem Lamberti de Barro, in opposito domus magistri Johannis de Magno Ponte, in vico Sancte Genovefe : XV libras.

Domum magistri Bertaldi de Sancto Dyonisio[12], in vico Plaustri : XII libras et dimidiam.

Domum clericorum de Domina Nostra, in vico de Hucheta, cum cameris anterioribus juxta portam : XIII libras parisens. et quinque solidos.

Domum Sorbonistarum, ad longum introitum, ante palatium Terminorum : XXIII lib.

Domum Sorbonistarum in magno vico superiorem, que dicitur ad Mormecetos[13] : octo libr.

Domum magistri Galteri de Chandelis, in vico Sancti Stephani de Gressibus, cum stabulis : quatuordecim libras et quinque solidos.

Originale in Arch. Univers. Paris. theca IV, A. 18. e, diversis manibus scriptum. — Jourdain, nº 293, et *La taxe des logements dans l'Université de Paris*, in *Excursions historiques et philosophiques à travers le moyen âge*, p. 256 sqq.

1. Scribitur « goli, gouly ». Cf. nº 510, n. 12. — 2. 20 Februarii. — 3. Hic articulus in charta interlitus est. — 4. Vide *Livre de la taille de Paris*, p. 1 : Biche le Lombard. — 5. Vide supra. — 6. Vide de istis supra nº 510. — 7. Hic duorum burgensium sane nomina habemus, minime igitur de fratre O. Praed. nomine *Quidort* agitur. — 8. Sic in charta, legendum vero videtur, auctore A. Berty, « aus deus goteres », id est « ad duo stillicidia », in vico Sarraceni. — 9. Orig. : « Brevia ». — 10. In charta « lapido » manu prima, sed litteris « la » expunctis et *e* supr. lin., cum glossemate « Pedis anseris ». — 11. Desideratur nomen cum spatio vacuo relicto. — 12. Supra nº 488. — 13. Marmosetos. In quodam documento anni 1284, mense Novembri, quod ad amortizationem terrae feodalis de Roseriis quam tenent scholares de Sorbona respicit (*Magnum Chartul. episc. Paris.* in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 53b, Bulaeus, III, 235) nominatur domus Guillermi le Hongre « in vico Marmosecorum in civitate ». Vide supra p. 597 in fine : « Marmoses. ».

---

512. *Martinus papa IV magistris et scholaribus Parisiensibus de expensis Universitatis.*

1284, Martii 7, apud Urbem Veterem.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris universis et scolaribus Parisiens. salutem et apostolicam benedictionem. Ad statum universitatis vestre pacificum conservandum opem debetis et operam vigilantibus studiis impertiri; tunc enim laudabiliter studendo proficitis et proficiendo studetis cum inter vos invicem voluntatum viget idemptitas, regnat pax stabilis, perfecta caritas perseverat. Sane didicimus quod in expensis necessariis quas pro Universitatis vestre commodis ex justa et rationabili causa

fieri contingit interdum, nonnulli ex vobis contribuere pro sua voluntate recusant, propter quod inter vos materia dissentionis et scandali crebrius suscitatur. Quia igitur in expensis hujusmodi singuli vestrum contribuere justitia exigente tenentur, et ad vestram spectare dinoscitur honestatem, ut super hoc non ingeratur a vobis aliqua difficultas, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus singuli vestrum, qui duos solidos parisiens. in communi bursa cum sociis in ebdomada ponitis, super contributione hujusmodi facienda sic prompte ac liberaliter vos geratis ut dissentionis predicte materia, que posset non levia generare pericula, tollatur omnino vosque proinde possitis non immerito commendari. Nos autem, qui paterne sollicitudinis studio ad ipsius Universitatis statum pacificum intendimus ac tranquillum, volentes hujusmodi dispendiis obviare, dilectis filiis .. abbati[1] et .. cancellario[2] monasterii Sancte Genovefe Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis sancti Augustini per alias nostras injungimus litteras[3] ut omnes tales ex vobis ad id monitione premissa auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum illud quod ex hujusmodi contributione proveniet, per abbatem et cancellarium supradictos colligi volumus et collectum .. rectori Universitatis, decanis facultatum et procuratoribus quatuor nationum integre restitui per eosdem in ipsius Universitatis arca, per rectorem, decanos et procuratores predictos fideliter deponendum et convertendum per ipsos in solutionem hujusmodi expensarum. Dat. apud Urbem Veterem non. Martii, pontificatus nostri anno tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 270, nº 21. Appendet sigillum plumbeum. Pertinebat olim ad Arch. Univers. — Apographum anni 1318 in Arch. Univers. Paris. theca IV. A. 18. a. — Bulaeus, III, 463.

1. Arnulpho. — 2. In litteris Martini IV, id. Martii an. 1 (1282, Martii 15), nominatur fr. Gaufridus cancellarius S. Genovefae (Reg. Vat. Martini IV, nº 41, an. 1, ep. 127, fol. 39), qui verisimiliter adhuc an. 1284 officio cancellariae fungebatur. — 3. Vide nº 513.

---

513. *Martinus papa IV abbati et cancellario Sanctae Genovefae de eodem argumento.*

1284, Martii 7, apud Urbem Veterem.

Martinus[1] episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati et cancellario monasterii Sancte Genovefe Paris. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis sancti Augustini salutem et apostolicam benedictionem. Ad statum universitatis magistrorum et scolarium Paris. pacificum conservandum dicti magistri et scolares opem debent et operam vigilantibus studiis impertiri; tunc enim laudabiliter studendo proficiunt et proficiendo student, cum inter eos invicem voluntatum viget idemptitas, regnat pax stabilis, perfecta caritas perseverat. Sane didicimus quod in expensis necessariis quas pro Universitatis

ipsius commodis ex justa et rationabili causa fieri contingit interdum, nonnulli ex eis contribuere pro sua voluntate recusant; propter quod inter eos materia dissensionis et scandali crebrius suscitatur. Unde quia in expensis hujusmodi singuli de universitate magistrorum et scolarium predictorum contribuere justitia exigente tenentur, et ad ipsorum spectare dinoscitur honestatem, ut super hoc non ingeratur ab eis aliqua difficultas, magistros et scolares eosdem per alias nostras sub certa forma litteras rogandos attente duximus et hortandos. Dantes eis nichilominus in mandatis ut eorum singuli, qui duos solidos paris. in communi bursa cum sociis in ebdomada ponunt, super contributione hujusmodi facienda sic prompte ac liberaliter se gerant, ut dissensionis predicte materia que posset non levia generare pericula tollatur omnino, ipsique proinde valeant non immerito commendari. Nos itaque paterne sollicitudinis studio ad ipsius Universitatis statum tranquillum et pacificum intendentes ac volentes hujusmodi dispendiis obviare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus omnes illos de Universitate predicta qui duos solidos predicte monete in communi bursa cum sociis in septimana prout premittitur ponere dinoscuntur ad contribuendum in expensis predictis monitione premissa, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum illud quod ex hujusmodi contributione proveniet, per vos colligi volumus, et collectum rectori, decanis facultatum et procuratoribus quatuor nationum per vos cum integritate restitui in ipsius Universitatis arca, per rectorem decanos et procuratores predictos fideliter deponendum et convertendum per ipsos in solutionem hujusmodi expensarum. Dat. apud Urbem Veterem non. Martii, pontificatus nostri anno tercio.

Apographum coaevum in Arch. nat. Paris. M. 67[a], n° 10. Vide supra n° 512.

1. Martinus IV conventui S. Genovefae amicitia erat conjunctus. In *Necrologio* ejusdem monasterii legitur ad v kal. April. : « Anniversarium sancte record. domini Martini pape IV, pro quo singulis annis faciendo dedit nobis ij libras parisiens. ad augmentum pictanciarum ». Bibl. S. Genovefae, BB[1], 42[2], fol. 44.

---

514. *Officiales curiarum Parisiens. notum faciunt Radulphum, episcopum Paris., provisori domus S. Thomae de Lupara concessisse facultatem* LXXXV *solidos paris. annui census in manum mortuam ex nonnullis domibus percipiendi.*

1284, mense Junio [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis curiarum Parisiensis ac reverendi patris domini Ancheri cardinalis archidiaconi Parisiensis officiales salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis personaliter constituti dominus Johannes presbyter provisor domus pauperum scolarium Sancti Thome de Lupera Paris. et predicti scolares, videlicet magistri Robertus de Ybernia, Stephanus dictus Caillot, Petrus de Maloforamine, Petrus

de Colubrio, Johannes de Ambianis et Yvo Brito, Gilebertus Portelance, Guillermus de Noyon, Johannes de Lexoviis, Jacobus Burgundus, Stephanus de Luyl, Johannes dictus Balle, Petrus dictus Doyte, Adam de Suessione, Petrus de Bosco Rogeri, Johannes de S. Lauduro, Radulphus Portelance, et Johannes dictus Albus-panis clerici, tam nomine suo quam nomine aliorum pauperum scolarium Sancti Thome de Lupera Paris. asseruerunt, quod cum ipsi nomine dicte domus haberent, tenerent, possiderent ac perciperent in terra, jurisdictione ac dominio reverendi in Christo patris Ranulphi permissione divina Parisiensis episcopi census augmentatos seu redditus infrascriptos, videlicet super quadam domo sita in sellaria Parisiensi, que fuit quondam defuncti Johannis Nevellonis et quam tenet ad presens Gualterus de Broissellis civis Parisiensis, sexaginta solidos paris. annui incrementi census seu redditus; item super duabus domibus contiguis sitis Parisius in Frigido-Mantello inter domum Guillelmi dicti Bonefille ex una parte, et domum Guillelmi le Hiaumier ex altera, quas tenet ad presens Rogerus le Pelotier, sex solidos et novem denarios paris. annui census seu redditus; item super quadam domo sita Parisius in vico Frigidi Mantelli contigua ex una parte domui Godefredi Turnerii, et ex alia parte domui Aymonis de Grayo in censiva Sancti Honorati Paris., quam tenet Guillelmus dictus Aquamortua, quatuor solidos paris.; item super quadam domo in Frigido-Mantello, que domus quondam fuit Richardi Faguee, quam tenet Guerinus de villa Cereris lathomus, undecim solidos et quatuor denarios paris. Item super medietate cujusdam domus site Parisius in Frigido-Mantello contigua ex una parte domui defuncti Martini tegularii, et ex altera parte domui Rogerii Ruffi Anglici quatuor solidos paris. annui census seu redditus; idemque reverendus pater dictos census seu redditus in manu sua ceperat, quia nolebat predictos scolares nomine domus sue Sancti Thome de Lupera Paris. predicte eos tenere ac percipere in manu mortua : tandem ad supplicationem dictorum provisoris et scolarium idem reverendus pater pensatis utilitate et commodo ecclesie sue Parisiensis super hoc habito bonorum consilio dictos census seu redditus eidem provisori et pauperibus scolaribus Sancti Thome de Lupera ac domui eorumdem duxit admortizandos in modum qui sequitur. Videlicet quod voluit et concessit dictus reverendus pater, quod dicti provisor et pauperes scolares nomine dicte domus sue ex nunc in futurum habeant, teneant, et percipiant annuatim census seu redditus predictos sine aliqua coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, retentis tamen eidem episcopo ac ejus successoribus Parisiensis ecclesie episcopis viginti quinque solidis paris. pro amortizatione predicta de predictis augmentatis censibus sive redditibus habendis, recipiendis ac percipiendis ex nunc in futurum ab eodem episcopo ejusque successoribus Parisiensibus episcopis quolibet anno ad Nativitatem Domini super domo dicti Galteri de Broissellis sita in dicta sellaria prout se comportat ante et retro. Hoc tamen salvo eidem episcopo ac ejus successoribus Parisiensibus episcopis, quod si dicta domus dicti Galteri processu temporis sufficiens non esset, vel alias nimis honerata sive obligata pro dictis viginti quinque solidis habendis, reddendis

et percipiendis super eadem, quod idem episcopus ac ejus successores Parisienses episcopi ad predictos alios omnes et singulos census augmentatos recursum habeant pro suis viginti quinque solidis annui census seu redditus predictis habendis et percipiendis ab eodem episcopo ejusque successoribus ecclesie Parisiensis episcopis annuatim, ut supradictum est. Salva etiam eidem domino episcopo ejusque successoribus Parisiensis ecclesie episcopis in omnibus et singulis locis et censibus supradictis omnimoda jurisdictione, justitia et dominio, et salvo etiam omni alio jure suo, ut dicebant iidem provisor et scolares coram nobis. Propter quod dicti provisor et scolares in nostra presentia personaliter constituti voluerunt et concesserunt spontanei nomine quo supra, quod dictus reverendus pater Parisiensis episcopus et successores sui ecclesie Parisiensis episcopi ex nunc in futurum dictos viginti quinque solidos paris. annui census seu redditus quolibet anno ad Nativitatem Domini habeant, teneant et percipiant absque aliqua contradictione super domo predicti Galteri de Broissellis, prout se comportat ante et retro. Et si contingeret processu temporis, ut dictum est, dictam domum esse minus sufficientem ad solvendum seu percipiendum super eadem dictos viginti quinque solidos annui census vel alias dictus reverendus pater et ejus successores Parisienses episcopi impedirentur, quominus dictos viginti quinque solidos habere et percipere possent super dicta domo: voluerunt dicti provisor et scolares ac spontanei concesserunt tam nomine suo quam nomine dicte domus, quod dictus reverendus pater et sui successores ad omnes et singulos predictos census et redditus recursum habeant pro dictis viginti quinque solidis annui census sive redditus habendis et percipiendis annis singulis termino predicto super predictis censibus sive redditibus in solidum et pro indiviso. Salva nichilominus, ut dictum est, et retenta eidem episcopo ejusque successoribus ecclesie Parisiensis episcopis omnimoda jurisdictione, justitia et dominio in omnibus locis et rebus predictis, et salvo etiam omni alio jure suo. Quam siquidem domum ipsius Galteri, prout se comportat ante et retro, ac omnes census sive redditus predictos cum omnibus juribus sibi et sue domui competentibus eidem domino episcopo ejusque successoribus Parisiensibus episcopis pro premissis omnibus adimplendis legitime et tenendis dicti provisor et scolares specialiter obligarunt et obligatos specialiter reliquerunt, ad quoscumque devenerint possessores. Promittentes fide ab ipsis in manu nostra prestita corporali, quod contra premissa vel aliquod premissorum per se vel per alium seu alios non venient in futurum, immo omnia et singula supradicta tenebunt inviolabiliter et fideliter adimplebunt, jurisdictioni curiarum nostrarum se quoad hoc supponentes, ac renunciando per fidem predictam in hoc facto omni exceptioni et deceptioni doli mali, actioni in factum, beneficioque restitutionis in integrum, omni consuetudini patrie cujuslibet et statuto, et omnibus et singulis exceptionibus, allegationibus et defensionibus juris et facti canonici et civilis, que contra presens instrumentum vel factum possent in posterum objici seu dici. In cujus rei testimonium ad petitionem dictorum provisoris et scolarium sigilla curiarum predictarum

presentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense Junio.

Magnum Chart. episcopi Paris. in Arch. nat. Paris. LL. 183, fol. 65. — Bulaeus, III, 469. — In documento anni 1288, April. 30, episcopus Paris. concedit decano et capitulo S. Thomae de Lupara facultatem percipiendi in manum mortuam centum viginti sex solidos annui census ex nonnullis domibus Parisiis sitis in vicis S. Thomae et Frigidi-Mantelli. *Magn. Chart.*, l. c., fol. 34. Bulaeus, III, 468.

---

515. *Responsiones magistri Johannis de Malignes, procuratoris facultatis artium, Paris., oblatae summo pontifici et cardinalibus ad ea, quae cancellarius Parisiensis, Philippus de Thoriaco, facultati artium apud sedem apostolicam opposuerat.*

Inter an. 1283 et an. 1284, Octob. 24.

Sicut vult philosophus, libro *Metheororum*, capitulo ubi docetur ventorum generatio et natura, non est virtus nisi per Deum; ipse, nonnisi per quem virtus est, elementa, rei naturalis mixte materialia principia, ordinavit sic, ut circa terram sit aqua, circa aquam aer, circa aerem ignis; sicque ea disposuit Deus gloriosus et sublimis, sicut in prememorato libro scribit philosophus. Per puram hujus dispositoris bonitatem est fixio omnis intelligentie; nam secundum quod scribitur in una propositione *de Causis*[1], omnis intelligentie fixio est per bonitatem puram que est prima causa. Hanc primam causam debemus concedere unam esse ac eternam; nam secundum quod de ea XII° *Metaphysice* scribitur, unus est Deus, eternus, in fine nobilitatis et gaudii. Hanc etiam ratione sue substantie et nature, omnem cogitationem, meditationem ac sensum superantis, debemus concedere inenarrabilem existere; nam sicut vult actor *de Causis* in sexta sui libri propositione, prima causa caret omni enarratione; que, licet in omnia producendo quedam producat in esse per media, plus influit in effectum quam cause medie; nam in prima propositione libri prememorati scribitur quod causa primaria plus influit in effectum quam causa secundaria. Inter effectus mediate productos a primo principio, homo est effectus nobilior, quod ex ejus forma comprobatur, que licet a parte principii eternitatem non habeat, a parte tamen finis est perpetua ac eterna. Ista hominis perfectio nata est seu creata scientiis et virtutibus imperfecta; nam secundum quod in tercio *de Anima*[2] innuit philosophus, anima nata est tanquam tabula rasa, in qua nichil est depictum; quod primum omnium principium forte ad hoc facere voluit, ut homo naturaliter scientiam desiderans, in suo tali desiderio, labore studioso saciatus, de ipso cognitionem acquireret et ipsius notitiam haberet, sicut sui et omnium conditoris. Ut autem cognitione jam dicta investiretur humanus intellectus, provisor circumspectus Deus ipse homini providit de virgulto, prope cujus medium fontem apperuit egregium, in quatuor derivatum rivulos, aquam in suo orificio conservantem, qua sue plantule irrigate fructum afferunt informantem intellectum humanum in cognitione sui et omnium creatoris. Virgultum est Parisiensis civitas; hujus autem fons est magistrorum et scholarium universitas; orificium fontis sunt ibidem actu regentium

ora; aqua orificii eorumdem documenta; plantule virgulti, sophiste ceterique regentium auditores; rivuli sunt quatuor facultates : artistarum, medicorum, canonistarum, necnon theologorum; prima quarum in ordine docendi et addiscendi est facultas artistarum, in cujus partibus quicumque sufficienter eruditur, habilis redditur ut capacior sit doctrine et saporis aliarum facultatum; eruditus enim in phylosophia naturali, ea que medicine sunt lucidius apprehendit, cum ubi est terminus considerationis unius istarum, sit alterius inceptio : quoniam sicut dicit philosophus, ubi finit consideratio philosophici, ibi incipit consideratio medici. Ista medicorum facultas nobilis est rivulus, quia cum ejus aqua quis potatur, mirabilis unio, puta sue intellective incorruptibilis cum corruptibili corpore, conservatur diutius, potu illo suo egrotanti corpori medicamina tribuendo. De parte facultatis artistarum que dialetica dicitur, quis doctrinam accipiens per sophystice documenta vulgi deceptoria vitat; per ea que topiche, inquirit quid verum et quid falsum; libro enim *Thopicorum* scribitur quod dialetice, cum sit inquisitiva veri et falsi, ad omnium methodorum principia viam habet. Hoc autem cognoscere credimus valere ad canones, cum canonum scientia doceat quod justum est in causis secularibus et ecclesiasticis. Ista facultas est egregius rivulus, cujus linpha sunt jura sanctorum auctoritatibus informata. Facultas etiam artistarum pro ejus morali parte in moribus non tantum instruit, sed habituat intellectum; dixit enim philosophus, quod moralis scientia non est speculationis gratia : non enim est ut sciamus, set ut boni fiamus. Set quantum est, ex ipsa metaphisica instruitur intellectus in universali cognitione Dei, et cujuslibet substantie separate. Per primum istorum, animus hominis habituatur in moribus seu virtutibus, quod proficit ad theologiam que meretur nomen sapientie, quoniam sicut actus precedit potentiam, sic mores et virtutes via sunt ad sapientiam. Per secundum istorum, ducitur intellectus hominis in cognitionem Dei universalem; in quibus duobus per theologiam, inter ceteras facultates suppremam, speciali informatur notitia et habitu. Hec theologia est rivulus spiritualis ceterisque suppremus, cujus unda inbibitus obhorret vitia, speculatur supprema, ex delectatione illius speculacionis cathegorizando ferventi desiderio verbum Christi. Probatum est ergo, ac etiam declaratum, quod quicumque in partibus facultatis artium sufficienter eruditur, habilis redditur, ut capacior sit doctrine et saporis aliarum facultatum. Iste fons in agro Parisiensi orificium faciens est, ad quem de Dyaborigenes, Dyaboristenes, Dyarrifeos, ceterisque mundi climatibus affluentes, ibidem aquam sapientie hauriunt; et tanto, pater sancte, debet plus vestra Sanctitas eniti ad istius fontis custodiam, quanto Parisius illum aperiri voluit Deus, per quem facta sunt omnia, cujus locum tenetis in terris; et quanto novistis, per doctrinam ibi sumptam, os vestrum et ora regentium ibidem ac qui rexerunt, corda lapidea inducere ad culturam ecclesiastice discipline. Et vos, patres reverendi, luce sapientie refulgentes, vestris paternitatibus, in vobis vel in amicis vestris, ab Universitate Parisiensi administrata, multum debetis eidem assistere, defensando ipsam eandemque nutriendo, porrigentes sinistra contra eam de vestro medio

expellendo, quoniam etsi aliqui sint vobis amici ratione cujuscumque ecclesie, magis amicam vobis debetis Parisiensem Universitatem reputare. Que recipitis ab ecclesia sunt bona temporalia putrida ac etiam fetulenta; que autem ab Universitate, sunt spiritualia, incorruptibilia, ac eterna, puta Dei cognitio et alia; ista autem bona sunt aliis preferenda. Item, Universitas que statuit et ordinat, non tantum ex unius deliberatione sed plurium et diligenti; et ideo constituunt magistri Universitatis Parisius ex bona ratione que, tamquam uni soli, non apparet cancellario Parisiensi. Vident ergo veritatem, que Parisiensi cancellario occultatur; habent ergo veritatem pro se magistri de Universitate, quam veritatem debetis pre ceteris amicis honorare. Nam sicut vult philosophus, libro *Ethicorum*[1], capitulo illo ubi reprobat opinionem eorum qui felicitatem ponebant in bono ydeali, ambobus entibus amicis, philosopho et veritate, sanctum est prehonorare veritatem. Et alibi scriptum est : Amicus Socrates, sed magis amica veritas. Pater sancte, ne propter ea que ex parte Parisiensis cancellarii porrecta sunt, vestre Sanctitatis animus contra nostram facultatem concitetur, ad ea respondebo et ad illa que tangunt Universitatem, quatenus in nostram redundant facultatem, dum tamen hoc procedat de vestre libito Sanctitatis.

Ex parte cancellarii Parisiensis porrecta sunt multa sub hac serie; nam *primo* porrecti sunt quidam articuli, in quibus idem cancellarius nititur declarare facultatem artistarum Parisius deperire; *secundo* alii, in quibus asserit se a facultate gravatum esse, inserendo ibi quedam de sigillis, quibus utuntur quatuor nationes facultatis predicte; *tercio* recitat quedam statuta que dicit esse acta contra potestatem suam et potestatem reverendi patris Parisiensis episcopi. Et ad ista respondebo per ordinem, hanc protestationem preferens, ne mee negligentie aliquid imputetur, quod ea que dico, cum non sim consultus meos magistros, dico tantum ad informandum quemcumque mearum responsionum auditorem super veritate quam novi circa proposita, nolens propter eas, si quid minus sufficienter dictum inveniatur in eisdem, contra facultatem predictam aliquod prejudicium generari.

Ad illos articulos in quibus nititur predictus cancellarius ostendere facultatem deperire, respondeamus. Cum dicit idem cancellarius quod deperit facultas artium propter multos defectus ex parte magistrorum, dico quod in temporibus modernis magistri predicte facultatis sunt vite laudabilis, honeste conversationis, eminentis scientie, et viri studiosi, continue legentes ad sui et auditorum suorum utilitatem. Non ergo deperit facultas artistarum propter defectus multos ex parte magistrorum; sed si depereat in posterum et ad presens, hoc est propter libertates facultatis quas preter rationis modum dictus cancellarius nititur aufferre facultati. Cum dicit idem cancellarius postea quod magistri non legunt nisi unam lectionem, legendo una die de uno libro, et alia die de alio, ista ratio cancellarii non est demonstratio ad ostendendum facultatem deperire; credimus enim sic legere esse utilius scolaribus quam aliter, quoniam pueri doctrinam recipientes in una materia, antequam habituati sint in eadem ex repetitione sequente, suam doctrinam amittunt; ad quam repetitionem non possunt, cum lecto de uno libro, eisdem immediate legitur de alio; et

in modernis temporibus, plus legitur eis de uno libro quam antiquitus eisdem legeretur, simul eis legendo de duobus.

Ad secundum articulum, cum dicit idem cancellarius quod magistri nichil disputant, dico, pater sancte, quod magistri predicte facultatis disputant in diebus disputabilibus, reputatis disputabilibus, secundum ordinationem facultatis factam a tempore a quo non extat memoria, per eosdem in aliquo non mutatam. Cum dicit postea idem cancellarius quod vix de trecentis disputant sex vel octo, cancellarius, salva pace sua, non videtur bene scire suam dialeticam, cum in infamatoriis que porrigit, dicat repugnantia posito. Facit enim contra documentum Aristotilis nobis traditum in principio *Thopicorum;* dicit enim idem Aristotiles, quod nos disputationem sustinentes, nichil repugnans debemus dicere; huic documento non providens cancellarius, volens disputare contra facultatem, in quo minus consulte agit, asserit in suis jam dictis verbis, trecentos esse regentes in facultate; et in sequentibus suis verbis asserit, quod non sunt nisi sex viginti magistri regentes in facultate; et sic dicit repugnantia. Ita tamen responsio melius haberet locum in sequentibus quam hic. Cum dicit idem cancellarius quod nostri magistri non habent nisi decem et octo sophysmata, et quod faciunt portare sua sophysmata, quod est alias inauditum, salva pace sua, non bene dicit; nam in hoc cancellarius reputat nostros modernos magistros ignorantes seu negligentes; qui tamen sunt intelligentes, subtiles et provecti, quoniam inter eos inveniuntur modo plures boni philosophi quam invenirentur dialetici in suo tempore. Et forte dicit hoc cancellarius, credens eos facere illud, quod ipsemet forte faciebat in suis temporibus. Nec magistri nostri modo sunt otiosi : immo, si unquam bene lectum fuit vel disputatum in aliquibus transactis temporibus, isti actus modo a nostris magistris melius exercentur; et ideo ex otio non vacant ludis tassillorum, luxuriis, nec aliis enormibus que eis imponit cancellarius; immo sunt justi, continentes et ita stricte conscientie et bone, sicut ipse. Nec ipse discrete agit in talia infamatoria proponendo contra tantam multitudinem, quanta est multitudo magistrorum de facultate artium, cum nec talia deberet proponere contra unum; nomen enim bonum et fama sunt thesaurus, cui thesaurus divitiarum est incomparabilis; nam secundum quod alibi scribitur[b], melius est nomen bonum quam divitie multe. Istud autem nomen bonum, sine ratione ex parte magistrorum, nititur cancellarius, quod non potest, eis, sicut indiscretus in hoc et fatuus, auferre.

Ad tercium articulum dicimus quod magistri nostri non locant suas scolas precio totius anni; quod tamen dicit cancellarius. Immo statutum est in facultate[c] quod magister, per juramentum, pro precio scolarum, a determinatoribus non recipiet nisi duas partes de precio scolarum totius anni, sit ibi unus determinator sive plures; et scolares cum recipiuntur in examine determinatorum, jurant quod non solvent nisi duas partes precii scolarum totius anni; et ad utilitatem determinatorum, quod non solebat fieri, ordinatum est, et hoc jurant determinatores, quod non habebunt cereos; quos tamen habere solebant.

Cum dicit idem cancellarius quod magistri faciunt determinare pueros nichil scientes, dicimus quod in hoc non est sibi credendum, cum ipse non examinet eos, nec aliquis ex parte ejus; nec debet hoc facere, quoniam nostri magistri sunt in possessione hujus, et melius possunt accipere experimentum de sufficientia vel insufficientia scolaris bacallarii quam ipse.

Ad quartum articulum dicimus quod bacallarius habens licentiam sub uno magistro, non potest incipere sub alio[7], si illum possit commode habere. Et hoc fuit factum, ut magister prebeat testimonium de licentia bacallarii, quoniam quidam magne fame in retroactis temporibus quosdam qui non erant licentiati fecerunt incipere sub quodam qui nichil sciebat de licentia vel non licentia eorum; et ideo statutum est illud quod dicimus, ut si factum consimile decetero inveniatur, quod puniatur magister tenens principium, et bacellarius incipiens. Et si ita fit quod magister aliquis se absentet, propter illud quod dicit cancellarius in illo articulo, quod tamen non est visum, remedium habent ad hoc bacellarii : nam si magister se absentet, non possunt magistrum suum habere comode bacellarii ipsi; possunt ergo, secundum formam statuti, sub alio quocunque incipere.

Ad quintum articulum, cum dicit cancellarius quod nostri magistri non legunt nisi pro pecunia, credimus quod nostri magistri legunt pro sui et scolarium utilitate. Et si aliqui provecti qui non habent bona patrimonialia tanta quod possint se ad alias facultates transferre, sicut vellent multi boni qui sunt in facultate artistarum, nec tanta unde habeant perfecte victualia, nisi lucrentur, vult cancellarius quod tales legant pro nichilo. Si vellet hoc, deberet eis administrare victualia, quoniam sine victualibus impossibile est hominem aliquod bonum facere, qualecumque fuerit, seu operari; quoniam, sicut vult philosophus in libro *Ethicorum*, impossibile est bona operari indigentem entem, hoc intelligendo esse impossibile secundum cursum humane nature, que propter continuam sui humidi intrinseci deperditionem eget alimentali refectione, sicut philosophus videtur hoc in secundo *de Anima* innuere. Et dico quod nostri magistri pro lectura nichil plus recipiunt quam de hoc recipiebatur in retroactis temporibus, in quocumque fuerit libro. Ad illud quod dicit idem cancellarius, quod nostri magistri non finiunt suos libros, mendacem in isto se probat cancellarius per relationes quas ipse facit inferius de statutis facultatis, in quorum altero continetur quod magistri illos libros quos incipiunt finire tenentur.

Ad sextum articulum dicimus quod nostri magistri non faciunt rectorem, nisi secundum illam viam quam vos, pater sancte, ordinavistis in hoc tenendam pro temporibus cujusdam quondam vestre legationis[8]. Ad illud quod dicit idem cancellarius postea, quod ex discordia orta pro electione unius procuratoris cessatum est per medietatem unius anni, adducens vestram Sanctitatem in attestationem hujus seu reculturam, non recolo, pater sancte, quod vos videritis per tantum spacium temporis cessatum fuisse in facultate nostra propter jam dictum; verum est tamen quod semel cessatum fuit propter hoc per quindenam, vel circiter; tunc tamen non regebam nec rexi usque ad longa tempora postea.

Ad septimum articulum dico quod si essent aliqui confederati inter se in quacumque natione ad faciendum examinatores apud Sanctam Genovepham in intentione extorquendi pecuniam pro licentiis, non auderem dicere quin isti essent de medio tollendi; et si essent aliqui, cancellarius Parisiensis ecclesie bene faceret in eos nominando; et si facultas cognosceret tales, isti per facultatem essent perpetuo de facultate expulsi; et per facultatem si essent inventi in hoc culpabiles, essent infames promulgati. Nec credo quod in facultate sint aliqui tales; immo illi fuerunt examinatores facti apud Sanctam Genovepham, et coram facultate jurati, qui in examine inferiori[9] alias audiverunt, videlicet in examine Beate Marie, non re[s]persi, nec in uno examine nec in alio, aliqua infamia. Cum dicit postea cancellarius quod vix potest aliquis obtinere licentiam ex parte Sancte Genovephe, nisi pecunia mediante, sic loqui est redarguere facultatem totam, que ibi ponit examinatores, de symonia, et cancellarium ejusdem ecclesie qui tamen est vir justus, in officio examinationis et aliis suis factis Deum habens pre oculis, et ita fidelis in examine et aliis, sicut magister Phylippus de Thoriaco, cancellarius ecclesie Parisiensis. Hec tamen, pater sancte, non porrexisset, nec etiam vestre Sanctitati porrigi fecisset magister Philippus de Thoriaco, cancellarius Beate Marie, nisi intenderet per infamatoria, que porrexit seu porrigi fecit, vestram Sanctitatem inducere ad hoc, ut Sanctitas vestra facultatem, magistros facultatis et examen Sancte Genovephe pro infamatis haberet; in quod procurando injuriatus est facultati, adeo quod non posset super isto condignam facere emendam in facultati tradendo mille marcas auri, cum facultas et magistri facultatis vellent de suis et bonis facultatis tantum et plus pocius amisisse, quam quod talia infamatoria fuissent contra eos, vestre Sanctitati, in presentia patrum reverendorum dominorum cardinalium, ex parte prenominati cancellarii porrecta. Propter quod, pater sancte, vestre supplico Sanctitati, quatinus predictum cancellarium compellatis ad reddendum predictam pecunie summam facultati in emendam dicte injurie; quod peto, sicut facultatis procurator, nomine facultatis. Et quia hoc non sufficeret ad emendam super tanta injuria quanta est per eum tanto collegio, quantum est collegium artistarum Parisius, irrogata, peto ultra hoc nomine facultatis et pro facultate tanquam procurator ejusdem, magistrum Phylippum de Thoriaco, Parisiensem cancellarium, omni dignitate et beneficio que ad presens habet et in posterum habiturus est, perpetuo privari.

Ad illud quod dixit idem cancellarius postea, quod non sunt modo in facultate centum et xx magistri, licet ipse verum dicat in hoc, sicut credo (nam sunt tot vel circiter), in hoc tamen dicendo repugnans est suis dictis prioribus, quemadmodum prius declaratum est. Cum dicat idem cancellarius postea : « Item hoc anno fecerunt magistri artium, *etc.* », dico, pater sancte, quod magistri nostri nichil faciunt circa hoc ad extorquendum pecuniam a determinatoribus; nec ignorantibus pueris conferunt licentiam determinandi; nec de hoc potest esse certus cancellarius propter rationes superius dictas. De sex esse in scolis ad determinandum non recolo, set de quatuor vel tribus; et in veritate

credo quod tot esse in scolis ad determinandum non est bonum; et si magistri nostri non ordinaverint aliquid circa hoc, aliud ordinabunt. Ad illud quod dixit postea cancellarius, quod « quidam determinant hora prima, quidam in meridie, *etc.* », dico quod verum est; set hoc faciunt determinatores in inceptionibus suarum determinationum; quod permittitur eis, quia in antiqua forma quam jurant determinatores continetur quod quilibet debet incipere determinare infra diem martis post brandones[10]; et quia omnes non poterant incipere infra illud tempus in honorabili societate, que est eis necessaria in inceptionibus sue determinationis, illud juramentum commode servare non poterant; et ideo ne periculum anime incurrerent circa illud juramentum, permissum est eis ex dispensatione facultatis, quod ipsi in inceptionibus sue determinationis teneant horas jam dictas; in residuo autem Quadragesime, determinatur post prandium. Ad alia contenta in illo articulo responsum est per superius habita.

Nunc respondendum est ad gravamina que dicit cancellarius Parisiensis sibi inferri ab artistis. Cum dicit cancellarius Parisiensis quod artiste primo gravant eum in hoc quod statuerunt quod nullus possit incipere in artibus, nisi determinaverit; dico quod in hoc non debet cancellarius reputare se esse gravatum, quoniam cancellarius, qui quondam exivit de facultatis gremio, diligere debet utilitates scolarium facultatis. Utilitas autem eorum est quod ipsi determinent, propter multa : quoniam ipsi, artati ad studium propter determinationes suas, evitant otia, acuunt ingenia; et cum ad eorum determinationes veniant viri valentes et discreti de singulis facultatibus, magnates, puta, aliquando archidiaconi, cantores et prepositi ecclesiarum cathedralium, et alii multi, coram illis loquendo acquirunt loquendi audaciam[11] que necessaria est artiste, magnatum notitiam per quam solebant ad beneficia ecclesiastica promoveri. Iterum veniunt ad hoc quod sciunt per hoc sophismata diversa probare, et in probatione respondere communi responsione ad eadem, ad veritates eorumdem et distinctiones arguere. In quibus cancellarius, pro tempore editionis illius statuti, dicebat nostros scolares deficere, etiam illos quos ipsum oportebat in examine inferiori expedire, sicut dicebat cancellarius, vel omnes refutare, cum in jam dictis omnes invenirentur deficientes; quod valde verecundum erat. Propter quod cancellarius, pro illo tempore, nostris magistris supplicavit, et pluries, quod, pietatis intuitu, super hoc apponeretur consilium. Magistri regentes in facultate considerantes quod tanto defectui bacellariorum non poterat adhiberi medela nisi per determinationem, statuerunt quod nullus reciperetur ad incipiendum nisi determinasset Parisius vel alibi in studio, ubi essent duodecim regentes in actu[12]; nec magistri per statutum intendebant, nec adhuc intendunt ad hoc artare canonicos cathedralis ecclesie Parisiensis; et ideo nichil est factum contra libertatem Parisiensis ecclesie, licet hoc dicat cancellarius, nec in hoc factum est contra libertatem cancellarii. Sed si statutum esset quod ipse cancellarius non posset aliquos licentiare, nisi determinassent, forte in hoc facultas contra eum ordinasset; quod tamen non confiteor, nec diffiteor. Set cum expeditio bacellariorum, quoad inceptio-

nem, solum pertineat ad facultatem, cui facultati tenentur jurare bacellarii super multis statutis, nec aliter reciperentur ad incipiendum, nec unquam recepti sunt, qualitercumque essent a cancellario licentiati, et hoc habet facultas de consuetudine approbata, et est in possessione hujus : magistri predicte facultatis in statuendo quod nullum reciperent ad magisterium nisi determinasset, nichil fecerunt contra libertatem cancellarii. Cum dicit cancellarius postea, quod hoc est contra consuetudinem hactenus observatam, hec declarans per hoc quia a tempore, a quo non extat memoria, semper inceperunt bacellarii in examine Beate Marie licentiati, sive determinassent sive non, dicimus quod per hoc non probat cancellarius aliquid esse actum contra consuetudinem nec consuetudines; nam in optione facultatis artistarum semper fuit tales recipere vel non recipere, pro sue voluntatis libito, sicut declaratum est. Cum dicit idem cancellarius quod hoc est contra Deum, propter bonos qui veniunt de Oxonia et aliis partibus remotis, quos non liceret determinare; ad hoc responsum est per precedentia. Quoniam illi de Oxonia, si determinaverint ibi, non coguntur Parisius determinare, sicut declaratum est superius in recitatione forme statuti; si non determinaverint, non est bonum quod habeant majorem libertatem in Parisiensi studio, quam illi qui ibidem diu fuerunt; et quanto meliores sunt, tanto melius et subtilius determinare possunt. Et ideo bene decet eos Parisius determinare, si alibi non determinaverint, cum bene et subtiliter et laudabiliter possint hoc facere. Cum dicatur postea quod hoc est contra litteram domini pape[13] in qua continetur, secundum quod asserit ille cancellarius, quod ipse faciat examinari bacellarios, et, quos invenerit dignos, licentiet, nec fit ibi mentio de eorum determinatione; dicimus ad hoc quod hic nichil est factum contra litteram, cum per statutum, sicut apparet per formam statuti superius dictam, non artetur cancellarius ad hoc quod aliquem non licentiet nisi determinaverit, recipiat si sibi placet, et licentiet illos qui non determinaverunt. Licentiatos modo debito et solito secundum consuetudinem approbatam, et per illum modum in cujus possessione facultas est super isto, facultas reputabit illos licentiatos; et sic ex illo statuto nichil factum est contra litteram predictam. Quantumcumque tamen aliquis licentiatus fuerit sub observatione condictionum que in licentia conferenda observari debent a cancellario, ipsum tamen ad magisterium non recipiet facultas nisi juraverit se determinasse, quod statutum est in facultate, et alia que tenetur jurare quilibet incipiens, quantumcumque fuerit licentiatus, antequam ad magisterium recipiatur in facultate et per facultatem; et propter hoc nichil factum est contra litteram domini pape, sicut visum est. Item, in hoc quod cancellarius dicit, quod magistri nostre facultatis, in statuendo quod nullus reciperetur ad magisterium nisi determinasset, fecerunt contra litteram domini pape cum in ea nulla fiat mentio de determinatione, in hoc dicendo cancellarius interpretatur litteram domini pape, quod facere non deberet. Item, determinatio est unus honorabilis gradus attingendi magisterium, et utilis scolaribus propter rationes superius adductas. Hunc autem gradum cum omnes dimitterent, accipientes exemplum propter quosdam qui licen-

tiabantur absque eo, quod determinassent, et ita dimittebant, quod fuit inventus annus in quo per totum non erant LX determinatores : nostri magistri subvenientes huic lapsui facultatis ordinaverunt quod nullus ad magisterium reciperetur nisi determinasset; quod facere potuerunt, quia cujuslibet collegii est posse statuta facere et ordinationes ad sue honestatis ac honoris conservationem. Item, magistri habent de consuetudine approbata a tempore a quo non extat memoria, quod possint statuere in his que credunt esse utilia facultati; ad hoc etiam habent posse per litteram domini pape Gregorii bone memorie, quantum ad illam clausulam que sic incipit : « Ceterum ubi non est ordo, facile repit horror »[14], in qua continetur expresse quod magistris conceditur potestas faciendi statuta et ordinationes de modo et hora legendi et disputandi, qui et qua hora debeant legere, et circa alia multa datur magistris potestas ordinandi et statuendi, que ibi expresse continentur. Et sic nichil fecerunt contra litteram domini pape magistri nostri, cum per litteram illam concedatur eis potestas ordinationes et statuta faciendi, quemadmodum visum est. Cum dicit postea idem cancellarius quod hoc est contra juramenta magistrorum, in hoc, pater sancte, cancellarius imponit perjurium nostris magistris; et propter hoc in emendam hujus et aliorum per que ipse infamat nostros magistros apud vestram Sanctitatem et dominos cardinales, quod facere non deberet, peto in emendam hujus injurie, per magistrum Philippum de Thoriaco Parisiensem cancellarium facultati et magistris nostre facultatis irrogate, predictum magistrum Philippum in mille marcis auri condempnari, cum facultas et magistri facultatis vellent pocius de suo et bonis facultatis tantum amisisse, quam quod predicta injuria esset eis irrogata per predictum magistrum Philippum. Et quia hoc nichil esset in emendam tante injurie, peto ultra hoc, tanquam facultatis procurator, nomine dicte facultatis, ipsum predictum Philippum omni dignitate et beneficio que habet ad presens, et habiturus est in posterum, privari. Cum dicit postea idem cancellarius quod in licentia recipienda jurant bacallarii quod nichil facient contra libertatem ecclesie Parisiensis, bene credo, pater sancte, quod ipse nititur ad hoc, ut hoc juramentum et multa alia illicita bacellarii prestent. Credo tamen quod ipsi hoc non jurant; et propter hoc, cum cancellarius non faciat hoc tantum, sed et quedam alia illicita (nam dispensat bacellariis de tempore, de etate, de libris; ex quo sequitur quod insufficientes et non digni licentiari per crassam gratiam expediuntur in examine Beate Marie, sicut visum est pluries), juxta hoc, supplico vestre Sanctitati, nomine facultatis predicte et mandato, tanquam procurator ejusdem, quatinus cogatis, pater sancte, Parisiensem cancellarium, ut juramenta que bacellarii tenentur facere, recipiat in examinatorum presentia, et quod nulli de tempore, de etate, de libris non auditis dispenset, nisi per consensum examinatorum, et quod juramenta illicita et a facultate non ordinata, in secreto seu publico, a bacellariis licentiandis non exigat. Et cum dicit cancellarius postea quod tenor littere domini pape est quod ea que conceduntur magistris Universitatis et bacellariis, eis conceduntur salva libertate ecclesie Parisiensis, occasione cujus scripture

nititur artare bacellarios ad jurandum quod servabunt libertatem ecclesie Parisiensis : dato quod hoc esset in littera domini pape (quod tamen non est verum, salva pace cancellarii, immo sunt ibi ista verba et non alia pro Parisiensi ecclesia : « Parisiensibus canonicis, libertate ac jure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate »[15]), nec propter illud quod ipse imponit littere domini pape, nec propter illa jam dicta que continentur ibidem, cancellarius deberet bacellarios nostros cogere ad jurandum quod asserit eos jurare seu jurasse, cum non dicatur in littera, quod ipse recipiat juramentum jam dictum a bacellariis, nec per litteram precipiatur quod bacellarii hoc jurent. Facit ergo cancellarius, sicut probatum est, contra litteram domini pape, non nos. Et tamen, cum ipse incepit in artibus, juravit servare libertates Universitatis, ad quemcumque statum deveniret; quoniam ipse et omnes quotquot incipiunt et inceperunt in artibus, a tempore a quo non extat memoria, jurant se libertates Universitatis servare modo qui dictus est in presentia omnium illorum, qui intersunt suis principiis[16]. Ab hoc juramento cancellarius Parisiensis predictus non est absolutus, et non servat libertates, quoniam ipse facit contra libertatem Universitatis, quemadmodum declaratum est superius. Perjurium ergo incurrit cancellarius Parisiensis, et non nos; et perjurus est, sicut declaratum est per precedentia; et in hoc, predictus cancellarius percussus est illo baculo et eodem quo ipse volebat magistros predicte facultatis percutere. Per jam dicta manifestum est quod idem cancellarius interpretatur privilegia ubi sunt planissima, et in hoc facit contra ecclesiam Romanam : ex quo per ipsum secute sunt et sequentur abusiones; magistri autem de nostra predicta facultate non faciunt talia, licet hoc imponat eis, sicut in sequentibus videbitur.

Ad illa super quibus predictus cancellarius postea conqueritur, respondemus. Cum dicit primo quod de novo, ad instar aliarum facultatum, artiste utuntur sigillis quatuor, uno quod fecerunt sibi fabricari nomine nationis Gallicorum, *etc.*, dico quod verum est quod quatuor sigillis magnis utitur facultas : uno quod est nationis Gallicane, *etc.* Nec novum est hoc, immo in possessione istorum sigillorum et usus eorum est facultas predicta a tempore a quo non extat memoria; et obligatur per litteras illis sigillis roboratas facultas per procurationem magistrorum facultatis, quando incumbit necessitas facultati predicte pro negociis ejusdem facultatis expediendis. Simile fit in qualibet natione pro negociis nationis; aliter enim aliquando non possent expediri negocia facultatis, nisi tales obligationes fieri possent. Nam et hac vice pro missione ad curiam mutuo recepit facultas a quodam suo amico xx libras turonens. pro meis expensis in curia Romana faciendis; nec erat facultas obligata, quando recessi a Parisiensi civitate, alicui nec pro modernis negociis nec antiquis in pluri pecunia : per quod declaratum est falsum esse quod dicit cancellarius Parisiensis, videlicet quod propter multas obligationes scolares subtrahunt se a studio Parisiensi, nec compellantur ad hec solvenda ad que sub illis sigillis facultas obligatur. Ad illud quod dicit cancellarius postea, quod artiste nituntur interpretari privilegia, et interpretantur ubi aliqua, *etc.*, propter quas interpre-

tationes multe perturbationes proveniunt in studio Parisiensi, dicimus quod artiste non nituntur ad hoc; nec propter eorum interpretationem perturbationes proveniunt nec provenerunt in studio. Sed ipse interpretatur ea, sicut declaratum est superius; ex qua sua interpretatione poterunt provenire per predictum cancellarium perturbationes in studio Parisiensi, nisi Deus, omnium dispositor, et vos, pater sancte, qui locum ejus tenetis in terris, celeriter super hoc ad utilitatem studii adhibueritis remedium.

Cum dicit idem cancellarius postea quod artiste cessaverunt contra privilegia, ut imponit eis, non recolo quod artiste cessaverint in aliquo casu, accipiendo argumentum ad hoc faciendum ex privilegio; bene tamen recolo quod tota Universitas cessavit a suis lectionibus, non est diu, pro injuria illata viro discreto, in conversatione honesto, in vita laudabili, et in scientia eminenti[17], videlicet magistro Hugoni, in medicina regenti; quam injuriam intulerunt sibi vigiles Parisienses sine ratione, primo ejus hostium frangendo, ipsum circa lectum suum in camisia et bracis nudis capite et pedibus existentem, manu violenta capiendo; post capturam, licet se non poneret ad defensam, graviter et fere ad mortem ex ictu cujusdam clave in capite vulnerando; post vulnus ipsum violenter ad pavimentum vici trahendo, ipsum ibidem sub pedibus equorum suorum calcando, ipsumque, non percepto vulnere ab omnibus ipsis, ad carcerem ducendo. Ex quo incarceratus erat reputandus, cum a potentibus ipsum incarcerari violenter ad carcerem duceretur. Percepto tamen vulnere a custode vigilum, cessatum fuit ab ejusdem ductione in carcerem. Nec occasionem habuerunt vigiles dicti hoc sibi faciendi, nisi ex hoc, quod aqua, qua magister predictus humectabat herbam que dicitur basilicot, per vas terreum, in quo erat herba jam dicta, distillavit super vigiles, magistro qui erat in bene altis fenestris hoc non percipiente. Clamavit etiam tota vicinia vigilibus se esse paratam ad fidejubendum pro magistro sub pena bis mille librarum parisiensis monete. Et cum monitione premissa in recentia facti per V menses postea super illa injuria non posset haberi, aliquibus de consilio regis[18] hoc impedientibus, emenda condigna; cum in atrocitate illius injurie privilegium regale Universitati Parisiensi indultum fractum esset (quantum ad duo, videlicet quoad hoc quod violenter captus fuit magister, licet se non poneret ad defensam; ducebatur ad carcerem regis tamquam jam pro incarcerato habitus, quod de quocumque esset scolari non debuisset fieri, sicut in privilegio regis continetur, justitiaque laycalis in capitale scolarium[19], quantum ad illam injuriam, manum apposuit, quod tamen per privilegium regale fieri non debuit similiter) : magistri de Universitate videntes hoc, magna deliberatione prehabita, suas suspenderunt lectiones, considerantes quod si non consequerentur emendam, privilegium regale amittebatur; et in hoc cessaverunt in casu sibi permisso ex privilegio Gregoriano[20], cum infra quindecim dies, monitione premissa, non esset habita emenda condigna de magistro qui pro incarcerato reputandus erat, sicut patens est ex recitatione forme injurie prehabita. Manifestum est ex jam habitis, quod cessavit tota Universitas, non artiste. Hec tamen est veritas, quod cancellarius predictus, sub pena ab

Universitate ordinata contra illos qui non venirent ad dandum consilium, in illo articulo pluries vocatus semper venire contempsit, ita quod, cum missi essent servientes de singulis facultatibus, Universitati jurati, ad cancellarium predictum pro ipsum citando ad congregationem generalem, sub hac forma citandi eis ab Universitate injuncta, quod sciret cancellarius quia si ad congregationem (cum esset unus de magistris regentibus in Universitate) non veniret, amplius sibi non parceretur, sed ad ejus punitionem sine relaxatione procederetur : qui servientes, sibi injuncta exequentes, per juramenta sua Universitati retulerunt, quod secundum formam prius dictam predictum cancellarium citaverunt; sed tantam ex illa citatione cancellarius conceperat indignationem, quod dixit eis quia non timebat Universitatem in aliquo, et quedam alia que pudet me repetere. Quo audito, magistri de Universitate percipientes quod perseverabat in sua malitia et contumaciis, ipsum tamquam in theologia regentem a suis lectionibus suspenderunt, quousque, sicut obediens, veniret ad emendam. Et hic expressus est ille casus pro quo cancellarius punitus dicit se ab Universitate gravatum.

Ad illud quod postea signat cancellarius vestre Sanctitati, quod hoc anno magistri facultatis artium cucurrerunt fere per omnia hospitia in quibus erant scolares qui non studuerunt nisi per duos annos vel tres saltim, monendo eos ad accipiendum licentiam apud Sanctam Genovepham, et quod ipsi a talibus extorserunt multam pecuniam : pater sancte, istud totum falsum est, quoniam bene scitur in toto studio Parisiensi, quod a viginti annis et citra non fuerunt ita boni licentiati apud Sanctam Genovepham, sicut fuerunt hoc anno, nobiles viri et alii. Nec dicit hoc cancellarius, nisi propter hoc, quia dolet multum de hoc quod ipse tales expedire non potuit, cum nullus esset ausus intrare examen Beate Marie, nisi magistri actu regentes vocarentur a Parisiensi cancellario ad ipsum examinandum. De quadringentis licentiatis apud Sanctam Genovepham pro anno illo, de quo loquitur cancellarius, non possum estimare quod fuerint ibi ultra sexcies viginti, quod parum fuit, quia boni erant omnes, qui expediti fuerunt, et non audiebatur in examine inferiori. Cum dicit idem cancellarius, quod nostri magistri inhibuerunt ne aliqui peterent licentiam ab eo, verum est, per rigorem acceptando licentiam, nisi essent auditi in rigore per magistros regentes actu. Non fecerunt tamen magistri facultatis ad hoc inhibitiones per domos, set in congregatione generali facta apud S. Bernardum, convocatis ad hoc scolaribus et magistris. Et rationabiliter hoc factum est, pater sancte, sicut videtur magistris de predicta facultate; nam cancellarius non debet per rigorem in examine Beate Marie expedire aliquos, nisi fuerint auditi per magistros actu regentes; quoniam privilegium Gregorianum est pro magistris in illo articulo, sicut potest patere per illam clausulam que sic incipit : « De fisicis autem et artistis cancellarius bona fide permittet examinare magistros [31], *etc.* ». Item, hoc habent magistri regentes in facultate predicta, de consuetudine approbata a tempore a quo non extat memoria. Item, magistri predicte facultatis actu regentes sunt et fuerunt in possessione pacifica hujus usque ad

tempora moderni cancellarii, ab ipso tamen modo proprio motu sui capitis perturbata. Item facultas ad hoc habet raciones efficaces. Una ratio est, quoniam iste modus licentiandi servatur in aliis facultatibus. Item, magistri actu regentes in facultate certiorem habent et accipere possunt experientiam de suis scolaribus, quam inveterati magistri qui actu non regunt, tum quia melius noverunt et cognoscere possunt utrum sint boni scolares vel non, cum ipsi bacellarii debeant frequentare scolas actu regentium et non aliorum; tum etiam, quia de modernis opinionibus noverunt veritatem, non autem alii inveterati, quoniam cum scientia artium sit labilis, inveterati, non regentes, nesciunt opiniones modernas et amiserunt antiquas. Item predictus cancellarius deberet velle quod in examine illo, per depositionem magistrorum actu regèntium, expedirentur bacellarii in rigore, nisi cancellarius in collatione licentiarum velit esse suspectus. Cum ipsi bacellarii postea, si velint magistrari, quibusdam servatis condictionibus, debeant recipi in magistrorum regentium collegio, et cum cancellarius pluries per facultatem requisitus, quod jam dictam libertatem facultatis non auferret, ultra hoc procederet, requisitione sprèta, ad licentiandum quemdam virum nobilem[32] contra modum jam dictum : nostri magistri sentientes suam facultatem in hoc injuste et indebite per predictum cancellarium gravatam, super hujusmodi gravamine in scriptis, pater sancte, ad vestre Sanctitatis audientiam appellarunt. Ea propter eidem vestre Sanctitati supplico, quatinus predictum cancellarium compellere dignetur, ad hoc, ut ipse audiat seu audiri faciat per magistros actu regentes, ac per eos expediat in rigore bacellarios ad hoc meritos facultatis sepe dicte; ad quod propter rationes superius dictas est predictus cancellarius merito compellendus.

Expedito de omnibus que predictus cancellarius contra facultatem predictam porrexit, exceptis statutis que dicebat esse statuta de novo ex parte artistarum anno octuagesimo primo, die veneris, in festo sancti Michaelis, contra potestatem cancellarii et privilegia domini pape : ut veritas in omnibus videatur, dicimus sic, quod hoc anno quedam sunt statuta ex parte artistarum[33]; utrum autem fuerint publicata die quo dicit cancellarius, non recolimus. Ad hoc quod dicit ea esse facta contra potestatem suam et privilegia domini pape, dicimus quod immo facta sunt per virtutem privilegiorum domini pape, per illam clausulam privilegii Gregoriani superius expressam, que sic incipit : « Ceterum ubi non est ordo », *etc.*; que clausula superius in consimilibus allegata est : et ideo illa statuta non sunt facta contra privilegia domini pape, postquam privilegia domini pape sunt pro facultate et pro magistris facultatis. Nec illa statuta sunt facta contra potestatem cancellarii Parisiensis, nec contra potestatem episcopi ejusdem loci, nisi velit cancellarius dicere quod potestas sua et potestas episcopi Parisiensis superant potestatem ecclesie Romane.

Ne tamen, pater sancte, propter illa que cancellarius dicit esse statuta a facultate, facultas errasse credatur, cum quedam truncate recitet, ut apparenter ex illis statutis possit facere facultatem reprehendi, copiam de novo statutorum vestre Sanctitati porrigemus,

quandocumque placuerit eidem; quo facto, si propter intentionem facultatis obscuram credat quod ipsa erraverit, intentionem quam habuit in illa statuendo exponemus, si ad hoc fuerit vestre Sanctitatis libitum, post hec omnia corrigenda et non corrigenda vestro arbitrio supponendo.

Per hec soluta sunt ac etiam enervata ea que, per cancellarium Parisiensem proposita, artistarum facultatem ledere videbantur.

Sicut mater filie jure naturali tenetur in eam nutriendo, sic filia matri in ejus exhonorationes extirpando, quoniam si infortunium amici mortui redundat in vivum, quod vult philosophus libro *Ethicorum*, rationabile est ut exhonoratio patris seu matris redundet in filiam seu filium; et quoniam facultas artistarum Parisius Universitatis magistrorum et scolarium ejusdem loci est filia, rationabile est, ut rationis arma et scutum apprehendat, exsurgendo sibi in adjutorium contra Parisiensem cancellarium, eam[24] sicut matrem suam dulcissimam oppugnantem; et ego clientulus filie, ad honorem ejus, per modum qui sequitur, defensionem matris aggredior.

Cum primo dicat cancellarius ecclesie Parisiensis se ab Universitate gravari in hoc, quod facit ipsum citari per bedellos, servientes suos, ad congregaciones, sub pena suspensionis lectionum suarum, dicimus quod Universitas Parisiensis facit citari cancellarium Parisiensem, non ut cancellarium, sed ut unum de magistris regentibus in Universitate. Nec in hoc debet cancellarius se reputare gravatum, cum in altero privilegiorum Universitatis sic scribat dominus papa magistris Universitatis[25] : « Mandamus vobis quatinus citati ad congregaciones generales, intersitis eisdem, Universitati consilium et auxilium impensuri. » Cum dicat idem cancellarius in ratione per quam nititur declarare se gravatum esse, quod ipse tanquam cancellarius est capud Universitatis, una negatione illud capud destruendo, dicimus quod ipse non est capud Universitatis, quoniam, sicut manifestum est omnibus qui statum Universitatis noverunt, Universitas habet aliud capud a cancellario Parisiensis ecclesie; et ideo, si cancellarius predictus vellet se sicut capud corpori Universitatis, quod nobile est, cum vero Universitatis capite alligare, deturparetur corpus Universitatis, nam per hoc Universitas in formam monstri bicipitis redigeretur; quod non sustineretur ab Universitate. Item, si cancellarius vellet esse cum vero Universitatis capite adhuc capud, jam vellet per hoc, ut videtur, Universitatem regi per duo capita; ad quod sequeretur, quod Universitas, et per eum, in processu temporis periret; quoniam dicit philosophus quod perit civitas que pluri uno regitur capite. Item, Universitas, sicut ipsa tota confitetur, nullo medio pertinet ad Romanam ecclesiam; pro quanto, pater sancte, Parisiensis Universitas non credit nec confitetur supra[26] suum rectorem habere capud aliud a vestra Sanctitate; ad quod sequitur quod cancellarius in dicendo se Universitatis capud esse, locutus est contra vestram Sanctitatem capitose et fatue. Nunquam tamen tantum verbum nec ita elatum fuissent ausi sui antecessores, quorum

sciencie non est in aliquo comparandus, protulisse. Cum dicat postea predictus cancellarius quod magisterium et regendi facultatem non mendicat ab alio, quam ut cancellarius tribuit aliis jure suo; ad hoc dicimus quod, dato quod quoad inceptionem non mendicet magisterium ab alio, quod tamen non confitemur nec diffitemur, facultatem tamen regendi in Universitate ab Universitate mendicat; in qua cum regit, factus est sicut subditus et inferior ad Universitatem. Dicimus etiam quod non tribuit aliis jure suo licentiam, immo jure sibi et Universitati concesso virtute privilegii Gregoriani, cum in aliqua facultate alicui non possit licentiam tribuere, nisi prius examinetur a magistris, et prehabito testimonio magistrorum de sufficientia, ac aliis que in privilegio Gregorii plenarie continentur. Cum dicit cancellarius postea quod, cum ut capud et superior ab inferioribus ligari non possit ut non subditus Universitati, manifestum est penam suspensionis jam dictam injuste ab Universitate sibi inferri; dicimus ad hoc, quod dictus cancellarius ab illo quod credit esse superius, ad illud quod ipse credit inferius procedit affirmando, cum virtute sermonis sui jam dicti asserat se superius ad Universitatem, et Universitatem se inferiorem esse, qui processus est contra documenta dyaletice : deberet enim in tali processu procedere negando. Nos vero videntes suum processum peccare, procedimus ad illud quod ipse asserit superius ad Universitatem negando; non enim est superior ad Universitatem, sed inferior propter causam superius dictam; ex quo Universitas eum ligare potuit, sicut sibi subditum. Cum dicit idem cancellarius quod vocatus ad congregationes sub pena suspensionis lectionum per viij dies non ivit, quod fecit de consilio sui capituli et multorum jurisperitorum, dicimus [quod] in hoc quod asserit se non ivisse, asserit suam contumaciam; nec est verisimile quod dimiserit[27] ire propter *consilium* jam dictum, cum dominus prepositus de Sancto Audomaro[28], et alii magistri regentes de claustro Beate Marie venerint ad congregationes sic vocati, qui sunt de Parisiensi capitulo, sicut et ipse cancellarius, et equaliter jurati Parisiensis ecclesie. Propter quod manifestum est illud esse falsum quod dicit, « quia si ivisset, fecisset contra libertatem ecclesie Parisiensis et cancellarie, et contra juramentum suum », quoniam alii jam dicti vellent ita servare juramentum quod fecerunt ecclesie, et libertatem, sicut ipsemet cancellarius. Cum dicit postea quod hoc fuisset contra litteram domini pape, que sic incipit : « Quasi lignum vite »[29], *etc.*, dicimus hic quod clausula littere quam ipse pro se allegat, non bene probat, quod si ipse venisset, fecisset contra litteram domini pape. Nam propter venisse ad congregationes, potestas cancellarie nec evelleretur, nec diminueretur.

Cum dicit postea quod sic vocare est contra consuetudinem, dicimus quod immo de consuetudine approbata a tempore a quo non extat memoria. Cum dicit postea quod ipse et alii magistri in theologia solent vocari ad congregationem supplicando et rogando, planum est quod iste sermo est contra ipsum cancellarium, quoniam ex quo ipse et alii in theologia regentes solent vocari ad congregationem, sic vocare eum, sicut vocatus fuit, non

est contra consuetudinem. Et ideo in suis verbis idem negat et asserit. Quod si faceret coactus ad hoc vi argumentationis, nullus diceret quin ipse esset redargutus; non est tamen redargutus, cum ipse idem neget et asserat spontanea voluntate. Item, cum ipse et alii magistri in theologia solent vocari ad congregationes, sicut idem cancellarius asserit, et cum eo dicimus quod verum est, quoniam ipse et alii solent vocari : non ergo rogando neque supplicando, quoniam supplicare et rogare non est vocare[30]. Non ergo oportet probare consuetudinem super vocando et citando ipsum et alios magistros in theologia, cum ipsemet cancellarius eam confiteatur. Cum dicit idem cancellarius postea quod cum non ivisset ad congregationes, magistri suspenderunt eum per octo dies de facto, cum non possent de jure vel consuetudine, dicimus quod immo magistri hoc potuerunt de jure facere, cum ipse sit Universitati subditus, tanquam unus de magistris regentibus Universitatis, et etiam rebellis in eo quod Universitati inobediens erat; rebellis autem et subditus a superiori ligari potest, sicut ipsemet cancellarius per precedentia sua verba dat intelligere; quoniam cum ipse dicat superius quod superior ab inferiori ligari non potest, satis dat intelligere per hoc, quod inferior potest ligari a superiori : et istud est verum, dato quod sua verba non daret hoc intelligere. Item, hoc potuerunt magistri Universitatis virtute privilegii Gregoriani, per illam clausulam : « Ceterum ubi non est ordo, » *etc.*, in qua conceditur magistris potestas privandi rebelles suis constitutionibus, per substractionem societatis. Constituerant autem magistri Universitatis, antequam vocaretur cancellarius, quod qui non veniret ad congregationem, suspenderetur a suis lectionibus; et ideo ipsum sic vocatum, tanquam regentem rebellem illi constitutioni, ex eo quod sub pena vocatus non venit, suspenderunt a suis lectionibus[31]. Cum dicit quod magistri non potuerunt de consuetudine, dicimus quod immo consueverunt pre ordinatione facta rebellem punire, sicut pluries visum est in facultatibus singulis Universitatis.

Ad illud quod dicit postea in explicationibus gravaminum que dicit sibi inferri ab Universitate, ab illo loco : « Vocaverunt iterato », *etc.*, usque ad illud quod sic incipit : « Item, vocaverunt tertio », *etc.*, per superius dicta patet responsio. Ad illud quod dicit postea cancellarius, quod magistri Universitatis vocaverunt ipsum tertio ad congregationem sub pena suspensionis lectionum per VIII dies alios, ut veniret dicturus rationes quare adire congregationes suas totaliter recusabat, et quod eis talem injuriam emendaret, ad quam vocationem non ivit; dicimus quod sic vocatus bene debuisset ivisse; et in dicendo quod non ivit, asserit se contumacem, rebellem, Universitati non obedientem. Et cum in altero privilegiorum Universitatis precipiatur a domino papa quod omnes magistri vocati ad congregationes generales ad eas eant, Universitati consilium et auxilium impensuri, asserit ex consequenti se fuisse inobedientem mandatis et preceptis ecclesie Romane; et ista precepta magistris facta per ecclesiam Romanam sunt una de libertatibus Universitatis. Et quia cancellarius, cum fuit magister factus in artibus, juravit se servare liber-

tates Universitatis, ad quemcumque statum deveniret, juravit etiam quod iret ad congregationes vocatus; et hec jurant quotquot incipiunt in artibus et inceperunt de novo[32], et a tempore a quo non extat memoria : quare, cum ab hoc juramento cancellarius non sit absolutus, propter hoc quod vocatus ad congregationes non ivit, et in hoc libertates Universitatis non servavit, manifestum est ipsum perjurium incurrisse; et si capitulum suum vel alii periti dederunt sibi consilium de non eundo, eis non debuit credere ad sue anime detrimentum. Ad hoc quod ipse dicit postea quod propter defectus jam dictos punitus a suis lectionibus legere nec disputare dimisit, in hoc ipse se asserit magis esse inobedientem, rebellem Universitati et mandatis ecclesie Romane, ac magis dejerasse. Cum dicit postea quod si dimisissent lectiones, *etc.*, quod hoc fuisset contra libertatem sue ecclesie, dicimus quod in hoc non est sibi credendum, cum illi de ecclesia Parisiensi in Universitate regentes non habeant consuetudinem ad hoc pro se, immo consuetudo approbata a tempore a quo non est memoria servata est in contrarium hujus. Iterum, si allegaret per privilegium libertatem ecclesie Parisiensis ad hoc, deberet aperire clausulam privilegii, per quam probatur illa libertas, et tamen ipse eam non aperit. Item, cancellarius Parisiensis se intromittit de lana caprina in dicendo premissa esse contra libertatem ecclesie Parisiensis, cum ecclesia illa de hoc non porrigat querimoniam contra Universitatem, et cum ipse non habeat mandatum ab ecclesia hoc faciendi; et per hoc quod ipse dicit hoc esse contra libertatem Parisiensis ecclesie, non est sibi credendum propter rationem jam dictam. Item, alii de capitulo Parisiensi in Universitate regentes, vocati ad congregationes sub pena, timentes penam incurrere veniunt, et semper venerunt, et libertas ecclesie, si esset aliqua ad hoc, ita esset pro aliis de capitulo, sicut et pro cancellario; et ita vellent eam servare, sicut cancellarius, prout credimus, et melius possent hoc facere. Cum dicit postea idem cancellarius quod magistri fecerunt unam iniquissimam litteram, *etc.*, dicimus primo, quod littera non fuit iniqua; quia cum ipse esset inobediens in multis, sua punitio bene debuit scribi et sigillari, cum puniretur, ut dictum est superius, sicut regens in Universitate, non tamquam cancellarius Parisiensis. Cum dicit postea quod inhibebatur scolaribus ne ejus sermones audirent; utrum de suis sermonibus fieret inhibitio, non bene recolo; et si fuit facta de sermonibus suis, facta fuit sub hac forma : « Quod scolares non audirent ejus sermones, sicut sermones magistri Philippi de Thoriaco, cancellarii Parisiensis, regentis in Universitate »; potuerunt tamen suos sermones audire sicut sermones cancellarii ecclesie Parisiensis, nec ad hoc fuit facta inhibitio. Cum dicit quod littera fuit facta, magistris in theologia ac aliis de Universitate pluribus peritis contradicentibus, dicimus quod immo fuit facta, sicut preordinata, per magistros regentes in theologia, tam de claustro Beate Marie Parisius[33] quam aliis ejusdem facultatis et aliarum, nullo contradicente, et sigillata sigillo Universitatis, non extracto de archa irrequisitis theologis nec aliis; immo decanus in theologia ad hoc misit clavem suam, recepto testimonio servientis facultatis sue, quod magistri de sua facultate ordina-

verant, quod littera illius punitionis sigillaretur. Et ideo patens est quod archa in qua est sigillum non fuit fracta, nec sigillum extractum de archa per artistas inrequisitis theologis. Cum dicat cancellarius Parisiensis quod « magistri Universitatis faciunt multa contra statutum et ordinationem », *etc.*, dicimus quod immo ipse facit contra statutum et ordinationem scolarium ac pacem, contra mandata sedis apostolice, et contra juramentum suum, sicut declaratum est superius, non autem magistri Universitatis nec artiste. Et sic est responsum ad articulum primum in quo dicebat dictus cancellarius se esse ab Universitate gravatum.

Ad secundum articulum sic respondemus : Cum primo dicit cancellarius quod gravatur ab Universitate in hoc, quod rector, nomine Universitatis, inhibet scolaribus, *etc.*, dicimus quod Universitas hanc inhibitionem fecit fieri et precepit ad utilitatem scolarium propter multas rationes. Prima ratio est, quia cancellarius Parisiensis non est judex ordinarius scolarium[34], nec delegatus; et ideo unus de ipsis non debebat facere alterum convenire coram cancellario, nec conveniri coram eodem. Iterum, unus scolaris erat nimium pronus ad faciendum convenire alterum, propter quod scolares suum studium a(d)mittebant; libenter tamen hoc permittebat cancellarius, et sibi placebat, pro[pter] hoc quod scolaris quilibet, si pro causa eadem juraret decies in tempore momentaneo, pro quolibet juramento unu[m solidum pa]risiens. in sua curia dimittebat, et in hoc jurisdictionem ordinariorum loci sibi usurpabat et magistro[rum Uni]versitatis, qui forum suorum scolarium debent habere de jure scripto et virtute privilegii cujusdam, quoniam in [ordina]cione cujusdam quondam sedis apostolice legati, cui commissum fuit ordinare per ejusdem sedis mandatum de s[tatu] Parisiensis studii, continetur hec clausula : « Quilibet magister forum sui scolaris habeat »[35]. Cum v[ero dicit] cancellarius quod hoc redundat in prejudicium archidiaconorum, dicit Universitas quod in hoc nichil [est contra] archidiaconos Parisius, nec contra ordinarium ejusdem loci; quoniam in inhibendo scolaribus, ne [aliquis alterum con]veniret coram cancellario, qui non est judex ordinarius, nichil fecit contra archidiaconos nec [ordinarium. Com]pareant autem scolares conventi coram judice ordinario, si sua crediderint interesse[36].

Ad ea que ex parte cancellarii contra Universitatem et facultates falso sunt proposita, supplere dignetur vestre dis[cretionis ...[37]]

Originalis minuta in Arch. Univers. Paris. theca V. B. 6. e. in qua emendationes inter lineas non raro occurrunt. Constat e septem foliis membr. longis circiter 0m,63, largis 0m,25, quae consuta sunt aliud post aliud. — Jourdain, nº 274. — Haec charta non ab ipsa facultate artistarum prodiit, sed a procuratore ejusdem, magistro Johanne de Malignes nomine (cf. infra nº 528), qui eam composuit inconsultis aliis magistris, ut ipse supra p. 607 asserit, et unacum cancellario Philippo de Thoriaco in curia existens Martino IV contra objectiones cancellarii porrexit. Terminus *a quo* compositionis chartae est Sept. 29 an. 1281 (vide supra p. 617); terminus *ad quem* vero 24 Oct. an. 1284 (infra nº 516). Sed tamen an. 1283-1284, et certe non multo ante an. 1284 scripta est, cum cancellarius hoc ipso anno adhuc in curia existens decesserit. Vide nº 516.

1. Propositio 9. — 2. *Metaph.*, XII, 7. — 3. *De Anima*, III, 4. — 4. *Eth. ad Nicom.*, I, 4. — 5. *Prov.* 22, 1. — 6. Cf. supra nº 461. — 7. Cf. supra nº 501, n. 3. — 8. Supra nº 409, p. 455 sq., et nº 492. — 9. Cf. supra nº 485, n. 1. — 10. Simile statutum supra nº 461. — 11. De audacia loquendi seu disputandi cf. Statuta Juristarum Bononiens. in *Archiv f. Litteratur-*

u. Kirchengesch. des Mittelalt., III, 318, 4, et p. 334, n. 6. — 12. Supra n° 485. — 13. Supra n° 79. — 14. Ibid., p. 137 in fine. — 15. Ibid. — 16. Supra n° 501. — 17. Orig. : « imminenti ». Vide supra n° 504. Factum evenit ante Julii 10 an. 1281. — 18. Verba « de consilio regis » eluta sunt. — 19. *Capitale scolarium* in privilegio Philippi Augusti (supra n° 1, p. 60) sumitur hic pro *magistro regente* Universitatis. — 20. Supra n° 79, p. 138. — 21. Gregorius IX in privilegio non dicit *permittet*, sed *promittet* (cf. ibid. p. 137), et sensus fit diversus. — 22. Ferrandum, fratrem regis Aragonum. Cf. supra n° 503. Martinus IV stetit pro cancellario. Vide infra n° 528. — 23. Desiderantur. Cf tamen n° 503. — 24. I. e. Universitatem Parisiensem. Vide de hoc supra n° 476, n. 3. — 25. Supra n° 144. — 26. Jourdain perperam edidit « secundum ». — 27. Ibid. « dumserit ». — 28. Adenulphus. Cf. n° 510, n. 6, et Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2 ed., p. 496. — 29. Supra n° 247. — 30. Tum Martinus IV, tum Honorius IV in hoc steterunt pro cancellario. Vide infra n[is] 516, 528. — 31. In hoc etiam sicut et in sequentibus cancellarius summos pontifices defensores habuit. — 32. Supra n° 501. — 33. Cujus contrarium invenitur infra n° 520, p. 630. — 34. Contrarium vide supra n° 105. — 35. In statuto Roberti legati supra n° 20. — 36. Post aliqua puncta sequuntur alia manu scripta verba : « Cetera val... ». — 37. Hic documentum desinit; ultimarum undecim linearum finis, margine avulso, deficit; itaque voces suppletas uncis inclusimus. Ultimae duae lineae alia manu scriptae sunt.

---

516. *Gaufridus presbyter cardinalis decano et capitulo Paris. notum facit quidquid summus pontifex in causa ab Universitate contra cancellarium Paris. Philippum de Thoriaco mota definiverit.*

1284, Octobris 24, apud Urbem Veterem.

Viris venerabilibus et discretis in Christo carissimis decano et capitulo Parisiensi Gaufridus[1] miseratione divina tituli S. Susanne presbyter cardinalis et cum dilectione sincera paratam ad eorum beneplacita voluntatem. Statum negotii quondam venerabilis viri cancellarii Parisiensis[2] vobis aperire volentes, discretioni vestre tenore presentium intimamus quod a sanctissimo patre ac domino nostro Martino divina providentia summo pontifice de consilio cardinalium ordinatum erat, quod omnes licentie ab Universitate Parisiensi quibuscunque personis de facto concesse in ipsa curia revocarentur, et tam recipientes hujusmodi licentias, quam etiam concedentes easdem, canonice et graviter punirentur. Item quod quicquid contra jurisdictionem dicti cancellarii extitit attentatum, prout prius in curia revocaretur. Item quod doctores Universitatis non possint cancellarium eundem ad congregationes suas compellere, sed eum debebunt rogare, et si ire voluerit, bene quidem, si vero ire noluerit, ipsum coercere non poterunt in aliquo vel punire[3]. Alii vero articuli, de quibus inter ipsum cancellarium et Universitatem contenditur, qui non sunt ita certi, qui ex parte cancellarii et a procuratore Universitatis dati fuerunt, committi debebunt venerabilibus patribus dominis G.[4] et R.[5] Ambianensi et Petrocoricensi episcopis et discreto viro magistro Henrico de Gandavo, archidiacono Tornacensi. Et super iis omnibus precepit dominus noster papa notam[6] fieri. Sed dicto cancellario Philippo nuper in curia, secundum quod Deo placuit, viam universe carnis ingresso[7], super ipso negotio locuti sumus cum domino papa, qui nobis respondit quod in ipso negotio ulterius non procedet, quousque novus cancellarius[8] per seipsum vel per procuratorem idoneum in curia dictum negotium prosequatur. Et cum negotium ipsum sit ipsius ecclesie et domini episcopi negotium speciale, expediens videtur quod vos una cum dicto episcopo in curia aliquem procuratorem idoneum constituere curaretis ad ipsum negotium persequendum. Melius tamen esset quod novus cancellarius ad curiam veniret perso-

naliter; et damus pro certo quod negotium cito expediretur. Si vero non venerit, negotium ipsum poterit in curia diu stare. Valete, viri discreti, per tempora longiora, et oretis pro nobis et orari faciatis. Datum apud Urbem Veterem die martis ante festum apostolorum Simonis et Jude.

Hemeraeus, *De acad. Paris.*, p. 80. — Bulaeus, III, 464. — Hanc epistolam ad an. 1284 esse referendam bene monstravit V. Le Clerc in *Hist. litt. de la France*, XXI, 821.

1. I. e. Gaufridus de Barro. Cf. supra nº 415, n. 2. — 2. Cf. supra nº 515. — 3. Vide infra nº 528, ubi haec omnia multo extensius narrantur. — 4. Guillelmo de Matiscone. — 5. Raimundo d'Auberoche. Cf. supra nº 498, n. 6. — 6. I. e. *litteras minutas*. Revera decisiones Martini IV exstabant tantum in *minutis*, non in *authenticis bullatis*. Vide infra nº 528. — 7. Philippus de Thoriaco obiit 1284; quo vero mense incertum est. — 8. Philippo in officio cancellarii magister Nicolaus de Nonancuria an. 1284 successit, qui in epistolis Honorii IV interdum nominatur. Cf. infra nis 522, 528.

---

517. *Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis, cancellario Oxoniensi scribit de quibusdam opinionibus, quas Thomas de Aquino olim Parisiis arbitrio magistrorum Parisiens. subjecit, amareque de fratribus Praedicatoribus conqueritur.*

1284, Decembris 7, apud Brandestan.

Cancellario Oxoniensi[1] vel ejus vices gerenti et magistris ibidem regentibus omnium facultatum salutem. Si tantum privatis commodis viveremus, quid contra nostram innocentiam sue fatuitatis effunderent detractores, mediocriter curaremus; sed quia, licet immeriti, sumus divino quamvis occulto judicio deputati pro salute fidelium procuranda in officio pastorali, quibus eo ipso tenemur ad Dei gloriam totis viribus complacere, necesse habemus, pro irreverentium hominum jaculis retundendis nostram, quamvis inviti, manifestando insontiam ipsorum miseriam propalare. Sane nuper intelleximus admirantes, quod dilectus in Christo frater W. prior fratrum Predicatorum Anglie, quem usque in hec tempora habuimus affectuossisime commendatum, quedam dedecentia in nostri et nostrorum prejudicium coram vobis congregatis in vigilia S. Katerine, quod vix credere possumus, perperam seminavit, testes invocans sui et nostri invicem tractatus habiti, episcopos illos, qui nuper intererant solempniis Saresbyriensis episcopi consecrandi[2], cum tamen episcopus aliquis, nec quisquam alius mortalium verba audiverit, que soli cum solo sub solius Dei testimonio et nullatenus aliter de annotata inferius materia loquebamur. Et quia ut nobis dicitur, contra veritatem, forsitan oblivionis causa, dictus .. prior, salva sua gratia, secreto nostro colloquio est abusus, nullus debet inhonestum vel extraneum judicare, si veritatem, quam in hac parte novimus, absentes, ut possumus, per litteras in suscitati per ipsum et suos contra nos et nostros scandali remedium vobis veraciter explicemus. Referente igitur nobis priore predicto die pretacte consecrationis post prandium, quod fratres sui Oxonienses pluries ei scripserant, nos in partes Oxonie properantes intendere ipsorum Ordini et Ordinis opinionibus derogare, respondimus bona fide, quam fidem tenuimus et tenere intendimus, quantum possumus, sine prejudicio veritatis, quod nec Ordini eorum nec opinionibus ipsius Ordinis, pro eo quod sunt Ordinis, intende-

bamus quomodolibet adversari, sed factum predecessoris nostri circa errores ab eo inventos in liberalibus disciplinis, ac dampnatos de consilio magistrorum[3], et in parte suscitatos denuo in scandalum plurimorum, prosequi justitia mediante. Et subjunximus quod fratrum Predicatorum Ordinem diligebamus intime, sicut ipse, et modo secure addimus, plus quam ipse; quia cum ipse in pretacto colloquio nobis dixerit, coram Deo se de pluralitate formarum illam tenere firmiter sententiam, quam nostra tenet simplicitas, et tenuit hactenus totus mundus, si fratres suos aliquos falsitati contrarie adherentes nititur in hoc, ut dicitur, defensare : hoc procul dubio non est diligere, sed odisse. Procedentibus demum nobis ambobus ulterius in tractando, et errorem ponentium « in homine existere tantummodo formam unam[4] » concorditer detestando, subjunximus nos quosdam istius erroris temerarios defensores in tante subversionis foveam corruisse, ut dixerint scilicet et scripserint, quod si homo haberet aliam formam ab anima rationali, non posset corpus hominis corruptum idem numero etiam per miraculum reparari. Quo audito respondit prior : « Hunc errorem secure de mea conscientia condemnetis ». Causam vero opinionum bone memorie fratris Thome de Aquino, quas fratres ipsi opiniones sui Ordinis esse dicunt[5], quas tamen in nostra presentia subjecit idem reverendus frater theologorum arbitrio Parisiensium magistrorum[6], pendere diximus in Romana curia indecisam pro eo quod cum vacante sede apostolica per mortem sancte memorie domini Johannis, Dei gratia tunc temporis Romani pontificis, episcopus Parisiensis Stephanus bone memorie ad discussionem ipsorum articulorum de consilio magistrorum procedere cogitaret[7] : mandatum fuisse dicitur eidem episcopo per quosdam Romane curie dominos reverendos, ut de facto illarum opinionum supersederet penitus, donec aliud reciperet in mandatis. Aliud igitur est, quod de scriptis theologicis est Romane celsitudini reservatum Parisiis, ab eo quod inventum Oxonie in certaminibus puerilibus per predecessoris nostri sapientiam est dampnatum. Quod si quispiam theologus curiosus hujusmodi questionibus puerilibus tractatus theologicos miscuerit indecenter, sicut olim Israelite pro acuendis ligonibus ad Philistinorum malleos descenderunt, non valemus propter hoc dimittere nec debemus pro zelo quorundam temerario, quin parvulos nostros ab errorum laqueis, ut possumus, eruamus. Et sicut circa processus hujusmodi vel quoscunque alios fratrum Predicatorum licentia nondum, Deo gratias, indigemus : sic, quia quod in hac parte fecimus fratribus Minoribus fecimus penitus inconsultis, nichil debet in hoc processu nostro ipsis fratribus Minoribus imputari. Falso ergo dictum est, nos per hoc discordiam inter Ordines seminasse. Et caveant sibi ab hujusmodi seminatione nobis talia perperam imponentes, in quorum ortis ad extinctionem multarum salutarium plantarum de hujusmodi venenato semine retroactis temporibus publice et occulte, nullo seminante extrinseco, ultronee nimis crevit. Intelleximus insuper quod quidam fratres ejusdem Ordinis Predicatorum ausi sunt se publice jactitare, doctrinam veritatis plus in suo Ordine, quam in alio sibi contemporaneo viguisse; cujus contrarium quia tenere putamus viros majores et

sapientiores ecclesie militantis, ipsam eorum jactantiam asserimus esse falsam, quod non esset difficile declarare, nisi esset comparatio odiosa, comparando scilicet scripta scriptis, personas personis, et labores laboribus satis notis. Hec est igitur, karissimi, processus nostri veritas coram Deo. Et si forte circa predicta defectus nobis aliquis subrepsisset, debuissent predicti fratres pro paterni honoris debito fragilitati nostre excusationis pallium obduxisse, presertim quia tuba legalis specialiter precipit diis non detrahere, et christos Domini non tangere ..... Valete in Christo et Virgine gloriosa. Datum apud Brandestan vij id. Decembris.

Registrum Peckham in Lambeth Palace, fol. 213. — Wilkins, *Concilia Magnae Britanniae*, II, 210. *Registrum epistol. fr. Johannis Peckham*, ed. Martin, III, 864.

1. Magistro Rogero. — 2. Walteri Scammel. — 3. Vide supra nº 474. — 4. Vide ad hoc supra l. c. — 5. Vide statuta Capp. general. supra nº 481. — 6. Sic et in duabus aliis infra relatis epistolis. Vide de facto hic narrato infra nº 523. — 7. Johannes XXI an. 1277, 20 Maii, obiit (vide Potthast post nº 21249). Sedes vacabat per sex menses usque ad Novemb. 25, quo Nicolaus III electus est. Hoc tempore igitur, quo Johannes Peckham lector fuit in curia, de quibusdam opinionibus Thomae de Aquino, nominatim *de unitate formae*, in Universitate Paris. praesertim Stephanus episcopus Paris., qui in principio ejusdem anni 219 errores condemnavit, ex consilio magistrorum tractare intendebat. Forte eodem tempore agebatur etiam de quibusdam opinionibus fratris Aegidii Ord. Eremit. S. Augustini, de quo infra nº 522.

---

518. *Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis, de eodem argumento.*

1285, Januarii 1, apud Lydinton.

Reverendo, *etc.*, salutem. In progressu visitationis metropolitice Lincolniensis diocesis nuper per Oxoniense studium facientes transitum, pater sanctissime, intelleximus quasdam opiniones erroneas in litteris philosophicis fuisse temerarie quantum ad aliquas denuo suscitatas, quas sancte memorie dominus Robertus, predecessor noster novissimus, in progressu consimili de magistrorum consilio reprobavit[1]. Nolentes autem nostris temporibus errores hujusmodi prosperari, vocato venerabili viro loci ejusdem dyocesano, de ipsius consilio processimus in hunc modum, ratificantes videlicet processum predecessoris nostri in sermone publico coram clero, ac inhibentes ne aliquis ex tunc aliquam opinionem hujusmodi defensaret, donec canonico ejusdem diocesani consilio et etiam magistrorum sollicite videremus, utrum in ipsis opinionibus esset aliquis articulus, qui pro pace quorundam posset sine periculo tolerari; nec de defensione predictorum errorum implicite vel explicite statum aliquem notavimus vel personam. Quandam autem illarum opinionum tetigimus specialiter, eam manifestis rationibus impugnantes, ponentium videlicet, in homine existere tantummodo formam unam, pro eo quod ex ipsa sequitur, nullum corpus Sancti totaliter vel partialiter in toto orbe existere vel in urbe[2], cum sine unitate forme generalis aut specialis nullum corpus possit numeraliter esse unum[3]. Alia etiam inconvenientia sequuntur innumera ex hoc ipso. Fuit revera illa opinio fratris Thome sancte memorie de Aquino; set ipse in his et in aliis hujusmodi dictis suis suam innocentiam

Parisius in collegio magistrorum theologie humiliter declaravit, subiciens omnes suas hujusmodi sententias libramini et lime Parisiensium magistrorum, cujus nos per auditus proprii certitudinem testes sumus[4]. Credentes autem fratres Predicatores Oxonii commorantes, quod nos opinionem illam a predecessore nostro, qui sui erat Ordinis, reprobatam persequeremur in ejusdem Ordinis prejudicium, quod non fecimus (Deus novit), contra nos in crastino provocarunt, et consequenter publice se, ut nobis relatum est, satis temere jactitarunt, quod illam et alias opiniones fratris Thome volebant contra omnes viventes homines defensare. Et alia quedam dicere sunt ausi, quantum in ipsis fuit, in lesionem non modicam fame nostre, nisi nos scutum circumdaret veritatis. Hec idcirco vobis scribimus, sancte pater, ut si forsan aliqua de hac materia insonuerint sapientie vestre auribus, facti noveritis infallibilem veritatem, et ut sacrosancta Romana ecclesia attendere dignaretur, quod cum doctrina duorum Ordinum in omnibus dubitabilibus sibi pene penitus hodie adversetur, cumque doctrina alterius eorundem, abjectis et ex parte vilipensis Sanctorum sententiis, philosophicis dogmatibus quasi totaliter innitatur, ut plena sit ydolis domus Dei et langore, quem predixit apostolus, pugnantium questionum : quantum inde futuris temporibus poterit ecclesie periculum imminere. Quid enim magis necessarium, quam, fractis columnis, edificium cadere, quam vilipensis auctenticis doctoribus Augustini et ceteris fedum venire principem et veritatem succumbere falsitati[5]? Quid manifestius, quam opinionum diversitatem discordias parare animorum, et frigescere inter hujusmodi caritatem? Istud igitur Dei negotium, reverende pater, vestre providentie una cum ecclesie nostre negotiis humiliter commendamus, obnixius exorantes, ut, cum opportunitatem dederit ille, qui omnia moderatur, dignemini ad ista manum extendere ob Dei gloriam et honorem, et protectionis vestre clementie nos et ecclesie nostre negotia habere pro Christi reverentia favorabiliter commendata. Ceterum quoddam magni ponderis ecclesie nostre negotium reverentie vestre secretius exponendum injunximus magistro Willermo exhibitori presentium, quo intellecto dignemini nobis consilium et auxilium impendere ad Dei gloriam et honorem. Scriptum apud Lydinton kal. Januarii, anno Domini M CC LXXX IIII°[6].

Registrum Peckham in Lambeth Palace, fol. 68. — Wilkins, *Concilia Magnae Britanniae*, II, 112. *Registrum epistol. fr. Johannis Peckham*, ed. Martin, III, 870.

1. Supra n° 474. — 2. I. e. Romae. — 3. In epistola 10 Novemb. an. 1284 addit etiam hanc rationem « nec corpus Christi fuisset unum numero vivum et mortuum ». Martin, l. c., p. 841. An. 1286, April. 30, condemnavit octo capita, ut dicitur, Richardi Clapwel, Ord. Praed., quae se tenent ex parte sententiae, in homine esse unam tantum formam substantialem, quae expresse nominatur ut octava, addito, « ex qua opinione sequi videntur omnes alie hereses contrarie ». Wilkins, p. 123 sq. D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 237. Martin, l. c., p. 923. Isti octo « articuli » in Cod. Burghes. 361 fol. 222^b (script. anglic.) proxime sequuntur Collectionem articulorum in Anglia et Parisiis condemnatorum. Nec Robertus Kilwardby, nec Johannes Peckham thomisticam de unitate formae substantialis sententiam postea communem fore praeviderant. — 4. Vide infra n° 523. — 5. Vide ibid. — 6. In Reg. annotatur : « Sub illa forma scribitur cardinalibus Macteo [tit. S. Mariae in porticu], Ordonio [episc. Tusculano], et Jeronimo [episc. Praenestino] ».

519. *Guerinus abbas et cancellarius S. Genovefae servientibus Universitatis Paris. injungunt ut ad singulorum hospitia accedentes nomina omnium cohabitantium in scriptis redigant et ab eis qui non solverunt bursas juxta mandatum apostolicum exigant.*

1286, Februarii 18, [Parisiis].

Abbas et cancellarius[1] Sancte Genovefe Parisiensis executores super contribucione Universitati Parisiensi ab apostolica sede concessa dati, omnibus servientibus Universitatis Paris. Guillermo Bisterve, communi servienti in natione Gallicorum, Radulpho Aoustin in natione Picardorum, Henrico de Haia in nacione Normannorum, Symoni Anglico in nacione Anglicorum, Ricardo Normanno in facultate theologorum, Petro dicto Rovele in facultate decretorum, Mauricio apothecario in facultate medicorum salutem in Domino. Litteras domini pape recepimus continentes, ut omnes et singulos magistros et scolares de Universitate, qui duos solidos paris. in communi bursa cum sociis ponunt in septimana, ad contribuendum in expensis necessariis, quas pro Universitatis ipsius commodis ex justa et racionabili causa fieri contingit interdum, monitione premissa auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam cogamus[2]. Sane hujus auctoritate mandati una cum rectore Universitatis, cum decanis trium facultatum et procuratoribus quatuor nacionum necnon cum pluribus magistris cujuslibet facultatis de Universitate ad hoc specialiter vocatis decrevimus et de consensu eorum ordinavimus, quod omnes et singuli magistri et scolares de Universitate, qui duos solidos in communi bursa cum sociis ponunt in septimana vel ultra, in dictis expensis bursas suas contribuant juxta formam rescripti summi pontificis et ordinacionem predictam. Et super hoc omnes magistros et scolares de Universitate generaliter et canonice monuimus primo, secundo et tercio, et moniciones nostras in sermonibus et in scolis rite fecimus publicari, ut infra certos terminos jam elapsos dictas bursas suas ad monasterium nostrum deferrent nobis integre persolvendas, in contradictores et rebelles excomunicacionis et suspensionis sentencias proferentes, quas utique sententias ex certa et rationabili causa in suspenso posuimus et ponimus usque ad diem dominicam post octabam Epiphanie Domini, providere saluti plurium intendentes. Quia igitur probabiliter ad nostram devenit noticiam, quamplures magistros et scolares de Universitate mandatis nostris non paruisse nec bursas suas juxta formam rescripti summi pontificis et ordinacionem predictam solvisse, vobis omnibus et vestrum cuilibet in solita auctoritate nobis commissa mandamus, ac in virtute obediencie et sub pena excommunicacionis precipimus quatinus ad singulorum hospicia personaliter accedentes nomina omnium cohabitancium in quolibet hospicio in scriptis redigatis et nobis infra decem dies post receptionem hujus nostri mandati nobis assignare curetis, monentes nichilominus singulos nominatim, qui non solverunt vel non integre sine fraude secundum formam predictam bursas solverunt, ut infra diem dominicam qua cantatur *Letare Jherusalem*[3] bursas suas cum omni integritate nobis solvant, alioquin ipsos, quos ex tunc in hiis scriptis, dilaciones suspensionis respectus omnes quos concessimus penitus et expresse revocantes, excommu-

nicamus, excommunicatos publice nuncietis et ubicunque expedire videritis nominatim eos excommunicatos denunciari publice faciatis, nisi causam legittimam allegaverint, quare ad hoc minime teneantur, ad quam probandam assignetis eis coram nobis apud Sanctam Genovefam certos dies, et quid inde feceritis nobis super hoc veritatem rescribatis, inhibentes omnibus et singulis ne quis facto vel verbo impediat contribucionem juxta formam predictam infra prefatum terminum solvi, alioquin ipsos tanquam contradictores et rebelles predicte sententie excommunicacionis decernimus subjacere. Datum anno Domini M° CC° LXXX° quarto, die mercurii post *Oculi mei*.

Originale non sigillatum in Arch. nat. Paris. M. 67ᵃ, nº 11.

1. Vide supra nº 513, n. 2. — 2. Supra nˢ 512 et 513. — 3. Martii 4.

---

520. *Canonicorum Parisiensium rationes, ob quas non tenerentur contribuere in expensis, quas pro Universitatis Paris. negotiis interdum fieri contingit.*

1285, mens. Februarii-Martii.

Hec sunt rationes ad ostendendum quod canonici ecclesie Parisiensis, etiam magistri et scolares, non tenentur contribuere in expensis, quas pro Universitatis Parisiensis negociis interdum fieri contingit virtute rescripti apostolici super contribucione hujusmodi ad religiosos viros abbatem et cancellarium Sancte Genovefe Paris. a domino papa directi et obtenti[1]. Et colligitur prima ratio ex ejusdem rescripti serie et tenore. Nam tenor et series ejusdem evidenter indicat et declarat illos solummodo magistros et scolares teneri ad contribuendum in expensis predictis, qui duos solidos paris. in bursa communi cum sociis ponunt in septimana; sed canonici Parisienses non sunt hujusmodi, quia non ponunt in bursa communi cum sociis, nec in societate sunt, nec etiam esse possunt secundum consuetudines Parisiensis ecclesie et statuta, immo divisim morantur et degunt quilibet in domo sua cum familia propria ad ipsius solius canonici expensas. Ex quo manifeste apparet quod rescriptum predictum ad ipsos nullatenus se extendat, cum rescripta hujusmodi stricti juris sint et ad ea tantummodo regulariter se extendant, de quibus fit mencio in eisdem.

Item ex quo verba rescripti certa sunt, non est ab eorum significacione propria recedendum, secundum quam claro clarius est per ea que superius sunt expressa, quod Parisienses canonici non possunt sub verbis hujusmodi comprehendi.

Preterea si dominus papa alios magistros et scolares quam illos, qui duos solidos parisiens. in communi bursa cum sociis ponunt in septimana, ad contribuendum in expensis predictis teneri voluisset, sicut hoc in suis expressit litteris, ita et illud similiter expressisset; quod, quia non fecit, planum est quod de eis nullatenus intellexit, immo pocius unum concedendum, aliud omnino denegasse videtur.

Item dicit lex, quod non ex opinionibus singulorum sed ex communi usu nomina

exaudiri oportet. Cum igitur ex communi usu loquendi illi solummodo appellentur magistri et scolares Parisienses, qui Parisius circa studium principaliter versantur, et principaliter commorantur, manifeste apparet quod canonici Parisienses, quamvis sint magistri vel scolares, sub simplici appellacione magistrorum vel scolarium Parisiensium nullatenus includuntur, cum ipsi non versentur principaliter circa studium, nec Parisius principaliter causa studii commorentur, immo pocius ut sue ecclesie deserviant ut tenentur. Et si Parisius nullum esset penitus studium, ibi nichilominus morarentur, et propter hoc communiter appellantur canonici Parisienses, et non magistri vel scolares. Et merito; nam dicit lex de illo qui deservit duobus officiis seu artificiis, quod artifex illius officii seu artificii est censendus, in quo frequencius operatur et circa quod intendit principalius et versatur, alio officio seu artificio non inspecto. Ex quo etiam contingit quod si aliquis canonicus Parisiensis habeat aliud beneficium, quod exigat residenciam, cujus fructus lucrari possit residendo in scolis : licet resideat Parisius, et sit etiam magister vel scolaris, fructus tamen illius beneficii propter hoc non lucratur, quia ob aliud ibi morari intelligatur, circa quod frequencius et principalius est intentus, videlicet quia est canonicus Parisiensis et circa ecclesiam Parisiensem et officia ejusdem principalius et frequencius intendit ac versatur. Et ita [de]terminant doctores in glosa ordinaria de illo, qui abest causa reipublice[1] et propter aliqua sua negocia singularia et privata, videlicet quod abesse causa reipublice non videtur, si ob causam sui privati negocii seu commodi abesse principalius intendebat.

Item si diceretur, quod canonici Parisienses seu etiam alii de gremio Parisiensis ecclesie ad contribucionem predictam tenerentur, ex hoc sequeretur inconveniens valde magnum. Nam certum est, quod sepe evenit et evenire potest exigentibus casibus qui emergunt et emergere possunt, quod Universitas Parisiensis habet et habere potest causas et negocia contra Parisiensem ecclesiam et contra dominum Paris. episcopum ac personas ejusdem ecclesie, utpote archidiaconum, cancellarium et alios quos non oportet per singula numerare, contra quem eciam cancellarium pro defensione jurium et libertatum ecclesie Parisiensis et officii sui habet dicta Universitas causam in presenti in curia Romana[2], occasione cujus cause eadem Universitas multas fecit expensas, et in causis consimilibus si haberet eas facere oporteret : in quibus omnibus dicti canonici et alii de ecclesia Parisiensi predicta tenerentur contribuere, supposito quod ad contributionem de qua ad presens agitur tenerentur, cum rescriptum predictum simpliciter et sine distinctione vel exceptione aliqua loquatur de expensis, quas pro Universitatis negociis seu commodis interdum fieri contingit, et sic tenerentur contribuere in expensis ab ea factis et faciendis contra se et ecclesiam suam ac jura et libertates ejusdem, quod esset contra jus et contra omnimodam racionem. Nec est dicendum seu racione aliqua presumendum quod dominus papa, qui vult unicuique sua jura illibata servari, voluerit eos contra jus et racionem per dictum rescriptum ad talia obligare; quicquid enim princeps per rescriptum

concedit, semper intelligitur concedere sine prejudicio aliorum et cujuslibet jure salvo, nisi in rescripto expresse contrarium caveatur, ut volunt jura.

Item alias fuit Universitati Parisiensi consimilis contribucio a domino papa concessa, et bone memorie Johannes archiepiscopus Remensis et Guido episcopus Autisiodorensis executores dati super hoc ab eodem; qui executores, cum Universitas peteret ab eis quod canonici beneficiati et clerici chori ecclesie Parisiensis compellerentur ad contribuendum, virtute mandati apostolici sibi directi super execucione predicta declaraverunt et decreverunt, ipsos ad contribucionem hujusmodi non teneri, et suas patentes litteras eisdem super hoc concesserunt[4].

Propter quas raciones omnes et singulas supradictas et alias loco et tempore si necesse fuerit proponendas, ego Arnulphus de Borcendi Curia, procurator venerabilium virorum capituli Parisiensis et canonicorum Parisiensium predictorum, pro ipsis et eorum nomine dico et propono quod ipsi canonici sive eciam alii de gremio Parisiensis ecclesie ad contribucionem predictam non tenentur, nec ad hoc cogi possunt vel debent virtute memorati rescripti, offerens me nomine quo supra quod sufficiat de premissis si necesse fuerit legitime probaturum.

Originale non sigillatum, in Arch. nat. Paris, M. 67[a], n° 12.

1. Vide ad haec supra n° 519. — 2. C. II, 50. — 3. Cf. n[is] 515, 516. — 4. Supra n° 427.

---

521. *Capitulum Parisiense opem cardinalis Benedicti Cajetani contra oppressiones Philippi III regis et Universitatis Parisiensis implorat.*

1285, circa mensem Martii.

Reverendo patri domino et amico karissimo domino B. Dei gratia Sancti Nicholai in carcere Tulliano dyacono cardinali capitulum ecclesie Parisiensis salutem et cum omni reverencia et honore se in omnibus paratos ad ejus beneplacita et mandata. Ea que circa nos et ecclesiam nostram aguntur, sive prospera, sive adversa fuerint, tanto curiosius per nos vobis convenit nunciari, quanto ex prosperis non dubitamus gaudium et leticiam accrescere cordi vestro, et in adversis compassionis et consolationis remedium invenire in vobis confidencius credimus et speramus. Ecce, pater et domine, desolacionum urgencium multitudo nobis et ecclesie Paris., proch dolor, hiis diebus occurrit, immo quasi conjurate ad invicem tribulaciones multiplicate concurrunt, dum hinc regalis potestas nos opprimit jure quod nobis competit in quibusdam molendinis magni pontis Paris. nos et ipsam ecclesiam inmisericorditer spoliando, illinc Universitas Parisiensis nobis et nostre ecclesie infesta admodum non solum in persona et officio cancellarii nos conturbat, verum etiam novo dure et dire genere servitutis personas nostras sibi constituere obnoxias exquisitis insudans studiis, ad contribuendum secum in expensis, quas facere eam sepe contingit, in virtute cujusdam littere apostolice ad abbatem et cancellarium Sancte

Genovefe nuper obtente, nos racione qua scolares sumus compellere seu compelli facere per abbatem et cancellarium predictos totis nisibus elaborat, licet potestas ejusdem littere ad hoc minime se extendat[1]. Quod quidem servitutis onus portare omni tirannide durius nobis esset, cum prebendam Parisiensem ab institucione liberam videremus nostris temporibus tam turpiter ancillari. Quid autem cum domino rege super injuria nobis et nostre ecclesie in predictis molendinis illata egimus, quam frequenter, quam devote et humiliter apud ipsum et ejus consilium pro nostra restitutione et condigna dampnorum satisfactione institimus, quociens ipsum regem et ejus consilium super jure nostro per litteras et munimenta plurima fide digna informare parati fuimus et satis informavimus, si informationi nostre benivolum prestare voluissent auditum, quam parum apud ipsos finaliter profecimus, quanta tandem necessitate compulsi organa nostra in Parisiensi ecclesia non sine grandi cordis amaritudine hiis diebus suspendimus, per alias litteras nostras tocius processus nostri seriem plene et lucide continentes, quas vobis assignabit lator presentium, paternitati vestre duximus intimandum. Supplicamus igitur dominationi vestre, pater et domine reverende, quatinus tribulaciones, quibus circumdamur hiis diebus, pie conpassionis intuitu attendentes ac super statu Parisiensis ecclesie lamentabili condolentes nobiscum, causam ejus paternis velitis brachiis amplexari, sustinere viriliter et tueri. Videtis enim, pater et domine, quia nobis est negocium cum fortibus, et auxilio forcium indigemus. Mittimus eciam vobis transcriptum illius littere male a dictis abbate et cancellario ac magistris Universitatis, ut perspicuum est, intellecte, paternitatem vestram rogantes ut declaracionem nobis a domino nostro summo pontifice impetrare curetis, quod Parisienses canonicos sub generalitate quam illa pretendit littera non est nec fuit sue intencionis includi, vel quam meliorem obtinere, presertim cum canonici Parisienses non tam studii quam servicii ecclesie racione intelligi debeant in Parisiensi ecclesia residere. In casu quoque consimili contribucionis faciende super expensis Universitatis bone memorie .. archiepiscopi Remensis et .. episcopi Autisiodorensis executorum dudum a sede apostolica deputatorum super hoc habemus litteras patentes, per quas nos a contribucione hujusmodi alias exceperunt[2], vobis transcriptum unacum transcriptis illarum litterarum et munimentorum, per quas et que dominum regem et ejus consilium informavimus super jure nostro et Parisiensis ecclesie in molendinis predictis per latorem presentium destinamus. In forma simili scribimus dominis et amicis nostris de curia cardinalibus, vicecancellario, notario, concanonicis nostris, eorum consilium et auxilium implorantes. Preterea, pater et domine, ignorare vos nolumus, quod pro dicto negotio dominum .. legatum[3] frequenter adivimus, litteras nostras et munimenta negocium ipsum tangencia ei ostendimus, ipsum super jure nostro tam proprietatis quam possessionis prout potuimus informantes, ipsique supplicavimus humiliter et devote ut desolacioni nostre et Parisiensis ecclesie pie compaciens ad inclinandum dominum regem et ejus consilium nostris peticionibus dignaretur interponere partes suas. Set propter occupacionem ipsius circa propria et

regia negocia, presertim quia se ad iter arripiendum pro negocio regni Arragonie preparabat[4], nullo nobis per eum medio est subventum.

Originale non sigillatum in Arch. nat. Paris. M. 67ª, nº 17. Ibid. exstant quatuor alia exemplaria omnino ejusdem tenoris, quorum nº 13 directum est « venerab. et discreto viro et amico karissimo magistro P. sacrosancte Rom. ecclesie vicecancellario, canon. Paris. ejus devoti .. capitulum », *etc.;* nº 14 « rever. patri ac dom. karissimo dom. G. Dei gratia tit. Sancte Susanne presb. card. decano nostro ejus devoti .. capitulum », *etc.;* nº 15 « rever. patri ac dom. amico karissimo domino B. Dei gracia episcopo Portuensi ejus devoti .. capitulum », *etc.;* nº 16 « rever. patri domino et amico karissimo domino A. Dei gracia tit. Sancte Praxedis presb. card. capitulum », *etc.* — Vicecancellarius fuit magister Petrus de Mediolano; tit. S. Susannae cardinalis magister Gaufridus de Barro, olim canonicus, et archidiaconus deinde decanus Paris., qui in hoc *Chartulario* frequenter occurrit; episcopus Portuensis vero Bernardus, et Ancherus card. S. Praxedis. Card. Benedictus Cajetani fuit postea Bonifacius papa VIII.

1. Cf. nº 519. — 2. Supra nº 427. — 3. Johannes cardinalis et episcopus Belvacensis. — 4. Mense Martio an. 1285 Philippus III iter arripiebat versus Narbonam. *Rec. des Hist. des Gaul.*, XX, 528. Cf. Langlois, *Le règne de Philippe III le Hardi*, p. 154.

---

522. *Honorius IV Ranulfo episcopo Parisiensi injungit provideat, ut in praesentia Nicolai cancellarii et magistrorum Paris. Aegidius Romanus, Ord. Eremit. S. Augustini, illas opiniones revocet, quas olim, Parisiis exsistens, revocare debuit.*

1285, Junii 1. Romae ap. S. Petrum.

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi. Licet dilectus filius frater Egidius Romanus de Ordine fratrum Heremitarum sancti Augustini olim Parisius vacans studio aliqua sicut intellexerimus dixerit et redegerit in scripturam, que bone memorie Stephanus Parisiensis episcopus predecessor tuus per se ipsum examinans, et per cancellarium Parisiensem ejus temporis ac per alios theologice facultatis magistros examinari faciens, censuit revocanda, et ea minime revocant[1], quin potius variis rationibus nisus fuerit confirmare : nuper tamen apud sedem apostolicam constitutus humiliter obtulit se paratum revocanda que dixerat sive scripserat revocare pro nostro arbitrio voluntatis. Nos vero hujusmodi ejus oblationem humilem acceptantes et moti spiritu compassionis ad ipsum, quia decentius et utilius reputavimus, ut premissa ibi consultius revocentur, ubi dicta et scripta inconsulte dicuntur, ipsum ad te duximus remittendum, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatinus dilecto filio magistro Nicolao Parisiensi, cancellario, et omnibus aliis magistris theologice facultatis Parisius commorantibus, tam actu in eadem facultate regentibus, quam etiam non regentibus, ad hoc specialiter convocatis, procedens de ipsorum consilio in predictis, dicto fratre coram omnibus eis revocante, que de dictis contra ipsum una cum majori parte magistrorum eorumdem judicaveris revocanda, et specialiter que dictus predecessor tuus mandavit ut predicitur revocari, circa licentiam et expeditionem ipsius auctoritate nostra provideas, prout secundum Deum fidei catholice ac Parisiensis studii utilitati de consensu majoris partis magistrorum ipsorum videris expedire. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kal. Junii, anno primo.

Reg. Vat. Honorii IV an. 1, ep. 33, fol. 12. — Bulaeus, III, 472.

1. Hic vix agitur, ut quandoque assertum invenitur, de quibusdam ex 219 propositionibus a Stephano episcopo an. 1277

damnatis, sed potius de aliis opinionibus Aegidii, quae a Stephano aliisque verisimiliter eodem tempore, quo de aliquibus sententiis Thomae de Aquino, nominatim *de unitate formae*, tractabatur (cf. supra n[is] 517, n. 7; 518 et infra 523), sunt reprobatae.

---

523. *Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis Olivero episcopo Lincolniensi narrat qualiter ipse atque magistri Parisienses cum fratre Thoma de Aquino disputaverint, simulque discrimen inter scholas Ordinum Minorum et Praedicatorum describit.*

1285, Junii 1, apud Warham.

Frater J., *etc.*, venerabili fratri domino Dei gratia Lincolniensi episcopo salutem et sinceram in Domino caritatem. Licet Chore et sui in perfidia complices olim Moysis sacro principatui resistentes, quos horrende severitatis judicio vivos devoravit inferus, ut clareat quantum zeletur Dominus pro reverentia exhibenda prelatis ecclesie, quantumque contrarium detestetur; predulces tamen psalmorum moduli ejusdem Chore filiis inscribuntur, ut pateat manifeste, non evacuare sacre multitudinis gloriam casum ex eadem, quamvis precipui unius vel plurium perversorum, sed perseverantium glorie potius attestari, dum perversum caput non sequitur fixa per gratiam stabilitas filiorum ... Dicit [quidam frater Ord. Predicatorum in Anglia], nos opinionem « de unitate forme » rationibus et sanctorum testimoniis persequentes in mortuum impingere, quod est falsum. Quin potius ei[1], de quo loquitur, cum pro hac opinione ab episcopo Parisiensi et magistris theologie, etiam a fratribus propriis argueretur argute[2], nos soli eidem adstitimus, ipsum, prout salva veritate potuimus, defensando[3], donec ipse omnes positiones suas, quibus possit imminere correctio, sicut doctor humilis subjecit moderamini Parisiensium magistrorum. Non igitur ipsum persequimur, set arrogantiam nonnullorum, qui elatiores quam capaciores, audaciores quam potenciores, garruliores quam litteraciores presumunt astruere quod ignorant, et juvenes seducibiles alliciunt in hoc ipsum. Nec modo, ut impostor astruit, incipimus talia impugnare, quin potius dudum legentes Parisius, in Anglia, et in Romana curia[4] publice multis annis Christi assistente gratia non cessavimus in his et in aliis imperterrite irreprehensam astruere veritatem ... Preterea noverit ipse, quod philosophorum studia minime reprobamus, quatinus mysteriis theologicis famulantur; set profanas vocum novitates, que contra philosophicam veritatem sunt in sanctorum injuriam citra viginti annos in altitudines theologicas introducte, abjectis et vilipensis sanctorum assertionibus evidenter. Que sit ergo solidior et sanior doctrina, vel filiorum beati Francisci, sancte scilicet memorie fratris Alexandri[5] ac fratris Bonaventure et consimilium, qui in suis tractatibus ab omni calumnia alienis sanctis et philosophis innituntur : vel illa novella quasi tota contraria, que quicquid docet Augustinus de regulis eternis, de luce incommutabili, de potentiis anime, de rationibus seminalibus inditis materie[6], et consimilibus innumeris, destruit pro viribus et enervat, pugnas verborum inferens toti mundo? Videant

antiqui in quibus est sapentia, videat et corrigat Deus celi ... Datum apud Warham Saris-buriensis dioc. kal. Junii, anno Domini MCCLXXXV.

Registrum Peckham in Lambeth Palace, fol. 216b. — Wilkins, *Concilia Magnae Britanniae*, II, 120. *Registrum epistol. fr. Johannis Peckham*, ed. Martin, III, 896.

1. Thomae de Aquino. — 2. Loquitur hic sicut jam supra nis 517, 518, de tractatu, quem episcopus Stephanus Paris. cum magistris Parisiensibus vivente et praesente Thoma de Aquino habuit circa opinionem ejusdem de unitate formae. Hoc nonnisi tempore evenire potuit, quando Thomas secundo Parisiis legit, id est an. 1269-1271. Cf. supra no 447, n. 5. — 3. Nescio an ea, quae Johannes de se ipso refert, veritati omnino concordent. Saltem Bartholomaeus de Capua, logotheta regni Siciliae, in processu canonizat. Thomae de Aquino professus est : « se audivisse a pluribus fratribus Praedicatoribus fide dignis, quod quando idem fr. Thomas una vice disputabat Parisius, ubi erat fr. Johannes de Peckham Ord. frat. Minorum, qui fuit postea archiepiscopus Cantuar., quantumcunque dictus fr. Johannes exasperaret eundem fr. Thomam verbis ampullosis et tumidis, nunquam tamen ipse fr. Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine et humilitate respondit ». *AA. SS.*, Mart. I, 712, no 77. — 4. Legimus in *Monum. Francisc.*, ed. Brewer, p. 552, eum primo incepisse Parisiis (ubi certe an. 1269, vel duobus annis posterioribus ut actu regens morabatur), postea resumpsisse Oxoniae, deinde magistrum (lectorem) curiae fuisse, et demum archiepiscopum Cantuariensem (1279, Jan. 28). — 5. De Hales. — 6. In explicanda sententia S. Augustini de supra relatis scholae Thomistarum et Ord. Minorum istius aevi digrediuntur. Quoad scholam Ord. Min. cf. *De humanae cognitionis ratione anecdota quaedam*, ed. cura PP. Collegii a S. Bonaventura; quoad S. Thomam vide *Summ.*, 1 p. qu. 84 a. 5; qu. 79, a. 8, 9; qu. 115, a. 2, *etc.*

---

524. *Raimundus, abbas S. Germani de Pratis, notum facit, se totumque conventum in recompensationem quadraginta libr. turon., quas Universitati Parisiensi occasione contentionis ortae inter Universitatem et conventum tradere debuerunt, nundinas suas regi dimisisse.*

1285, mense Junio, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis R. permissione divina monasterii Sancti Germani de Pratis juxta Parisius abbas humilis totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Notum facimus quod cum per definitionem seu ordinationem excellentissimi domini nostri Philippi Dei gratia regis Francorum pro quodam insultu facto a gentibus et hominibus nostris Sancti Germani in quosdam clericos universitatis scolarium Parisiens., in quo quidem insultu duo clerici vulnerati fuerunt et ex dicta vulneratione obierunt[1], nos et ecclesia nostra teneamur ad assidendum et assignandum xl libras parisiens. annui redditus ad fundandas pro dictis duobus clericis interfectis duas capellanias et instituendas, unam videlicet in capella veteri beati Martini juxta ecclesiam nostram, et alteram in ecclesia prioris et fratrum de Valle Scolarium Parisiens., prout hec in litteris domini regis super dicta ordinatione confectis plenius continentur[2] : nos pro nobis et ecclesia nostra cum venerabilibus patre Matheo abbate Sancti Dionysii in Francia et nobili viro Simone de Nigella tenentibus locum domini regis Francie pro ipso domino rege nomine ipsius agentibus et tractantibus, conventiones inivimus infra scriptas, videlicet quod dicti tenentes locum nomine ipsius domini regis et pro ipso pro dictis duabus capellaniis dicte universitatis scolarium Parisiens. dictas xl libras annui redditus juxta modum et formam in dictis litteris super dicta ordinatione confectis comprehensam in redditibus domini regis assidebunt et facient assideri[3]. Et nos pensata nostra et ecclesie nostre utilitate, pro nobis et

ecclesia nostra in recompensationem dictarum xl librarum parisiens. annui redditus nundinas nostras Sancti Germani, que annuatim incipiunt xv die post Pascha et durant per xviij dies ab inde continuos, in quibus idem dominus rex medietatem emolumenti habebat et percipiebat et nos aliam medietatem, eidem domino regi et ejus heredibus sive successoribus concessimus, dimittimus et quittamus, ab eodem domino rege, heredibus vel successoribus suis ubicunque voluerint transferendi, nichil nobis vel ecclesie nostre in dictis nundinis vel in emolumentis earum penitus retinentes. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillis nostris fecimus sigillari. Actum mense Junio, anno Domini M° CC° LXXXV°.

Memoires historiques sur les benefices qui sont à la presentation et collation de l'Université de Paris, p. 7.

1. Vide supra n° 480. — 2. Supra n° 482. — 3. Vide n° 525.

---

525. *Matthaeus abbas S. Dionysii et Simon de Nigella, tenentes locum domini regis Francorum, de eodem argumento.*

1285, mense Junio, Parisiis.

Mattheus miseratione divina ecclesie beati Dionysii in Francia abbas humilis, et Simon dominus Nigelle, tenentes locum domini regis Francorum, universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, *etc. sicut supra* n° 524, *mutatis mutandis*, *usque* continentur. *Deinde :* Nos attendentes altercationem et discordiam continuam inter abbatem et conventum predictos ex una parte, et rectorem et scolares dicte Universitatis Parisiensis ex altera super dictis quadraginta libris parisiens. a predictis abbate et conventu ob causam predictam assidendis seu assignandis rectori et scolaribus antedictis pro bono pacis continuande inter abbatem et conventum et scolares universitatis scolarium predictos pensataque dicti domini regis utilitate ex auctoritate et vice ipsius domini regis nobis commissa cum dictis abbate et conventu conventiones inivimus infra scriptas, videlicet quod nos nomine ipsius domini regis et pro ipso pro dictis duabus capellaniis dicte universitati scolarium Parisiens. dictas quadraginta libras parisiens. annui redditus juxta modum et formam in dictis litteris dicti domini regis super dicta ordinatione confectis comprehensam in redditibus domini regis assideri faciemus seu etiam assignari, ita tamen quod in recompensationem dictarum quadraginta librarum annui redditus domino regi faciendam dicti abbas et conventus Sancti Germani nundinas suas, *etc. ut* n° 524. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum regium quo utimur fecimus apponi. Actum Parisius mense Junio, anno Domini M° CC° LXXXV°.

Bouillart, *Hist. de l'abbaye royale de S. Germain des Prez*, n° 101, p. LXVIII, ex originali.

526. *Capitulum Parisiense fratribus Ord. Eremit. S. Augustini Parisiis locum vendit situm in Cardineto.*

1285, Augusti 28, [Parisiis].

Universis presentes litteras inspecturis capitulum Parisiense salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos pensata et considerata utilitate nostre Parisiensis ecclesie quandam peciam terre continentem quatuor arpenta terre vel circiter, quam habemus sitam in Cardineto ultra parvum pontem infra muros contiguam terre Sancti Bernardi ex una parte, et terre heredum Auberti dicti ad fabas ex altera, prout se comportat a via super Seccanam usque ad alvum Beveris, vendidimus et nomine venditionis pure concessimus, quitavimus, tradidimus et liberavimus in manu mortua ex nunc in perpetuum fratri Juvenali vicario Paris. religiosi viri fratris Clementis prioris generalis fratrum Heremitarum Ordinis S. Augustini ementi vice et nomine dicti prioris et tocius Ordinis pro precio quadringentarum librarum parisiens. jam nobis a dicto vicario nomine dicti prioris et Ordinis predicti soluto et tradito in pecunia numerata, de quo ad plenum nos et ecclesia nostra quitavimus penitus religiosos predictos tenentes nos bene pagatos, cedentes eis ex nunc et perpetuo, in eos et eorum successores sive ab eis causam habituros penitus transferentes omne jus et dominium, omnem possessionem et proprietatem, omnes actiones reales et personales, et quascunque alias, que nobis et predicte Parisiensi ecclesie competebant et competere poterant quocunque modo in pecia dicte terre, dumtaxat retentis nobis in perpetuum duobus denariis capitalis census in dicta pecia terre et super fundo ejusdem, nichil aliud juris et actionis nobis vel dicte ecclesie Parisiensi de cetero retinentes ... Volumus insuper et concedimus, quod in dicto fundo terre vendito possint dicti religiosi ecclesiam, oratorium cimiteriumque et quodcunque sacrum construere absque contradictione nostra successorumque nostrorum, dicto censu nichilominus in integrum remanente. Renunciantes in hoc facto exceptioni non numerate pecunie, doli actioni in factum, beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris apostolicis, privilegiis et indulgentiis nobis actenus seu ecclesie Parisiensi aut universitati magistrorum et scolarium Parisiensium a sede apostolica indultis aut in posterum indulgendis, et crucesignatis et crucesignandis concessis et concedendis sub quacunque forma verborum contra predicta facientibus, constitucioni de duabus dictis Concilii generalis, judicum et loci conventioni. Dicti autem duo denarii capitalis census annuatim in festo Nativitatis Domini persolvantur. Datum anno Domini millesimo CC° octuagesimo V°, in festo beati Augustini episcopi. In cujus rei testimonium presentes litteras sub eadem data nostro sigillo fecimus roborari.

Apographum coaevum in Arch. nat. Paris. L. 921. — Haec charta inserta est etiam litteris Honorii IV an. 1286, Novemb. 15, in Reg. Vat. an. 2, ep. 101. Empoli, *Bull. Ord. Eremit S. August.*, p. 156. — In Arch. nat. Paris., l. c., exstant insuper quatuor chartae originales (tres earum an. 1285, mensis Novemb., et una an. 1286, Januar. 3) tractantes de peciis terrae et quadam domo in Cardineto et in vico S. Victoris, quas abbas et conventus S. Victoris fratri Juvenali de Narnia « ad opus ipsorum fratrum Parisius studentium et usus totius Ordinis » sub certis conditionibus vendiderunt. Tres harum chartarum inveniuntur etiam insertae opistolis Honorii IV. Cf. Empoli, l. c., p. 154, 159. Prou, *Les Registres d'Hono-*

rius IV, nos 688-691. — Sicut supra nis 358, 358 a vidimus, Augustiniani Parisiis primo habitabant ante portam de *Montmartre;* hoc anno 1285 se transferebant ad Cardinetum, ubi remanserunt usque ad annum 1293, quo anno eis Philippus IV « ob favorem potissime fratris Egidii Romani Ord. fratr. Herem. S. Augustini sacre pagine professoris » locum donavit, quem fratres Saccorum de penitentia Jesu Christi habebant et reliquerunt, de quo in tomo II.

---

527. *Litterae Honorii papae IV ad Nicolaum cancellarium Parisiensem, quibus, ad exemplum pontificum Innocentii IV, Alexandri IV, Clementis IV et Gregorii X, providet ut clerici, in Arabica lingua et in ceteris partium Orientalium linguis eruditi, qui Parisius mittebantur, pro necessariorum defectu ab incepto studio desistere non cogantur.*

1286, Januarii 23, Romae ap. S. Sabinam.

Dilecto filio .. cancellario ecclesie Parisiensis. De affectione pia et moderatione provida fe. re. Innocentii pape IV, predecessoris nostri, dudum noscitur processisse, quod ipse quosdam clericos, tam in Arabica quam in aliis linguis partium orientalium eruditos tali de causa mitti disposuit Parisius ad studendum, ut doctrinam sacre pagine consecuti, alios ad salutem in transmarinis partibus erudirent[1]. Pie quoque memorie Alexander papa IV, predecessor noster, ne iidem clerici, qui erant tunc decem Parisius, ab incepto studio pro necessariorum defectu desistere cogerentur, quondam .. cancellario Parisiensi, predecessori tuo, ad instar ipsius predecessoris Innocentii, suis sub certa forma dedisse dicitur litteris in mandatis, ut ipsis decem et totidem aliis, cum essent ibidem, ab aliquibus monasteriis vel ecclesiis regni Francie, ita tamen quod in singulis monasteriis vel ecclesiis eisdem, singulis prefatis clericis, videlicet viginti, vel aliis eis cedentibus vel decedentibus in loco succedentibus eorumdem, usque ad numerum pretaxatum faceret per se vel per alium in decem libris parisiens. annis singulis, quamdiu Parisius hujusmodi studio insisterent, provideri, dummodo monasterium vel ecclesia, quod vel que per triennium id solveret, super hoc non gravaretur ulterius, eadem gratia quantum ad alia monasteria vel ecclesias in suo robore nichilominus perdurante, contradictores, *etc. usque* compescendo[2]. Postmodum vero, fe. re. Clemens papa, predecessor noster, quondam magistro Odoni de Sancto Dionysio, canonico Parisiensi, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut ad provisionem dictorum decem et aliorum decem clericorum ejusdem terre, cum Parisius essent, per se vel per alium procederet juxta tenorem predictarum litterarum eorumdem predecessorum Innocentii et Alexandri ad dictum cancellarium directarum; ac postmodum, pie memorie Gregorius papa X, predecessor noster, eidem magistro Odoni per suas mandavit litteras, ut ad provisionem dictorum clericorum per se vel per alium procederet secundum earumdem dicti predecessoris Clementis continentiam litterarum[3]. Nos itaque volentes ut quod per predictos predecessores nostros in hac parte demandatum extitit plenum consequatur effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad provisionem dictorum clericorum, per te vel per alium, auctoritate nostra procedas secundum eorumdem dictorum predecessorum nostrorum continentiam litterarum, non obstante, si prelatis, vel collegiis, aut personis monasteriorum et ecclesiarum

predictorum, seu quibuscumque aliis a sede apostolica sit indultum quod ad provisionem alicujus in aliquibus pensionibus minime teneantur, quodque ad id compelli, seu interdici, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, seu qualibet dicte sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat nostris litteris fieri mentionem. Dat. Rome apud Sanctam Sabinam x kal. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Vat. Honorii IV an. 1, ep. 270, fol. 74[b]. — Jourdain, n° 280.

1. Supra n° 180. — 2. Cf. n° 324. — 3. Hae epistolae non sunt notae.

---

528. *Litterae Honorii IV ad Johannem apost. sedis legatum, quibus decisiones Martini IV et suas circa processum Universitatis Parisiensis contra cancellarium Parisiensem notas facit.*

1286, Februarii 1, Romae ap. S. Sabinam.

Dilecto filio J. tit. Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato. Quasi ortus irriguus arboribus sublimibus et fructiferis consitus Parisiense studium viros producens scientia fructuosos, vita et moribus eminentes, et sicut fons cujus aque non deficiunt sed exhuberanter emanant doctrine salutaris undique fluenta diffundens, quanto ab olim talium productione utili et emanatione uberi orthodossam fidem roborans sanctam catholicam munivit ecclesiam contra insidias et impetus latenter obrepentium, vel patenter ascendentium ex adverso, tanto culture diligentioris est cura colendum, ut domesticis seditionibus quo familiarioribus eo procul dubio efficatioribus ad nocendum purgetur intrinsecus et velut extrinsecus apostolici favoris muro circumdatum ejusque directoria provisione munitum in statu pacifico et tranquillo ipsius remedio perseverabiliter statuatur. Ad quod illud etiam nos specialiter afficit quod olim, dum nos minor status haberet, in ejusdem studii laribus obversati de illius dulcedine libamina grata libavimus per plures annos secus decursus sedentes ipsius. Sane sicut asseritur dudum inter quondam magistrum Philippum de Thoriaco Parisiensem cancellarium ex parte una, et Universitatem Parisiensem ex altera super certis articulis genus dissensionis materia suscitata[1], cum dictus cancellarius et dilectus filius magister Johannes de Malignes, procurator ejusdem Universitatis, propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, idem cancellarius constitutus in presentia fe. re. Martini pape predecessoris nostri, dicto procuratore presente, proposuit quod prefata Universitas propriis finibus non contenta inter alia et diversa gravamina que ab illa inferebantur eidem, ipsum, licet Universitatis predicte capud existeret[2], nec in eum potestatem haberet, sicut nec inferior in superiorem, nec etiam par in parem, per bedellos servientes suos ad congregationes Universitatis ejusdem sub pena suspensionis lectionum pro sua faciebat voluntate citari. Et quia dictus cancellarius sic citatus noluerat sicut nec

debuerat ad easdem congregationes accedere, ipsum de facto, cum de jure non posset, a suis lectionibus et disputationibus Universitas predicta suspendit, et nichilominus eum ac etiam omnes de ipsa Universitate, qui lectiones, disputationes vel predicationes audirent illius, vel ab ipso legendi licentiam peterent, ab ejusdem Universitatis consortio et communione magistrorum ejus presumptuosa temeritate privavit, faciendo districtius inhiberi ne scolares Parisienses coram eo vel ejus officiali presumerent quomodolibet litigare, immo, quod gravius videbatur, .. rector Universitatis ipsius passim causas audiebat et lites faciendo coram se per bedellos suos personas quascunque vocari, cogendo etiam respondere vocatas, licet cause hujusmodi sive lites ad ipsius cancellarii forum spectent, quodque tunc dicta Universitas quampluribus scolaribus in medicina et decretis regendi licentiam non sine multa temeritate duxerant concedendam, quamquam hujusmodi licentiam concedere ad eundem cancellarium pertineret. Prefatus vero magister Johannes ex adverso respondit, quod cancellarium ipsum in nullo Universitas memorata gravabat, immo potius ipsa gravabatur in pluribus ab eodem, nonnullis postmodum articulis eidem predecessori tam cancellario quam procuratore[3] prefatis exhibitis, qui predicta hinc inde gravamina exprimebant. Dictus igitur predecessor diligenter, sicut dicebat, attendens quod hujusmodi citatio attemptabatur contra Parisiensis ecclesie ac ipsius cancellarii libertatem et etiam laudabilem consuetudinem anteactis temporibus observatam, cum Parisienses cancellarii qui fuerant pro tempore ad congregationes hujusmodi reverenter et suppliciter consueverint evocari, notam[4] fieri mandavit, per quam districtius inhibebat ne citatio hujusmodi extunc fieri deberet, volens omnino ut idem cancellarius et successores ipsius ad easdem congregationes absque sequela pene cujuslibet[5] cum reverentia et precibus vocarentur. Predictam insuper regendi licentiam ab eadem, ut predicitur, Universitate concessam penitus revocabat; illos qui eam recipere presumpserant decernens ob exempli perniciem nec pro licentiatis neque pro magistris haberi; et rigorem debitum circa illos de misericordia temperando benigne concedebat quod per eundem cancellarium juxta consuetam formam licentiari valerent, si eos idem cancellarius inveniret ydoneos et expedire videret. Si vero licentiati hujusmodi hoc nollent forsitan acceptare, ipsos reddebat prorsus inhabiles ad predicta. Mandabat etiam illos, qui hujusmodi dare licentiam et talium tenere principia presumpserunt, ac eos, qui quendam baccalarium licentiatum per cancellarium supradictum in non modicam cancellarii ejusdem injuriam licentiam ab eisdem iterato recipere coegerunt[6], per eos quos ad id deliberaverat deputare, prout ipsi consideratis diligenter culpis illorum honori ejusdem cancellarii ac paci et tranquillitati predicte Universitatis viderent expedire, puniri[7]. Alios preterea supradictos processus contra eundem cancellarium per Universitatem, rectores, et bedellos prefatos habitos annullabat, irritabat, cassabat et nullos, cassos, et irritos nuntiabat, utpote in dicti cancellarii juris injuriam attemptantes. Et nichilominus injungebat predictis taliter deputandis ut Parisius vel ad locum alium competentem illi vicinum, ad quem partes accedere et in quo morari

secure valerent, se personaliter conferentes partes suas juxta datam eis a Domino gratiam, ut cooperante illo qui pacis est auctor omnis quiesceret in hac parte turbatio, discordia quelibet sopiretur, sollerter interponere procurarent, alioquin inspectis eisdem articulis diligenter quos eis dictus predecessor sub bulla sua inclusos transmittere intendebat et inquisito sollicite de facto et facti circumstantiis universis, ordinarent et statuerent super hoc auctoritate ipsius predecessoris quod secundum Deum et justitiam pro bono pacifico et tranquillo statu prefati studii expedire viderent. Per hoc autem apostolicis privilegiis si qua sunt utrique parti et ecclesie Parisiensi concessa non intendebat dictus predecessor in aliquo derogare, sed ea omnino voluit manere in suo robore firmitatis. Et quanquam de premissis nota hujusmodi eadem omnia et singula manifestius exprimens, prout in ea perspeximus contineri, de ipsius fuerit predecessoris mandato concepta, dicto tamen cancellario interim viam universe carnis ingresso[8], idem predecessor prosecutioni processus hujusmodi supersedit substitutionem expectans novi cancellarii ut dicebat. Sicque inter moras eodem predecessore morte prevento[9], nota eadem ad bullam vel ad grossam eventibus retardata hujusmodi non pervenit[10]. Nobis itaque prout Domino placuit post ejusdem predecessoris obitum ad apicem summi apostolatus assumptis, dilectus filius magister Nicolaus de Nonancuria, memorato cancellario in cancellarie dicte Parisiensis ecclesie officio substitutus, nostram presentiam adiens et exponens humiliter universa discrimina, que per hujusmodi excessus Universitatis ejusdem Parisiensi studio et in ipsius impedimento universali ecclesie per consequens ingeruntur, supplicavit instanter super hiis per apostolice sedis providentiam oportunum remedium adhiberi. Nos autem ad hoc apostolice sollicitudinis studia convertentes, cum fratribus nostris communicato consilio, quia nobis ad presens via judicialis vel alterius indaginis pro dicta Universitate nemine comparente, prout tantum requirit negotium, non occurrit, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus traditas tibi virtutes a Domino prudenter exercens, per te si comode vacare poteris vel per alium seu alios, quorum circumspecta industria et experta probitas maturitate conspicua, fidelitate clara et scientia litterarum aliisque virtutibus circumfulta tante prosecutioni conveniat, inter Universitatem et magistrum Nicolaum predictos viam grate concordie prosequaris, et si forte hujusmodi concordia infra quatuor menses post receptionem presentium inter eos provenire non poterit, Universitatem et magistrum Nicolaum prefatos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, super hiis ordinationem vel mandatum aliud seu provisionem aut quamlibet dispositionem aliam recepturi ac facturi alias super hiis quod justitia suadebit. Et quanto per hoc universali ecclesie utiliores fructus proventuros percepimus, tanto circa premissa studiosius cogitantes ordinamus de ipsorum fratrum consilio quod dictus magister Nicolaus suique successores cancellarii qui pro tempore fuerint ad dicte Universitatis congregationes cum pene comminatione vel

quavis adjectione aliquatenus non vocentur, sed cum reverentia invitentur et precibus juxta consuetudinem supradictam, et quod dicta Universitas nullum processum attemptet contra cancellarium eundem, nullasque licentias regendi concedat. Et dictus cancellarius ac successores ipsius ecclesie Parisiensis cancellarii sua jurisdictione suoque officio utantur libere prout consuetum est hactenus, donec in hac parte per sedem eandem aliud ordinatum extiterit vel provisum. Nos enim si secus attemptatum extiterit, processus et licentias hujusmodi ex nunc irritos decernimus et inanes. Intendimus quoque quod per premissa vel eorum aliquod privilegiis partium vel Parisiensis ecclesie nullum prejudicium generetur, sed nichilominus privilegia ipsa in sua remaneant firmitate. Diem vero citationis et formam et quicquid inde duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Dat. Rome apud Sanctam Sabinam kal. Februarii, anno primo.

Reg. Vat. Honorii IV. an. 1, ep. 263, fol. 72b. — Bibl. Phillipps in Cheltenham, ms. 876, fol. 26, ubi praecedit : Universis presentes litteras inspecturis cancellarius Parisiensis salutem in Domino. Noveritis nos litteras domini pape inferius annotatas vidisse in hec verba : « Honorius », *etc.* In fine legitur : « Transcriptum hujusmodi litterarum fieri fecimus sub sigillo nostro anno Domini milles. CC° nonagesimo, die jovis post Natale Domini ». In Cod. Vat. Reg. 406, fol. 75, occurrit tantummodo initium litterarum Honorii.— Prou, *Les Registres d'Honorius IV*, n° 267.

1. Cf. supra n° 515. — 2. Cf. ibid. p. 618. — 3. Procuratoris articuli continentur in documento n° 515. — 4. I. e. *litteras minutas.* Cf. supra n° 516. — 5. Praecipue suspensionis lectionum. Cf. supra n° 515, p. 620. — 6. Utique Ferrandum, fratrem regis Aragonum, de quo supra n° 503 et p. 617. — 7. Cf. de hoc supra n° 516. — 8. Vide supra n° 516. — 9. An. 1285, Martii 28. — 10. I. e. decisiones papae exstabant tantum in litteris *minutis*, non in *authenticis bullatis*.

---

529. *Magister Eustacius de Grandicuria, vices gerens episcopi Silvanectensis, conservatoris privilegiorum Universitatis Parisiens., P. scholari Parisiensi patrocinium impendit.*

Magister Eustacius de Grandicuria, archidiaconus de Coha. in ecclesia Ebroicensi, vicesgerens reverendi in Christo patris dom. Silvanectensis episcopi, conservatoris privilegiorum universitati magistrorum et scolarium Parisiensium a sede apostolica indultorum omnibus *etc.* salutem et mandatis apostolicis firmiter obedire. Cum ad reprimendam perversorum maliciam et vitam pie vivencium confovendam pia consideracione sedes apostolica disposuerit providere, ne magistri et scolares Parisius studentes permittantur ab aliquo extra civitatem Parisiensem per litteras apostolicas aut legatorum ejusdem apostolice sedis nullam de dicto privilegio facientes mencionem in causam trahi, citari, vexari, molestari, seu ad judicium evocari, ut sic eo liberius litterarum studio vacare valeant, quo minus fuerint aliis occupati : sane sua nobis P. scolaris Parisiensis gravi ac querulosa conquestione monstravit, quod viri « tales » venerabiles et discreti decanus et capitulum ipsum scolarem coram se extra civitatem Parisiensem per litteras apostolicas aut legatorum ejusdem apostolice sedis, nullam mencionem de dicto privilegio facientes, in nostre jurisdictionis prejudicium, elusionem et contemptum prefatique scolaris dampnum non modicum et gravamen ac contra dictorum privilegiorum tenorem

temere veniendo, ad instanciam et procuracionem Johannis in causam trahere, citare, vexare, molestare et ad judicium evocare non formidant, propter que ipsius scolaris studium multipliciter impeditur. Quocirca dictus scolaris, asserens, premissa adeo esse pro facti et rei evidencia notoria et manifesta, quod nulla possunt tergiversacione celari, quod offert se dictus scolaris si necesse fuerit coram nobis legittime probaturum, nobis humiliter supplicavit, ut nos super premissis ex nostri officii debito sibi subvenire congrue dignaremur. Cujus siquidem scolaris juste supplicacioni annuentes vobis omnibus et singulis in virtute sancte obediencie sub pena suspensionis et excommunicacionis, quam vel quas in vos feremus, si presens mandatum nostrum neglexeritis adimplere, districte precipiendo mandamus quatinus ad hoc mandatum exequendum alter vestrum alterum non expectans moneatis diligenter ex parte nostra predictos, ut ipsi incontinenti post monicionem vestram sibi factam a prefati scolaris extra civitatem Parisiensem in causam traccione, citacione, vexacione, molestacione et ad judicium evocacione predictis cessent penitus et desistant, et si quid contra dictum scolarem per eos fuerit attemptatum, illud revocent indilate et denuncient nullum esse, non tenere nec ab inicio tenuisse. Premissaque fieri faciat et fieri procuret dictus J. suis sumptibus et expensis. Et super cessacione, revocacione et denunciacione premissis nos reddant per suas patentes litteras certiores, nobis per latorem presencium destinandas. Ad que omnia et singula facienda petit dictus scolaris predictos sibi per nos condempnari et compelli, alioquin ipsos, quos in hiis scriptis propter hoc excommunicamus, excommunicatos a nobis palam et publice nuncietis, nisi causam allegaverint efficacem, quare ad hoc minime teneantur. Quam si pretenderint, citetis eos peremptorie coram nobis Parisius vel coram dictas vices tunc gerente ad « talem » diem dictam causam allegaturos, ostensuros et si necesse fuerit probaturos, nobisque ex officio nostro vel illi tunc dictas vices gerenti ad obicienda et dicto scolari super suis dampnis, expensis et interesse quod justum fuerit responsuros. Inhibentes nichilominus predictis sub pena canonica, ne die et lite pendentibus coram nobis aliquid contra dictum scolarem in nostre jurisdiccionis prejudicium attemptent, innovent aut inmutent, attemptari, innovari aut inmutari faciant seu fieri procurent. Et quid inde feceritis, nobis fideliter rescribatis, non obstante quod dictorum privilegiorum conservacionem et commissionem nobis factam vobis non mittimus, quia non consuevimus nec audemus propter viarum pericula, locorum distanciam et discrimina; sed partibus coram nobis presentibus de eis, si necesse fuerit, copiam faciemus. Datum, *etc.*

Liber practicus de consuet. Remensi in Bibl. Remensi ms. H. 648/639, fol. 22[b], n° 218, ubi titulus : Monicio *nisi causam* pro scolaribus Parisiensibus ». — Varin, *Arch. législat. de la ville de Reims*, 1[re] part., Coutumes, p. 279, n° 363. Ad haec vide supra n° 208, nota. Quo tempore haec charta scripta sit non facile est dictu. Forte tamen adhuc aetate, qua hoc volumen finem sumit.

530. *Librorum theologiae et philosophiae et juris pretium ab Universitate Parisiensi taxatum quod debent habere librarii pro exemplari commodato scholaribus.*

Originalia beati Gregorii super Job, continent c pecias. . . . viij sol.

Item, liber Omeliarum beati Gregorii, xxviij pecias . . . . . xviij den.

Item, liber Objectionum magistri Andree contra Judeos de nostro Emanuele[1], continet xvj pecias. . . . . xvj den.

Item, liber Isidori de Summo bono, et liber Contemplationum Richardi S. Victoris, continent xxiiij pecias. . . . . xij den.

Item, liber de Sacramentis Hugonis de S. Victore, continet xl pecias . . . . iij sol.

Item, liber Radulphi de S. Victore[2] super Leviticum, continet xliij pecias. . . . . iij sol.

Item, originalia S. Bernardi, scilicet libri de Consideratione, de xij gradibus humilitatis; de Gradibus superbie; de Laudibus Virginis matris omelie[3]; ejusdem libellus missus archiepiscopo Senonensi; de Disciplina monachorum; epistola missa fratribus de Monte Dei, continent xvij pecias. . . . . ij sol.

Item, liber beati Bernardi de Diligendo Deum; et de Meditationibus; de Gratia et libero arbitrio; de Precepto et dispensatione, continent xiiij pecias. . . . . xij den.

Item, Floreber[4], continet xl pecias. . . . . xx den.

Originalia Anselmi, de Veritate; de Libertate arbitrii; de Casu diaboli; Cur Deus homo; de Conceptu virginali; de Processione Spiritus Sancti; de Predestinatione, gratia et libero arbitrio; de Monologio, continent xl pecias. . . . . ij sol.

Item, de Incarnatione Verbi; de Similitudinibus et dissimilitudinibus; continet xij pecias. . . . . vj den.

Item, liber de Proprietatibus rerum[5], continet c et ij pecias. . . iiij sol.

Item, de Sacramentis[6]. . . . . ij sol.

Item, de Naturis rerum[7], continet xlj pecias. . . . . xviij den.

Item, de Ortu scientiarum[8], continet xviij pecias. . . . . . ix den.

Item, de Principiis nature magistri Johannis de Siccavilla[9], continet xiiij pecias. . . . . vij den.

Item, Commentum Alexandri super librum Metheororum, et Phisiognomia Aristotelis, continent xviiij pecias. . . . . ix den.

Item, Commentum Simplicii super librum Predicamentorum, continet xxxiiij pecias. xviij den.

Item, Commentum super lib. Peryarmenias, continet xviij pecias.	ix den.
Item, Commentum Themistii super librum de Anima, x pecias. .	vj den.
Item, Summa fratris Remundi[10], cum Apparatu.	iij sol.
Item, Summa magistri Lumbardi[11].	iij sol.
Item, Concordancie de Valle Lucenti[12], c pecias et viij. . . .	vj sol.
Item, pro Historiis scolasticis[13].	iij sol.

Ista sunt exemplaria super theologiam.

Originalia beati Augustini. Primo, liber Enchiridion, continet vj pecias	iiij den.
Item, liber de Trinitate Augustini, xlviij pecias.	iij sol.
Item, liber Confessionum Augustini, xxj pecias.	xiiij den.
Item, liber de Doctrina christiana, et de Disciplina christiana, continet xv pecias.	viij den.
Item, liber de Conflictu viciorum Augustini, ij pecias.	ij den.
Item, liber Retractacionum Augustini, vj pecias.	vj den.
Item, super Genesim ad litteram Augustini; et Ecclesiasticorum dogmatum[14]; et de Fide ad Petrum, xxxvj pecias.	xviij den.
Item, liber Augustini de Libero arbitrio; et contra Faustum; et de Divinatione demonum, continent xxxviij pecias.	xviij den.
Item, de Consensu Evangelistarum; de Questionibus veteris et novi Testamenti; item, liber Augustini de Achademicis sive contra; et de Beata vita; de Ordine; de Soliloquiis[15]; de Immortalitate anime; de Moribus ecclesie; de Moribus Manicheorum; de Quantitate anime, xxiiij pecias.	ij sol.
Item, liber Augustini de Bono conjugali; et de Sancta virginitate; et de Professione sancte viduitatis; et Contra quinque hereses; et ad Orosium, x pecias.	xij den.
Item, de Utilitate credendi; de Gratia novi Testamenti; de Natura boni, viij pecias.	vj den.
Item, liber Augustini de Quinque responsionibus contra Pelagianos, continet vj pecias.	iij den.
Item, liber Augustini de Nuptiis et concupiscentia; et de Adulterio conjugii, viij pecias.	vij den.
Item, liber Omeliarum Augustini; de Penitentia; ix pecias. . .	vj den.
Item, liber Epistolarum Augustini; xlij pecias.	ij sol.
Textus librorum.	ij sol.
Item, liber Dyonisii[16] cum commentis.	vj sol.

Hec sunt scripta fratris Thome de Aquino.

Supra textum Sententiarum, super primum librum, xxxvij pecias.	ij sol.
Super secundum, xlvij pecias.	ij sol.
Super tertium, l pecias.	ij sol.
Super quartum, lxxxj pecias.	iiij sol.
Item, Matheus glosatus per fratrem Thomam de Aquino, lvij pecias.	iij sol.
Item, Marchus, xx pecias.	xvj den.
Item, Lucas, xl pecias.	ij sol.
Summa fratris Thome de Aquino super theologiam, continet in primo libro lvj pecias.	iij sol.
Item, in prima parte secundi libri predicte Summe sunt lx pecie.	iij sol.
Item, in secunda parte secundi libri[17] sunt lxxxij pecie.	iiij sol.
Item, Questiones fratris Thome de Veritate, continent lxvj pecias.	iij sol.
Item, Questiones de Potentia Dei, xxviij pecias.	xiiij den.
Item, de Spiritualibus creaturis, v pecias.	iij den.
Item, Questiones de Anima, et de Virtutibus, xxiiij pecias.	xij den.
Item, Questiones de Malo, xxviij pecias.	xiiij den.
Item, Questiones de Quolibet, xiiij pecias.	vij den.
Summa fratris Thome contra Gentiles, continet lvij pecias.	iij sol.
Item, de Perfectione status, vij pecias.	iiij den.
Item, Postille ejusdem super Johannem, continent pecias xlj.	xx den.

Hec sunt scripta fratris Petri de Tarentasia.

Super textum Sententiarum, super primum librum, sunt pecie xxxiij.	xviij den.
Super secundum, xxxv[18] pecie.	xix den.
Super tertium, xxxvj pecie.	xx den.
Super quartum, xlviij pecie.	xxvij den.
Item, Postille fratris Petri super Epistolas Pauli, continent lxx pecias.	iij sol. et vj den.
Item, Postille predicti super Lucam, xxxij pecias.	xviij den.

Item, hec sunt litteralia fratris Roberti de Kyleverdeky[19] super Sententias Petri, xliiij pecias.	xxij den.
Item, Postille fratris Guillermi de Altona[20] super Matheum, pecias xxvij.	xvj den.
Item, Postille ejusdem super Isaïam, pecias xxvj.	xvj den.

Item, Postille fratris Guillermi de Milddittone[11] super Psalterium, continent pecias lxxxxvj . . . . . iiij sol.

Item, Postille ejusdem super xij Prophetas, lxj pecias . . . . . iiij sol. et vj den.

Item, Postille ejusdem super Marchum, continent pecias lj . . . . iij sol.

Item, super Ecclesiasticum, pecias lviij . . . . . iij sol. et vj den.

Item, Postille ejusdem super Job, continent lj pecias . . . . . iij sol. et vj den.

Hec sunt scripta fratris Bonaventure[12], *de Ordine fratrum Minorum, scilicet :*

Postille super Lucam, continent pecias lxxiij . . . . . iij sol.

Item, Postille ejusdem super Ecclesiasten, xij pecias . . . . . vj den.

Item, Postille super Canticum Canticorum, xiij pecias . . . . . viij den.

Item, Postille super librum Proverbiorum, continent pecias xxxvij. xx den.

Item, Postille super Canticum Canticorum, xv pecias . . . . . viij den.

Item, Postille super librum Sapientie, x pecias . . . . . vj den.

Item, Postille super Apocalypsim, xxiij pecias . . . . . xv den.

Item, Postille super Epistolas canonicas, xv pecias . . . . . viij den.

Item, super Sententias, pro primo [libro] . . . . . ij sol.

Pro secundo . . . . . iiij sol.

Pro tertio . . . . . ij sol.

Pro quarto . . . . . ij sol.

Pro textu Biblie . . . . . v sol.

Pro quinque libris Moysis glosatis . . . . . v sol.

Item, pro libris historialibus omnibus . . . . . v sol.

Pro Job . . . . . ij sol.

Pro Psalterio glosato . . . . . iiij sol.

Pro libris Salomonis . . . . . ij sol.

Pro xvj Prophetis . . . . . v sol.

Pro Evangeliis cum antiqua glosa . . . . . iiij sol.

Pro Epistolis Pauli . . . . . iiij sol.

Pro Actibus Apostolorum, Epistolis canonicis et Apocalypsi . . . ij sol.

Item, Sermones fratris Guillermi Lugdunensis[13] de dominicis, super epistolas, lxv pecias . . . . . ij sol. et vj den.

Item, Sermones ejus de Sanctis, lxix pecias . . . . . ij sol. et vj den.

Sermones fratris Thome Britonis[14] de dominicis, tam de epistolis quam de evangeliis, lxj pecias, scilicet *Abiciamus* . . . . . ij sol.

Item, Sermones ejusdem *Precinxisti*, scilicet Commune Sanctorum, xlvij pecias . . . . . xx den.

Item, Sermones *Abiciamus* de Mali[25] de dominicis, continent pecias xlix.	xx den.
Item, Sermones ejusdem de festis, scilicet a festo S. Andree apostoli usque ad Annunciationem dominicam[26], xvij pecias. . . .	viij den.
Item, Sermones fratris Petri de Sancto Benedicto[27], scilicet *Desideratus*, de dominicis, continent pecias xxiiij.	xij den.
Item, Sermones ejusdem de festis, scilicet *Suspendium*[28], xxj pecias.	viij den.
Item, Commune Sanctorum, scilicet *Nimis honorati sunt*, xx pecias	viij den.
Item, Sermones Alleabatensis[29] de dominicis.	
Item, Sermones dicti *Legifer* tam de dominicis quam de festis, pecias xxxv	xviij den
Item, Sermones provinciales de Tussia, qui incipiunt *Sapientia Sanctorum*, continent pecias xxxij	xv den.
Item, Nova legenda omnium Sanctorum[30], continet pecias lxxxx.	iij sol.
Item, Sermones Biardi[31], de dominicis, continent lj pecias. . .	xviij den.
Item, Sermones ejusdem de festis, xviij pecias	vj den.
Item, Distinctiones Mauricii[32], continent pecias lxxxiiij. . . .	iij sol.

Hec est taxatio exemplarium :

Pro textu Decretalium[33]	iiij sol.
Pro Apparatu Decretalium[34].	v sol.
Pro textu Decreti[35].	v sol.
Pro Apparatu Decretorum[36].	vj sol.
Pro Summa Goffredi[37].	ij sol.
Pro Summa Hugonis[38].	viij sol.
Pro Summa magistri Petri Salviensis[39]	v sol.
Pro Apparatu Innocentii[40].	x sol.
Pro Casibus Bartholomei[41].	ij sol. et vj den.
Pro Casibus Bernardi[42].	ij sol. et vj den.
Pro Summa Remundi cum Apparatu[43].	iiij sol.
Pro libellis Ranfredi[44] in jure canonico et in jure civili. . . .	v sol.
Pro Repertorio[45].	ij sol.
Pro Copiosa[46].	x sol.
Pro Apparatu Hostiensis[47].	xxx sol.
Pro Margarita ipsius[48].	xij den.
Pro textu ff. veteris[49].	vj sol.
Pro Apparatu ff[50].	v sol.

Pro textu ff. novi[51]	iiij sol.
Pro Apparatu[52]	iiij sol.
Pro textu Infortiati[53]	iiij sol.
Pro Apparatu[54]	iiij sol.
Pro textu Parvi voluminis[55]	iiij sol.
Pro Apparatu[56]	iiij sol.
Pro textu Codicis[57]	v sol.
Pro Apparatu[58]	v sol.

Cod. Vat. Reg. 406, fol. 64. — Mus. Britann., addit. ms. 17304, fol. 64 b. Bibl. imperial. Vindob., cod. lat. 7219, p. 491. Deest in cod. Cheltenh. Jourdain, nº 356. Codice Britann. seu *Libro rectoris* jam Bulaeus usus est. In mss. allatis haec taxatio, quae temporis nota caret, aliam anni 1303 (1304) praecedit. Minime tamen ambae ad eamdem aetatem pertinent. Priorem infra annos 1275 et 1286 esse factam ex hoc apparet, quod in ea libri post dictos annos compositi non afferantur. Scimus praeterea ex documento supra nº 462 relato, Universitatem Parisiensem jam an. 1275 exemplaria taxasse, i. e. pretium designasse, quod librarii pro exemplari magistris et scholaribus commodato recipere possent. Bononiae similiter hoc jam saec. XIII fiebat, quamvis tabula librorum taxatorum, quam Denifle in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. des Mittelalt.*, III, 298, ex antiquo ms. denuo edidit, tantummodo ad saec. XIV pertineat. Bononiae pretium erat multo carius, immo et in tabula taxationis Paris. an. 1303 (1304), valore monetarum sub Philippo IV mutato Bononiae quaterniones numerantur, Parisiis petiae, quarum quaelibet hic, si exemplaria Parisiis an. 1303 taxata cum eisdem Bononiae allatis comparamus, dimidium quaternionem designare videtur, quod probabilius etiam fit si codicum exempli gratia S. Thomae de Aquino saec. XIII scriptorum normam habemus, in quibus numerus quaternionum dimidiorum, generatim loquendo, concordat cum numeris in documento nostro relatis. Caeterum quantum ad designationem petiae secundum usum Bononiensem et Paduanum cf. Savigny, *Gesch. des Röm. Rechts*, III, 580, et *Archiv*, etc., l. c., p. 295, nota ultima. In sequentibus ad auctores et libros tantum minus notos pauca verba faciemus.

1. Richardus de S. Victore, *De Emmanuele* (Migne, CXCVI, 601), in prologo mentionem facit magistri Andreae, qui Isaiae explanationem scripserat, in qua minus caute saepe Judaeorum objectiones ponit, nec tamen solvit, sic praecipue super *Ecce virgo concipiet* (c. 7). Richardus exscribit post prologum quasi pro sui operis introductione : *Objectiones magistri Andreae secundum quod Judaei solent nobis opponere de nostro Emanuele.* Exemplar Richardi supra laudatum sic incipiebat, sicut et in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 125, fol. 81. — 2. Perperam hic dicitur « de S. Victore », cum debeat scribi « de S. Geremaro ». Designatur enim Radulphus Flaviacensis monachus (St. Germer de Flaix), saec. XII, cujus opus super Leviticum multum erat divulgatum. Exstat separatim v. g. in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 377-383. Ed. in *Bibl. max. Patrum*, XVII, 47-246. — 3. Vat. Reg. : « de Omelia ». Designantur Homiliae de laudibus Virginis Mariae, sive Homiliae super *Missus est.* Libellus alter supra laudatus est Bernardi De moribus et officio episcoporum tractatus. — 4. Flore. Ber.? i. e. Flores Bernardi ex ejus operibus, qui in mss. saepe occurrunt. — 5. Bartholomaei Anglici, Ord. Min. Cf. Sbaralea, *Supplem. ad Script. Ord. Min.*, p. 115. Delisle in *Hist. litt. de la France*, XXX, 353 sqq. — 6. Divinari non possumus cujusnam auctoris, cum multi hujusmodi tractatus tunc temporis compositi fuerint. — 7. Alexandri Neckam. Cf. editionem curante Th. Wright. — 8. Roberti Kilwardby, Ord. Praed., archiepiscopi Cantuariensis. Mss. Oxoniae, Merton Coll., nº 261, fol. 19. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15449; 16390. — 9. Exstat in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 6552, fol. 1. Oxoniae, Merton Coll., ms. 292, fol. 70. Magister Johannes de Siccavilla, Anglicus, teste Mattheo Paris., *Chron.* V, 599, an. 1256 fuit rector Universitatis, et cum magistris supra nº 280 nominatis et magistro Johanne Belin contra Praedicatores ad curiam Romanam venit. — 10. I. e. Raimundi de Peñafort. Apparatum ad ejus Summam scripsit Guillelmus Redonensis. Cf. Schulte, *Die Geschichte der Quellen u. Litteratur des can. Rechts*, II, 413. — 11. I. e. *Sententiae* Petri Lombardi. — 12. Hic designatur quoddam exemplar Concordanciarum Bibliae, quod olim pertinuit ad abbatiam Vallis Lucentis (Vauluisant), Ord. Cisterc. Verisimiliter in principio vel in fine voluminis similis nota sicut in ms. lat., nouv. acq., 1374 (Bibl. nat. Paris.) fol. 109b et 110 legebatur : Iste liber est (ecclesie) beate Mariae Vallis Lucentis in archiepiscopatu Senonensi. — 13. Petri Comestoris. — 14. Gennadii; sequens est Fulgentii. — 15. Ubique : « Solsequiis ». — 16. Pseudo-Areopagitae. — 17. Tertia Summae pars, quam Thomas imperfectam reliquit, ubique omittitur. Forte tunc temporis non erat adhuc multum divulgata. — 18. Ubique : « xxv ». — 19. I. e. Roberti Kilwardby, O. Praed., archiepiscopi Cantuariensis. — 20. Ord. Praed. — 21. Guillelmi de Melitona seu de Melton, Ord. Min. Cf. supra nº 286. — 22. In Cod. Vat. et Britann. scribitur : « Bone Fortune », ut et alibi quandoque in mss. legitur. — 23. I. e. Guillelmi Peraldi, Ord. Praed. Ejus sermones de epistolis exstant in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16472. Vide praeterea Lecoy de la Marche, *La chaire française*, 2 ed., p. 130, 511. — 24. Forte est ille, qui apud Sbaralea, *Script. Ord. Min.*, p. 672, laudatur, et ad aetatem posteriorem refertur. — 25. I. e. Guillelmi de Malliaco, Ord. Praed. Ejus sermones de domi-

nicis, qui incipiunt *Abiciamus*, exstant in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 15956, fol. 1; 16474, fol. 1; 16475, fol. 1, ubi fol. 226[b]: Expliciunt sermones fratris Guillermi de Malig. de dominicis. De auctore vide Quétif-Echard, I, 483, *Hist. litt.*, XXVI, 452, et Lecoy de la Marche, p. 511. — 26. Supersunt in mss. citatis fol. 159[b]; 311[b]; fol. 227. Incipiunt : *Suspendium*. Ms. lat. 15953, fol. 24[b] desinit : *Explicit Suspendium de Maylly*. — 27. Iste auctor nobis ignotus est. Habemus tantum de fratre Johanne de Sancto Benedicto, Ord. Praed., notitiam, cujus quidam sermones exstant. Cf. supra n° 510, n. 10. — 28. Sic sermones Guillelmi de Malliaco incipiunt. Vide n. 26. — 29. Hunc articulum et duos sequentes explicare nequimus. — 30. Utique Jacobi de Voragine, Ord. Praed. — 31. I. e. Nicolai Biard, Ord. Praed. De ejus sermonibus vide Lecoy de la Marche, l. c., p. 523. — 32. Ord. Praed. Vide Lecoy de la Marche, l. c., p. 520. — 33. Bononiae : x sol. — 34. Glossa ord. Bernardi Parm. Bon. xviij sol. — 35. Bon. xxj sol. — 36. Glossa ord. Bartholomaei Brixiensis. Bon. xvj sol. — 37. Bon. vij sol. — 38. I. e. Huguccionis super Decretum. Bon. xx sol. — 39. Potius : Salinensis. In rotulo taxat. Paris. an. 1303 (1304) : « Item in Lectura Petri de Salinis super Decretum, cj pecias, vj sol. ». In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3917 exstat hoc opus (in fine, fol. 305, manu saec. XIV-XV adjungitur : « opus Petri de Salinis »). Incipit : « In nomine Trinitatis. In hoc principio circa tria principaliter laborabo. Primo in invocatione nominis Jhesu Christi. Secundo in commendatione istius scientie, cujus professor sum », *etc.* — 40. Bon. xij sol. — 41. In rotulo taxat. Bonon. designantur : « Casus decreti, sunt xx quaterni, ix sol. ». Sunt Bartholomaei Brixiensis. Schulte, l. c., p. 84. — 42. Bon. « casus decretalium, sunt xvj quaterni, vij sol. ». Utique *Casus longi* Bernardi Parmensis, qui magis in usu erant, quam Casus (imperfecti relicti) Bernardi Compostellani. Schulte, p. 115, 118. — 43. Vide supra n. 10. — 44. I. e. Roffredi Epiphanii. In rotulo taxat. Bonon. ejus libelli in jure canonico (iij sol.) et civili (xiiij) separantur. — 45. Guillelmi Durantis. Bon. iiij sol. — 46. Summa scilicet Henrici Hostiensis super titulis decretalium. Bon. xx sol. In taxatione Paris. an. 1303 « Copiosa », sicut Bononiae Summa, proxime sequitur Lecturam Hostiensis. — 47. Bon. l sol. — 48. Non Hostiensis, sed praeprimis Bernardi Compostellani (Schulte, l. c., p. 118), quae in rotulo etiam taxat. Bonon. xij den. venit. — 49. I. e. Digesti veteris. Bon. viij sol. — 50. I. e. Glossa ordinaria, sicut et in sequentibus. Bon. xvij sol. — 51. Digesti novi. Bon. vij sol. — 52. Bon. xvj sol. — 53. Bon. : « Textus Inforciati cum tribus partibus ... xvij sol. » — 54. Bon. xv sol. — 55. *Parvum volumen* seu *Volumen* vocabatur quintus liber *Corporis Juris*, continens *Instituta*, *Authent.*, *Usus feud.* et tres ultimos libros *Codicis*. — 56. Bononiae Apparatus ad singulos libros *Voluminis* annotantur. — 57. Bon. xvij sol. — 58. Bon. xv sol.

TABULA

Nus.	ANNUS.	MENSIS.	TITULUS.	PAG.
			PARS INTRODUCTORIA.	
1	1163	Maii 19	Alexander III statuit in Concilio Turonensi, ut nullus omnino post votum religionis et post factum in aliquo religioso loco professionem ad physicam legesve mundanas legendas permittatur exire.	3
2	1164	Julii 26	Alexander III Hugoni episcopo Suessionensi Rain. archidiaconum Sarisberiensem Parisiis operam studiis daturum commendat.	3
3	1170	Maii 28	Alexander III Willelmo archiepiscopo Senonensi praeceptum renovat, ut suffraganeis Parisios convocatis Petri Lombardi quondam episcopi Parisiensis falsam sententiam de Christo homine tollendam curet, et veram ibidem a magistris et scholaribus edoceri.	4
4	1170-1172	Octobris 20	Alexander III episcopis per regnum Francorum constitutis praecipit, ne in eorum ecclesiis pro licentia docendi pecunia exigatur, etiamsi haec vigeat consuetudo.	4
5	—	Novembris 8	Alexander III Petro abbati S. Remigii et Fulconi decano Remensi mandat, dure puniant J. presbyterum de burgo S. Remigii, qui cum in die dominica coram clericis et laicis choreas duceret, a scolaribus increpatus eos male tractaverit et in ipsos excommunicationis sententiam promulgaverit, qui tamen per hoc plurimum libertatem suam fuisse laesam proponunt, cum nullus in eos violentas manus injicere aut excommunicationis sententiam possit promulgare, donec coram magistro suo velint justitiae stare.	5
6	1174	Octobris 28	Alexander III decano et capitulo Parisiensi concedit, ut beneficia Roberto de Beelei et magistro Mainerio concessa post horum obitum recipiant.	6
7	—	— 28	Alexander III ecclesiae Parisiensi libertates et rationabiles consuetudines confirmat. Item de praebenda S. Genovefae in ecclesia Parisiensi, quae concessa fuit magistro Mainerio.	7
8	—	— 29	Alexander III Petro cardinali S. Chrysogoni, apostolicae sedis legato, mandat ut cum aliis super scholarum regimine Parisiensium provideat, ita quod personam magistri Petri cancellarii Parisiensis non excedat, quod exinde fecerit.	8
9	1177	Februarii 18	Alexander III Guillelmo archiepiscopo Remensi mandat ut convocatis magistris scholarum Parisiensium et Remensium, etc., interdicat, ne quis dicere audeat, Christum non esse aliquid secundum quod homo.	8
10	1178	— 7	Alexander III magistro Gerardo Pucellae, ut usque ad quadriennium si scholas rexerit redditus, quos habet in Anglia, libere ei et sine diminutione reddantur in scholis, nec cogatur infra terminum ipsum scholas, nisi casu necessitatis, dimittere.	9
11	—	Martii 15	Alexander III magistro Gerardo Pucellae redditus ab ipso schismatis tempore sponte dimissos restituit.	9

12	1179	Martii 19	Alexander III statuit in Concilio Lateranensi III, ut quaelibet ecclesia cathedralis praebere debeat beneficium magistro, qui clericos ejusdem ecclesiae et alios pauperes gratis doceat, et si quis vendiderit licentiam docendi, aut interdixerit docere, beneficio privetur.	10
13	1180	....	Alexander III monet quoddam capitulum, praebendam per biennium concedat canonico Theobaldo, ad hoc ut in scholis theologiae gratia commorari possit.	10
14	1186-1187	Julii 22	Urbanus III domui S. Thomae de Lupara Parisiensi asserit possessiones a Roberto I comite Drocensi de uxoris suae Agnetis et filiorum suorum conniventia assignatas.	11
15	1191-1198	....	Coelestinus III mandat ut causae saeculares clericorum Parisiis commorantium jure canonico decidantur.	12
16	1198	Aprilis 29	Innocentius III Odoni episcopo, cantori, et magistro Petro de Corbolio Parisiensi canonico praecipit, ut Stephanum episc. Tornacensem excommunicationis sententia feriant, si Bernardo de Insula renuerit concedere praebendam, quae ei Parisiis, etiam consilio magistrorum, adjudicata fuit.	12
17	—	Decembris 17	Innocentius III decano et capitulo Eboracensi praecipit, ut magistrum Petrum de Corbolio, a quo (Parisiis) divinarum paginam scripturarum audivit, ad praebendam et archidiaconatum admittant.	14
18	—	....	Robertus II comes Drocensis et Iolendis uxor ejus canonicis S. Thomae de Lupara possessiones et redditus ad sustentationem quatuor canonicorum a patre Roberto I assignatos novis additis sub certis conditionibus asserunt.	15
19	1164	....	Johannes Saresberiensis scribit Thomae Cantuariensi archiepiscopo de ejus adventu Parisiis, ubi admiratur reverentiam cleri et varias occupationes philosophantium, et studet se omnino scholaribus conformare.	16
20	1167	Septembri	Johannis Saresberiensis epistola ad Petrum scriptorem, in qua inter alia refert, Franciam, omnium mitissimam et civilissimam nationem, alienigenas scholares abegisse.	20
21	1169	Novembri	Thomas Becket, archiepiscopus Cantuariensis, scribit Willelmo Senonensi archiepiscopo de lite inter ipsum et Henricum II Angliae, ad quam dirimendam rex paratus se monstravit stare judicio regis Francorum, vel ecclesiae gallicanae, aut scholarium Parisiensium.	21
22	1164	....	Petrus Cellensis ad Johannem Saresberiensem de periculis animas Parisiis circumstantibus et de vera schola veritatis.	24
23	1173-1179	....	Petrus Cellensis Petro cardinali S. Chrysogoni magistrum Crispinum Parisienses scholas aditurum commendat.	24
24	1160	....	Petrus Blesensis Jocelinum episcopum Saresberiensem monet ut debitum annuum per nepotes suos, quos ipsi Parisios erudiendos mittere promiserat, solvatur. De educatione juvenum.	25
25	—	....	Petrus Blesensis R. archidiacono Nannetensi exponit de ingenio nepotum duorum suae institutioni commissorum, simulque docet nonnisi jactis probe fundamentis grammaticos ad sublimiora studia progrediendum.	27
26	—	....	Petrus Blesensis invehitur in quemdam discipulum suum, qui cursu liberalium artium confecto non ante cogitabat theologiae operam dare, quam per biennium in otio consumpsisset.	29
27	—	....	Petrus Blesensis cuidam socio scribit se, deserto juris civilis studio, theologiae Parisiis operam dare; juris civilis studium et usum propter maximos advocatorum abusus non convenire clericis.	32
28	1175	....	Petrus Blesensis scribit magistro Ernaldo, se emisse Parisiis libros legum pretio numerato sed non abstulisse, quos tamen alius majori pretio numerato abstulerit. Arguit libros illos, licet sibi traditi non sint, ab alio emi non potuisse.	33

29	1175	....	Petrus Blesensis amico duas quaestiones proponenti respondit eum debuisse interrogare Parisios, ubi difficilium quaestionum nodi intricatissimi resolvuntur.	35
30	1196	....	Petrus Blesensis ad Thomam Glocestriae abbatem. Odonem de Sully in episcopum Parisiensem ex cantore Bituricensi electum, qui Parisiis scholas frequentabat, laudibus extollit.	35
31	1164	Januarii 4	Senatores Romae commendant Ludovico VII regi Francorum civem Romanum Johannem Felicis Parisiis studiorum causa degentem.	37
32	—	....	Jordanus Petri Leonis consul Romanorum eundem Johannem Felicis Ludovico VII commendat.	37
33	—	....	Aliqui consules Romanorum commendant Ludovico regi Francorum quemdam Romanum Parisiis studii causa moraturum.	38
34	1162-1167	....	Wido Mainfredi et Manfredus commendant Ludovico regi Francorum clericum quemdam litteratum Parisios quasi ad catholicae fidei arcem festinantem.	38
35	1162	....	Quidam lantgravius mittit ad Ludovicum Parisios duos filios, quos litteras discere proposuit.	39
36	1162-1173	....	Garinus prior S. Albani Richardo de S. Victore suum fratrem Matthaeum commendat.	39
37	—	....	Garinus prior S. Albani gratias agit Richardo de S. Victore ob servitia fratri suo Matthaeo in partibus Paris. amore scientiae peregrinanti praestita.	40
38	—	....	Idem ad eundem circa idem negotium.	40
39	1155-1164	....	Gratianus Petri Leonis Romanorum consul abbati S. Victoris gratias agit ob favorem suo fratri Hugoni Placentino episcopo praestitum.	41
40	1154-1174	....	Odo cardinalis abbatissae S. Mariae Suessionensis nepotem papae Anastasii IV defuncti Parisiis in scholis morantem commendat.	41
41	1178-1192	....	Stephanus Tornacensis scribit Absaloni archiepiscopo Lundensi de Petro suo, qui in monte S. Genovefae in sacra pagina studet.	42
42	—	....	Stephanus Tornacensis scribit Absaloni archiepiscopo Lundensi, Petrum canonicum S. Genovefae ejus nepotem infirmum esse et beneficio soli natalis forsitan salvari posse. Improbat consilium archiepiscopi, secundum quod ejus nepos vel in monte vel ad Parisienses saecularium scholas mittendus sit.	43
43	—	....	Stephanus Tornacensis ad Absalonem Lundensem archiepiscopum de Petro canonico S. Genovefae ejus nepote, qui in monte S. Genovefae inter scholares simul et claustrales praefulgebat.	44
44	—	....	Stephanus Tornacensis ad Absalonem Lundensem archiepiscopum de nepote Salomone, qui in monte S. Genovefae sic litterarum studiis intendit, ut a virtutum semitis non recedat.	44
45	1176-1192	....	Stephanus Tornacensis commendat Guillelmo Remensi archiepiscopo causam magistri Simonis, viri inter scholares cathedras egregii.	45
46	1191-1192	....	Stephanus Tornacensis ad Guillelmum Remensem archiepiscopum pro celebri magistro Petro Cantore Parisiensi in episcopum Tornacensem electo.	46
47	1192	....	Stephanus, episcopus Tornacensis, in epistola ad Octavianum Ostiensem episcopum excusat abbatem Sancti Germani a Pratis ab omni culpa occasione rixae, quae inter homines S. Germani et scholares mota est, in qua unus scholarium per insaniam rusticorum cecidit.	47
48	1192-1203	....	Stephanus Tornacensis in suis litteris ad papam directis conqueritur ruinam studiorum sacrarum litterarum, juris canonici et artium, et reprehendens professores, correctionis apostolicae manum implorat.	47
49	1176-1192	....	Epistola, qua Godefredus canonicus S. Victoris Paris. scriptum suum *Fons philosophiae* Stephano abbati S. Genovefae dedicat.	48
50	1180	....	Fundatio Collegii scholarium decem et octo seu « des Dix-Huit ».	49

51	....	....	Philippus de Harvengt ad Hergaldum, Parisiis studii causa morantem, civitatem Parisiensem ob cultam ibidem a studiosis scientiam laudibus extollit nuncupatque Cariath Sepher, civitatem litterarum.	50
52	....	....	Philippus de Harvengt ad Richerum. Studium litterarum commendat et Parisios ut Cariath Sepher extollit.	50
53	....	....	Philippus de Harvengt Engelberto scholari Parisiensi scribit, studium litterarum ad interioris hominis spiritualem perfectionem esse referendum, et non Parisiis fuisse, sed Parisiis honestam scientiam acquisisse honestum esse.	53
54	1175-1190	....	Guido de Bazoches cuidam amico epistolam mittit, in qua civitatem Parisiensem describit, adjungens insuper in insula philosophiam, decreta et leges, atque sacram paginam ab antiquo edoceri.	55
55	1160-1196	....	Statutum episcopi Mauritii et capituli Parisiensis ne quis domos claustrales alicui scholari conducat.	56

PARS PRIMA.

1	1200	Julio	Privilegium Philippi Augusti regis Francorum in favorem scholarium Parisiensium. .	59
2	1202	....	Matthaeus de Monte-Morenciaco et Mathildis uxor ejus dant vineam, quae dicebatur clausus Mali vicini, hospitibus ad hostisias faciendas, et componunt cum conventu S. Genovefae.	61
3	1205	Maii 25	Innocentius III ad magistros et scholares Parisienses, ut invitante Graecorum imperatore Constantinopolim eos migrare non pigeat ad reformandum illic litterarum studium.	62
4	—	....	Decretum Odonis episcopi Parisiensis de residentia canonicorum S. Marcelli, et licentia danda canonicis qui studere voluerint.	63
5	1207	Novembris 14	Innocentius III in litteris ad Odonem episcopum Paris. directis numerum magistrorum in theologia Parisiis ad octonarium reducit.	65
6	—	....	Decretum Odonis episcopi et capituli Parisiensis circa residentiam cancellarii.	65
7	1208	....	Constitutiones Gualae Bichieri S. Marine in Porticu diaconi cardinalis et apostol. sedis legati circa magistros et scholares Parisienses.	66
8	1208-1209	....	Innocentius III ad doctores sacrae paginae, decretorum liberaliumque artium Parisiis commorantes de magistro G. communioni magistrorum restituendo.	67
9	1209	Februario	Litterae Petri episcopi, decani capitulique S. Germani Autisiodorensis Parisiensis de fundatione collegii pauperum scholarium S. Honorati.	68
10	1210	Februarii 12	Innocentius III Petro Parisiensi episcopo mandat ut Thomae provisori et fratribus religiosae domus pauperum scholarium S. Thomae de Lupara Paris. licentiam tribuant construendi capellam, ac coemeterium eis benedicat salvo jure parochiali. .	69
11	—	....	Decreta magistri Petri de Corbolio Senonensis archiepiscopi, Parisiensis episcopi atque aliorum episcoporum Parisiis congregatorum super haereticis comburendis et super libris Aristotelis aliorumque.	70
12	—	....	Hae sunt haereses, pro quibus quidam sacerdotes et clerici, sectatores Amalrici, Parisius igne examinati et consumpti sunt.	71
13	—	Maio	Praecepta Philippi regis Francorum ad laicas potestates super modo captionis et retentionis clericorum.	72
14	1212	Januarii 20	Innocentius III ad Hervaeum episcopum, ad decanum et archidiaconum Trecenses, ut Johannem cancellarium Parisiensem censura ecclesiastica compescant, nisi ad meliorem mentem erga scholares redierit.	73

15	1212	Januarii 23	Innocentius III ad Johannem abbatem S. Victoris Parisiensis ne scholares Parisienses, qui alibi quam Parisiis manus injecerint violentas in clericos, absolvere praesumat.	74
16	1213	Augusto	Petrus Parisiensis episcopus refert quomodo ex apostolico mandato sit factum concordamentum inter magistros et scholares Parisienses ex una, et Johannem cancellarium Parisiensem ex alia parte, et puncta singula compositionis enumerat. . . .	75
17	—	. . . .	Johannes de Candelis, cancellarius Parisiensis, ratam habet et promittit servare compositionem factam inter se ex una parte, et magistros et scholares Parisienses ex altera parte.	76
18	—	Novembri	Hervaeus episcopus et decanus Trecenses promulgant documenta, quae concordamentum inter universitatem magistrorum et scholarium ex una, et cancellarium Parisiensem ex alia parte respiciunt.	77
19	—	. . . .	Ordinationes Concilii provincialis Parisiensis sub legato apostolicae sedis magistro Roberto de Courçon celebrati circa stadia.	77
20	1215	Augusto	Robertus cardinalis legatus praescribit modum legendi in artibus et in theologia, indicat quos libros magistri artium non debeant legere, ordinat disciplinam scholarium et generaliter statum Universitatis.	78
21	—	Octobri	Compositio facta inter capitulum Parisiense et cancellarium super sigillo.	80
22	—	Novembris 30	Innocentius III reprobat in Concilio Lateranensi IV dogma Amalrici. Statuit inter alia, in qualibet cathedrali ecclesia, vel alia, quarum sufficere poterunt facultates, a praelato vel capitulo unum magistrum eligendum, cui redditus unius praebendae assignentur; in metropolitana vero ecclesia eligendum theologum.	81
23	1208-1216	. . . .	Petrus episcopus et Johannes abbas S. Victoris Parisienses testantur se vidisse decretum Odonis episcopi et capituli Parisiensis de residentia cancellarii factum. .	82
24	1210-1216	. . . .	Innocentius III concedit scholaribus Parisiensibus, ut possint ad agendum et defendendum procuratorem constituere.	82
25	1217	Januarii 19	Honorius III magistros et scholares Parisienses hortatur, ut aliqui ex ipsis ad partes Tolosanas accedant, ut ibidem lectione et praedicatione et exhortatione populum acceptabilem Domino reddant.	83
26	—	Martii 10	Honorius III Robertum episcopum Atrebatensem, archidiaconum de Ostrevant et praepositum Atrebatensem judices constituit in causa inter partem archidiaconi Ambianensis et partem cancellarii Ambianensis quae magistrum Johannem de Abbatisvilla regentem in theologia Parisiis in decanum Ambianensem elegerat. . .	84
27	1218	Novembris 16	Honorius III doctoribus Petro de Capua, Willelmo de Ponte Arche, Riccardo praecipit, moneant cancellarium Parisiensem ut magistro Mattheo de Scotia licentiam docendi in theologica facultate concedat non obstante privilegio impetrato (ab Innocentio III) de certo numero doctorum theologiae habendorum Parisiis.	85
28	—	. . . .	Radulphus paenitentiarius papae Honorii sex dubia Menendi S. Victoris canonici et paenitentiarii in foro paenitentiae, specialiter quoad facultatem ab Innocentio III datam absolvendi Parisienses magistros et scholares propter injectionem manuum in clericos, solvit.	85
29	1219	Februarii 18	Honorius III concedit scholaribus Parisiensibus ut is, qui regendi licentiam assecutus fuerit, concedentis cessione vel obitu non obstante libere in ea, de qua licentiam obtinuit, facultate regere possit.	87
30	—	Martii 30	Honorius III ad Robertum archiepiscopum, Rogerium decanum et cantorem Rothomagenses sententiam excommunicationis de scholarium conjurationibus ab Odone episcopo et Octaviano apost. sedis legato latam et nuperrime a Petro episcopo Paris. innovatam, irritam declarat.	87
31	—	Maii 11	Honorius III scribit Hervaeo episcopo, Stephano decano et cantori Trecensibus circa eandem causam, declarans litteras Octaviani episcopi Hostiensis ab episcopo Paris. non potuisse in medium proferri. Mandat insuper ut sententia contra magistros et scholares Parisienses a cancellario lata habeatur irrita. Reprehendit rigorem injustum cancellarii, et injungit ut ad curiam veniat se ipsum si possit excusaturus.	88

32	1219	Novembris 16	Honorius III innovat statutum Concilii Lateranensis IV de theologis per singulas metropoles statuendis; praecipit ut ab ecclesiarum praelatis et capitulis ad theologicae professionis studium aliqui docibiles destinentur, concedit studentibus in eadem facultate per quinque annos fructus beneficiorum suorum. Innovat decretum Concilii Turonensis, ne regulares exeant ad audiendum leges vel physicam, et extendit illud ad omnes clericos personatus habentes et ad presbyteros. Insuper statuit ne Parisiis sive in civitate sive aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile praesumat sub paena excommunicationis, et Parisios declarat locum, ubi theologia debeat doceri.	90
33	—	— 30	Honorius III Philippum cancellarium Parisiensem propter gravia quaedam accusatum et ad suam praesentiam constitutum Parisios remittit, quia nullus accusator comparuit.	93
34	—	Decembris 1	Honorius III concedit fratribus Praedicatoribus Parisiensibus ut in ecclesia ipsis a magistris Parisiensibus concessa divina celebrare possint.	93
35	—	— 11	Honorius III praecipit prioribus S. Dionysii et S. Germani de Pratis Parisiensibus ac cancellario Mediolanensi Parisiis commoranti, ut novellam plantationem fratrum Praedicatorum Parisiis contra capitulum Parisiense et alios protegant.	94
36	1220	Februarii 27	Honorius III laudat magistros et scholares Parisienses ob eorum affectum erga fratres Praedicatores Parisiis in sacra pagina studentes, eisque praedictos fratres iterum commendat.	95
37	—	Maii 20	Honorius III commendat Garino archiepiscopo Senonensi et Guillelmo episcopo Parisiensi fratres Ord. Minorum, atque eis scrupulum de ipso Ordine adimit.	95
38	—	Julii 29	Honorius III capitulum Parisiense laudibus commendat, eo quod fratribus Praedicatoribus in capella S. Jacobi Paris. divina celebrare et cimeterium habere permiserit.	96
39	—	Decembris 30	Honorius III priori et fratribus Ordinis Praed. S. Jacobi Paris. fratrem Guillelmum commendat, qui cum eis Parisiis studendi causa habitare elegit.	97
40	1221	Januarii 2	Honorius III fratres Praedicatores S. Jacobi Paris. et fratrem Guillelmum familiarem suum magistris et scholaribus Paris. commendat.	97
41	—	Aprilis 2	Honorius III Stephano archiepiscopo Cantuariensi et Hervaeo Trecensi ac Guillelmo Lexoviensi episcopis mandat ut Parisios accedant et inquirant super querelis episcopi Parisiensis, quas ad apostolicam sedem contra magistros et scholares Parisienses detulit, statuantque quod statui studii et utilitati studentium viderint expedire	98
42	—	. . . .	Universitas magistrorum et scholarium Parisiens., quidquid juris habet in loco S. Jacobi coram ecclesia S. Stephani, fratri Matthaeo priori ejusque fratribus Ordinis Praed. et ipsi Ordini sponte ac libere confert et donat.	99
43	—	Maii 3	Magister Johannes decanus S. Quintini Noviomensis dioecesis donat fratribus Praedicatoribus Paris. quidquid juris habet Parisiis in loco suo coram S. Stephano. . . .	100
44	—	— 4	Honorius III cantori, archidiacono majoris ecclesiae et decano S. Germani Autissiodorensis Parisiensibus mandat ut Johanni decano S. Quintini, qui fratres de Ord. Praed. Parisiis in theol. facultate docet, redditus et vicario ejus distributiones a capitulo exhiberi faciant.	101
45	1222	— 31	Honorius III archidiaconis Remensi ac Senonensi et mag. Petro de Collemedio ut executoribus scribit, quae pendente lite inter Guillelmum episcopum, Philippum cancellarium et officialem Paris. ex una, et magistros et scholares ex alia parte, observari debeant prohibetque ne episcopus nec aliquis alius ejus nomine in Universitatem sententiam excommunicationis proferre possit. Interim etiam usus sigilli scholarium suspendatur, nec scholares secundum nationes suas sibi quemquam ad ulciscendas injurias praeficiant.	102

46	1222	Novembris 25	Honorius III Galonem abbatem et priorem S. Genovefae et magistrum S. canonicum S. Benedicti Paris. monet ne mag. Riccardo Ebroicensi archidiacono in sacra pagina (Parisiis) studenti quotidianae distributiones exhibeantur.	104
47	1223	. . . .	Jordanus magister generalis fratrum Praedicatorum scribit sorori Dianae Bononiam, oret pro scholaribus Parisiensibus, ut Ordinem Praed. intrent.	104
48	1224	Januarii 16	Honorius III Stephano archiepiscopo Cantuariensi mandat ut magistro Michaeli Scotto, qui inter litteratos dono viget scientiae singulari, in provincia sua ecclesiasticum beneficium conferat.	105
49	—	Aprilis 14	Jordanus magister gen. fratrum Praedicatorum scribit Dianae multos scholarium Parisiensium Ordinem intrasse.	106
50	1225	Januarii 23	Honorius III opus περὶ φύσεως Johannis Scoti referente Bartholomaeo episcopo Parisiensi nuper repertum et a nonnullis claustralibus et viris scholasticis lectum damnat et describit.	106
51	1226	Januario	G. prior fratrum et sororum S. Lazari Paris. et totum capitulum fratribus Praedicatoribus quamdam terram extra portam S. Jacobi concedunt.	108
52	—	Martio	Magister Jordanus sorori Dianae Bononiam circa receptionem scholarium Parisiensium in Ordine scribit et bonum statum conventus Parisiensis laudat.	108
53	1227	Januario	Odo abbas S. Germani de Pratis Paris. et conventus concedunt abbati Radulfo et conventui Cisterciensium Claraevallis, ut domum Paris., quam eis dedit Mathildis de Garlanda, sub certis conditionibus possideant.	109
54	—	Aprilis 28	Gregorius IX Stephanum archiepiscopum Cantuariensem rogat ut monitum Honorii papae III exsequens magistro Michaeli Scotto, non solum in latina sed etiam in hebraica et arabica lingua bene instructo, in provincia sua ecclesiasticum beneficium conferat.	110
55	—	Novembris 22	Gregorius IX Philippo cancellario Parisiensi injungit ut doctores theologiae ac decretorum, quos abbas S. Genovefae idoneos ad docendum reputaverit, libere regere sicut magistros artium in parochia et terra ipsorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta permittat, si hoc ad jus praedicti monasterii pertineat.	111
56	—	Decembris 3	Gregorius IX Radulphum abbatem et priorem S. Johannis in Vineis ac Radulphum de Coudun archidiaconum Suessionenses judices in causa inter Philippum cancellarium et conventum S. Genovefae pendente constituit.	111
57	1228	Maio	Constitutio Ord. Praed. in capitulo generalissimo sub magistro Jordano Parisiis edita de studiis in Ordine.	112
58	—	Junii 3	Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo Silvanectensi, Johanni decano S. Quintini mandat ut compositionem inter magistros et scholares ex una, et episcopum, cancellarium et capitulum Parisiense ex altera parte, interveniente Romano S. Angeli diacono cardinale et apost. sedis legato, factam curent firmiter observandam.	113
59	—	Julii 7	Gregorius IX magistros in theologia Parisiis regentes monet, ne ad mundanam scientiam declinent nec verbum Dei philosophorum figmentis adulterent.	114
60	—	Julio	Litterae Guillelmi episcopi Parisiensis, in quibus contra scholares S. Thomae de Lupara invehitur, et inhonestam eorum vivendi rationem corrigendam esse declarat.	116
61	—	Augusti 3	Henricus archiepiscopus Remensis, Adam episcopus Silvanectensis, magister Johannes decanus S. Quintini transmittunt magistris Ardengo, Jacobo de Dinant, Johanni de Cadumo Parisiis commorantibus litteras Gregorii IX tractantes compositionem inter magistros et episcopum ac cancellarium factam, ipsosque executores constituunt.	117
62	1229	Martii 27	Decretum unius et viginti provisorum ab Universitate Paris. datorum, quo nulli liceat morari in civitate vel dioecesi Paris. infra sex annos causa studii, nisi infra mensem a die Paschae universitati magistrorum et scholarium fuerit satisfactum.	118

63	1229	Martio	Guillelmus episcopus Parisiensis fratribus S. Trinitatis hospitale S. Mathurini Paris. cum capella tradit.	118
64	—	Julii 16	Henricus III rex Angliae invitat magistros et scholares Parisienses, ut studii gratia in Angliam veniant.	119
65	—	— 25	Gregorius IX possessiones Ordinis Vallis Scholarium, specialiter autem domum ab eo Parisiis possessam, sub sua protectione suscipit.	119
66	—	Augusto	Ludovicus IX rex Francorum privilegium a rege Philippo Augusto avo suo scholaribus Parisiensibus datum confirmat.	120
67	—	....	Juramentum quod praepositus Parisiensis juxta mandatum regis Universitati Parisiensi praestare debebat.	122
68	—	Septembri	Guillelmus episcopus Parisiensis fratribus Vallis Scholarium, postquam eis plenam et liberam potestatem construendi domum et ecclesiam Parisiis in parochia Sancti Pauli concessit, praescribit certam vivendi regulam, ut jura ecclesiae S. Pauli vel ecclesiae B. Mariae virginis intacta remaneant.	123
69	—	Novembris 23	Gregorius IX agendi modum Guillelmi episcopi Parisiensis erga Universitatem Parisiensem reprehendit, cum in dissensione suborta inter regem et reginam ex una, et magistros et scholares ex altera parte non solum se medium ponere non curaverit, sed etiam ne pactiones ab utraque parte initae servarentur consilium tribuerit.	125
70	—	— 24	Gregorius IX Mauritium Cenomanensem et Guarinum Silvanectensem episcopos ac magistrum Johannem Catalaunensem archidiaconum judices in causa inter Ludovicum regem Francorum et magistros ac scholares Parisienses vertente constituit.	127
71	—	— 26	Gregorius IX Ludovicum regem Francorum et Blancam matrem ejus de necessitate sapientiae et studii litterarum edocet hortaturque satagant ut studium Parisios revocetur ac magistris et scholaribus Parisiensibus de irrogatis injuriis congrue satisfiat.	128
72	—	....	Epistola transmissa a magistris Tolosanis ad universalia studia alibi florentia.	129
73	—	....	Magister Jordanus Ord. Praed. scribit fr. Stephano provinciali Lombardiae de fructu praedicationis suae Vercellis habitae, ubi intraverunt Ordinem multi magistri, inter quos Walterus Theutonicus, unus ex optimis magistris Parisiensibus.	131
74	1230	Aprilis 2	Gregorius IX Ludovico regi Francorum scribit se magistrum Guillelmum et Stephanum Baatel nuntios cum litteris regiis recepisse, sed petitiones ejus singulas ad praesens non posse exaudire.	132
75	—	Maii 10	Gregorius IX magistris et scholaribus Parisiis et Andegavis commorantibus mandat ut pro reformatione studii Parisiensis usque ad festum Assumptionis b. Virginis aliquos nomine Universitatis ad curiam destinent, etiamsi magister Guillelmus jam ibi sit; insuper transcripta omnium privilegiorum mittant.	133
76	—	Maio	Guillelmus episcopus Parisiensis notum facit (Odonem) abbatem et conventum S. Germani de Pratis Paris. dedisse sub certis conditionibus fratribus Minoribus locum cum domibus, ubi ut hospites morari possent.	134
77	—	Novembri	Girardus civis Parisiensis et Jaquelina uxor ejus recognoscunt se vendidisse priori et conventui S. Catherinae Vallis Scholarium, quidquid juris super domo et porprisio S. Catherinae habebant.	135
78	1231	Februarii 27	Gregorius IX concedit Petro abbati et conventui S. Victoris Paris., ne super rebus, quas habent Parisiis, auctoritate apostolica in causam extra dioecesim ad remotos judices et minus peritos in jure quam sunt in ipsa dioecesi, ubi est copia peritorum, trahantur.	136
79	—	Aprilis 13	Gregorius IX in litteris ad magistros et scholares Parisienses directis statuta praescribit a cancellario et ab ipsis servanda tam in licentia largienda quam in aliis. Assignat libros ab artistis legendos, et normam statuit a studentibus in theologica facultate sequendam	136

80	1231	Aprilis 13	Gregorius IX de eodem argumento ad decanum et capitulum Parisiense.	139
81	—	— 13	Gregorius IX ad Odonem abbatem S. Germani de Pratis, ut homines de burgo S. Germani pro pace ac securitate scholarium ad ea constringat, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti.	139
82	—	— 14	Gregorius IX Ludovicum regem Francorum hortatur ut progenitorum suorum exemplar secutus se scholaribus Parisiensibus favorabilem ac benignum exhibeat et eis privilegium Philippi Augusti innovet.	140
83	—	— 18	Gregorius IX magistros Jacobum de Dinant archidiaconum Morinensem et Warnacium canonicum Tervisinum Parisiis commorantem hortatur, ut inquisitionem super domo S. Thomae in Lupara, nisi jam fuerit consummata, ad finem perducant. . .	141
84	—	— 18	Gregorius IX mandat magistris Warnacio Tervisino et Simoni de Alteis Ambianensi canonicis, ut super flagitio, quod decanus et alii de villa S. Marcelli Paris. in occisione scholarium perpetrasse dicantur, sollicite veritatem inquirant.	142
85	—	— 18	Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, Gaufrido episcopo Ambianensi, Hugoni de Burgundio mandat ut magistros et scholares Parisienses in suis libertatibus contra turbatores conservent.	142
86	—	— 20	Gregorius IX Petro abbati S. Victoris et priori fratrum Praedicatorum Paris. mandat ut magistros et scholares, qui in sententiam latam Parisiis in provinciali Concilio et alias occasione librorum naturalium inciderint, absolvant.	143
87	—	— 23	Gregorius IX magistris Guillelmo archidiacono Belvacensi, Simoni de Alteis Ambianensi, Stephano de Pruvino Remensi canonicis mandat ut libros naturalium Parisiis in Concilio provinciali prohibitos examinent, et quae ibi erronea seu scandali legentibus illativa invenerint, penitus resecent.	143
88	—	— 24	Gregorius IX ad Guillelmum episcopum Parisiensem, ut suos homines pro pace ac securitate scholarium ad ea constringat, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti.	144
89	—	Maii 5	Gregorius IX decano Suessionensi et mag. Simoni de Alteis mandat ut artium et physicae facultatis magistris, qui in Andegavensi et Aurelianensi civitate licentia obtenta rexerunt et ante discessionem Parisiis examinati erant, libere regendi Parisiis dent facultatem.	144
90	—	— 6	Gregorius IX rogat Ludovicum regem Francorum ut omni gratia et favore prosequatur magistros Gaufridum Pictaviensem et Guillelmum Autissiodorensem redeuntes Parisios ad regendum a curia Romana, ubi ad reformandum studium morati erant, nec detractoribus eorumdem credat.	145
91	—	— 6	Gregorius IX ad Blancam reginam Francorum, ut praedictos magistros redeuntes benigne recipiat, nec credat detractoribus	146
92	—	— 6	Gregorius IX scribit decano et capitulo S. Marcelli Parisiensis, ut eorum homines ad ea constringant, ad quae cives Parisienses per regale privilegium sunt astricti. . .	146
93	—	— 6	Gregorius IX ad Guillelmum episcopum Parisiensem de eodem argumento, quoad homines ejus.	147
94	—	— 6	Gregorius IX ad Odonem abbatem S. Germani de Pratis de eodem argumento, quoad homines de burgo S. Germani	147
95	—	— 10	Gregorius IX concedit universis magistris et scholaribus Parisiens., ut per septennium nullus in universitatem magistrorum vel scholarium seu rectorum vel procuratorem eorum in certis casibus excommunicationis, *etc.*, sententiam promulget. .	147
96	1233	Februarii 27	Gregorius IX scientiam, strenuitatem militiae, devotionem populi in regno Franciae florentes laudibus cumulat, admonetque Ludovicum regem Francorum, ut injuriam a senescallo Viromandensi in Philippum cancellarium Parisiensem, cujus laus etiam apud exteros late patet, commissam vindicet.	148
97	—	— 28	Gregorius IX laudibus extollit ecclesiam Gallicanam, et Philippum cancellarium Parisiensem, quem magni facit, contra senescallum Viromandensem defendit.	149

98	1233	Martii 7	Gregorius IX Nicolao episcopo Noviomensi et aliis ejusdem dioecesis mandat ne impediant quominus Philippus cancellarius Parisiensis in archidiaconatu Noviomensi per fratres Praedicatores vel Minores visitationis officium exerceat.	151
99	—	Aprilis 27	Gregorius IX confirmat statutum card. Romani, apost. sedis legati, ut Tolosae studium generale erectur atque magistris et scholaribus ibidem studentibus concedit eandem libertatem, qua Parisienses utantur.	151
100	—	Octobris 27	« Procuration de l'Université pour poursuivre un procès qu'elle avoit à l'encontre des religieux de Saint-Thomas du Louvre devant les juges délégués par sa Sainteté, en date de l'an 1233, la veille de saint Simon et saint Jude. ».	152
101	1234	Aprilis 3	Gregorius IX Guillelmo episcopo Parisiensi privilegium ab ipso Universitati Tolosanae concessum non derogare statutis Parisiensis Universitatis significat.	152
102	—	Junio	Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Jordano celebrati de mittendis fratribus Parisios ad studendum.	153
103	—	Augusti 11	Gregorius IX Odoni abbati et conventui S. Germani de pratis remittit pensionem P. scholari nato Sixti civis Romani persolvendam.	153
104	—	Septembris 5	Gregorius IX doctoribus et scholaribus Parisiensibus nuntiat se edidisse volumen Decretalium a fratre Raimundo redactum, et praecipit ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scholis	154
105	—	Novembris 18	Gregorius IX ad decanum, archidiaconum et officialem Autissiodorenses super assignatione domorum quarundam decani Parisiensis, qui inter caetera judices partis cancellarii Parisiensis suspectos habuit, eo quod, cum Parisienses scholares existerent, ratione jurisdictionis ordinariae, quam obtinet in eisdem, subjecti erant cancellario	154
106	1235	Januarii 17	Gregorius IX scribit Philippo Aurelianensi episcopo, in civitate Aurelianensi posse leges legi et audiri, etiamsi id Parisiis sit prohibitum.	156
107	—	Novembris 28	Gregorius IX mandat Ranulpho Corisopitensi et Cadioco Venetensi episcopis ut G. archidiaconum Corisopitensem, qui in jure canonico Parisiis docuit et sufficiens est ad docendum in theologia, super irregularitate dispensent.	157
108	1235-1238	. . . .	Disputatio coram Guillelmo episcopo Parisiensi in congregatione magistrorum theologicae facultatis Parisiis habita de pluralitate beneficiorum.	157
109	1236	. . . .	« Gregorius IX mandat episcopo Silvanectensi ut inducat abbatem et conventum S. Germani de Pratis, quatinus pro Minoribus vendant de terris suis infra et extra muros ad domum construendam, *etc.*, juxta quod ipse papa ab eis requisivorat, et incipit (bulla) : *Circa dilectos filios*, sui pontificatus anno x. ».	158
110	—	Junii 3	« Gregorius IX mandat abbati et capitulo Benedictinorum S. Germani de Pratis, quod ad determinationem et judicium episcopi Silvanectensis vendant de suis terris pro constructione conventus Minorum, et incipit (bulla) : *Habetur in approbata consuetudine*. Non bene legitur, ubi fuerit haec bulla concessa, sed iij non. Junii, pontificatus sui anno x. ».	158
111	1237	Januarii 26	Gregorius IX permittit Radulpho abbati et conventui monasterii S. Victoris, ad quod pro recipienda poenitentia scholares studentes Parisiis recurrunt, habere magistrum theologum	159
112	—	Junii 12	Gregorius IX Henrico archiepiscopo Remensi, episcopo Arnulpho et decano Ambianensibus mandat ut magistros et scholares Parisienses in suis libertatibus contra turbatores conservent.	159
113	—	— 12	Gregorius IX concedit universis magistris et scholaribus Parisiensibus ut per septennium nullus in universitatem magistrorum vel scholarium seu rectorem vel procuratorem eorum in certis casibus excommunicationis, *etc.*, sententiam promulgare audeat.	160

114	1237	Junii 15	Gregorius IX Galtero archiepiscopo, archidiacono et praecentori Senonensibus mandat ut religiosos illos et clericos, qui domos suas taxari minime patiuntur, ad hoc compellant	160
115	—	Augusti 4	Gregorius IX Petro Meldensi et Arnulpho Ambianensi episcopis mandat ut diligenter inquirant super facto Guillelmi episcopi, qui vacante cancellaria licentiam regendi in decretis concessit, et ejus officialis, qui magistros et scholares excommunicavit.	161
116	—	— 8	Gregorius IX scholares Parisienses monet ut Joanni de Gualfredo pecuniae summam persolvant, quam procuratoribus eorum mutuo dederat	162
117	—	Septembris 7	Gregorius IX magistris et scholaribus Parisiensibus confirmat statuta ab ipso olim edita circa modum licentiandi in theologia et decretis, inhibetque ne Parisiensis episcopus contra agat	163
118	—	— 12	Evrardo abbati Claraevallensi conceditur a Capitulo generali Ord. Cisterc. privilegium circa clericos Parisiis habitantes	164
119	—	Octobris 23	Gregorius IX Herberto abbati S. Genovefae Paris., ac magistris Michaeli de S. Dionysio et G. de Briveriis regentibus Parisiis in decretis mandat ut causam inter magistrum Petrum archidiaconum Belvacensem et decanum et capitulum Belvac. agitatam ad finem debitum perducant	164
120	1238	Maii 28	Gregorius IX magistrum Stephanum decanum S. Germani Autissiodorensis Parisiensis tuetur, qui cognitionem sententiae contra comitem Nivernensem, ut liberius posset regimini theologicae facultatis intendere, magistro Laurentio de Buissi commiserat.	165
121	—	Junii 4	Gregorius IX committit priori S. Victoris inquisitionem de turbatione studii Parisiensis et dissensione inter Universitatem et episcopum Guillelmum	166
122	—	Novembris 27	Gregorius IX concedit magistro Guillelmo de S. Amoro, rectori ecclesiae de Guervilla, canonico Belvacensi, ut possit recipere aliquem personatum	166
123	1239	Aprilis 1	Jacobus Praenestinus episcopus statuit ne ullus magistrorum et scholarium Parisiens. alterius conducat hospitium, quamdiu ipsum inquilinus retinere voluerit	167
124	1240	Junio	Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub mag. Raymundo Bononiae celebrati de studentibus, qui sunt Parisiis	167
125	—	Novembri	Robertus de S. Quintino fratribus Praed. S. Jacobi quidquid juris habet in domo aliqua Parisiis relinquit	168
126	—	....	Robertus minister fratrum Minorum in Francia notum facit conventum S. Germani de Pratis Paris. permisisse venditionem illius terrae, qua opus erat ad constructionem conventus Minorum	168
127	—	....	Robertus Grossetesto episc. Lincolniensis monet magistros Oxoniae in theologica facultate regentes ut in ordine lectionum magistris Parisiensibus se conforment.	169
128	1241	Januarii 13	Decem errores contra theologicam veritatem reperti in quibusdam scriptis (frat. Stephani) et proscripti Parisiis a Guillelmo Parisiensi episcopo et Odone cancellario de consilio omnium magistrorum theologicae facultatis	170
129	—	Augusto	Decanus et capitulum S. Quintini Noviomensis dioecesis fratribus Praedicatoribus S. Jacobi Parisiensis domos eis a Johanne decano S. Quintini donatas in perpetuum remittunt	172
130	1243	Junio	Statutum Capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Johanne Teutonico celebrati de erroribus Parisiis anno 1241 condemnatis	173
131	1244	Maii 9	Innocentius IV ad regem Franciae, ut Judaeorum libros, qui Talmud dicuntur et tempore Gregorii IX per cancellarium et doctores regentes in sacra pagina Parisiis examinati coram clero et populo concremati fuerant, toto regno conquirendos et ignibus delendos curet	173
132	—	Decembris 29	Radulphus abbas S. Genovefae Paris. et archidiaconus Augi Rotomagensis et cancellarius Turonensis ex parte Universitatis Parisiensis papae Innocentio IV privilegia et chartas ipsis praesentatas transmittunt	175

133	1245	Januarii 5	Innocentius IV propositum Stephani de Lexington, abbatis Claraevallis, de mittendis Parisios ad studendum monachis approbat.	175
134	—	Februarii 6	Innocentius IV universis clericis per Lugdunensem provinciam constitutis et in scholis theologicae facultatis fratrum Praedicatorum Divionensium studentibus concedit ut proventus suorum beneficiorum integre percipiant, ac si Parisiis in eodem studio morentur.	176
135	—	— 13	Innocentius IV magistris et universitati scholarium Paris. compositionem olim inter ipsos atque episcopum, cancellarium capitulumque Paris. factam de licentia danda aliisque confirmat.	176
136	—	Februario	De scholis a quibus retinendae sint et qualiter et de aliis articulis infra scriptis. . .	177
137	—	. . . .	Quo tempore, quibus diebus, quibus horis lectiones cursoriae in artibus sint legendae. .	178
138	—	Martii 5	Innocentius IV Petro cancellario Parisiensi, ut religiosi et clerici saeculares ad taxationem suarum domorum cogantur et de modo taxationis.	179
139	—	— 6	Innocentius IV Petro cancellario Parisiensi mandat ne alter alterius hospitium sive scholas conducat.	180
140	—	— 10	Epistola Innocentii IV ad Adamum episcopum Silvanectensem, *etc.*, in qua continetur roboratio ac conservatio compositionis factae inter Universitatem ex parte una, et cancellarium et capitulum Paris. ex altera, super articulis infra scriptis.	180
141	—	Maii 13	Innocentius IV universitati magistrorum et scholarium Paris. concedit ut servientes ipsorum communes a singulis nationibus concorditer electi iisdem immunitatibus quibus scholares gaudeant.	181
142	—	— 15	Innocentius IV magistris et scholaribus Parisiensibus privilegium fori concedit. . .	181
143	—	— 15	Innocentius IV universos magistros et scholares Parisienses monet, ne quis scholas alterius absque ejus consensu, neque hospitia interdicta retineat.	181
144	—	— 18	Innocentius IV Universitati Parisiensi mandat ut magistri ac alii ad generales congregationes veniant.	182
145	1244-1245	Junii 28	Innocentius IV archiepiscopis per regnum Franciae constitutis mandat ut nulli deinceps in scholis proventus praebendarum recipiant nisi obtenta licentia ad easdem scholas accesserint.	182
146	1245	Septembris 4	Innocentius IV abbatibus Ord. Cisterc. in generali capitulo mandat ut studium theologiae Parisiis jam inceptum ferventi desiderio amplecti studeant.	183
147	—	— 11	Innocentius IV magistris et scholaribus Tolosanis eandem libertatem concedit qua gaudent Parisienses.	184
148	—	— 12	Ordinatio capituli generalis Ord. Cisterciensium de studiis, praesertim de studio Parisiis jam incepto.	184
149	—	— 22	Innocentius IV statuta a Gregorio IX Universitati Parisiensi concessa magistris et scholaribus Tolosanis observanda tradit.	185
150	—	Sept.-Oct.	Robertus Grossoteste episcopus Lincolniensis ministro frat. Minorum in Anglia de morte in Universitate Parisiensi duorum magistrorum ejusdem Ordinis Alexandri de Hales et Johannis de Rupella.	186
151	1246	Januarii 8	Innocentius IV Johanni Teutonico, mag. generali Ord. Praed., mandat ut magistrum theologiae ad domum Cistercii mittat.	187
152	—	Aprilis 21	Epistola, qua Innocentius IV Constitutionem *Romana ecclesia* de causa inter Juhellum archiepiscopum Remensem et ejus suffraganeos tractantem Universitati Parisiensi transmittit.	188
153	—	— 21	Epistola, qua Innocentius IV suas in Concilio Lugdunensi promulgatas Constitutiones Universitati Parisiensi mittit.	188
154	—	Maii 20	Innocentius IV Roberto Grossoteste episcopo Lincolniensi mandat ut apud Oxoniam nullum docere permittat, nisi qui secundum morem Parisiensem examinatus fuerit et approbatus.	189

155	1246	Maio	Ordinatio capituli generalis Ord. Praed. Parisiis sub mag. Johanne Teutonico celebrati de domo Parisiensi.	190
156	—	Junii 13	Innocentius IV cantori Remensi concedit ut Parisiis insistens studio per quinquennium proventus suos ecclesiasticos percipiat.	190
157	—	— 19	Innocentius IV studentes Ord. Cisterc. apud S. Bernardum Paris. sub B. Petri protectione suscipit, eisque omnia privilegia Ordini concessa elargitur	190
158	—	— 22	Innocentius IV clericis per Lugdunensem provinciam constitutis et in scholis theologicae facultatis fratrum Minorum Divionensium studentibus indulget ut beneficiorum suorum proventus integre, ac si Parisiis in eodem studio morarentur, percipiant	191
159	—	— 26	Innocentius IV ad Theobaldum abbatem S. Genovefae Paris., ut homines suos pro scholarium pace et securitate ad ea constringat, ad quae per regale privilegium cives Parisienses astringuntur.	191
160	—	— 26	Innocentius IV Hugoni abbati S. Germani de Pratis mandat ut homines ejus astringantur per regale privilegium sicut cives Parisienses.	192
161	—	Octobris 11	Innocentius IV studentibus Ord. Cisterc. Parisiis constitutis ut novitios ad professionem admittant largitur.	192
162	—	— 23	Innocentius IV magistris et scholaribus Paris. ut non liceat eos absque licentia speciali sedis apostolicae excommunicari concedit.	192
163	—	— 23	Innocentius IV Juhello archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo et decano Silvanectensibus, ut molestatores magistrorum et scholarium Parisiensium censura ecclesiastica compescant, hoc privilegio per septennium tantum valituro	193
164	—	— 30	Innocentius IV statuit ne scholares de rebus suis eundo vel redeundo aliquid solvant.	194
165	—	— 30	Innocentius IV magistris et scholaribus Paris. usum sigilli per septennium permittit.	194
166	—	Novembris 1	Decanus et capitulum Parisiens. fratribus Ord. Cisterciensis Parisiis studentibus quemdam locum juxta muros Parisienses concedunt.	195
167	—	Novembri	Stephanus abbas et conventus S. Bernardi Paris. compositionem inter ipsos et Acelinum abbatem et conventum S. Victoris Paris. factam exponunt de loco in Cardineto ipsis a praedicto conventu tradito.	196
168	1247	Februario	Charta donationis factae ab Ansello de Garlanda scholaribus S. Nicolai de Lupara totius decimae quam habebat in territorio de Corcellis.	198
169	—	Martii 2	Innocentius IV doctoribus et universitati scholarium Parisiensium mandat ut statuta, quae confecerunt viri selecti ab ipsa Universitate, inviolabiliter observent.	199
170	—	Aprili	Johannes S. Benedicti Floriacensis abbas notum facit ex nunc in perpetuum decem ex fratribus monasterii in prioratu S. Gervasii Aurelianensis in sacrae theologiae studio sedere, provectiores vero eorum causa majoris scientiae hauriendae Parisios ad studium dirigendos.	199
171	—	—	Odo Tusculanus episcopus et apostolicae sedis legatus testatur se vidisse litteras Johannis abbatis S. Benedicti Floriacensis, et ordinationem ab ipso factam approbat	201
172	—	Augusti 12	Innocentius IV Ludovicum regem Francorum admonet ut quod Odo apostolicae sedis legatus circa Talmud aliosque libros Judaeorum statuerit, observari curet.	201
173	—	— 12	Litterae Odonis Tuscul. episcopi apost. sedis legati ad Innocentium papam IV, quibus epistolas Gregorii IX super condemnatione Talmud editas inserit, et insuper summum pontificem certiorem facit, Talmud fuisse diligenter examinatum habito consilio omnium magistrorum theologiae et juris canonici et aliorum multorum omnesque libros, qui tunc haberi potuerant, crematos.	202
174	—	— 22	Innocentius IV magistro Guillelmo de Sancto Amore, canonico Belvacensi, indulget ut praeter ecclesiam de Gravilla unicum aliud beneficium, similiter cum cura animarum, valeat retinere.	205

175	1247	Septembris 3	Innocentius IV mandat archidiacono Constantiensi ut magistro Guillelmo de S. Amore subdiacono et canonico Belvacensi studenti in theologia proventus ecclesiae suae de Gravilla curet in suscepto Ordine per triennium ministrandos.	206
176	—	Decembris 21	Odo episcopus Tusculanus et apost. sedis legatus de condemnatione errorum Johannis de Brescain et magistri Raimundi praesentibus episcopo et cancellario et magistris theologiae Paris. habita.	206
177	—	. . . .	Hugo episc. Lingonensis eis qui ad opus fratrum Ord. Cisterc. in Cardineto subsidia contulerint, indulgentiam quadraginta dierum elargitur.	208
177ª	1248	Februarii 6	Innocentius IV Placentiae instituit studium generale cum omnibus privilegiis et immunitatibus, quibus studentes Parisiis et in aliis studiis generalibus gaudent.	208
178	—	Maii 15	Sententia Odonis Tusculan. episcopi, apostolicae sedis legati, consilio episcopi Parisiensis, magistrorum theologiae et decretorum et aliorum lata super Talmud.	209
179	—	Junio	Statutum cap. generalis Ord. Praed. sub magistro Johanne Teutonico canonico Parisiis celebrati de studiis generalibus et doctoribus Ordinis.	211
180	—	Junii 22	Innocentius IV Galtero cancellario Parisiensi scribit ut decem scholaribus tam in arabica quam in aliis linguis orientalium partium peritis et Parisiis in theologica facultate studentibus provideat.	212
181	—	— 22	Innocentius IV eximit monasterium S. Petri Carnotensis O. S. B. a provisione facienda pro decem pueris orientalibus Parisiis studentibus, dummodo per tres annos eis pensionem solvat.	212
182	—	— 22	Innocentius IV priorem B. Mariae de Prato Rotomagensis conservatorem praedicti privilegii constituit.	213
183	—	Septembris 12	Statutum capit. generalis Ord. Cisterc., quod praefectus studentium Paris. non prior sed provisor vocetur.	213
184	—	Novembris 24	Innocentius IV concedit ut pauperes scholares, qui Boni pueri dicuntur, quorum custodia ad cancellarium Paris. pertinet, propriam capellam, ubi divina celebrentur officia, habere possint.	214
185	1249	Martii 26	Innocentius IV permittit ut clerici studentes theologiae in scholis fratrum Minorum provinciae Bononiensis quoad perceptionem beneficiorum illa indulgentia, qua studentes Parisiis in eadem facultate, gaudeant.	214
186	—	Maio	Statutum cap. generalis Ord. Praed. sub mag. Johanne Teutonico Treviris celebrati, ne studentes Parisios missi debita contrahant.	214
187	—	Octobri	Juramenta eligentium rectorem et rectoris intrantis electionem.	215
188	1240-1249	. . . .	Fr. Adam de Marisco Ord. Minorum in Anglia scribit fr. Guillelmo de Nottingham, ministro Min. in Anglia, de fratribus mittendis Parisios, ut provideat studio Parisiensi in praesenti necessitatis urgentia, sicut et de fr. W. de Maddele.	216
189	—	. . . .	Fr. Adam de Marisco, Ord. Minorum in Anglia, scribit fr. Guillelmo de Nottingham, ministro Ord. in Anglia, de fr. Ricardo Cornubiensi, qui Parisios transmigrare voluerat.	217
190	1250	Maii 28	Innocentius IV ratum et gratum habet, quod a Johanne, abbate S. Benedicti Floriacensis, et Odone, episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, de studiis aliquorum monachorum ejusdem monasterii fuerit ordinatum.	218
191	—	— 30	Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi mandat ut iis religiosis, quos post examinationem idoneos judicaverit, licentiam ne postulantibus quidem concedat.	219
192	—	Augusti 26	Innocentius IV monachis studentibus Ord. Cisterc. in nova habitatione in Cardineto eadem privilegia, quae prius habebant, aliis adjunctis, concedit.	219
193		Septembris 12	Capitulum generale Ord. Cisterc. provisori studii Parisiis privilegium concedit	220
194	—	. . . .	Octo positiones, in quibus Petrus Lombardus, magister Sententiarum, communiter a magistris Parisiensibus non tenebatur.	220

195	1251	Martii 18	Innocentius IV querelae praelatorum regni Daciae consulens hortatur Blancam reginam Franciae, prohibeat theloneriis regni Franciae, ne accedentes ad sedem apostolicam necnon clericos ejusdem regni Daciae euntes ad scholas clericorumque nuntios molestent.	221
196	—	— 18	Innocentius IV Margaritae comitissae Flandriae de eadem re scribit.	222
197	—	Junii 19-24	Juramenta, quae cives ac magistri scholaresque Parisienses reginae fecerunt, ut pax urbis servaretur. Provisio magistrorum, qui debeant dici scholares, et qui vel quomodo sint repetendi, si capiantur.	222
198	—	....	Custos Ord. Minor. Paris. fratri Adae de Marisco aliisque Oxoniae fratribus commorantibus de nefandis a pastoribus Parisiis, Aureliani et in aliis locis perpetratis refert.	224
199	1252	Februarii 11	Adam episcopus Silvanectensis testatur se aliquas epistolas Innocentii IV, quae respiciunt Universitatem Parisiensem, vidisse.	226
200	—	Februario	Statutum de promovendis ad cathedram et regimen sacrae scripturae et de scholis ejusdem, praesertim quoad religiosos.	226
201	—	Februarii a. 16	Statuta artistarum nationis anglicanae de baccalareis in artibus determinandis in Quadragesima	227
202	—	— 16	Statuta artistarum nationis anglicanae de baccalareis.	230
203	—	Maii 30	Innocentius IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, astringat clericos et religiosos, ut taxentur eorum hospitia a clericis et burgensibus ad hoc electis.	232
204	—	— 30	Innocentius IV Thomae archiepiscopo Remensi, Adamo episcopo ac decano Silvanectensibus injungit ut molestatores magistrorum et scholarium Parisiensium per sententiam excommunicationis compescant.	233
205	—	— 30	Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Paris. jus sigilli per decennium septennio completo.	234
206	—	— 30	Innocentius IV Adamum episcopum Silvanectensem conservatorem juris sigilli habendi magistris et scholaribus Parisiensibus per decennium ab ipso concessi constituit.	234
207	—	— 31	Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Parisiensibus ut nullus possit trahi extra civitatem Paris. super quaestionibus intra eam exortis.	235
208	—	— 31	Innocentius IV Adamum episcopum Silvanectensem constituit conservatorem privilegii, ne scholares extra civitatem trahantur.	235
209	—	Junii 1	Innocentius IV ad magistros et scholares Parisienses ut nullus in Universitatem, rectorem seu procuratores seu quemquam alium pro facto vel occasione ipsius Universitatis excommunicationis, *etc.*, sententiam audeat promulgare.	236
210	—	— 1	Conservatio ejusdem privilegii.	236
211	—	— 5	Innocentius IV magistris et scholaribus Parisiensibus concedit, ne aliquis eundo et redeundo Parisios causa studii pro pedagio aliquid solvere teneatur.	237
212	—	— 5	Conservatio privilegii praecedentis.	237
213	—	— 6	Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi mandat ut scholares arma portantes, si moniti se non correxerint, privilegiis Universitatis privet.	238
214	—	— 15	Officialis curiae Parisiensis notum facit, domum Petri Sarraceni sitam ultra parvum pontem in vico de Hautefeuille emptam esse a Johanne abbate et conventu Praemonstratensi.	238
215	—	Augusti 23	Innocentius IV concedit magistris et scholaribus Parisiensibus ut, si quis eorum etiam extra civitatem Parisiensem manus violentas in clericos injecerit, a cancellario Parisiensi per decennium absolvi possit.	240
216	1253	Januario	Haimerici cancellarii Parisiensis ceterorumque doctorum sacrae theologiae votum de quodam casu in foro paenitentiae.	240

217	1253	Februarii 16	Innocentius IV Gualtero episcopo Tornac. mandat ut mag. Hugoni de Seghuin, procuratori Univers. Paris. in curia, de canonicatu provideat.	241
218	—	Martii 12	Innocentius IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, cui ad biennium facultatem dat absolvendi scholares de violenta in clericos manuum injectione.	241
219	—	Aprili-Sept. 2	Universitas magistrorum et scholarium Paris. statuit ut nullus in quacunque facultate magister ad collegium magistrorum admittatur, nisi juraverit statuta Universitatis se fideliter observaturum; nullus principium alicujus baccalarei teneat, nisi prius ei constiterit, quod idem eisdem juramentis ligatus sit; ii qui vacante studio Paris. lectiones resumere praesumpserint, a consortio magistrorum secludantur.	242
220	—	Maii 3	Alphonsus comes Pictaviensis et Tolosanus universis praepositis pro tempore in Rupella mandat ut monasterio S. Bernardi Paris. singulis annis certa summa solvatur	244
221	—	— 3	Stephanus abbas Claraevallis Alphonso Tolosano comiti patronatum monasterii S. Bernardi Parisiensis confert, in quo viginti monachos professos abbatis Claraevallensis sacrum studium theologiae ibidem gubernaturos habiturum perpetuo se promittit.	245
222	—	Julii 1	Innocentius IV magistris et universitati scholarium Parisiensium mandat ut fratres regentes in theologica facultate Ordinum Praedicatorum et Minorum a magistrorum collegio separatos ad ipsum collegium admittant.	247
223	—	— 1	Innocentius IV episcopis Adamo Silvanectensi et Johanni Ebroicensi de eadem re scribit	248
224	—	— 21	Innocentius IV ad priorem Ord. Praed. et ministrum Ord. Minorum Parisiis, ut fratribus regentibus eorumdem Ordinum absolutionem et dispensationem ad cautelam impendant	248
225	—	Augusti 26	Innocentius IV magistros Parisienses hortatur ut molestare magistros regentes Ord. Praedicatorum et Minorum desinant, eos in libertate sicut antea sistere permittant, usque ad festum Assumptionis, quo utrique ad curiam venirent.	249
226	—	— 26	Innocentius IV de eadem re episcopis Adamo Silvanectensi et Johanni Ebroicensi.	250
227	1254	Januarii 28	Innocentius IV scholaribus Cisterciens. Ord. Parisiis studentibus privilegia fratrum Minorum et Praedicatorum ibidem commorantium concedit.	251
228	—	— 28	Innocentius IV episcopum Lingonensem privilegii in praecedentibus litteris Cisterciensibus Parisiis studentibus concessi conservatorem constituit.	251
229	—	— 28	Innocentius IV Haimerico cancellario Parisiensi scribit, ut fratri Guidoni Ord. Cisterc., si dignus sit, et aliis ejusdem Ordinis Parisiis studentibus licentiam suo tempore largiatur	252
230	—	Februarii 4	Litterae Universitatis Parisiensis ad praelatos ecclesiae et scholares universos quibus ordines religiosi, imprimis fratres Praedicatores, incusantur.	252
231	—	— 26	Statutum universitatis magistrorum artium Paris. contra eos, qui pro impensis in causa contra fratres Praedicatores factis pecuniam conferre renuebant, et in futurum renuere voluissent.	258
232	—	— 28	Innocentius IV provisori et monachis S. Bernardi in Cardineto Paris. Cisterc. Ord. jus patronatus in medietatem ecclesiae de Roderham Eboracensis dioecesis a Johanne de Lessington domino de Eston concessum confirmat.	259
233	—	— 28	Decanus ecclesiae Lincoln. conservator de eodem negotio constituitur.	260
234	—	Martii 12	Innocentius IV concedit provisori et in theologica facultate studentibus Cisterc. Ordinis ad S. Bernardum Paris. ut eorum novitios et conversos post probationis tempus ad professionem admittere possint.	260
235	1253-1254	....	Innocentius IV deplorat totam clericorum multitudinem ad audiendas saeculares leges concurrere, adhibet remedia contra hunc morbum statuitque ne in Francia, Anglia, Scotia, Wallia, Hispania, Hungaria leges saeculares legantur.	261

236	1254	Maii 10	Innocentius IV in gratiam capituli S. Quintini Noviomensis dioec. religiosorum privilegia quoad confessiones audiendas, sepulturas et alia diminuit.	263
237	—	Julii 4	Innocentius IV ad doctores et universitatem scholarium Parisiensium, ut statuta a viris ab eisdem electis composita inviolabiliter observentur.	265
238	—	— 15	Innocentius IV Guillelmo de S. Amore, procuratori mag. et scholarium Paris., facultatem confert, ut pro expensis in negotiis ipsorum possit mutuum contrahere usque ad summam tercentum lib. turon.	265
239	—	Augusti 31	Innocentius IV confert cantori Belvacensi et Roberto de Duaco facultatem scholares et doctores inducendi, ut contribuant pro rata singulos contingente in debitis, quae occasione quaestionis cum fratribus Praed. Paris. contraxerant et adhuc contrahunt.	266
239[a]	—	Augusto	De scholis in Clauso Brunelli.	266
240	—	Novembris 21	Litterae Innocentii IV, quibus privilegia religiosorum (Praedicatorum et Minorum) quoad praedicationem, confessiones audiendas, sepulturas aliaque rescindit.	267
241	—	Novembri	Robertus de Duaco vendit Guillelmo de Carnoto S. Quintini canonico domum sitam ad palatium Terminorum, ubi postea fundatum est collegium Sorbonae.	270
242	—	Decembri	Petrus Pungensasinum vendit Roberto de Sorbona et Guillelmo de Carnoto portam suam cum pertinentiis usque ad portam *Coupegueule* ubi postea fuit collegium Sorbonae.	271
243	—	. . . .	Errores 31 a quibusdam magistris theologiae Parisiensibus ex Introductorio in Evangelium aeternum et ex ipso Evangelio aeterno excerpti.	272
244	—	Decembris 22	Alexander IV litteras, quibus Innocentius IV religiosorum privilegia resciderat, irritas esse jubet.	276
245	1255	Februarii 8	« Quittance d'un marchand de Sens de la somme de deux cens livres par luy recettes de l'Université, sur et tant moins de trois cens livres à luy deües, du lundy après la Purification, an 1254 ».	277
246	—	Martii 19	Statutum facultatis artium de modo docendi et regendi in artibus, deque libris qui legendi essent.	277
247	—	Aprilis 14	Alexander IV ad magistros et scholares Paris. litteras mittit de licentiandis, de juribus cancellarii, de baccalareis, de cessatione scholarum, de lite inter Universitatem et fratres Praedicatores, quos ad magistrorum consortium restitui decernit.	279
248	—	— 14	Alexander IV Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis de superiore epistola significat.	285
249	—	— 14	Alexander IV magistris theologiae Parisiensibus mandat ut magistros Ord. Praed. in theologica facultate regentes infra quindecim dies ad societatem admittant.	286
250	—	Maio	Humbertus, magister generalis Ord. Praed., enumerat querelas praelatorum contra fratres, quos admonet, ne in futurum talibus querelis occasionem praebeant. . . .	287
251	—	Junii 18	Alexander IV fratres Cistercienses in theologica facultate studentes Parisiis sub b. Petri protectione suscipit eisque privilegia Ordinis concedit.	289
252	—	— 22	Alexander IV studentibus Cisterc. Parisiis novitios ad professionem admittendi potestatem concedit.	289
253	—	— 22	Alexander IV laudat propositum Stephani abbatis Claraevallensis ut domus studii Parisiis habeatur.	289
254	—	Junio	Guillelma abbatissa et conventus S. Antonii Paris. Ord. Cisterc. vendunt dominium et jus super novem domos in vico qui dicitur *aux Estuves* juxta domum fratrum Minorum abbati et conventui Praemonstratensi.	290
255	—	Septembris 22	Alexander IV magistris Salamantinis concedit ut ii qui in examine idonei inventi fuerint ad regendum, in quolibet generali studio Parisiensi et Bononiensi exceptis, sine iterato examine regere valeant.	291

256	1255	Octobris 2	Magistri et scholares Paris. omnium facultatum denuntiant Alexandro IV se omnibus renuntiasse privilegiis, nullam cum fratribus Praedicatoribus societatem iniri posse, dissolutam esse ipsorum magistrorum societatem; si ad ineundam cum Praedicatoribus unionem cogerentur, se malle a civitate discedere	292
257	—	— 23	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut Introductorium in Evangelium aeternum et quasdam schedulas aboleri curet	297
258	—	Novembris 4	Alexander IV mandat Reginaldo episcopo Paris ut in abolendo Introductorio prudenter procedat, ne fratres Minores ex hoc ullum opprobrium incurrant	298
259	—	Decembris 7	Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem ut regendi Parisiis in aliqua facultate nemini licentiam tribuat, qui litteras apostolicas *Quasi lignum vitae* noluerit observare	298
260	—	— 7	Alexander IV scribit cancellario S. Genovefae de eodem argumento	299
261	—	— 7	Alexander IV mandat Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis ut magistros et scholares, qui ordinationem in litteris *Quasi lignum vitae* contentam non observent, nominatim excommunicationis sententia plectant	299
262	—	— 10	Alexander IV Guillelmo Aurelianensi et Guidoni Autissiodorensi episcopis iterum mandat ut inquirant circa relata de Guillelmo de Sancto Amore atque aliis judicii veritatem, inobedientesque officiis et beneficiis suspensos denuntient	300
263	1256	Januarii 28	Alexander IV ad cantorem Belvacensem et Robertum de Duaco, ut ad contribuendum in expensis ab Universitate factis pendente lite contra fratres Ord. Praed. neminem compellere praesumant	301
264	—	— 28	Alexander IV ad Guillelmum Aurelianensem et Guidonem Autissiodorensem episcopos de eodem argumento	302
265	—	— 31	Alexander IV fratri Guidoni abbati de Elemosina Ord. Cisterc. a duobus cardinalibus in curia examinato licentiam legendi Parisiis dat in facultate theologica, statuitque ut consortio magistrorum Parisiensium perfruatur	302
266	—	— 31	Alexander IV universitati magistrorum Parisiensium de eodem argumento	303
267	—	Februarii 11	Alexander IV scribit Reginaldo episcopo Parisiensi de contributione in expensis Universitatis, et ut illis, qui renuerunt conferre, ad cautelam absolutionis et dispensationis beneficium impendat	304
268	—	Martii 1	Litterae Philippi Bituricensis, Thomae Remensis, Henrici Senonensis, Odonis Rotomagensis archiepiscoporum, quibus notam faciunt compositionem initam inter fratres Praedicatores et magistros Parisienses	304
269	—	— 3	Alexander IV praecipit Reginaldo episcopo Parisiensi omnes excommunicandos magistros, qui scholares fratrum Praedicatorum et fratres ipsos lectionis et disputationis tempore suas scholas intrare et alia facere non permittunt	305
270	—	— 3	Alexander IV laudat Haimericum cancellarium Parisiensem ob concessam fratri Thomae de Aquino licentiam docendi, eique mandat ut quamcito eum in Universitate Parisiensi regiminis principium habere faciat; conventum Ord. Praed. Paris. commendatum habeat	307
271	—	Aprilis 4	Alexander IV magistros, scholares auditoresque Parisienses admonet ut erronea vestigia declinantes, partibus seductorum, praecipue magistri Guillelmi de Sancto Amore derelictis, litteras apostolicas reverenter observent	307
272	—	— 4	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat, compellat quosdam clericos Parisiis commorantes, qui impio diffamationis morsu Ordinem Praedicatorum lacerabant et nonnullos fratrum ejusdem sacrilegis ibidem manibus verberibus affecerant, ut dictis fratribus plenarie de praemissis satisfaciant et ab eorum molestatione desistant	308
273	—	Aprili	Humbertus, mag. generalis Ord. Praed., scribit priori et fratribus conventus Aurelianiensis ejusdem Ordinis de angustiis fratrum Parisiensium ab Universitate Parisiensi illatis	309

274	1256	Aprilis 5	Alexander IV disponit de jure patronatus a Johanne de Lessington studentibus Ord. Cisterc. Paris. collato.	314
275	—	— 12	Alexander IV Ludovicum regem Francorum hortatur ut Reginaldo episcopo Parisiensi ad cohibendam insolentiam clericorum quorumdam Parisiis commorantium, qui sacrilegis manibus fratres Ord. Praed. Parisienses verberibus affecerant, impendat auxilium	314
276	—	Maii 5	Litterae Alexandri IV abbati Johanni Fossatensi de observandis quibusdam ordinationibus factis inter fratres Praedicatores et universitatem magistrorum et scholarium Paris.	315
277	—	— 8	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi dubitanti iterum mandat ut Introductorium in Evangelium aeternum et schedulas quasdam curet abolendas.	315
278	—	Junio	Statutum capituli generalis Ord. Praed. sub Humberto celebrati de delendis erroribus anno 1241 condemnatis. Scripta fratrum errores continentia mittantur magistro Ordinis. Reprobatur correctio Bibliae Senonensis.	316
279	—	—	Humbertus magister Ord. Praed. fratribus sui Ordinis de fratribus, qui linguas orientales addiscant, et de persecutione Parisiensi, jam aliquatenus temperata. . .	317
280	—	Junii 17	Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem directis compositionem inter fratres Praedicatores et magistros Parisienses initam reprobat, Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro super Albam, Christianumque tanquam contumaciae fautores omnibus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis privat, quos de regno Franciae amoveri, ceterosque magistros ni pareant et dictis fratribus ipsorum consortio interdicant, excommunicari jubet.	319
281	—	— 27	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat, fratres Praedicatores et Minores in collegium aliorum magistrorum admittendos esse, studium alio non transferendum, omnesque ordinationes, quae contra constitutiones apostolicas factae sint, irritas fore.	323
282	—	— 27	Alexander IV Ludovico regi Francorum mandat ut Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro super Albam, Christianumque, nisi pontificis mandatis paruerint, de regno Franciae expellat, Guillelmum etiam et Christianum carceri mancipet.	324
283	—	— 29	Alexander IV rogat decanum et capitulum Parisiense ut Johannem et Rogerum et Blasium nepotes suos, disciplinis scholasticis Parisiis vacaturos, in domibus claustralibus ecclesiae Parisiensis morari patiantur.	326
284	—	Julii 1	Alexander IV priori et fratribus Ord. Praed. Paris. compositionem inter ipsos et magistros Paris. initam significat irritam fore eosque ad scholas praecipue theologicas et scholasticam societatem esse admittendos.	327
285	—	— 22	Ordinatio facta in capitulo provinciali provinciae Provinciae Ord. Praed. de erroribus Parisiis anno 1241 damnatis.	328
286	—	— 28	Alexander IV praecipit, commendata magnopere Summa theologica fratris Alexandri de Hales, ministro Ord. Minorum in Francia, ut ad eam perficiendam mandato fr. Guillelmo de Melitona fratres idonei adjutores Parisiis assignentur.	328
287	—	Jul. 31-Aug. 4	Episcopi provinciarum Senonensis ac Remensis notum faciunt se vocatis Guillelmo de S. Amore et quibusdam viris scholasticis fratribusque Praedicatoribus obtulisse ut ad litem dirimendam Concilium celebraretur; Guillelmum acceptasse, Praedicatores vero renuisse.	329
288	—	Octobris 5	Alexander IV condemnat libellum Guillelmi de S. Amore, cui titulus : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*.	331
289	—	— 17	Alexander IV Ludovico regi Franciae fratres Praedicatores et Minores commendat atque ei denuntiat librum per nuntios suos transmissum, cui titulus : *De periculis novissimorum temporum*, a se reprobatum e condemnatum esse.	333

290	1256	Octobris 19	Alexander IV Ludovicum regem Franciae rogat, praebeat Turonensi et Rotomagensi archiepiscopis ac Parisiensi episcopo manum auxiliarem, ut mandata apostolica in gratiam fratrum Praedicatorum et Minorum exsequantur.	335
291	—	— 21	Alexander IV praecipit Petro Turonensi et Odoni Rotomagensi archiepiscopis et Reginaldo Parisiensi episcopo, ut libellum, cui titulus : *Tractatus brevis de periculis novissimorun temporum*, de errore damnatum cunctis denunticut.	337
292	—	— 21	Alexander IV hortatur archiepiscopos, episcopos et ecclesiarum rectores per regnum Franciae, Burgundiam, Picardiam, *etc.*, constitutos, ut fratres Praedicatores et Minores, quibus nonnulli magistri, doctores aliique sive in scholis sive in praedicationibus detrahunt, omni benevolentia et gratia prosequantur.	338
293	—	— 23	Capita, quae magistri Odo de Duaco et Christianus canonicus Belvacensis praesentibus cardinalibus se observaturos esse Anagniae juraverunt.	338
294	—	— 30	Alexander IV Turonensem et Odonem Rotomagensem archiepiscopos ac Reginaldum episcopum Parisiensem monet ut in fratribus Praedicatoribus et Minoribus defendendis totam curam intendant.	340
295	—	Octobri	Litterae capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciae Remensis ad Alexandrum IV, ut poenam magistris et scholaribus Paris., specialiter Guillelmo de S. Amore, Odoni de Duaco, Nicolao de Barro et Christiano Belvacensi, inflictam relaxet. . . .	341
296	—	Novembris 10	Alexander IV in litteris ad magistros Parisienses mirifice studium Parisiense laudat, Praedicatorum et Minorum defensionem suscipit, libellum Guillelmi de S. Amore damnatum denuntiat ac ne studium alio transferatur cavet.	342
297	—	Decembris 31	Odo archiepiscopus Rotomagensis et Reginaldus episcopus Parisiensis notum faciunt, se publicasse Parisiis litteras summi pontificis *Non sine multa cordis amaritudine*.	346
298	1257	Januarii 7	Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, ut regendi Parisiis in aliqua facultate licentiam nulli tribuat, nisi ei qui promiserit se litteras apostolicas *Quasi lignum vitae* inviolabiliter observaturum.	346
299	—	— 7	Alexander IV ad cancellarium S. Genovefae de eodem argumento	347
300	—	— 13	Alexander IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, nomina omnium magistrorum, qui infra quindecim dies post publicata mandata apostolica, ea se observaturos illi non promiserint, ad ipsum rescribat, ut rebellibus debita poena rependatur. .	347
301	—	Februarii 2	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut inhibeat, ne quis quidquam conferat pro expensis, quas ad litem contra fratres Ord. Praed. sustinendam Universitas facit.	348
302	—	Februario	Ludovicus IX Francorum rex notum facit, se magistro Roberto de Sorbona dedisse ad opus scholarium domum sitam Parisiis in vico de *Coupe-Gueule* ante palatium Thermarum.	349
303	—	Martii 10	Alexander IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem, ut regendi Parisiis in aliqua facultate licentiam nulli tribuat, nisi ei qui litteras apostolicas *Quasi lignum vitae* se firmiter observaturum promiserit.	350
304	—	— 11	Alexander IV ad cancellarium S. Genovefae Paris. de eodem argumento.	350
305	—	— 13	Alexander IV mandat Reginaldo episcopo Parisiensi ut illos magistros et scholares, qui renuerint contributionem facere et excommunicationis sententiam per cantorem Belvacensem et Robertum de Duaco in eos promulgatam incurrerint, absolvat, si promiserint mandata apostolica se observaturos.	350
306	—	— 30	Alexander IV ad Turonensem et Odonem Rotomagensem archiepiscos ac Reginaldum episcopum Parisiensem ut in fratrum Praedicatorum et Minorum, quos omni laude cumulat, defensionem totam curam intendant.	351
307	—	— 30	Alexander IV de eodem argumento ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos.	352

308	1257	Martii 30	Alexander IV ad universos patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ut libellum Guillelmi de S. Amore : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, de errore damnatum cunctis denuntient.	353
309	—	Maii 12	Alexander IV reprobat appellationes, quaecumque sint, magistrorum Parisiensium tanquam frivolas, decernitque ordinationem dictam *Quasi lignum vitae* inviolabiliter observandam.	354
310	—	— 23	Alexander IV universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, *etc.*, hortatur ut fratres Praedicatores benigne tractent, subditisque eorum innocentiam neglecta accusatione magistrorum Parisiensium exponant.	356
311	—	Maio	Humbertus magister general. Ord. Praed. consolatur fratres suos de tribulatione maxime in partibus gallicanis circa Parisios gravescente. Commendat papam, regem et cardinalem Hugonem speciales amicos et defensores.	358
312	—	Julii 14	Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. executionem praecipit eorum, quae a sede apostolica de frat. Praedicatoribus et Minoribus in consortium magistrorum Paris. recipiendis statuta fuerant.	359
313	—	— 31	Alexander IV rogat Ludovicum, regem Francorum, ut Reginaldo episcopo Parisiensi in executione mandatorum apostolicorum regaliter adsit.	361
314	—	Augusti 9	Alexander IV Guillelmo de S. Amore regno Franciae interdicit, omnemque docendi aut praedicandi facultatem ei adimit.	362
315	—	— 11	Alexander IV ad Ludovicum regem Francorum, ne patiatur Guillelmum de S. Amore suum regnum intrare.	363
316	—	— 23	Alexander IV ad Reginaldum episcopum Paris. de eodem argumento.	363
317	—	— 12 et 27	Declaratio magistri Christiani, canonici Belvacensis, Parisiis habita.	364
318	—	Septembris 24	Alexander IV Jacobo episcopo Bononiensi mandat ut sententiam in Guillelmum de Sancto Amore latam promulget ac magistris et scholaribus atque aliis Bononiensibus inhibeat ne dictum Guillelmum audiant, si forte praedicare vel cathedram magistralem ascendere praesumpserit.	367
319	—	— 27	Alexander IV, petentibus fratribus Praed., Reginaldo episcopo Parisiensi concedit facultatem absolvendi magistros et scholares Paris. mandatis apostolicis obedientes.	368
320	—	Octobris 2	Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. instrumentum transmittit, in quo juramentum Odonis de Duaco et Christiani Belvacensis continetur, eique injungit ut instrumentum publicet.	368
321	—	— 13	Alexander IV archiepiscopis et episcopis et abbatibus, *etc.*, ut sententiam in Guillelmum de S. Amore latam promulgent et servandam curent	369
322	—	....	Statuta circa scholasticum Noviomensem, qui etiam singulis annis scholis Noviomensibus de rectore sufficienti, qui Parisiis in artibus rexerit, providere debet.	370
323	—	....	Reginaldus episcopus Paris. concedit pauperibus scholaribus, qui Boni pueri nuncupantur, ut in domo eorum nova Parisiis oratorium possint construere.	371
324	1258	Aprilis 22	Alexander IV mandat Haimerico cancellario Parisiensi ut decem clericis pauperibus transmarinis Parisiis studentibus provideat.	372
325	—	Maii 18	Testamentum magistri Roberti de Duaco, legantis 1500 libras paris. omnesque suos libros ad opus scholarium in theologia studentium futurae domus Sorbonae et aliorum pauperum scholarium; inter testamenti executores Robertus de Sorbona nominatur.	372
326	—	*Maio*	Capitulum gener. Ord. Praed. sub Humberto Tolosae celebratum studiis generalibus Ord. concedit privilegia scholarium Paris	375
327	—	....	Ordinatio deputatorum priorum a Capitulo provinciali provinciae Provinciae Ord. Praed. de provisione studentium, de scriptis et libris eorum.	375

328	1259	Januario	Facultas artium statuit ut deinceps a determinatoribus et baccalareis inceptaris non capiantur vadia, sed pecunia numerata, nec ipsi nec rector pecuniam illam publicam alienent.	376
329	—	Februario	Ludovicus IX, Francorum rex, concedit in perpetuum Roberto de Sorbona in excambium quarumdam domorum omnes domos, quas habebat Parisiis in vico de *Coupe-Gueule* ante palatium Thermarum.	377
330	—	Martii 5 et 14	Alexandri IV litterae pro Dulci et Notio de Burgo, mercatoribus Florentinis, contra rectorem Universitatis atque ipsam Universitatem Parisiensem.	378
331	—	Aprilis 5	Alexander IV ad Reginaldum episcopum Parisiensem, ut vocatis omnibus magistris et scholaribus sententias et litteras omnes apostolicas pro tranquillitate studii Parisios directas publicet, ne studium, quod pacifice agit, iterum perturbetur.	381
332	—	— 5	Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem conqueritur de quorumdam contumacia, qui Guillelmi de S. Amore exsulantis partes acrius tenent.	382
333	—	Maii 5	Statutum facultatis artium, ne quis licentiandos in Sancta Genovefa examinet, nisi sit a facultate ipsa deputatus.	383
334	—	Maio	Ludovicus IX, rex Francorum, fratribus Ord. Cartusiensis locum et domum de Vallo Viridi prope Parisios concedit.	384
335	—	Junio	Statuta de studiis in Ordine Praed. edita a magistris Parisiensibus Bonohomine, Florentio, Alberto Magno, Thoma de Aquino, Petro de Tarantasia Ord. Praed. tempore Capituli generalis sub Humberto Valencenis celebrati.	385
336	—	Junii 13	Alexander IV Ludovicum regem Franciae hortatur, ut contra pacis turbatores brachii saecularis auxilium impendat, quo citius jurgia in Universitate Parisiensi exorta compescantur.	387
337	—	— 18	Alexander IV cancellario S. Genovefae praecipit ne cui licentiam regendi in aliqua facultate concedat, nisi prius juraverit se mandata apostolica exsecuturum.	387
338	—	— 19	Alexander IV scribit Reginaldo episcopo Parisiensi, ut artistis et eorum rectoribus sub poena excommunicationis praecipiat, ne se intromittant de faciendis et corrigendis sermonibus et licentiandis iis qui incipiunt in theologica facultate.	388
339	—	— 20	Alexander IV in litteris ad Reginaldum episcopum Parisiensem directis prohibet ne magistri et scholares Parisienses cum Guillelmo de S. Amore commercium litterarum habeant.	388
340	—	— 24	Alexander IV nonnullorum doctorum theologiae Parisiensium merita circa bonum statum studii Parisiensis et fratres Praedicatores et Minores laudat.	389
341	—	— 24	« Alexander IV mandat guardiano et fratribus conventus Parisiens., ut essent intrepidi et ferventes in pace conservanda atque studio, sicut ipse summus pontifex pollicetur se super his diligentia velle collaborare, *etc.*, aitque se sua scripta dirigere contra turbatores pacis et studii eorumdem, et incipit : « *Quantum sit a nobis pro quiete vestra* ».	389
342	—	— 26	Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. mandat ut rector et artistae perinde atque alii magistri et scholares Parisienses fratres Praedicatores in suum consortium recipiant; puniat praesertim Guillotum, bedellum nationis Picardorum, qui, praedicante Thoma de Aquino, libellum quemdam famosum publicavit.	390
343	—	Julii 11	Alexander IV magistris et scholaribus Parisiensibus praecipit ut studeant reconciliari cum fratribus Ordinum Praedicatorum et Minorum dimisso Guillelmo de S. Amore, cui, si poenituerit, non deerit apostolicae sedis misericordia.	392
344	—	— 25	Alexander IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut praebendam, quam Guillelmus de S. Amore in episcopatu Belvacensi tenuerat et cuidam clerico in favorem Guillelmi episcopus Belvacensis fraudulenter contulerat, personae ecclesiae Romanae devotae conferat.	395

345	1259	Julii 25	Alexander IV ad Haimericum cancellarium Paris. de licentiandis in quacunque facultate	396
345ª	—	Julio	Ludovicus IX, Francorum rex, fratribus domus S. Maturini quasdam domunculas ante palatium Thermarum donat, quas fratres eodem tempore Roberto de Sorbona vendiderunt	396
346	—	Augusti 2	Alexander IV cancellario S. Genovefae mandat ut licentiam regendi in artium facultate nulli concedat, nisi examinatus fuerit per quatuor magistros ab ipsa facultate deputatos	397
347	—	— 2	Alexander IV Ludovicum IX, regem Francorum, laudibus extollit quod collegium magistrorum artium in theologia studentium Parisiis instituere decreverit, exhortaturque ut opus prosequatur	397
348	—	— 4	Litterae supplicatoriae Alexandri IV ad praelatos regni Franciae pro pauperibus magistris de Sorbona, ut eis eleemosinam conferant	398
349	—	— 7	Alexander IV prorogat Universitati Paris. privilegium, ut servitores iisdem quibus magistri et scholares immunitatibus fruantur	399
350	—	— 8	Alexander IV prorogat concessionem, ut magistri actu regentes ad congregationes generales pro dandis consiliis accedere teneantur	399
351	—	— 8	Alexander IV prorogat Universitati Paris. privilegium, ut magistri et scholares extra civitatem Paris. per sententias apostolicas non possint trahi	400
352	—	— 8	Alexander IV ad decanum ecclesiae S. Macuti de Barro super Albam, ut singuli magistri et scholares Parisienses pecuniam conferant pro impensis ab Universitate factis	400
353	—	— 11	Alexander IV ad episcopum Parisiensem ut litteras, quibus petitionem universitatis magistrorum et scholarium de Guillelmo de S. Amore in statum pristinum restituendo tanquam indignam repulit, in communi eorumdem audientia faciat recitari.	401
354	—	Septembris 24	Reginaldus episcopus Parisiensis plures epistolas summi pontificis in praesentia artistarum ac quorumdam magistrorum et scholarium Parisiensium legi facit adjuncta admonitione de admittendis fratribus ad ipsorum consortium, de abstinendo a publicatione libellorum contra fratres, et de aliis	402
355	—	. . . .	Litterae supplices magistrorum Parisiensium ad Ludovicum regem, ut Guillelmus de S. Amore de exsilio revocetur	403
356	—	. . . .	Responsio Ludovici regis ad magistros Parisienses	404
357	—	. . . .	Litterae Ludovici regis ad Alexandrum IV pro reditu Guillelmi de Sancto Amore in patriam	405
358	—	Decembri	Theophania vendit fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini domum cum horto extra portam S. Eustachii, quo itur ad Montem Martyrum	405
358ª	—	—	Johannes de Eugubio, vicarius generalis Eremit. S. Augustini, in praesentia archidiaconorum Paris. recognoscit se emisse a Theophania ad opus fratrum quamdam domum, ipsumque habere propositum ibidem domum et oratorium construendi.	407
359	1260	Januarii 28	Alexander IV concedit magistro Petro Rufo, qui in theologica facultate honorem cathedrae magistralis adeptus erat, eum posse non obstante defectu natalium dignitates ecclesiasticas obtinere	408
360	—	Februario	Johannes prior S. Eligii Paris. concedit fratribus Ord. B. Mariae de Monte-Carmeli ut domum quamdam in parochia S. Pauli a Philippo Buketyn emptam libere possideant	409
361	—	Aprilis 25	Primordia Collegii Cluniacensis Parisiis	410
362	—	— 26	Magister Guerendus executor testamenti magistri Roberti de Duaco in favorem scholarium domus Sorbonae	411

363	1260	Aprili	Statutum facultatis artium, ne quis magister deputatus ad examinandum a parte B. Genovefae baccalareum ad petendam licentiam a parte eadem praesentet. De electione examinatorum et punitione transgressorum	412
364	—	Maio	Ordinationes Capituli generalis Ord. Minorum sub ministro generali Bonaventura Narbonae celebrati de fratribus mittendis Parisios ad studendum	413
365	—	Julii 22	Ordinatio Capituli provincialis provinciae Provinciae Ord. Praed. circa studentes Parisios mittendos	413
366	—	Decembris 3	Alexander IV Reginaldo episcopo Paris. concedit facultatem absolvendi a sententia excommunicationis illos clericos, qui libros famosos Guillelmi de S. Amore et aliorum detinuerant	414
367	—	....	Magister G. actu regens Parisiis in theologia magistrum T. objurgat quod sibi de suis nihil retinuerit. Dolet se libellum editum contra tractatum Guillelmi de S. Amore habere non potuisse	414
368	—	....	Magister T. respondet epistolae quam a magistro G. in theologia Parisiis regente receperat	416
369	1251-1260	....	Statutum ad quod bedelli Universitatis astringuntur	418
370	1261	Maii 15	Definitio quod fiat domus Parisiis pro studentibus Ord. Cluniacensis, facta anno Domini M°CC°LXI	418
370ᵃ	1254-1261	....	« Alexander IV quod redditus, in quibus juramento tenebamur pauperibus scolaribus Parisius studentibus, in usus canonicorum nostrorum in sacra pagina studentium verterentur »	419
371	1261	Junio	Admonitio Capituli generalis Ord. Praed. Barcinonae sub mag. Humberto celebrati	419
372	—	Novembris 10	Gualterus de Sancto Quintino de suis domibus Parisiis sitis in favorem pauperum scholarium disponit	419
373	1262	Februarii 13	« Lettres de l'Université contenant appel interjeté sous le nom de Guillaume recteur d'icelle en présence des quatre procureurs de la faculté des arts, de ce que les trois facultés de décret, de théologie et de médecine avaient entrepris de bailler mandement revocquer certains procès faits par lesdits recteur et procureurs des nations contre M. Gaultier. »	420
374	—	— 17	Ingerandus, dominus de Maintenay, omnes clericos eorumque ministros causa studiorum Parisios accedentes et per suam terram transeuntes a solvendo pedagio liberat	420
375	—	Martii 31	Urbanus IV Ivoni I, abbati Cluniacensi, construendi oratorium in domo Parisiensi, ubi fratres Cluniacenses student, dat facultatem	421
376	—	Maii 15	Urbanus IV magistris Gerardo de Abbatisvilla et Gerardo de Goiguelin injungit ut magistros et scholares ad contribuendum pro rata in debitis astringant	422
377	—	Junii 3	Urbanus IV magistris Gerardo de Abbatisvilla et Gerardo Goignelin scribit ne magistros et scholares Parisienses contra privilegia eis a sede apostolica concessa indebite molestari patiantur	423
378	—	— 22	Urbanus IV ad universos Christi fideles in gratiam collegii Sorbonici litteras dirigit	423
379	1263	Januarii 9	Urbanus IV priori de Cardineto potestatem absolvendi scholares clericorum percussores concedit	424
380	—	— 9	Urbanus IV archidiacono Meldensi de taxatione hospitiorum scribit	425
381	—	— 9	Urbanus IV Alermo episcopo Meldensi scribit, Reginaldum episcopum Parisiensem, abbates S. Genovefae et S. Germani atque decanum S. Marcelli inducat, ut a suis hominibus juramentum, quod aliquem Universitatis non offendant, exhiberi faciant	426
382	—	— 9	Urbanus IV Universitati Parisiensi privilegium fori confirmat	426
383	—	— 19	Urbanus IV concedit ut nullus in universitatem magistrorum et scholarium Paris. seu rectorem vel procuratorem eorum excommunicationis sententiam promulget	427
384	—	— 19	Urbanus IV Universitati Parisiensi statuta a Gregorio papa IX concessa confirmat	427

385	1263	Januarii 27	Urbanus IV archidiacono Pissiacensi committit ne Reginaldus episcopus Parisiens. impediat magistros et scolares Parisiens. in debitorum Universitatis solutione contribuere.	428
386	—	— 31	Urbanus IV Reginaldo episcopo Parisiensi mandat ut Praemonstratensibus in theologica facultate Parisiis studentibus super altare portatile celebrandi divina concedat facultatem	429
387	—	Martio	De quibusdam scholis in Clauso Brunelli, quae magistro Roberto de Sorbona venditae fuerunt	429
388	—	Maii 4	Urbanus IV congregationi pauperum magistrorum Sorbonae construendi oratorium facultatem concedit	430
389	—	— 14	Urbanus IV studium generale Palentinum restaurat, magistrisque et scholaribus privilegia ad instar Universitatis Parisiensis concedit	431
390	—	Maio	Statutum Capituli generalis Ord. Praed. Londini sub mag. generali Humberto celebrati de studentibus, qui possint Parisiis incipere	432
391	—	Augusti 29	Urbanus IV magistro Gerardo de Abbatisvilla, conservatori privilegiorum Universitatis Paris., magistrum Clementem de Sancto Germano adjungit	432
392	—	Decembris 26	Gerardus abbas S. Germani de Pratis Matthaeo abbati et conventui S. Dionysii concedit quamdam terram, ubi postea erectum est collegium S. Dionysii	433
393	—	Decembri	Ludovicus IX, rex Francorum, Roberto de Sorbona pro domibus in vico de Hirondale et in magno vico sitis ratione excambii domos quasdam ante palatium Thermarum ad opus pauperum scholarium concedit	434
394	—	....	Manfredus, rex Siciliae, doctoribus in philosophica disciplina Parisiis studentibus Aristotelis aliorumque philosophorum codices, quos in latinam linguam converti fecerat, dono transmittit	435
395	1264	Martii 28	Urbanus IV doctoribus in artibus Parisiis regentibus mandat ut magistrum Gualterum de Vaceria eorum consortio, quo erat privatus, restituant	437
396	—	Maii 26	Urbanus IV decernit an Stephanus cancellarius Parisiensis incipiens regere in theologica facultate testimonium perhibere debeat de licentiandis in eadem facultate.	438
397	—	Junio	Statutum Capit. generalis Ord. Praed. Parisiis sub magistro generali Johanne de Vercellis celebrati de promovendis ad magisterium theologiae Parisiis.	439
398	—	Junii 22	Urbanus IV quaestionem de magistro Petro Russel solvit pro honore Parisiensis ecclesiae, ad quam ratione Universitatis diversarum nationum gentes confluunt.	439
399	—	— 26	Urbanus IV decano ecclesiae de Abbatisvilla inquisitionem querelae magistrorum theologicae facultatis Paris. committit, quod Stephanus cancellarius sibi nomen et officium decani assumpsisset	440
400	—	— 26	Urbanus IV decano ecclesie de Abbatisvilla inquisitionem querelae magistrorum theologicae facultatis Paris. committit, quod Stephanus cancellarius Ivoni Britoni et Johanni de Aurelianis propria voluntate regendi licentiam concessisset.	441
401	—	— 28	Urbanus IV Johanni de Curtiniaco apud sedem apostolicam theologiae operam danti proventus beneficiorum suorum concedit perinde ac si Parisiis juris canonici studio institisset	442
402	—	Julii 2	Officialis curiae Parisiensis notum facit duas bursas in collegio Sorbonico fundatas esse in gratiam duorum magistrorum diocesis Ambianensis	443
403	—	— 11	Urbanus IV Odoni cancellario S. Genovefae Paris. scribit de magistro Evrardo, studente in theologia, qui plus quam per quinquennium Parisiis in artibus rexerat.	444
404	—	— 18	Urbanus IV decano ecclesiae Ambianensis scribit de Stephano cancellario Parisiensi.	444
405	1265	Martii 23	Simon apostolicae sedis legatus notum facit se vidisse litteras Roberti S. Stephani in Caelio Monte presb. cardinalis	445
406	—	— 24	Simon apostolicae sedis legatus litteris ad archipresbyterum S. Severini Paris. directis discordias inter nationes noviter ortas sedat	446

407	1266	Maii 27	Clemens IV in litteris ad Simonem legatum directis vehementer objurgat magistros, scholares aliosque qui privilegiis a sede apostolica concessis perverse abutuntur. .	446
408	—	Julio	Magister Stephanus, cancellarius Parisiensis, notum facit Johannem rectorem ecclesiae de Benis magistrum Robertum de Sorbona heredem suorum bonorum immobilium instituisse	448
409	—	Augusti 27	Ordinatio a Simone legato decreta, qua praeterita nationum Universitatis Paris. dissidia componit, de futuris ut componantur providet, rectoris eligendi modum statuit.	449
410	—	Septembris 12	Statutum Capit. generalis Ord. Cisterc. de monachis Parisiis studentibus.	458
411	—	Octobris 11	Clemens IV Guillelmo de Saana, thesaurario Rotomagensi, concedit ut in oratorio domus, quam pro saecularibus scholaribus Rotomagensis dioecesis Parisiis acquisivit, divina celebrentur.	458
412	—	— 18	Clemens IV magistro Guillelmo de S. Amore scribit de ipsius libro de novo edito, qui licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum sapit.	459
413	—	Octobri	Universitas Parisiensis notum facit Nicolaum, Tornacensem archidiaconum, quingentas libras Roberto de Sorbona contulisse; pro cujus remuneratione eidem concedit ut quinque magistros qui habeant notitiam idiomatis Flamingi, in domo Roberti de Sorbona annis singulis possit habere.	460
414	1266-1267	. . . .	Litterae officialis curiae Parisiensis, quibus dies dicitur, qua coram ipso magister Odo de Belleval pro libello quodam famoso contra magistrum Guillelmum Rigaut publicato parere debuit.	461
415	1267	Junii 21	Sententia Simonis legati contra magistrum Gaufridum canonicum et officialem Parisiensem, eo quod suos et episcopi servientes qui scholares agressi erant impunitos abire permisisset.	463
416	—	Julii 7	Litterae quibus magister Oddo de Belleval, clericus, et Guillotus Picardus, bedellus Universitatis, constituuntur, de consensu magistrorum Parisiensium cujusque nationis et facultatis, procuratores et nuntii speciales ad prosequendam appellationem sententiae a Simone cardinali legato latae contra magistrum Gaufridum, canonicum Parisiensem.	467
417	—	Octobris 28	Clemens IV Maurinum archiepiscopum Narbonensem objurgat quod Corpus Christi essentialiter in altari non esse dixerit, sed tantum sicut signatum sub signo, et hanc esse celebrem opinionem Parisiis adjecerit.	470
418	—	— p. 28	Maurinus archiepiscopus Narbonensis scribit papae Clementi super hoc de quo reprehensus erat, videlicet de verbo indiscreto circa sacramentum altaris.	470
419	—	. . . .	Rogerus Baco in libro Clementi IV dedicato deplorat Parisiis et ubique magistros sententiarios prae baccalariis sacrae scripturae dignitatem sibi vindicare.	473
420	1268	Januarii 23	Clemens IV magistro Radulfo de Albussone facultatem concedit Parisiis domum quamdam pro inhabitatione decem pauperum scholarium acquirendi.	474
421	—	Martii 23	Clemens IV Roberto de Sorbona provisori pauperum magistrorum convictum vel conventum approbat et de electione provisoris pro futuro ordinat.	475
422	—	— 30	Clemens IV Reginaldo episcopo Parisiensi injungit ut magistris sacerdotibus Collegii de Sorbona et aliis capellanis in eorum oratorio divina celebrandi det facultatem. .	476
423	—	Novembri	Guillelmus de Saana, ecclesiae Rotomagensis thesaurarius, de bonis suis ordinat et disponit pro duodecim scholaribus theologiae et duodecim parvis scholaribus artistis Rotomagensibus; scholaribus theologis domum et libros donat.	476
424	1227-1268	. . . .	Summus pontifex prohibet ne religiosi, abjecto suo habitu, leges et physicam in scholis audiant magistrosque easdem doceant.	478
425	1261-1268	. . . .	Summus pontifex archiepiscopo Remensi et Guidoni episcopo Autissiodorensi de corrigendis excessibus perpetratis in Universitate Parisiensi scribit	479

426	1269	Januarii 11	Sententia officialis curiae Parisiensis contra clericos et scholares, qui de nocte et die Parisiis cum armis incedunt et flagitia committunt	481
427	..	Februario	Litterae Johannis archiepiscopi Remensis et Guidonis episcopi Autissiodorensis, quibus enuntiant canonicos beneficiatos et clericos ecclesiae Paris. non teneri ad contributionem pro debitis Universitatis	482
428	..	Augusto	Ludovicus IX, Francorum rex, emptionem bonorum confirmat, quae Guillelmus de Saana ad sustentationem duodecim scholarium in theologia Parisiis studentium acquisivit	482
429	1270	Februarii 26	Ludovicus IX, Francorum rex, de taxatione hospitiorum scholarium	483
430	1226-1270	....	Ludovicus IX, rex Francorum, ad praepositum Parisiensem de scholaribus, qui mercedes hospitiorum non persolverunt	484
430a	1270	Februario	Testamentum Ludovici IX, regis Francorum, in quo quibusdam monasteriis religiosorum et scholaribus Parisiis exsistensibus providet	484
431	—	Septembris 29	Testamentum Roberti de Sorbona de suis bonis immobilibus	485
432	—	Decembris 10	Tredecim errores a Stephano episcopo Parisiensi condemnati	486
433	—	....	Statutum magistrorum medicinae contra magistrum Petrum de Lengres et contra baccalareos licentiatos contra consuetudinem	488
434	1271	....	Statutum facultatis medicinae contra illicite practicantes, scilicet ne quis Judaeus in aliquam personam fidei christianae chirurgice seu medicinaliter operari praesumat, et ne quis chirurgus, apothecarius, vel herbarius metas artificii sui excedat	488
435		Maio	Officialis curiae Paris. notum facit fratrem Gregorium Ordinis Vallis Scholarium executorem testamenti defuncti magistri Johannis de Rua concessisse Roberto de Sorbona in gratiam duorum magistrorum quasdam cameras sitas Parisiis	490
436	—	Octobris 19	Testamentum magistri Gerardi de Abbatisvilla in favorem scholarium theologiae domus Sorbonae	491
437	..	.. 28	Nomina librorum theologiae quos magister Stephanus, quondam archidiaconus Cantuariensis, legavit accommodandos pauperibus scholaribus Parisiis in theologia studentibus per manus cancellarii Parisiensis	493
438		Decembris 23	Philippus III, Francorum rex, Ivoni abbati et conventui Cluniac. concedit commutando quemdam vicum juxta duas domus eorum Parisiis ad hoc ut ipsas possint conjungere et perficere	494
439	1270-1274	....	Magister Nicolaus Lexoviensis scribit Guillélmo de S. Amore in exsilium ejecto ipsique suum librum contra mendicantes compositum transmittit	495
440	—	....	Guillelmus de S. Amore ex exsilio respondet Nicolao Lexoviensi	498
441	1272	Aprilis 1	Statutum facultatis artium contra artistas tractántes quaestiones theologicas, et ne quis quaestiones, quae fidem attingunt simulque philosophiam, contra fidem determinare audeat	499
442	—	Maii 17	Consilium magistrorum Parisiis regentium in decretis de magistro Guidone de Gastina ad collegium ipsorum non admittendo, nisi statuta observare juraverit	500
443	—	Julii 31	Carolus I, rex Siciliae, doctores et scholares Parisienses invitat ut Neapolim, ubi studium generale instauravit, docendi et audiendi causa veniant	501
444	—	....	Ordinatio facta a magistris facultatis medicinae, quod omnis baccalareus in praedicta facultate incepturus omnibus in medicina magistris in suo principio exsistentibus pileos administrabit	502
445	—	....	Declaratio facultatis decretorum de sensu privilegii summi pontificis quoad suspensionem lectionum	502
446	1271-1272	....	Conventio inter magistrum Johannem, cancellarium Parisiens., et facultatem decretorum de usu sigilli ejusdem facultatis	503

447	1274	Maii 2	Universitas artistarum Parisiens. Capitulo generali fratrum Praedicatorum de obitu Thomae de Aquino scribit corpusque et aliquos libros philosophicos ejusdem petit.	504
448	—	Augusti a. 15	Primaeva Statuta domus Sorbonae.	505
449	—	Novembris 1	Epistola, qua Gregorius X suas in Concilio Lugdunensi II promulgatas Constitutiones Universitati Parisiensi transmittit.	514
450	—	Novembri	Gaufridus de Barro notum facit se bona omnia quorum haeres a bonae memoriae Roberto de Sorbona constitutus fuerat, congregationi pauperum Scholarium ejusdem Roberti donare.	515
451	—	. . . .	Ordinatio a magistris facultatis medicinae facta de magistris decedentibus, de sigillo facultatis et de lectionibus.	515
452	1270-1274	. . . .	Capitulum eorum ad quae tenentur cursum incipere volentes.	516
453	—	. . . .	Capitulum eorum ad quae tenentur illi qui volunt licentiari in medicina Parisiis, et de libris audiendis.	517
454	—	. . . .	Capitulum eorum ad quae tenentur baccalarei in medicina incipere volentes.	517
455	—	. . . .	Capitulum de antiquis consuetudinibus et ordinationibus magistrorum in medicina.	518
456	—	. . . .	Statuta quae in facultate medicinae observari debent.	518
457	1275	Januarii 5	Gregorii X litterae ad Guillelmum provisorem et magistros domus de Sorbona, quibus concedit ne extra civitatem Parisiensem in jus trahantur super bonis quae habent.	519
458	—	— 5	Gregorii X litterae ad Guillelmum provisorem et magistros domus Sorbonae, ut bona ipsis a magistro Gaufrido, decano Parisiensi, collata, vendere, alienare, *etc.*, nequaquam cogi possint.	519
459	—	— 5	Gregorii X litterae ad Simonem, apostolicae sedis legatum, de eodem argumento. . .	520
460	—	Maii 7	Simonis apostolicae sedis legati litterae, quibus ad placanda nova dissidia inter quatuor nationes artistarum exorta rectorem, procuratores et bedellos eligendi potestatem sibi hac vice vindicat aliaque definit, et Petrum de Alvernia Universitati praeficit rectorem.	521
461	—	Decembris 5	Ordinatio facultatis artium de determinantibus, de baccalareis et de magistris. . . .	530
462	—	— 8	Ordinatio Universitatis Parisiensis de librariis sive stationariis.	532
463	—	Decembri	Officialis curiae Parisiensis notas facit duas chartas in favorem Roberti de Sorbona ex cujus testamento de suis bonis mobilibus quasdam clausulas affert.	534
464	—	. . . .	Fundatio Collegii Daciae.	536
465	1259-1275	. . . .	Summus pontifex cancellarium Parisiensem hortatur ut fr. Johanni de Lixiaco, Cluniacensis Ordinis, licentiam in theologia regendi tribuat.	536
466	1276	Januario	Philippus III, Francorum rex, notum facit se litteras vidisse quibus Ludovicus IX recognoscit privilegia magistris et scholaribus Parisiensibus a Philippo Augusto concessa.	538
467	—	Julii 27	Philippus III, Francorum rex, praeposito Parisiensi mandat ut magistros et scholares Parisiens. ab injustis violentiis defendat.	538
468	—	Septembris 2	Ordinatio Universitatis Parisiensis, ne magistri et baccalarei in locis privatis libros, exceptis grammaticalibus et logicalibus, legant.	538
469	—	Novembris 14	Guillelmus, archidiaconus ecclesiae Parisiensis, notum facit magistrum Guillelmum de Monte-Morenciaco electum fuisse in provisorem pauperum magistrorum de Sorbona.	539
470	—	Decembris 6	Simon legatus excommunicat illos qui in festo alicujus nationis ducunt publice choreas, portant arma, faciunt comessationes, in ecclesiis ad taxillos ludunt aliaque nefanda perpetrant.	540
471	1277	Januarii 18	Johannes XXI Stephano episcopo Parisiensi scribit ut de erroribus contra fidem, qui Parisiis de novo pullulare dicuntur, inquirat.	541

472	1277	Februarii 18	Ordinatio facultatis decretorum contra magistrum Emmanuelem, archidiaconum Cremonensem, perjurum et contumacem.	542
473	—	Martii 7	Opiniones ducentae undeviginti Sigeri de Brabantia, Boetii de Dacia aliorumque, a Stephano episcopo Parisiensi de consilio doctorum sacrae scripturae condemnatae.	543
474	—	— 18	Robertus Kilwardby, O. P. archiep. Cantuariensis, quosdam errores in grammaticalibus, logicalibus et naturalibus de consensu magistrorum Oxoniensium condemnat.	558
475	—	Junii 19	Universitas Parisiensis Robertum episcopum Silvanectensem rogat ut Adamum et Henricum Anglicos scholares Parisienses, per quosdam villicos vulneratos et in carcere detentos, liberandos curet.	560
476	—	— 28	Universitas Parisiensis Robertum episcopum Silvanectensem rogat ut injurias Adae et Henrico Anglicis scholaribus Parisiensibus illatas puniat.	561
477	—	— 28	Universitas Parisiensis ad episcopum Silvanectensem de eodem argumento.	562
478	—	— 28	Statutum de non reddendo domum vel scolas aliquo termino anni.	562
479	—	. . . .	« Accord fait le Roy present entre les nations d'Angleterre et de Picardye, et semble que ce feussent escolliers ».	564
480	1278	Maii 14	Enormes excessus a Gerardo abbate et monachis S. Germani de Pratis aliisque nequiter irrogati magistris et scholaribus Parisiensibus quos petunt per Simonem apostolicae sedis legatum emendari ac in exemplum puniri.	564
481	—	Junio	Capitulum generale Ord. Praed. sub Johanne de Vercellis Mediolani celebratum duos lectores in Angliam mittit ut illos fratres puniant, qui scriptis Thomae de Aquino detraxerant.	566
482	—	Julio	Litterae Philippi III, regis Francorum, quibus edicit ut ad expiandam duorum scholarium interfectionem abbas et conventus S. Germani de Pratis duas capellanias instituant, et utramque dotent de viginti libris parisiens. annui et perpetui redditus.	567
483	—	Septembris 12	Statutum Capituli generalis Ord. Cisterc. de indole eorum, qui Parisios ad studendum mittuntur.	568
484	—	— 18	Simon cardinalis legatus Gerardo, quondam abbati S. Germani de Pratis, qui propter atroces a monachis sui monasterii illatas scholaribus injurias officio et dignitati sponte cessit, possessiones assignat.	569
485	1279	Februarii 3	Decretum facultatis artium ut nulli dies ad incipiendum assignetur nullusque ad examen superius admittatur, nisi juraverit se determinasse Parisiis vel ubi sint ad minus duodecim magistri regentes.	570
486	—	— 5	Nicolaus III Simoni cardinali legato et Stephano episcopo Parisiensi injungit ut inquirant, an monachis Cluniacensibus collegii Paris. facultas dare possit alta voce in eorum oratorio celebrandi et coemeterium possidendi.	571
487	—	Maii 6	Litterae magistri Guillelmi de Saana, Rotomagensis ecclesiae thesaurarii, quibus Ricardum de Alacrimonte, clericum, constituit procuratorem suum ad mittendum clericos, a Guillelmo olim designatos, in possessionem bonorum omnium quae eis praedictus de Saana dederat.	572
488	—	— 14	Litterae officialis Rotomagensis, quibus notum facit a magistro Guillelmo de Saana constitutos fuisse magistrum Bertaudum de S. Dionysio, canonicum Parisiensem, et Guillebertum de Saana, canonicum Bajocensem, procuratores suos ad mittendum scholares in theologia in possessionem duarum domorum librorumque et utensilium in eis contentorum.	572
489	—	— 22	Litterae a pluribus magistris sigillatae, quibus notum faciunt magistros Petrum de Osqueville et Johannem de Tribus Petris a magistro Bertaudo de S. Dionysio de mandato magistri Guillelmi de Saana, thesaurarii Rotomagensis, in possessionem bonorum quae magister Guillelmus eis donaverat, positos fuisse.	574
490	—	Augusti 5	Simon cardinalis legatus dissensione orta inter magistros facultatis artium ex una parte et magistros in decretis et medicina ex altera inquisitionem ordinat de modo denuntiandi congregationes generales.	575

491	1279	Septembris 12	Capitulum generale Ord. Cisterc. statuit studentes in Montepessulano abbati Vallis-Magnae esse subjectos, sicut Parisienses abbati Claraevallis.	576
492	—	Octobris 1	Simon cardinalis legatus statuit ut rector quater in anno eligatur; normam electionis insuper praescribit.	576
493	—	— 19	Simon cardinalis legatus modum denuntiandi decanis facultatum in decretis et medicina congregationes generales definit.	577
494	1280	Januario	Philippus III, Francorum rex, concedit ut viginti quatuor scholares thesaurarii Rotomagensis duas domos ipsis a praedicto thesaurario traditas pacifice possideant. . .	579
495	—	Februario	Litterae Philippi III, regis Francorum, in gratiam scholarium Roberti de Sorbona. .	580
496	—	Aprilis 25	Jacobus archiepiscopus Upsaliensis studentibus Parisiis ex dioecesi Upsaliensi quasdam decimas episcopales assignat.	581
497	—	Junio	Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub magistro Johanne de Vercellis Oxonii celebrati de disputationibus magistrorum.	581
498	—	Junii 13	Nicolaus III Gualtero episcopo Pictaviensi, Ord. Minorum, injungit ut conventui Ord. Min. Paris. propter studentium multitudinem debitis onerato succurrat et summam 2000 lib. turon. persolvat.	582
499	—	Augusti 18	Ordinationes pro collegio Guillelmi de Saana ab ipso fundatore factae.	584
500	—	. . . .	Epistola, qua Nicolaus III Constitutiones suas Universitati Parisiensi transmittit. . .	586
501	—	. . . .	Juramenta incipientium in artibus.	586
502	1281	Maii 4	Diffinitio de scholaribus Collegii Paris. (Ord. Cluniac.) quod non debent admitti nisi solvant totam pensionem et integram, facta anno Domini M°CC°LXXXI.	588
503	—	— 23	Appellatio ad sedem apostolicam a magistro Petro de S. Amore, rectore Universitatis, contra magistrum Philippum, cancellarium Parisiensem, facta, quod Ferrandum, fratrem regis Aragonum, nullo ante tentatum examine, licentiare intendebat.	588
504	—	Julii 10	Decretum Universitatis Paris. ut occasione injuriae magistro Hugoni medico illatae, magistri lectiones non resumant, nisi privilegium Philippi Augusti observetur et emenda medico laeso praestita fuerit.	589
505	—	— 12	Declarat Universitas facta facultatum esse facta Universitatis.	590
506	—	— 23	Decretum quo deliberatio 12 Julii habita innovatur et confirmatur. Quicumque habet privilegia, statuta, *etc.*, Universitatis, ea ipsi restituat.	591
507	—	Octobris 10	Martinus IV Philippo III, regi Francorum, privilegia concedit in gratiam clericorum, qui ejus obsequiis insistunt et Parisiis student.	591
508	—	Decembris 13	Martinus IV fratribus Minoribus et Praedicatoribus privilegia quoad praedicationem et confessiones audiendas concedit.	592
509	1282	Januarii 21	Martinus IV Gerardo, quondam abbati S. Germani de Pratis, qui olim pro bono pacis in gratiam Universitatis Parisiensis regimini abbatiae cessit, bona et jura omnia ei collata confirmat.	593
510	—	Novembri	Responsum datum a magistris theologiae Parisiens. ad duos casus conscientiae propositos.	595
511	1282-1283	. . . .	Taxationes quaedam domorum a magistris in theologia et in artibus civibusque Parisiensibus, ann. 1282 et 1283 factae.	597
512	1284	Martii 7	Martinus papa IV magistris et scholaribus Parisiensibus de expensis Universitatis. .	600
513	—	— 7	Martinus papa IV abbati et cancellario Sanctae Genovefae de eodem argumento. . . .	601
514	—	Junio	Officiales curiarum Parisiens. notum faciunt Radulphum, episcopum Paris., provisori domus S. Thomae de Lupara concessisse facultatem LXXXV solidos paris. annui census in manum mortuam ex nonnullis domibus percipiendi.	602
515	1283-1284	. . . .	Responsiones magistri Johannis de Malignes, procuratoris facultatis artium Paris., oblatae summo pontifici et cardinalibus ad ea, quae cancellarius Parisiensis, Philippus de Thoriaco, facultati artium apud sedem apostolicam opposuerat.	605

516	1284	Octobris 24	Gaufridus presbyter cardinalis decano et capitulo Paris. notum facit quidquid summus pontifex in causa ab Universitate contra cancellarium Paris. Philippum de Thoriaco mota definiverit.	623
517	—	Decembris 7	Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis, cancellario Oxoniensi scribit de quibusdam opinionibus, quas Thomas de Aquino olim Parisiis arbitrio magistrorum Parisiens. subjecit, amareque de fratribus Praedicatoribus conqueritur.	624
518	1285	Januarii 1	Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis, de eodem argumento.	626
519	—	Februarii 18	Guerinus abbas et cancellarius S. Genovefae servientibus Universitatis Paris. injungunt ut ad singulorum hospitia accedentes nomina omnium cohabitantium in scriptis redigant et ab eis qui non solverunt bursas juxta mandatum apostolicum exigant.	628
520	—	Febr.-Mart.	Canonicorum Parisiensium rationes, ob quas non tenerentur contribuere in expensis, quas pro Universitatis Paris. negotiis interdum fieri contingit.	629
521	—	Martio	Capitulum Parisiense opem cardinalis Benedicti Cajetani contra oppressiones Philippi III regis et Universitatis Parisiensis implorat.	631
522	—	Junii 1	Honorius IV Ranulfo episcopo Parisiensi injungit provideat, ut in praesentia Nicolai cancellarii et magistrorum Paris. Aegidius Romanus, Ord. Eremit. S. Augustini, illas opiniones revocet, quas olim, Parisiis exsistens, revocare debuit.	633
523	—	— 1	Johannes Peckham, archiepiscopus Cantuariensis, Olivero episcopo Lincolniensi narrat qualiter ipse atque magistri Parisienses cum fratre Thoma de Aquino disputaverint, simulque discrimen inter scholas Ordinum Minorum et Praedicatorum describit.	634
524	—	Junio	Raimundus, abbas S. Germani de Pratis, notum facit, se totumque conventum in recompensationem quadraginta libr. turon., quas Universitati Parisiensi occasione contentionis ortae inter Universitatem et conventum tradere debuerunt, nundinas suas regi dimisisse.	635
525	—	—	Matthaeus abbas S. Dionysii et Simon de Nigella, tenentes locum domini regis Francorum, de eodem argumento.	636
526	—	Augusti 28	Capitulum Parisiense fratribus Ord. Eremit. S. Augustini Parisiis locum vendit situm in Cardineto.	637
527	1286	Januarii 23	Litterae Honorii papae IV ad Nicolaum cancellarium Parisiensem, quibus, ad exemplum pontificum Innocentii IV, Alexandri IV, Clementis IV et Gregorii X, providet ut clerici, in Arabica lingua et in ceteris partium Orientalium linguis eruditi, qui Parisius mittebantur, pro necessariorum defectu ab incepto studio desistere non cogantur.	638
528	—	Februarii 1	Litterae Honorii IV ad Johannem apost. sedis legatum, quibus decisiones Martini IV et suas circa processum Universitatis Parisiensis contra cancellarium Parisiensem notas facit.	639
529	....	....	Magister Eustacius de Grandicuria, vices gerens episcopi Silvanectensis, conservatoris privilegiorum Universitatis Parisiens., P. scholari Parisiensi patrocinium impendit.	642
530	....	....	Librorum theologiae et philosophiae et juris pretium ab Universitate Parisiensi taxatum quod debent habere librarii pro exemplari commodato scholaribus.	644

86.

INDEX GENERALIS

PER NOMINA ET PRAENOMINA PERSONARUM

ADJECTA MENTIONE RERUM NOTATU DIGNARUM

[Numerus paginam significat, asteriscus notas.]

A

ABBAS vel ABBATIA, *vide* S. ANTONII PARISIENSIS, S. BENEDICTI FLORIACENSIS, CISTERCII, CLARAEVALLIS, S. DIONYSII Paris., DE ELEMOSINA, DE FIRMITATE, FOSSATENSIS, S. GENOVEFAE Paris., S. GERMANI DE PRATIS, GRANDIS SILVAE, S. JOHANNIS IN VINEIS, MACERIARUM, MONTIS REGALIS, DE MORIMUNDO, S. PETRI CARNOT., DE PONTIGNIACO, PRAEMONSTRATENSIS, S. PREIECTI, S. REMIGII, DE THAMA, THIRON, TURONENSIS, VALLIS LUCENTIS, VALLIS MAGNAE, S. VICTORIS Paris.

ABBATISVILLA (Gerardus de), *v.* GERARDUS DE ABBATISVILLA.

ABBATISVILLAE scabini, 492.

ABRINCENSIS archidiaconus, *v.* GUILLELMUS.

ABSALON, archiepiscopus Lundensis, 42-44.

ACCUSATIO Universitatis Paris. contra Ordines religiosos, *v.* PRAEDICATORES.

ACELINUS, abbas S. Victoris Paris., 196, 197, 198, 210.

ACHAJAE Princeps, 411.

ACHARDUS, abbas S. Victoris Paris., 41*.

ADA, Ord. Min. in Anglia, 186; *v.* ADAM DE MARISCO.

— subdiaconus, 50.

— uxor Berot, 68.

— DE ATTREBATO, 598.

— dictus ROMANUS, 290, 291.

— DE STUPIS, 599.

ADAM ANGLICUS, scholaris Paris., 560; — graviter vulneratur, 561, 562.

— DE CHAMBLY, episcopus Silvanectensis, 113, 117, 158, 168, 193, 195*, 204, 226, 233, 234, 235, 236, 237, 248, 250, 280.

— DE GULYN (Gouly), archidiaconus Laudunensis, mag. in theologia, 595, 597.

— DE HAYA, magister, in theologica facultate studens, 574.

— DE MARISCO, Ord. Min. in Anglia, 216, 217, 218, 224, 225, 473; *v.* ADA.

ADAM DE PONTISARA graviter percussus, 565.

— DE SUESSIONE, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.

ADENULFUS, praepositus S. Audomari, in theologia magister, 619, 623*.

AEGIDII S. comes, 22.

AEGIDIUS, archidiaconus Rotomagensis, magister theologiae, 389.

— SS. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis, 164, 165*.

— episcopus Nicosiensis, 449.

— FONTIS SOMENSIS, senescallus Viromandensis, 148, 149, 150.

— DE LESSINIA, Ord. Praed., 427.

— DE MENTENAY, 421*.

— MIETTE, 239.

— PARISIENSIS seu CORBOLIENSIS; ejus poema, 68*, 517.

— ROMANUS, Ord. S. Aug., magister, 406*, 556*, 626*; — revocare debet opiniones suas, 633, 634*.

AGNELLUS, Ord. Min., custos apud S. Dionysium, 135*.

AGNES DE GRAVIA, 599.

— uxor Roberti I comitis Drocensis, 11, 15.

— DE VITRIACO, 290, 291.

AGNETEM (Monasterium apud S.), 106.

ALACRIMONTE (Ricardus de), *v.* RICHARDUS DE ALACRIMONTE.

ALANUS DE BECCLES, Anglicus, magister, 118*.

— JUVENIS, 600.

— MARTEL, canonicus Constantiensis, magister, 574.

ALBERICI pars in Universitate Paris., 523, 527-529.

ALBERICUS, clericus comitis Drocensis, 16.

— DE PORTA VENERIS, 21*.

— DE REMIS, rector Universitatis Paris., 521, 522, *etc.*

ALBERTUS, episcopus Placentinus, 208, 209*.

— Ord. Cluniacensis, prior de Monte Desiderii, in theologia magister, 595.

ALBERTUS MAGNUS, Ord. Praed., episcopus quondam Ratisbonensis, magister, 71*, 80*, 211*, 221*, 323*, 333, 385, 386*, 487*.

— TEUTONICUS, magister in decretis, 500, 501*.

ALBINO (Rogerus de S.), *v.* ROGERUS DE S. ALBINO.

ALBUSPANIS (Johannes dictus), *v.* JOHANNES dictus ALBUSPANIS.

ALBUSSONE (Radulphus de), *v.* RADULPHUS DE ALBUSSONE.

ALDOBRANDINUS CAIETANUS, S. Susannae presb. cardinalis, 93.

ALEBRANDINUS, dominus, canonicus Paris., 75.

ALERMUS (de Meaux), episcopus Meldensis, 329, 330*; — inducit Parisienses, quominus aliquem de Universitate offendant, 426.

— episcopus Leodiensis, 21.

ALEXANDER ANGLICUS, 597; — ejus vicus Parisiis, ibid.

— episcopus Leodiensis, 21.

— magister Parisiensis in curia degens, 140*, 141*.

— DE HALES, Ord. Min., magister, 135*, 158*, 187*, 217*, 221*, 473, 474, 634, 635*; — ad ejus summam theologicam perficiendam fratres adjutores assignantur, 328, 329*.

— NECKAM, 469*.

— DE REMIS, magister in decretis, 500.

ALGAZEL, 556*.

ALIOCTI UGUCCIO, *v.* UGUCCIO ALIOCTI.

ALIXIA DE VERGIACO, ducissa Burgundiae, conjux Eudonis III, 176*.

ALKINDUS, 556.

ALLEABATENSIS, 648.

ALLODIO (Johannes de), *v.* JOHANNES DE ALLODIO.

ALLOTUS DE PRATO, Ord. Minorum, in theologia magister, 595, 598.

ALMARICUS sive ALMERICUS, *v.* AMALRICUS.

ALMAURUS DE MEUDUNO, 222.

Alphonsi Petrus Hispanus, v. Petrus Alphonsi.

Alphonsus, filius regis Franciae, comes Pictaviensis et Tolosanus, 196*, 242, 244, 245, 246, 256, 259, 260.

—— III, rex Portugalliae, antea comes Boloniensis, 180*.

Alteis (Simon de), v. Simon de Alteis.

Altissiodorensis, v. Autissiodorensis.

Altona (Guillelmus de), v. Guillelmus de Altona.

Alvernia (Guillelmus de), v. Guillelmus de Alvernia.

—— (Petrus de), v. Petrus de Alvernia.

—— (Stephanus de), v. Stephanus de Alvernia.

Amalricus de Bena, 70, 70*, 71, 72, 79, 107*; — damnatio dogmatis ejusdem, 81, 82*.

Amando (Johannes de S.), v. Johannes de S. Amando.

Amaurianos (Tractatus contra), 72*.

Amauricus, v. Amalricus.

Ambianense capitulum, 64*.

Ambianensis archidiaconus, 81, 595*; v. Gerardus de Abbatisvilla; — cancellarius, 84; — canonicus, v. Evrardus de Roia, Guerendus; — decanus, 159; — episcopus, 443; v. Arnulphus magister, Gaufridus, Gerardus, Guillelmus.

Ambianis (Johannes de), v. Johannes de Ambianis.

Ambrosius S., doctor, 417*.

Amigdalorum vicus Paris., 599.

Amore (Liber de), 543, 557*.

—— (Guillelmus de S.), v. Guillelmus de S. Amore.

—— (Petrus de S.), v. Petrus de S. Amore.

Ancherus, cardinalis S. Praxedis, archidiaconus Paris., 576*, 602, 633.

And Andreas, v. Andreas And.

Andegavensis civitas, 194.

—— magister scholarium, 210.

Andegavis commorantes scholares et magistri Parisienses, 133, 134, 144, 253.

Andreas And, praepositus Upsaliensis, 581.

—— de Feucharhis, magister, 492.

Angelerius de Madelbertis de Cremona, notarius, 445.

Anglicorum natio in Universitate Parisiensi, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 446, 449, 450, 451, 452, 521, 530, 564, 589; v. Nationes, Sigillum.

Anglicus (Adam), v. Adam Anglicus.

—— (Bartholomaeus), v. Bartholomaeus Anglicus.

—— (Henricus), 560, 561, 562.

—— (Johannes dictus), v. Johannes dictus Anglicus.

Anglicus (Laurentius), v. Laurentius Anglicus.

Aniciensis senescallus, 165.

Ansellinus, filius Anselli de Garlanda, 198.

Ansellus de Buciaco, canonicus Paris., magister, 467.

—— de Gallandia, dominus Turnomii, 198.

Antidotarium Nicolai, 517.

Antiochenus patriarcha, 42; v. Petrus.

Antiochi imago, 115.

Antogniaco (Villa de), apud Parisios, 569, 594.

Antonii S. monasterium, Ord. Cisterc., Parisiis, 374; v. Guillelma abbatissa.

Apocalypsis novae liber abbatis Joachim, 297*.

Apothecarius, 489; v. Ludovicus, Mauritius.

Apriliosa, 396.

Aquamortua (Guillelmus dictus), v. Guillelmus d. Aquamortua.

Aquensis provincia, 338.

Aquino (S. Thomas de), v. Thomas de Aquino.

Arabica et aliae linguae Orientales in theol. facultate Parisiensi, v. Collegium Constantinopolitanum.

Archa (Cista), v. Universitas.

Archiepiscopi, episcopi et abbates sententiam in Guillelmum de S. Amore latam promulgant, 369.

—— episcopi et abbates regni Franciae, ut fratres Praedicatores et Minores prosequantur benevolentia, hortantur, 338.

Ardenc, v. Ardengus.

Ardengus, magister, canonicus Leodiensis, 117, 117*.

—— magister, canonicus Papiensis, postea episcopus Florentinus, 117*, 141.

Argentinensis episcopus, 277*.

Arginis (Matthaeus de), v. Matthaeus de Arginis.

Ariana haeresis, 206.

Aristoteles, 54, 435, 436, 556*, 558*, 559, 608, 614; — nec ejusdem libri de Naturali Philosophia, nec commenta legantur Parisiis, 70, 71*; — non de Metaphysica et de naturali philosophia, nec summae de eisdem, 79; — Tolosae permittitur, 131; — post examinationem eorum et resecationem errorum studeantur, 143.

—— liber de Anima, 71*, 228, 278, 605, 609.

—— libri de Dialectica, 78; — de veteri Logica, 228, 278, 279.

—— libri Ethicorum, 278, 607, 609, 618.

—— libri de Generatione, de Caelo et Mundo, de Animalibus, 71*, 278.

Aristoteles; libri de Memoria et Reminiscentia, 278; — de Morte et Vita, 278; — de Plantis, 278; — de Sensu et Sensato, 278; — de Sompno et Vigilia, 278.

—— libri de Metaphysica et Physica, 71*, 278, 279.

—— liber Methecororum, 278, 605.

—— libri Priorum, Posteriorum, Topicorum, Elencorum, 228, 278, 279, 606, 608.

—— libri translati, v. Johannes Hispanus, Michael Scottus.

Armarium S. Petri, 417.

Arnaldus, v. Arnulfus.

Arnoldus dictus Lemaçon, 434.

Arnulfus, abbas S. Genovefae, 601, 601*.

—— episcopus Lexoviensis, 18, 19*.

—— nepos comitis Gisnensis, 16.

—— (Arnaldus), magister, postea Ambianensis episcopus, 158*, 159, 161.

—— de Borcendi Curia, procurator capituli Parisiens. contra Universitatem, 631.

—— Latomi, 433*.

Arras (Jacobus d'), v. Jacobus d'Arras.

Artes seu Facultates liberales, 48, 56; — praeparant ad theologiam addiscendam, 148; — dirigunt ad sciendum, 262. — V. Artistae, Facultas artistarum.

Arthurus, rex Britanniae, 26.

Artistae Paris. et eorum statuta, 76, 78, 79, 89, 138, 144, 145*, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 258, 277, 278, 279, 330, 376, 383, 397, 412, 449-452, 575, 598, 607-622; — se intromittere nequeunt in hiis quae sunt theologicae facultatis, 388, 490; — recipere debent in suum consortium fratres Praedicatores, 390, 402; — dissensio inter eos ex una parte, et magistros medicinae et decretorum ex altera, 575. — V. Facultas, Nationes, Universitas.

Asgrenons (Radulfus dictus), v. Radulfus dictus Asgrenons.

Athanasius S., 417*.

Atrebatensis episcopatus, 374; — episcopus, v. Jacobus d'Arras, Robertus.

—— praepositus, 81.

Attrebato (Ada de), v. Ada de Attrebato.

—— (Vicus Parisiens. de), 597.

Aube Marle (Balduinus de), v. Balduinus de Aube Marle.

Aubercchis (Raimundus), v. Raimundus de Aubercchis.

Aubertus de Nemosio, canonicus S. Aurelii, 155.

—— dictus ad Fabas, 637.

Audomari S. praepositus, 595*; v. Adenulfus.

Augerus (Johannes), v. Johannes Augerus.

AUGI, Rotomagensis archidiac., 135.
AUGUSTINI S. Ord. Eremit. domus Parisiis, 405, 406*, 407; — in Cardineto, 637.
AUGUSTINUS S., 72, 130, 471, 472, 645, 417*, 627, 634.
AURELIANENSE studium, in quo leges legi permittitur, 156.
AURELIANENSIS decanus, v. JOHANNES DE HERREFORT; — episcopus, v. GUILLELMUS.
—— S. ANIANI ecclesia, 222.
AURELIANENSIS S. GERVASII prioratus, 199, 200, 218.
AURELIANIS commorantes magistri et scholares Parisienses, 144.
—— (de), v. JOHANNES, RADULPHUS, STEPHANUS TEMPIER DE AURELIANIS.
AURELII S. canonicus, v. AUBERTUS; — capicerius, 155.
AUTRIS, v. ALTRIS.
AUTISSIODORENSIS archidiaconus, 154.
AUTISSIODORENSIS decanus, 154.
—— episcopus, 410; v. GUIDO, GUILLELMUS.
——officialis, 154.
AUTISSIODORO (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE ALTISSIODORO.
AVERROES, 71*, 80*, 487*, 556.
AVICENNA, 556.
AYMARUS, archiep. Lugduneu., 593*.
AYMERICUS, v. HAIMERICUS.
AYMO DE GRAYO, 603.

B

BAATEL (Stephanus), v. STEPHANUS BAATEL.
BACCALAREI primo nominantur, 137, deinde, 178, ETC.
BACIA (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE BACIA.
BACO (Rogerus), v. ROGERUS BACO.
BAIOCENSIS archidiaconus, v. HENRICUS DE VERZEL, HUGO; — canonicus, v. GUILLEBERTUS, JOHANNES.
BAIONA (Bertrandus de), v. BERTRANDUS DE BAIONA.
BALDUINUS DE AUBE MARLE, rector ecclesiae S. Viviani Rotomagensis, 574.
—— I, Graecorum imperator, 62, 63*.
—— subdiaconus, 50.
—— DE DONGUN, miles, 16.
—— DE TORNACO, doctor theologicae facultatis, Ord. Praedicatorum, 380*, 469.
BALISTARIUS, 312.
BALLE (Johannes dictus), v. JOHANNES d. BALLE.
BALLIVUS, 59, 443, 561.
BALNEOLIS (Johannes de), v. JOHANNES DE BALNEOLIS.
BAPPALMIS (Hugo de), v. HUGO DE BAPPALMIS.
BARASTRE (Johannes de), v. JOHANNES DE BARASTRE.
BARBEDAURUS, decanus ecclesiae Parisiensis, 49, 50.
BARBITONSOR (Johannes), v. JOHANNES BARBITONSOR.
BARENTIN (Ricardus de), v. RICHARDUS DE BARENTIN.
BARLO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE BARLO.
BARRO (Comites de), 597.
—— (Gaufridus de), v. GAUFRIDUS DE BARRO.
—— (Lambertus de), v. LAMBERTUS DE BARRO.
—— SUPER ALBAM (Decanus ecclesiae S. Macuti de), 400.
—— SUPER ALBAM (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE BARRO SUPER ALBAM.
BARTHOLOMAEUS ANGLICUS, Ord. Minorum, 649*.
—— camerarius, 122.
—— episcopus Parisiensis, 96*, 106, 108, 109*, 113, 114, 117*.
—— tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis, 162.
—— DE BERTON, notarius, 380.
—— BRIXIENSIS, 650*.
—— DE CAPUA, 635.
—— DE PISIS, Ord. Min., 329*.
BASILIUS S., 417*.
BAUDUINUS, subdiaconus, v. BALDUINUS, subdiaconus.
BEAUNE, 186, 187*.
BECCLES (Alanus de), v. ALANUS DE BECCLES.
BECKET (Thomas), v. THOMAS BECKET.
BEDA, 28, 417.
BEDELLIONATUS officium, 391.
BEDELLUS, 86, 376; v. SERVIENTES; — bedelli in quatuor nationibus et in singulis facultatibus, 628; — statuta de eodem, 418, 451, 457, 467; — ejus electio, 521, 524, 525, 526, 530, 542, 578. — V. GUILLELMUS BISTERVE, GUILLOTUS, HENRICUS DE HAYA, JOHANNES DE CANDE, MAURITIUS, PETRUS dictus ROVELE, RADULPHUS BARBITONSOR, RICHARDUS NORMANNUS, SIMON.
BEKLEI (Robertus de), v. ROBERTUS DE BEKLEI.
BELIN (Johannes), v. JOHANNES BELIN.
—— (Ricardus dictus), v. RICHARDUS d. BELIN.
BELLEFOREST, 135*.
BELLEVAL (Odo de), v. ODO DE BELLEVAL.
BELLOMONTE (Johannes de), v. JOHANNES DE BELLOMONTE.
BELNA, v. BEAUNE.
BELVACENSIS archidiaconus, v. GARINUS, GUILLELMUS DE AUTISSIODORO, PETRUS.
—— canonicus, v. CHRISTIANUS, GUILLELMUS, can. Belvac.
—— cantor, 266; — neminem compellere potest ad contribuendum in expensis ab Universitate factis causa litis contra fratres Praed., 301, 348, 350.
BELVACENCIS episcopus, 70*; v. GUILLELMUS, JOHANNES, PHILIPPUS.
BELVACO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE BELVACO.
BENEDICTI S. Floriacensis abbas, v. JOHANNES, DIONYSIUS, THEOBALDUS.
—— domus super Sequanam, 200.
—— Parisiens. capellanus, 271.
—— Parisiens. ecclesia, 80, 94, 94*, 96*; — compositio fratrum Praedicatorum cum capitulo Parisiens. circa jura istius parochiae, 97*; — Parisiens. canonicus, 104.
—— DE REGRESSU praepositura, 200.
BENEDICTO (De S.), v. GUILLELMUS, JOHANNES, PETRUS.
BENEDICTUS CAJETANI, card., postea Bonifacius papa VIII, 631.
—— DE GUARTINO, scriptor papalis, 162.
BENIS (Ecclesia de), 448.
—— (Johannes de), v. JOHANNES DE BENIS.
BERBETTE (Johannes), v. JOHANNES BERBETTE.
BERENGARIUS NOTARII, Ord. Praed., magister in theologia, 557*.
BERNARDI S. ecclesia et domus in Cardineto Ord. Cisterc. Paris., 190, 191*, 192, 195, 196*, 213, 219, 220, 244, 245, 246, 251, 259, 260, 261, 289, 578; — congregatio Universitatis ibidem, 539, 578, 616; v. CAPITULUM, CISTERCIENS.
—— terra, 637.
BERNARDINUS PAGANELLI, 379.
BERNARDUS CHABERT, cancellarius Paris., 61*, 66*.
—— presbyter S. Nicolai, 598.
—— subdiaconus, 70, 70*.
—— DE BESSA, Ord. Min., 244*.
—— DE CATURCO, magister in decretis, 500.
—— COMPOSTELLANUS, 650*.
—— GUIDONIS, Ord. Praed., 307, 319, 386, 419, 560*.
—— DE INSULA, 12, 13.

Bernardus de Littera, notarius, 338.
—— Parmensis, 337, 650*.
—— S., 649, 649*.
Bernerus de Nivella, 487*.
Berot (Stephanus), v. Stephanus Berot.
Bertaudus (Bertaldus) de S. Dionysio, canonicus Paris., procurator Guillelmi de Saana, 572, 574, 600.
Berton (Bartholomaeus de), v. Bartholomaeus de Berton.
Bertrandus de Bajona, Ord. Min., 415*; vocabatur Strabo.
Bertrannus, cancellarius Parisiens., v. Bernardus Chabert.
Bessa (Bernardus de), v. Bernardus de Bessa.
Bevanz Milo, v. Milo Bevanz.
Beveris flumen, 667.
Biard (Nicolaus), v. Nicolaus Biard.
Biblia, v. Scriptura sacra.
Bichie Lombardus, 598, 600*.
Bievra (Vicus Parisiens. de), 599.
Bilomio (Hugo de), v. Hugo de Bilomio.
Bistervie (Guillelmus), v. Guillelmus Bistervie.
Bisuntinus archiepiscopus, 84*, 450.
Bituricensis archidiaconus, 141; v. Philippus.
—— archiepiscopus, 35; v. Philippus.
—— provincia, 338.
Blanca, regina Francorum, 109, 126, 127, 128, 146, 190*, 221, 222, 223, 224; — de benigna receptione Gaufridi et Guillelmi magistorum, 146; — pro fratribus Praedicatoribus, 190*.
Blanesco (Johannes de), v. Johannes de Blanesco.
Blans (Guillelmus de), v. Guillelmus de Blans.
Blasius, Alexandri IV nepos, Parisiis studens, 326.
Bles (Odo de), v. Odo de Bles.
Blesensis (Petrus), v. Petrus Blesensis.
Blesis (Ecclesia de), 597.
Blontin (Johannes), v. Johannes dictus Blontin.
Blundus (Johannes), v. Johannes Blundus.
Boetii libri Topicorum et Divisionum, 228, 230*, 278, 279, deinde 403, 404.
Boetius de Dacia, magister; ejus opiniones condemnatae, 543.
—— Dacus, Ord. Praed., 556*.
Boighval (Johannes de), v. Johannes de Boighval.
Bolonia (Comitissa de), 373.
Bonagratia, minister generalis. Ord. Minorum, 583, 584*, 596*.
Bonamicus, notarius, 468, 469.
Bona Valle (Stephanus de), v. Stephanus de Bona Valle.
Bonaventura, Ord. Min., magister regens Paris., 187*, 244*, 333*, 339, 366, 415*, 498*, 634, 635*, 647; — in societatem scholasticam Paris. recipiatur, 366; — capitulum generale sub eodem Narbonae celebratum, 413.
Bonaviti (Johannes), v. Johannes Bonaviti.
Bondevilla (Robertus de), v. Robertus de Bondevilla.
Bonefille (Guillelmus), v. Guillelmus Bonefille.
Boni pueri, v. Scholares pauperes.
Bonifatius, abbas Cisterciensis, 187*.
Bononia, 365, 649*.
Bononiensis ecclesia, 367; — episcopus, v. Jacobus de Buoncambio.
—— prior Ord. Praed., 132.
—— provinciae fratrum Minorum scholae et eorum privilegia, 214.
Bonushomo, Brito, magister Ord. Praed., 244*, 280, 385.
Borcendi Curia (Arnulfus de), v. Arnulfus de Borcendi Curia.
Bosco Normanni (Johannes de), v. Johannes de Bosco Normanni.
—— Rogeri (Petrus de), v. Petrus de Bosco Rogeri.
Boulenc (Guillelmus), v. Guillelmus Boulenc.
Bouquelont (Ecclesia de), 574.
Bourdon (Ervandus), v. Ervandus Bourdon.
Bouret V., v. V. Bouret.
Brabant (Simon de), v. Simon de Brabant.
Brabantia (Sigerus de), v. Sigerus de Brabantia.
Brachi (Johannes), v. Johannes Brachi.
Braia, 15.
Braio (Guillelmus de), v. Guillelmus de Braio.
Braya (Gilebertus de), v. Gilebertus de Braya.
Breau (Nicolaus de), v. Nicolaus de Breau.
Bretegnon (Guillelmus de), v. Guillelmus Bretegnon.
Bretevilla (Julianus de), v. Julianus de Bretevilla.
Brideport (Simon de), v. Simon de Brideport.
Brito Bonushomo, v. Bonushomo Brito.
—— (Ivo), v. Ivo Brito.
—— (Thomas), v. Thomas Brito.
Britonaria (Vicus de), 377.
Britonem ad Magnum scholae, in vico de Atrebato, 597.
Broisellis (Gualterus de), v. Gualterus de Broisellis.
Brolii (Villa de), prope Parisios, 569, 598.
Bruerollis (Hugo de), v. Hugo de Bruerollis.
Brugis concilium provinciale habitum, 106*.
Bruiere (Radulfus de la), v. Radulfus de la Bruiere.
Brun (Gilon le), v. Gilo le Brun.
Brunelli (Scolae in Clauso), 267*, 429.
Bruneti de Brageriaco (Elias), v. Elias Bruneti de Brageriaco.
Buch (Christianus de), v. Christianus de Buch.
Bucherie (Buscheria), vicus Parisiens., 598, 599.
Buciaco (Ansellus de), v. Ansellus de Buciaco.
Buissi (Laurentius de), v. Laurentius de Buissi.
Buketyn (Philippus), v. Philippus Buketyn.
Buoncambio (Jacobus de), v. Jacobus de Buoncambio.
Burdegalensis archiepiscopus, v. Gerardus; — provincia, 338.
Burgenses Paris. constringuntur per privilegium regale pro pace ac securitate scholarium Parisiens., 144, 146; — taxant hospitia clericorum et religiosorum, 232, 233. — V. Cives, Taxationes.
Burgensia, 60.
Burgo (Dulcis et Notius de), v. Dulcis et Notius de Burgo.
Burgo S. Donnini (Gerardus de), v. Gerardus de B. S. D.
—— S. Remigii (J. de), v. J. de Burgo S. Rem.
Burgundiae ducissa, v. Alixia; — provincia, 338.
Burgundio (Hugo de), v. Hugo de Burgundio.
Burgundus (Jacobus), v. Jacobus Burgundus.
Bursae in collegio Sorbonico fundatae, v. Domus Sorbonae.
Bursam dare, 585.

C

C., praepositus Saxelurgensis, 33.
CACAHOS (Vicus Parisiens. de), 599.
CACHANT (Droco de), v. DROCO DE CACHANT.
CADIOCUS, episcopus Venetensis, 157.
CAESARE (Stephanus de SACRO), v. STEPHANUS DE S. CAESARE.
CAILLOT (Stephanus dictus), v. STEPHANUS d. CAILLOT.
CAMBERIACO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE CAMBERIACO.
CAMERACENSIS, v. MONTE (Ecclesia de).
CAMPANA, 564, 571.
CAMPELLI locus prope Parisios, 72*.
CAMPIS (Dionysia de), v. DIONYSIA DE CAMPIS.
CANAPEVILLA (Willelmus de), v. GUILLELMUS DE CANAPEVILLA.
CANCELLARIA Parisiensis, circa residentiam tenendam et fructus, 65, 75; — eadem vacante Guillelmus episcopus Parisiensis licentiam regendi in decretis concessit, 161, 165.
CANCELLARIUS Ambianensis, v. AMBIANENSIS CANCELLARIUS.
—— Carnotensis, v. CARNOTENSIS CANCELLARIUS.
—— S. Genovefae; mentio ejusdem non fit ante annum 1255, 209; deinde, 347, 350, 387, 397, 444, 451, 571, 601, 628, 629, 631. — V. GAUFRIDUS, ODO. — V. *Introductionem*, UNIVERSITAS.
—— Mediolanensis, v. MEDIOLANENSIS CANCELLARIUS.
—— Oxoniensis, v. ROGERUS.
—— Parisiensis, 61*, 65, 66*, 69*, 73, 74, 75, 77-79, 81*, 85, 87, 93, 102, 103, 111, 112, 133, 134*, 139*, 144, 148, 149, 150, 151, 155, 162*, 167, 170, 171, 172*, 174, 179*, 180*, 201, 202, 203, 204, 205, 206, 207, 208*, 209, 210, 211, 212, 214, 218, 219, 232, 233, 238, 240, 252, 298, 307, 316, 346, 350, 372, 396, 438*, 440, 441, 444, 448, 471, 475*, 476, 493, 494, 503, 536, 537, 588, 589*, 595, 605-624, 633, 639, 640; — ejusdem jurisdictioni scholares Parisienses subjiciuntur, 150; — studii ducit directas habenas, 180*; — caput Universitatis, 618, 639; — auctoritas restringitur, 75; — carcerem habere ei interdicitur, 103, 138; — theologiae decretorumque doctores ad regendum inter duos pontes astringit, 111; — circa ejus residentiam, 65; — sacramentum fidelitatis exigit, 75; — juramentum ejus coram episcopo, 137; — sententia contra scholares lata irrita declaratur, 88; — ejus officium circa licentiandos, 136-139, 163, 283, 445; — monetur a papa ut fratri Johanni de Lixiaco Cluniac. Ord. licentiam in theologia regendi tribuat, 536. — *V.* BERNARDUS CHABERT, GALTERUS DE CASTELLO THEODERICI, GUIARDUS, HAIMERICUS DE VEIRE, HILDUINUS, JOHANNES DE CANDELIS, JOHANNES DE AURELIANIS, NICOLAUS, NICOLAUS DE NONANCURIA, ODO, ODO DE CASTRO RADULPHI, PETRUS COMESTOR, PETRUS PARVUS, PETRUS PICTAVENSIS, PHILIPPUS DE GRÈVE, PHILIPPUS DE THORIACO, PREPOSITINUS, STEPHANUS REMENSIS, STEPHANUS TEMPIER. — *V. Introductionem.*
CANCELLARIUS Turonensis, v. G.
CANDE (Johannes de), v. JOHANNES DE CANDE.
CANTUARIENSIS archidiaconus, v. STEPHANUS; — archiepiscopus, v. JOHANNES BLUNDUS, JOHANNES PECKHAM, ROBERTUS, STEPHANUS LANGTON; — ecclesia, 17.
CAPA rotunda, 79, 228, 230, 565, 586.
CAPELLA (Gaufredus de), v. GAUFRIDUS DE CAPELLA.
CAPERON (Daniel), v. DANIEL CAPERON.
CAPITA jurata per magistros Odonem de Duaco et Christianum canonicum Belvacensem, 338.
CAPITALE scholarium Paris, 60, 121, 615, 623*; v. CHEVETAINE.
CAPITULA ecclesiarum cathedralium provinciae Remensis pro magistris et scholaribus Parisiensibus, 341.
CAPITULUM generale Ord. Cist. abbati Evrardo Claraevallensi concedit privilegium habendi clericos Parisiis, 164; — in capitulo congregatis Innocentius IV scribit circa studium theologiae Parisiis, 183; — prima ordinatio capituli, 184, 245, 246; — ordinatio circa praefectum studii Parisiensis, 213, 220; — circa studentes in Montepessulano, 576. — *V.* insuper 458, 568.
—— generale Ord. Cluniacensis, 410, 418, 588.
—— generale Ord. Minorum Narbonae celebratum de studentibus Parisiis, 413.
—— generale Ord. Praedicatorum Parisiis celebratum sub Jordano magistro de fratribus ad studendum Parisios mittendis, 153; — Bononiae celebratum de studentibus, 167; — Mediolani sub Johanne de Vercellis celebratum de punitione fratrum, qui scriptis Thomae de Aquino detraxerant, 566; — Parisiis de promovendis ibid., 439; — ibidem sub magistro Johanne Teutonico, 173, 190; — Treviris celebratum, 214; v. insuper 419, 432, 581; — cap. provinciale provinciae Provinciae circa studentes Parisios mittendos, 413.
CAPITULUM Parisiense, 63, 64, 80, 81, 82, 89, 90, 94, 113 et passim; — Cisterc. Ord. fratribus loca quaedam juxta Parisios concedit, 195; — fratribus Eremit. S. Augustini locum vendit, 637; — compositio cum fratribus Praedicatoribus, circa jura parochiae S. Benedicti, 97*; — laudatur ob benevolentiam in fratres Praedicatores, 96; — querelae contra Universit., 629; — opem cardinalium implorat contra Philippi III regis et Universitatis Parisiens. oppressiones, 631.
CAPUA (Bartholomaeus), v. BARTHOL. DE CAPUA.
—— (Petrus de), v. PETRUS DE CAPUA.
CAPUCIUM, 228, 506, 565.
CARDINALES S. R. E. diaconi, v. AEGIDIUS, GUALA BICHIERI, JOH. GAJETANUS, MATTHAEUS, OCTAVIANUS, ODO LOMBARDUS, PETRUS, ROMANUS.
—— episcopi, v. HENRICUS HOSTIENSIS, HIERONYMUS, JACOBUS, JOHANNES HALGRAIN, OCTAVIANUS, ODO, ORDONIUS, PETRUS, STEPHANUS.
—— presbyteri, v. ALDOBRANDINUS. ANCHERUS, BARTHOLOMAEUS, BENEDICTUS CAJETANI, GAUFRIDUS DE BARRO, GUILLELMUS S. MARCI, GUILL. S. PETRI AD VINC., HUGO DE S. CHARO, J. SS. COSMAE ET DAM., JOHANNES, ROBERTUS S. STEPHANI, SIMON.
CARDINETO (S. Nicolai Parisiens. ecclesia de), v. S. NICOLAI.
—— priori de Ord. Cist. conceditur facultas absolvendi magistros et scholares, qui clericos percusserunt, 424.
CARDINETUM sive CARDONETUM, vicus Parisiensis, 109, 637, 638*; v. S. AUGUSTINI ORDO EREMIT., CISTERCIENSIS ORDO.
CARIATH SEPHER, Parisiorum civitas, 50, 51, 137, 140, 341; v. PARISIORUM civitas.
CARMELITAE fratres Parisiis, 374, 375*, 409, 410; v. GERARDUS BONONIENSIS.
CARNIS (Walterus), v. WALTERUS d. CARNIS.
CARNOTENSIS S. Petri abbatia seu monasterium, 212, 213.
—— archidiaconus, 570*, 594; — cancellarius, 108.

CARNOTENSIS episcopus, v. MATTHAEUS.
—— (Reginaldus), v. REGINALDUS CARNOTENSIS.
CARNOTO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE CARNOTO.
CAROLUS I, rex Siciliae, doctores et scholares Parisienses invitat ut Neapolim veniant, 501.
CARTUSIENSES fratres Parisiis, 374, 384.
CASSIODORUS, 28.
CASTELLANUS DE INSULA, 534.
CASTELLARIO (Johannes de), v. JOHANNES DE CASTELLARIO.
CASTRO RADULPHI (Odo de), v. ODO.
CATHALAGO (J. de), v. J. DE CATHALAGO.
CATHALAUNENSIS thesaurarius, 190*.
CATHARINAE S. festum, 124, 125.
—— S. Vallis Scholarium, v. VALLIS SCHOLARIUM.
CATO censor, 53.
CATURCENSIS episcopus, 277*, 598.
CATURCO (Bernardus de), v. BERNARDUS DE CATURCO.
—— (Raimundus de), v. RAIMUNDUS DE CATURCO.
CAUDA (Maria de), v. MARIA DE CAUDA.
CAUSAE clericorum Parisiensium jure canonico decidantur, 12.
CAUSIS (Liber de), 278, 605.
CENOMANENSIS archidiaconus, v. GERVASIUS DE CLINO CAMPO; — episcopus, 103; v. HILDEBERTUS, JOHANNES, MAURITIUS.
CENTOVILLA (Johannes de), v. JOHANNES DE CENTOVILLA.
CERDA (W. de), v. W. DE CERDA.
CHALIACO (Comitissa de), 373.
CHAMBERIACO (Petrus de), v. PETRUS DE CHAMBERIACO.
CHAMBLEYO (Petrus de), v. PETRUS DE CHAMBLEYO.
CHANCION (Ludovicus), v. LUDOVICUS CHANCION.
CHANDELIS (Galterus de), v. GALTERUS DE CHANDELIS.
CHANLAYO (Johannes de), v. JOHANNES DE CHANLAYO.
CHANLEYO (Johannes de), v. JOHANNES DE CHANLEYO.
CHARO (Hugo de S.), v. HUGO DE S. CHARO.
CHAUVEL (Gaufridus), v. GAUFRIDUS CHAUVEL.
CHEVETAINE des escoliers de Paris, 123; v. CAPITALE.
CHEVIN (Renoaldus), v. RENOALDUS CHEVIN.
CHISTOLEUR (Nicolaus le), v. NICOLAUS LE CHISTOLEUR.
CHORBAS ducere, 230, 540, 586.
CHRISTIANUS, canonicus Belvacencis, magister, sectator Millenariorum, Mendicantibus offensus, 323*; — beneficiis privatur, 319, 320; — expellatur de regno Franciae nisi mandatis papae paruerit, 324, 325, 326; — certa capita servare jurat, 338, 339, 341, 342; — declaratio ejus Parisiis habita, 364, 365; — jurat apostolicis se staturum mandatis, 368, 369; v. ODO DE DUACO.
CHRISTIANUS DE BUCH, archiepiscopus (intrusus) Maguntinus, 21.
CHRISTOPHORI (Ecclesia S.), 80; — vicus, 598.
CHRISTOPHORUS DE PECUSIIS, magister de natione Gallicorum, 589.
CISTA, v. ARCHA.
CISTERCIENSIS Ordo; prima domus ejusdem Parisiis, 109, 164, 190, 191, 192; — in Cardineto, 195, 213 et postea; — fratres studentes Parisiis apud S. Bernardum, 190, 191*; — in theologica facultate studentes sub protectione suscipiuntur, privilegia ordinis aliaque jura conceduntur, 289; — eis a capitulo Parisiensi conceduntur loca quaedam juxta Parisios, 195; — studentibus privilegia dantur, 219, 220; — et quidem eadem ipsa fratrum Praed. et Minorum, 251; — viginti monachi ibid., 245; — de admittendis ad professionem novitiis et conversis, 260, 261, 375; — provisor domus, 213, 219, 220, 259; v. GUILLELMUS. — V. S. BERNARDI eccles., CAPITULUM.
CISTERCIENSIUM domorum taxatio, 179, 232, 233.
CISTERCII abbas, 183, 192; v. BONIFATIUS.
CITHARA (Johannes de), v. JOHANNES DE CITHARA.
CIVES Parisienses jurare debent ne cui scholarium injuria fiat, 59, 426; — juramenta eorum pro pace villae servanda, 222; v. BURGENSES.
CLAPWEL (Richardus), v. RICHARDUS CLAPWEL.
CLARAEVALLIS abbas Ord. Cist., 183, 213; — circa monachos Parisiis studentes, 458, 568, 576. — V. CISTERCIENSIS ORDO, EVRARDUS, STEPHANUS.
CLAREMBALDUS, abbas S. Augustini, 18, 19*.
CLAROMONTE (Guido de), v. GUIDO DE CLAROMONTE.
CLAUSTRO (Petrus de), v. PETRUS DE CLAUSTRO.
CLAUSUM BRUNELLI, v. BRUNELLI.
—— MALI VICINI, 61, 62*.
CLEMENS DE S. GERMANO, canonicus Parisiensis, magistro Gerardo de Abbatisvilla adjungitur, 432.
—— presbyter de Issiaco, 597.
—— prior generalis Ord. S. Augustini, 637.
—— scriptor, 580.
CLINO CAMPO (Gervasius de), v. GERVASIUS DE CLINO CAMPO.
CLUNIACENSE collegium, v. COLLEGIUM CLUNIACENSE.
CLUNIACENSIS Ordo, 372.
COCCUS (Petrus), v. PETRUS COCCUS.
COCHE (Johannes), v. JOHANNES COCHE.
COLERICA (Robertus de), v. ROBERTUS DE COLERICA.
COLLEGIA sex Ordinum religiosorum Parisiis, 253, 258.
COLLEGIUM Cluniacense Parisiis ejusque primordia, 410, 418, 573, 575, 579; — ejusdem capella, 421, 571; — quadraginta studentes in domo continue commorantur, 571*. — V. CAPITULUM, GALDERICUS, IVO.
—— Constantinopolitanum seu potius Orientale, 212, 213, 324, 638.
—— Daciae ejusque fundatio, 536.
—— S. Dionysii Parisiensis, 433.
—— Guillelmi de Saana, v. COLLEGIUM THESAURARII.
—— magistrorum artium in theologia studentium Parisiis a Roberto de Sorbona et Ludovico IX institutum, v. DOMUS SORBONAE.
—— Navarrae, 135*.
—— Praemonstratense, 291*.
—— Radulfi de Albussone, 474.
—— scholarium decem et octo, 49; v. JOCIUS.
—— Sorbonae, v. DOMUS SORBONAE, ROBERTUS DE DUACO, ROBERTUS DE SORBONA.
—— Thesaurarii, 453, 458*; v. GUILLELMUS DE SAANA.
—— Upsaliense, 581.
—— V. AUGUSTINI S. ORD. EREMIT. DOMUS, CARMELITAE, CISTERCIENSIS ORDO, S. HONORATI, MINORES FRATRES, S. NICOLAI DE LUPARA, PRAEDICATORES FRATRES, SCHOLARES PAUPERES, S. THOMAE DE LUPARA, VALLIS SCHOLARIUM.
COLONIA (Henricus Theutonicus de), v. HENRICUS DE COLONIA.
COLONIENSE studium generale Ord. Praedicatorum, 211*.
COLONIENSIS archiepiscopus, 277*; v. REGINALDUS.
COLUBRIO (Petrus de), v. PETRUS DE COLUBRIO.
COLUMPNA (Petrus de), v. PETRUS DE COLUMPNA.
COMESTOR (Petrus), v. PETRUS COMESTOR.
COMIN (Philippus), v. PHILIPPUS COMIN.
COMPOSTELLANUS (Bernardus), v. BERNARDUS COMPOSTELLANUS.
CONCILIUM Hispalense, 257.
—— Lateranense III, 77, 78*; — IV, 81, 82*, 90, 91, 264.
—— Lugdunense, I, 188; — II, 514.

Concilium provinciale Parisiense anni 1210, 14*; — decreta contra haereticos et libros Aristotelis aliorumque, 70, 138, 143; — anni 1213 circa studia, 77, 78; — provinciale Senonense, 107, 115*; — ab episcopis provinciarum Senonens. et Remens. celebratum ad litem dirimendam inter fratres Praedicatores et Guillelmum de S. Amore, 329; — concilia diversa provincialia habita de privilegiis religiosorum, 596*.
—— Brugis, 106*; — Turonense, 3, 78*, 90*, 91, 93.
Concordia novi et veteris testamenti, liber abbatis Joachim, 273, 297.
Condun (Codun) (Radulphus), v. Radulphus Coudun.
Confleto (Petrus de), v. Petrus de Confleto.
Congregationes generales magistrorum et scholarium Parisiensium, 182, 399, 575; — ad ipsas cancellarius Paris. sub sequela poenae citari non potest, 623, 640.
Conradus Theutonicus Ord. Praed., 109.
Constantiensis archidiaconus, v. Johannes; — canonicus, v. Alanus Martel; — episcopus, 261*.
Constantinopolis, 62.
Constantinus Africanus, 517.
Convert (Hugo le), v. Hugo le Convert.
Corbolio (Petrus de), v. Petrus de Corbolio.
—— (Reginaldus de), v. Reginaldus, episcopus Parisiensis.
Corbolium, 396.
Corbellis (Decima in territorio de), 198.
Corinthiensis archiepiscopus, v. Guillelmus de Moerbeka, Petrus de Confleto.
Corion (Gerardus de), v. Gerardus de Corion.
Corisopitensis archidiaconus, v. G.; — episcopus, v. Ranulphus.
Cornelius Tacitus, 54; v. Tacitus.
Cornemare (Reginaldus de), v. Reginaldus de Cornemare.
Cornubiae comes, 576*.
Cornubiensis (Petrus), v. Petrus Cornubiensis.
Cornuti (Galterus), v. Galterus Cornuti.
Corona baccalareorum, 228.
Cosmae et Damiani SS. parochia Parisiensis, 134; — vicus, 573, 575, 579, 580, 597, 598.
Costa ben Luca, auctor libri de Differentia spiritus et animae, 279*.
Coton (Rotbertus de), v. Rotbertus de Coton.
Cotonnier (Guillotus le), v. Guillotus le Cotonnier.
Coudun (Radulphus), v. Radulphus Coudun.
Coupe-Gueule, porta et vicus Paris., 271, 272, 349, 377.
Courçon (Robertus de), v. Robertus de Courçon.
Cramant (Willelmus), v. Guillelmus de Cramant.
Cremonensis archidiaconus, v. Emmanuel.
Cressonsart (Robertus), v. Robertus Cressonsart.
Crispinus, magister, 24, 25.
Croiscens in territorio S. Genovefae, 61.
Cruce (Fratres de Sancta), 377, 378*.
Cumani populi, 318.
Curciaco (Johannes de), v. Johannes de Curciaco.
Curia (Philippus de), v. Philippus de Curia.
Cursores primo nominantur, 178.
Cursoriae lectiones in artibus, 178, 179, 228, etc.
Cursum incipere, 516.
Curtiniaco (Johannes de), v. Johannes de Curtiniaco.
Cusentinus electus, 248*, 341.
Cutri (Gerardus de), v. Gerardus de Cutri.
Cussello (Thomas de), v. Thomas de Cussello.
Cyprianus S., 417*.
Cytarae vicus, 573, 574, 579.

D

Dacia (Boetius de), v. Boetius de Dacia, Boetius Dacus.
—— (Johannes de), v. Johannes de Dacia.
Daciae regni praelatorum querelae, 221.
Dacus (Radulphus), v. Radulphus.
Dadepore (Simon de), v. Simon de Dadepor
Danehi (Johannes), v. Johannes Danehi.
Daniel dictus Caperon, 574.
Dauratensis (Gaufridus), v. Gaufridus cantor Dauratensis.
David de Dinant, 70, 71*, 79; — de Francia expulsus, 71*.
Decanus in theologica facultate, 440, 441, 595; v. Odo de S. Dionysio, Stephanus Tempier.
—— in physica seu medicina, 468, 475, 488, 490*; v. J. de Racheroles, J. de Roseto, Petrus Lemovicensis, Philippus, Reginaldus.
—— magistrorum in decretis, 468, 475; v. Gerardus de Cutri, Odo de Carnoto.
—— et capitulum Parisienses certa beneficia recipere debent, 6; — rogantur ab Alexandro IV ut quosdam nepotes ejus in domibus ecclesiae Parisiensis morari patiantur, 326. — V. Capitulum.
Decanus Parisiensis, 64, 80, 135*, 156*, 157, 439, 463, 467, 468, 485, 515, 519, 575, 576*, 578, 579*; v. Barbedaurus, Gaufridus de Barro, Gerardus, Hugo, Lucas de Lauduno.
Decreta leguntur Parisiis, 56 et postea; v. Facultas decretorum.
Decretorum redactio fratris Raimundi, 54.
Dei domus Parisiens., v. Domus Dei.
Diana, soror S. Agnetis Bononiensis, 104, 105*, 106, 108.
Dicus (Johannes), v. Johannes Dicus.
Differentia spiritus et animae (Liber de), 278; v. Costa ben Luca.
Dinant, v. David, Jacobus.
Dinfer (Matthaeus), v. Matthaeus Dinfer.
Dionysia de Campis, 290, 291.
Dionysii S. Parisiens. abbas, 485; — prior, 94, 439; — scholares Parisiis studentes, 433, 435; v. Collegium.
Dionysii de Passu ecclesia, 80, 88.
Dionysio (Bertaudus de S.), v. Bertaudus de S. Dionysio.
—— (J. de S.), v. J. de S. Dionysio.
—— (Michael, Odo de S.), v. Michael, Odo de S. Dionysio.
Dionysius pseudo-areopagita, 645, 649.
—— abbas Floriac., 218, 219*.
Disputatio habita coram Guillelmo episcopo Parisiensi de pluralitate beneficiorum, v. Facultas theologica.
Divione (Petrus de), v. Petrus de Divione.
—— (Theobaldus), v. Theobaldus de Divione.
Divionenses scholae Praedicatorum, 176.
—— scholae fratrum Minorum, 191.
Doctores et scholares Parisienses, 154, 501; v. Universitas; — decretorum, 67, 111; — utantur decretalium volumine a fratre Raimundo redacto, 154.
—— juris civilis, 68*.
—— legum in Aurelianensi civitate com-

morantes valent libere leges legere, 156, 157.
DOCTORES liberalium artium a piis usibus remoti, 67, deinde 111, 435, 444; — Parisiis regentes mag. Gualterium de Vaceria in suo consortio restituunt, 347; — plures codices a Manfredo Siciliae rege dono eis transmittuntur, 435.
— medicinae, 68*.
— in theologia Parisiis, 67, 85, 111, 174, 221, 226, 240, 241, 303, 339, 369; — dant statutum de promovendis ad cathedram, 226, 227.
DOLA (Gerardus de), v. GERARDUS DE DOLA.
DOMINICUS S.; processus canonizationis ejusdem, 102*.
— DE TRIANGULO, 70.
DOMUS DEI Parisiensis, 49, 374, 490, 494 sq., 597, 598; v. HOSPITALE.
— Sorbonae, 270, 349, 350*, 372*, 375*, 411, 423, 431, 434, 435, 441, 443, 469*, 491, 519, 530, 598, 600*; — domus nova, 597, 598; — Alexander IV et Urbanus IV in gratiam ejus litteras ad Christi fideles dirigunt, 398, 423; — statuta, 505; — provisor domus Sorbonae, 519, 539; v. GUILLELMUS DE MONTEMORENCIACO, ROBERTUS DE SORBONA; — magistri pauperes domus Sorbonae, 398, 430, 473, 475, 476, 485, 519, 539; — approbatio eorumdem conventus, 475; — oratorium conceditur, 430, 476; — favor summorum pontificum in gratiam eorum, 397, 430, 475, 519, 520; — bursae in gratiam eorum, 443, 460; — testamenta, 372, 375*, 411, 448, 449*, 515. — V. LUDOVICUS IX, PHILIPPUS III, ROBERTUS DE DUACO, ROBERTUS DE SORBONA.
DOMUS Sorbonae parvae (Colleg. Calvi), 491*.
— S. Thomae de Lupara, v. S. THOMAE DE LUPARA.
DONATUS, 23; — ejusdem Barbarismus, 78, 228, 230*.
DONGUN (Balduinus de), v. BALDUINUS DE DONGUN.
DORSETE (Simon), v. SIMON DORSETE.
DOYTE (Petrus dictus), v. PETRUS d. DOYTE.
DREUX (Henricus), v. HENRICUS DE DREUX.
DROCO DE CACHANT, 597.
— vel DROGO, constabularius regis Philippi Augusti, 61.
— PRUVINENSIS, minister provincialis Ord. Minorum, in theol. mag., 595, 596*.
DUACENSIS S. AMATI ecclesia, 374.
— S. Petri canonici, 373; — ecclesia, 123, 373.
DUACO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE DUACO.
— (Jacobus de), v. JACOBUS DE DUACO.
— (Johannes de), v. JOHANNES DE DUACO.
— (Odo de), v. ODO DE DUACO.
— (Robertus de), v. ROBERTUS DE DUACO.
DUDO, sacerdos, 70.
DULCIS et NOTIUS DE BURGO, mercatores Florentini, contra rectorem et Universitatem Parisienses, 378.
DUNELMO (Willelmus de), v. GUILLELMUS DE DUNELMO.
DURANTIS (Guillelmus), v. GUILLELMUS DURANTIS.

E

EBERARDUS, episcopus Ratisbonensis, 21.
EBORACENSIS archiepiscopus, v. GODEFREDUS; — decanus et capitulum, 14.
EBORACO (Thomas de), v. THOMAS DE EBORACO.
EBREDUNENSIS sedes episcopalis, 66*.
— provincia, 338.
EBROICENSIS archidiaconus, v. RICHARDUS; — ecclesia, 642; — episcopus, v. JOHANNES, PHILIPPUS, RADULPHUS.
ECCLESIA Gallicana, v. GALLICANA ECCLESIA.
— Parisiensis, v. PARISIENSIS ECCLESIA.
EDMUNDUS S. theologiam Parisiis docebat, 176*.
EGIDIO (Th. de S.), v. TH. DE SANCTO EGIDIO.
EGLINS (Odo), v. ODO EGLINS.
ELEMOSINAE abbas, v. GUIDO DE ELEMOSINA.
ELIAS BRUNETI DE BRAGERIACO, Ord. Praed., regens in theologia Parisiis, 244*, 280, 285, 286, 292, 296.
— DE PLEMBOSC, 574.
ELIENSIS episcopus, v. EUSTACHIUS.
ELIGII S. prioratus, v. JOHANNES.
ELINANDUS (ELINANS, ELINANUS) DE S. CLODOALDO, 70.
EMELINA (Emelota), filia Odelinae, 267.
EMMANUEL, archidiaconus Cremonensis, magister decretorum, perjurus, 542.
ENGELBERTUS, scholaris Parisiensis, 53.
EPIPHANIUS (Roffredus), v. ROFFREDUS EPIPHANIUS.
EREMBOURDE BRIE, vicus Parisiens., 600.
ERLANDUS, doctor Dacus, postea archiepiscopus Lundensis, forte fundator collegii Daciae, 536*.
ERNALDUS, magister, 33.
ERNANCURIA (Petrus de), v. PETRUS DE ERNANCURIA.
ERRORES, v. OPINIONES.
ERVANDUS dictus BOURDON, 483.
ERVISIUS, abbas S. Victoris Parisiensis, 41*.
ESSI (Gualterus de), v. GUALTERUS DE ESSI.
ESSONE (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE ESSONE.
ESTON (DOMINUS de), v. JOHANNES DE LESSINGTON.
ESTUVES (Vicus aux), 290, 291.
EUDO III, dux Burgundiae, 191*.
EUGUBIO (Johannes de), v. JOHANNES DE EUGUBIO.
EURANVILLE (Villa de) prope Parisios, 569, 594.
EUSTACHIUS, episcopus Elyensis, 15*.
— DE GRANDICURIA, 236*; — vices gerens episcopi Silvanectensis P. scholari Parisiensi patrocinium impendit, 642.
EVANGELIUM AETERNUM ejusque Introductorius, 31, 272, 276, 296, 297, 315.
EVRARDUS, abbas Claraevallensis; privilegium ei datur circa clericos Parisiis habitantes, 164.
— magister, rector ecclesiae de Betembois Ambianensis dioecesis, 444.
— DE ROIA, Ambianensis canonicus, 84.
— VALLIS SCHOLARIUM magister actu regens Parisiis primus, 120*, 389.
EXONIENSIS episcopus, v. REGINALDUS.

F

F. Burro, magister medicinae, 510.
Fabas (Aubertus dictus ad), v. Aubertus d. ad Fabas.
Facultas, v. *Introductionem.*
—— artium, 223, 277, 278, 279, 383, 397, 412, 476, 499, 526, 530, 590, 591, 603, 606, 607-622; — statutum de modo docendi et regendi, 277-279; — circa examinationem licentiandorum, 383, 412. — V. Anglicana, Artistae, Gallicorum, Normannorum, Picardorum Nationes, Sigillum, Universitas.
—— decretorum, 502, 503, 512, 577, 590, 591, 606; — magistri decretorum, 137, 210, 211*, 223 et passim; — intersunt condemnationi librorum Judaeorum Parisiis, 210, 211*; v. Decanus, Sigillum, Universitas.
—— medicinae seu physicae, 68*, 488, 502, 515, 517, 518, 580, 606; — statutum contra illicite practicantes, 488, 518; — de administratione pileorum, 502; — de magistris decedentibus, 515; — magistri medicinae, 137, 144, 145*, 223, 488, 575; — in Andegavensi et Aurelianensi civitatibus licentia obtenta Parisiis regere possunt, 144; v. Decanus, Sigillum, Universitas.
—— theologica, 219, 221*, 217, 218, 280, 285, 300, 302, 388, 389, 397, 408, 420, 438, 440, 454, 456, 460, 473, 476, 490, 520, 521, 580, 606; — magistrorum theologiae regentium numerus ad octonarium reducitur, 65, licet hoc statutum postea non observatum fuerit, 85, 89; — juramentum eorum, 137; — monentur ne ad mundanam scientiam declinent, 144-146; — disputatio eorum de pluralitate beneficiorum, 157, 158*; — nomina eorum, qui aderant in condemnatione libri Talmud, 209-211; — de sepultura eorum, 79; — querelae eorum contra cancellarium, 440, 441; — statuta, 226. — V. Cancellarius, Decanus, Licentia, Sigillum.
Faguee (Richardus), v. Richardus Faguee.
Falle (R. de), v. R. de Falle.
Farnham (Nicolaus de), v. Nicolaus de Farnham.
Faversham (Haymo), v. Haymo de Faversham.
Felicis (Johannes), v. Johannes Felicis.
Fenier (Richardus le), v. Richardus le Fenier.
Ferrandus, frater regis Aragonum, 588, 589*, 623*.
Feucharis (Andreas de), v. Andreas de Feucharis.
—— (Hugo de), v. Hugo de Feucharis.
Firminus de Hotopa, Picardus, 565.
Firmitate (Abbas de), Ord. Cist., 183.
Fiscanno (Ricardus de), v. Richardus de Fiscanno.
Flamingus (Thomas), v. Thomas Flamingus.
Flandriae comitissa, v. Margarita.
Flemengus (Michael), v. Michael Flemengus.
Florentia, 504.
Florentinus episcopus, v. Ardengus ep. Flor.
Florentius, magister in theologia Ord. Praed., 385, 386*.
Floriacensis monasterii studentes Parisiis, 199, v. Johannes abbas.
Fontaine-sur-Somme, 150*.
Fontaneto (Philippus de), v. Philippus de Fontaneto.
Fontibus (Godofredus de), v. Godofredus de Fontibus.
Fontis philosophiae liber, 48.
Fortis Brachii (Philippus), v. Philippus Fortis Brachii.
Fossatensis abbas, v. Johannes; — ecclesia, 6, 123.
Fossées (Hellinus de), v. Hellinus de Fossées.
Fovilla (Robertus de), v. Robertus de Fovilla.
Frachet (Gerardus de), v. Gerardus de Frachet.
Franciae episcopi pro licentia docendi pecuniam exigunt, 4; — admonentur quoad praebendas eorum, qui ad scholas accedunt, 182.
Franciscus de Placentia, Ord. Min., episcopus Tiberiad., 431*.
Francorum reges, v. Ludovicus VII, VIII et IX, Philippus Augustus, Philippus III et IV.
—— reginae, v. Blanca, Margarita.
Francus Lombardus, magister medicinae, 502.
—— de Luveyn, magister medicinae, 502.
Fresnel (Michael), v. Michael Fresnel.
Fresquetel (Johannes), 437.
Fretel (Johannes), 450, 456.
Fridericus I, imperator, 39*.
—— II, imperator, 275*.
Frigido Mantello (Vicus Parisiens. de), 603, 605*.
Friso (Tiericus), v. Tiericus Friso.
Frogerius, episcopus Sagiensis, 23.
Fructuarius (Guillelmus), v. Guillelmus Fructuarius.
Fulco, abbas S. Germani de Pratis Paris., 47*.
—— decanus Remensis, 5.
Furni vicus Parisiens., 599.

G

G., archidiaconus Corisopitensis, 157.
G., cancellarius Turonensis, 175.
G., magister, communioni magistrorum restituitur, 67.
G., prior fratrum et sororum S. Lazari Parisiensis, 108.
G. de Huveris, magister regens Parisiis in decretis, 161.
G. de La Mark, 75.
Gajetanus (Johannes), v. Johannes Gajetanus.
Gala, v. Guala, Galo, Galon.
Galdericus, Cluniacensis monachus seu monachus niger, magister theologiae, 258*, 380, 469.
Galienus, 131.
Gallandia (Ansellus de), v. Ansellus de Gallandia.
Gallicana ecclesia, 102; — laudibus extollitur a Gregorio IX, 148, 149.
Gallicorum natio in Universitate Parisiensi, 215, 216, 446, 449, 450, 451, 452, 457, 521, 530, 589; v. Nationes.
Galo, abbas S. Genovefae, 104.
Galon, presbyter, 50.
Galterus, camerarius, 59, 120.
—— precentor, 50.
—— presbyter, 50.
—— de Castello Theodorici, cancellarius Parisiensis, postea episcopus Parisiensis, 180*, 206, 207*, 210, 211*, 212, 219*, 242*, 372*.
Galterus de Chandelis, magister, 600.
—— Cornuti, archiepiscopus Senonensis, 150, 160, 204, 205*.
—— V. Gualterus.
Gandavo (Guillelmus de), v. Guillelmus de Gandavo.
—— (Henricus de), v. Henricus de Gandavo.
—— (Johannes de), v. Johannes de Gandavo.
Gandulfus, magister, 600.
Garevilla, v. Gravilla.
Garinus, archidiaconus Belvacensis, 210.

Garinus episcopus Silvanectensis, 89, 90*, 126, 127, 129; — commendantur ei fratres Praedicatores, ibid.
—— magister in artibus et studens in theologia, 70, 71*.
—— prior S. Albani, 39, 40.
Garlanda (Mathildis de), v. Mathildis de Garlanda.
Garlandia vicus, 62, 598, 599; v. *Introductionem.*
—— (Johannes de), v. Johannes de Garlandia.
Gastina (Guido de), v. Guido de Gastina.
Gaufridus de Barro, officialis, postea archidiaconus et decanus Parisiensis, denique S. Susannae presb. cardinalis, servientes suos, qui scholares aggressi erant, impunitos abire permittit, 463; — sententia contra eum lata, 463, 467*; v. praeterea 468, 485, 500, 501, 575, 576*, 578, 579*, 623, 624*, 633*; — bona omnia, quorum haeres a Roberto de Sorbona constitutus fuerat, pauperibus scholaribus donat, 515, 519.
—— cancellarius S. Genovefae, 601*, 601.
—— cantor Dauratensis, magister decretorum Parisiis, 210, 211*.
—— episcopus Ambianensis, 142.
—— de Bello Loco, Ord. Praedicatorum, 158*.
—— de Blevello, Ord. Praed., magister in theologia, 158, 204, 205*.
—— de Capella, panetarius Franciae, 222.
—— Chauvel, 396.
—— Latomi, 509.
—— Pictavensis, magister Parisiensis redux, 145, 146*.
—— Ridellus, 22.
—— de Trocheio, scholaris Parisiensis, 565.
Gebennensis sedes episcopalis, 60*.
—— (Stephanus), v. Stephanus Gebennensis.
Gemeticis (Johannes de), v. Johannes de Gemeticis.
Gennadius, 619.
Genovefae S. Parisiens. ecclesia et conventus, 61, 62, 103, 104, 111, 153*, 164, 175, 190*, 191, 290, 373, 374, 383, 420, 454, 456, 457, 598, 601, 610, 616, 628, 629; — abbas, 61, 103, 144, 153*, 190*, 426, 601, 628, 629, 631; — licentiati ab abbate S. Genovefae, 103, 144; — doctores theologiae et decretorum sicut liberalium artium de ipsius licentia libere regere valent in terra infra Parisiensium murorum ambitum constituta, 111; v. Arnulfus, Galo, Guerinus, Johannes, Stephanus Tornacensis, Theobaldus; — canonici, 61; — eorum viaria, 62; — burgus, 62; — celerarius, v. Simon; — mons, 42, 48, 61, 62, 598; — capellanus de Monte, 61; — schola claustralis ibid. diversa a scholis Parisiensibus, 42, 43, 44; — vicus, 598-600; v. Cancellarius, Universitas, *Introductionem.*
Genovefae S. Parvae ecclesia, 488.
Gentiliacum, 384.
Geomantiae liber, 543, 557*.
Geraldus, v. Gerardus.
Gerardus de Abbatisvilla, archidiaconus Pontivensis in ecclesia Ambianensi, magister actu regens in theologia, 337*, 403, 414, 416, 420, 421, 422, 423, 432, 460, 486, 491, 493*, 497, 498*; — astringat magistros et scholares ad contribuendum in debitis, 422; — conservator privilegiorum Universitatis Parisiensis, 421, 432; — dolet se libellum editum contra Guillelmum de S. Amore habere non potuisse, 414; — quaedam scripta ejusdem, 415*, 498*; — testamentum in favorem domus Sorbonae, 491; — ejusdem mors, 493*.
—— archidiaconus Parisiensis, 50.
—— archiepiscopus Burdegalensis, 207*.
—— decanus Parisiensis, 135*.
—— episcopus Ambianensis, 329, 330*.
—— Acon., civis Parisiensis, 135.
—— Bononiensis, primus magister Paris. ex Ord. Carmel., 410*.
—— de Burgo S. Donnini, Ord. Minorum, 275*, 297*.
—— Cambrensis, 68*, 71*.
—— de Corion, magister in decretis Parisiis, 210.
—— de Cutri, magister in decretis et decanus facultatis, 500, 542.
—— de Dola, baccalareus in artibus, letaliter vulneratus, 565; — mortuus, 567, 568.
—— de Fracheт, Ord. Praed., 386*.
—— de Goignelin, canonicus Remensis, astringat magistros et scholares Parisienses ad contribuendum in debitis Universitatis, 422; — non permittat eosdem indebite molestari, 423.
—— de Moreto, abbas S. Germani de Pratis, 433; — contra magistros et scholares Parisienses, 564, 565; — officio et dignitati cedit, 566, 567; — possessiones ei assignatae, 569, 570* 593.
—— Pucella (Puella), magister, de certis redditibus sibi competentibus, 9, 45*.
—— de Remis, magister, 459*, 476*.
Germani S. Autissiodorensis capitulum Parisiis, 68, 101, 165; — decanus, v. Stephanus.
—— in Laya prior, 119*.
—— de Pratis conventus, 47, 79, 109, 134, 135, 139 144*, 147, 153, 158, 168, 191; — abbas, 47, 426; v. Fulco, Gerardus, Hugo, Odo, Raimundus, Simon; — administrator, v. Stephanus de Pontisara; — pictanciarius, 600; — prior, v. Simon; — pratum pro scholaribus, 47, 79, 561; — burgus, 139, 140, 169; — vicus, 597; — hominum rixae cum scholaribus, 47; — excessus ab abbate et monachis perpetrati, v. Gerardus de Moreto, Stephanus de Pontisara; — duae capellaniae ibi eriguntur, 567, 568.
Germano (Clemens de S.), v. Clemens de S. Germano.
Gervasii S. Aurelianensis prioratus, 199, 200, 218.
Gervasius de Clino Campo, archidiaconus Cenomanensis, 575, 576, 578, 579*.
—— Niffus, civis Parisiensis, 375*.
Gibardo (Inferni S. Michaelis porta de), 134, 135*.
Giboin (Nicolaus), v. Nicolaus Giboin.
Giffard (Guillelmus), v. Guillelmus Giffard.
Gila dicta de Houzel, civis Parisiensis, 238, 239.
Gilberti Poretani liber sex principiorum, 228, 230*.
Gilbertus, magister Ord. Praedicatorum 386*.
Gilebertus Barbitonsor, 396.
—— magister, presbyter S. Mariae de Marliaco, 62.
—— de Braya, 377.
—— Portelanche, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— de Saana, v. Guillebertus de Saana.
—— de Vouta, v. Guillebertus.
Gilo, abbas S. Petri Carnot., 212, 213.
—— notarius apost., magister, 595*.
—— le Brun, constabularius Franciae, 433.
Giraudus, Giraldus, v. Gerardus.
Gisnensis comes, 16.
Godescalcus, magister Theutonicus, canonicus Traiectensis, 132.
Godinus, novissimus Amalricorum, 72*.
Godofredus, canonicus S. Victoris Parisiensis, 48.
—— de Fontibus, magister, 556*.
—— Plantagenet, archiepiscopus Eboracensis, 14, 15.
—— Turnerii, 603.
Goignelin (Gerardus de), v. Gerardus de Goignelin.
Gonessia (Bladum de), 384.
Goudricuria (Johannes de), v. Johannes de Goudricuria.
Graecia, 62, 63.
Graecorum imperator, v. Balduinus.

Grandicuria (Eustachius de), v. Eustachius de Grandicuria.
Grandi Prato (Comes de), 419.
Grandis Silvae abbas, Ord. Cist., 576*.
Gratianus, archidiaconus, 50.
—— Romanorum consul, 38.
—— Petri Leonis, Romanorum consul, 41.
Gravia (Agnes de), v. Agnes de Gravia.
Gravilla (Ecclesia de), 205, 206.
Grayo (Aymo de), v. Aymo de Grayo.
Gregorius de S. Laurentio, subdiaconus et capellanus Alexandri papae IV, 291, 297*.
—— Ordinis Vallis Scholarium, 469; — quasdam cameras Roberto de Sorbona concedit, 490; — in theol. mag., 501.
—— papa IX, Decretales magistris Parisiensibus transmittit, 151.
—— papa X, suas constitutiones Universitati Parisiensi transmittit, 511.
—— Nazianzenus, 295, 472.
—— de Neapoli, minister Franciae, Ord. Min., 135*.
Greinville (Guillelmus de), v. Guillelmus de Greinville.
Grez (Guillelmus de), v. Guillelmus de Grez.
Grinthonvilla (Guillelmus de), v. Guillelmus de Grinthonvilla.
Grosseteste (Robertus) v. Robertus Grosseteste.
Guala Bicherii, S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis, 63, 68*.
Gualfredo (Johannes de), v. Johannes de Gualfredo.
Gualterus de Bruxellis, civis Pariaiens., 601.
—— Ord. Min., episcopus Pictavensis, conventui Ord. Minorum Parisiens. propter studentium multitudinem debitis onerato succurrat, 582, 581*.
—— Panormitanus archiepiscopus, 85.
—— Tornacensis episcopus, 211.
—— de Castello Theoderici, v. Galterus.
—— de Essi, 580.
—— de S. Quintino, 419, 431, 435*; — statuit de suis domibus in favorem pauperum scholarium, 419.
—— de Vaceria, magister in artibus, clericus Ambianensis, 420; — consortio doctorum in artibus regentibus restituitur, 437.
—— V. Galterus.
Guarinus, v. Garinus.
Guarlanda, v. Garlanda.
Guarnachus, v. Warnachus.
Guerlandia (vicus Parisiens. de), v. Garlandia.
Guerendus, canonicus Ambianensis, magister, executor testamenti magistri Roberti de Duaco, 411.
Guerinus, abbas S. Genovefae, 628.
—— de Villa Cereris, 603.
Guernerus dictus Quocus, 119*.
Guerricus, Ord. Praed., magister in theologia actu regens, 153*.
Guervilla (Ecclesia de), 166.
Guiardus, cancellarius Parisiensis, 162*; — postea episcopus Cameracensis, ibid.
Guido, abbas de Elemosina, Ord. Cisterc. primus magister theol. Parisiis, 251*, 252; — licentia ei detur Parisiis in theologica facultate legendi, 302, 303.
—— buticularius regis Philippi Augusti, 61.
—— episcopus Autissiodorensis, 285, 286, 631, 632.
—— de Bazoches, 55.
—— de Claromonte, Ord. Praed., 277*.
—— de Gastina, magister in decretis, canonicus Parisiensis, exclusus a collegio magistrorum in decretis, 500, 501.
—— de Gravia, 599.
—— de Montefora, magister, 108.
Guillebertus de Saana, canonicus Baiocensis, procurator Guillelmi de Saana, physicus regis Franciae, 572.
—— de Vouta, 599.
Guillelma, abbatissa S. Antonii Parisiensis, Ord. Cisterc., 290, 291.
Guillelmus de Altona, magister in theologia, Ord. Praed. 646.
—— de S. Amore, rector ecclesiae de Guervilla (Gravilla), canonicus Belvacensis, procurator magistrorum et scholarium Parisiensium, capellanus Alexandri pp. IV, in Universitate Parisiensi actu regens, 166, 167*, 205, 206, 258*, 265, 275*, 294, 296, 300, 305*, 307, 308, 313*, 319, 321, 324, 325, 326, 329, 330, 331, 333*, 341, 342, 350, 353, 362, 367, 369, 382, 388, 391, 392, 393, 395, 401, 402, 403, 404, 405, 414, 415, 459, 493*, 495, 498, 498*, 499*; — consentit ut ad litem dirimendam inter ipsum et fratres Praedicatores concilium ab episcopis provinciarum Senonensis et Remensis celebretur, 329, 330; — beneficiis privatur, 319, 321; — condemnatur ejusdem libellus, cui titulus: *Tractatus brevis de periculis novissim. temporum*, v. Periculis (de), *etc.*; — contumacia quorumdam qui ejus partes tenent, 382; — edit novum libellum, 459; — ejus praebenda personae ecclesiae Romanae devotae conferatur, 395; — expulsus de regno Franciae nisi papae mandatis paruerit, 324, 326; — regnum Franciae interdicitur ei, docendique aut praedicandi facultas adimitur, 362; — si poenituerit, ei non deerit apost. sedis misericordia, 392, 395; — ex exsilio respondet Nicolao Lexoviensi, 498, 499*; — testamentum, 494*.
Guillelmus, magister, archidiaconus Abrincensis, 434.
—— archidiaconus Belvacensis, v. Guillelmus de Autissiodoro.
—— archidiaconus ecclesiae Parisiensis, 539.
—— archiepiscopus Remensis, circa falsam sententiam Petri Lombardi, 8, 46.
—— archiepiscopus Rotomagensis, 593*, 596*.
—— Aurelianensis episcopus, 285, 286, 296, 329, 330*.
—— Autissiodorens. episcopus, 573, 574, 579, 584.
—— Belvacensis episcopus, v. de Grez.
—— canonicus Tullensis, 450, 456.
—— electus Nivernensis, 329, 330*.
—— filius Pagani, 19.
—— graviter vulneratus, 465.
—— magister, 627.
—— S. Marci presb. cardinalis, 442*.
—— olearius, 575, 579.
—— Ord. Cist., prior domus Parisiensis et simul procurator conventus Claraevallensis, 213.
—— Ord. Praed., familiaris Gregorii IX, commendatur Praedicatoribus et magistris Parisiensibus, 97.
—— panetarius, 377.
—— S. Petri ad Vincula presb. cardinalis, 42*.
—— rector Universitatis, 420.
—— Remensis archiepiscopus, 45.
—— Senonensis archiepiscopus, 4, 8, 21.
—— de Alvernia, doctor theologicae facultatis, 469.
—— dictus Aquamortua, 603.
—— de Arria, aurifaber, 70.
—— Arvernus, episcopus Parisiensis, 116, 117*, 118, 119*, 120*, 123, 124, 125, 134*, 144, 145, 146*, 147, 152, 155, 157, 161, 163, 166, 170, 171, 172*, 190*, 202, 203, 204, 205, 206, 207, 208, 210, 213.
—— de Autissiodoro, archidiaconus Belvacensis, magister in theologia, 132, 133*, 134*, 139*, 140*, 143, 162, 379; — Parisios redux, 145, 146*; — vigiliae ab Universitate celebratae, 133*, 451.
—— de Bacia, 599.
—— de Barlo, Ord. Min., doctor theologicae facultatis, 469.
—— de Belvaco, 431, 435.
—— de S. Benedicto, 580.
—— Bisterve, serviens nationis Gallicorum, 628.
—— de Blans, magister in medicina, 502.

GUILLELMUS dictus BONEFILLE, 603.
— dictus BOULENC, civis Rotomagensis, 483.
— DE BRAIO, magister in decretis Parisiis, 210, 211*.
— DE BRETEGNON, serviens cancellarii Parisiensis, 266, 267, 429.
— DE CAMBERIACO, canonicus S. Johannis Morinensis, 491*.
— DE CANAPEVILLA, cancellarius Rotomagensis, 379, 381*.
— DE CARNOTO, canonicus S. Quintini, 270, 271, 272.
— DE CARNOTO, clericus regis, 434.
— CENOMANENSIS, 580.
— (DE CHANAC), Paris. episcopus, 431*.
— DE CHARLEIS, 597.
— dictus LE COTONNIER, clericus, 463;
— DE CRAMANT, magister theologiae Parisiis, 210.
— DE DUACO, 475*, 476*.
— DE DUNELMO, magister Parisiis, Anglicus, 118*.
— DURANTIS, 650*.
— dictus FRUCTUARIUS, 477.
— DE GANDAVO, magister, 599.
— GIFFARD, 507.
— DE GREINVILLE, 574.
— DE GREZ, episcopus Belvacensis, 329, 330*; — circa praebendam quam Guillelmus de S. Amore tenuerat, 395.
— DE GRINIBONVILLA, magister, 572.
— HAVART DE GUISIGNIS, 483.
— LE HIAUMIER, 603.
— LE HONGRE, 600*.
— DE INSULIS, procurator nationis Normannorum, 463.
GUILLELMUS MALET, rector ecclesiae de Blinquetuit, magister, 574.
— DE MALLIACO, Ord. Praed., 649*, 650*.
— MANTEL, 377.
— LE MARESCHAL, 598.
— (DE MATISCONE), episcopus Ambianens., 593*, 596*, 623*, 624*.
— DE MELITONA, Ord. Min., magister theologiae Parisiis cathedraticus, 210, 211, 244* 328, 329, 617, 619.
— DE MEMONTE, canonicus de Meleduno, 420*.
— DE MOERBEKA, Ord. Praed., archiepiscopus Corinthiensis, 560*.
— DE MONCIACO, canonicus Parisiens., in theol. mag., 595.
— DE MONTEMORENCIACO, canonicus Paris., provisor domus Sorbonae, 519; — ejus electio in provisorem magistrorum Sorbonae, 539, 540.
— DE NOTTINGHAM, minister fratrum Minorum in Anglia, 186, 187*, 216, 217, 218, 415*.
— DE NOYON, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
— DE OSONVILLA, rector ecclesiae de Fouquart Escales, magister, 574.
— PAPIENSIS, 18, 19*.
— PERALDI (alias LUGDUNENSIS), Ord. Praed., 649*, 647.
— PICTAVENSIS, magister, 70.
— POINTLASNE, 108.
— DE PONCELLO, 597.
— DE PONTE ARCHE, doctor theologiae Parisiensis, episcopus Lexoviensis, 85, 85*, 98.
— REDONENSIS, Ord. Praed., 649*.
GUILLELMUS RIGAUT, magister, 461, 462, 463.
— DE ROSETO, 598.
— DE SAANA, thesaurarius ecclesiae Rotomagensis, 458, 459, 476, 482, 572, 573*, 574, 579, 580*, 584, 585, 586*; — primordia collegii ab ipso fundati, 458; — emptio bonorum quae ad sustentationem scholarium acquisivit confirmatur, 482; — ordinationes ejusdem pro collegio suo, 584-586; — procuratores constituit mag. Bertaudum de S. Dionysio, mag. Guillebertum de Saana et Ricardum de Alacrimonte, 572; — testamentum ejusdem in favorem scholarium Rotomagensium, 476.
— DE SEIGNELEY, episcopus Parisiensis, 93*, 95, 96*, 98, 99*, 102, 104*.
— DE SEINT CUIR, 597, 598.
— DE SENONIS, magister, 222, 271.
— DE TOCCO, Ord. Praed., 307*, 313, 333*.
— DE VICINIS, 62.
— DE VINGNERON, 575.
GUILLERMA, v. GUILLELMA.
GUILLERMUS, v. GUILLELMUS.
GUILLOTUS, bedellus nationis Picardorum, 390, 391, 450, 458, 467, 468; — procurator constituitur ad appellationem prosequendam sententiae a Simone cardinale latae, 467, 468; — quemdam libellum praedicante Thoma de Aquino publicat, 390, 391, 402.
— dictus LE COTONNIER, scholaris Parisiensis, 463.
GULYN. (Adam de), v. ADAM DE GULYN.
GUNTHERUS, abbas S. Victoris Par., 41.
GYMNASIUM, Parisiense, 252, 343, 392.

H

HABITUS honestus magistrorum, etc., 67; — praescriptio ejusdem, 79, 230; — habitus ordinarius, 278. — V. CAPPA, CORONA, PILEUM, SOTULARES.
HAIMERICUS DE VEIRE, canonicus Parisiensis, 210; — cancellarius Parisiensis, 211*, 212, 219, 232, 233, 238, 240, 252, 298, 307, 316, 346, 350, 372, 396, 438*, 475; — laudatur ab Alexandro IV ob concessam Thomae de Aquino licentiam, 307; — decem clericis pauperibus transmarinis providere debet, 372.
HALES (Alexander de), v. ALEXANDER DE HALES.
HARENIS (Henricus de), v. HENRICUS DE HARENIS.
HAUTEFEUILLE (Vicus de), 238, 239.
HAVART DE GUISIGNIS (Guillelmus), v. GUILLELMUS HAVART.
HAYA (Adam de), v. ADAM DE HAYA.
HAYMO DE FAVERSHAM, Ord. Min., 135*, 217*.
HELLINUS DE FOSSÉES, scholaris Parisiensis, 463.
HELUIDUS, 373.
HENRICUS II, Angliae rex, ad litem dirimendam inter ipsum et archiepiscopum Cantuariensem, paratum se monstravit stare judicio scholarium Parisiensium, 21, 22, 23.
— III, Angliae rex, invitat magistros et scholares Parisienses ut in Angliam veniant, 119.
— archiepiscopus Remensis, 6, 8, 16.
— archiepiscopus Senonensis, 329, 330*.
— canonicus Remensis, magister decretorum, 210.
HENRICUS ANGLICUS, scholaris Parisiensis, graviter vulneratur, 560, 561, 562.
— DE DREUX, archiep. Remensis, 113, 117, 142, 150, 159.
— DE HAYA, bedellus nationis Normannorum, 530, 628.
— DE GANDAVO, magister, archidiaconus Tornacens., 596*, 623.
— DE HARENIS, magister de natione Picardorum, 589.
— HOSTIENSIS, cardinalis, 648, 650*.
— LOMBARDUS, 599.
— MARTEL, magister, 574.
— PISANUS, 18, 19*.
— DE SOGNIES, canonicus Tornacensis, 12.
— DE SULLY, episcopus Wigorniensis, 35, 37*.
— TEUTONICUS, de Colonia, Ord. Praed., 211.

HENRICUS DE VERDELIACO, mag., 597.
— DE VEREEL, archidiaconus Bajocensis, magister, executor testamenti Ludovici IX, 485.
HERBARIUS, 489.
HERBERTUS, abbas S. Genovefae, 111, 164.
HEREFORDENSIS episcopus, v. RADULPHUS DE MAIDENSTONE.
HEREFORT (Johannes de), v. JOHANNES DE HEREFORT.
HEREMITA, notarius, 265*.
HERGALDUS, scholaris Parisiensis, 50.
HERLUINUS, Tarantasiensis episcopus, 205*.
HERMANVILLA (Johannes de), v. JOHANNES DE HERMANVILLA.
HERMEN (Hugo de), v. HUGO DE HERMEN.
HERVAEUS, episcopus Trecensis, 73, 74*, 77, 88, 98.
HIAUMIER (Guillelmus), v. GUILLELMUS LE HIAUMIER.
HIBERNIA (Mauritius de), v. MAURITIUS DE HIBERNIA.
— (Patritius de), v. PATRITIUS DE HIBERNIA.
— (Robertus de), v. ROBERTUS DE HIBERNIA.
HIERONYMUS S., 417*.
— episcopus Praenestinus, 627*.
HILARII S. (Vicus vel locus), 486, 598-600.
HILARIUS S., 417*.
HILDEBERTUS, episcopus Cenomanensis, 29.
HILDUINUS, cancellarius Parisiensis, 8*, 49, 50, 61*.
HISTORIARUM liber (Petri Comestoris), 112, 113*, 473.
HODIENNA domina, 373.
HOMBLONERIA (Renoldus de), v. RANULPHUS DE HOMBLONERIA.
HONGRE (Guillelmus le), v. GUILLELMUS LE HONGRE.
HONORATI S. ecclesia, basilica, 69, 79, — canonici, 68, 69.
— collegium Pauperum Scholarium; ejus fundatio, 68. Cf. 375, 485.
HONORIUS IV, pro cancellario Parisiensi contra Universitatem, 639; — v. JOHANNES DE MALIGNES, PHILIPPUS DE THORIACO.
HOSPITALE apud Duacum, 373.
— S. MARIAE Parisiensis, 80, 81, 94*; v. DOMUS DEI.
— S. NICOLAI DE LUPARA Pauperum Scholarium, v. S. NICOLAI.
— S. QUINTINI, 373; — Parisiis, 434.
HOSPITALIORUM domorum taxatio, 232, 223.
HOTOPA (Firminus de), v. FIRMINUS DE HOTOPA.
HOUZEL (Gila dicta DE), v. GILA d. DE HOUZEL.
HUCHETA (Vicus Parisiens. de), 600.
HUGO, abbas S. Germani de Pratis, 192.
— Baiocensis archidiaconus, 210.
— decanus Parisiensis, 64, 80.
— episcopus Lingonensis, 208, 251.
— episcopus Suessionensis, 3.
— subdiaconus, 50.
— DE BAPPALMIS, magister in decretis, 500.
— DE BILOMIO (BILONIO), Ord. Praed., in theol. mag., 594, 598.
HUGO DE BRUEROLIIS, canonicus Parisiensis, 108.
— DE BURGUNDIO, quondam archidiaconus Remensis, 142.
— DE S. CHARO, secundus magister ex Ord. Praed. Parisiis regens, 158; — tituli S. Sabinae presbyter cardinalis, 190*, 297, 303, 332, 333*, 337, 338, 359, 369.
— LE CONVERT, 598.
— DE FEUCHARIIS, magister, 492.
— DE HERMEN, magister, 597.
— JANUENSIS, magister, 33.
— DE PARMA, magister, regens in medicina, 502, 516; — a vigilibus Parisiens. graviter vulneratur, 590, 615.
— PETRI LEONIS, episcopus Placentinus, 41*.
— DE SEGHUIN, procurator Universitatis Parisiensis in curia, 241.
— (DE VESUNTIONE), episcopus Parisiensis, 431*.
— DE S. VICTORE, 472.
HUGUELINUS, serviens, 598.
HUMANENSIS episcopus, v. JACOBUS.
HUMBERTUS, magister generalis Ord. Praedicatorum, 282, 285*, 287, 288, 309, 313, 316, 317, 329, 330*, 333*, 358, 385, 419, 432; — circa fratres Praedicatores qui linguas Orientales addiscunt, 317; — conqueritur de angustiis fratrum ejusdem Ord. ab Universitate perpessis, 309; — consolatur fratres, 358.
HYREBEC (Thomas), v. THOMAS HYREBEC.
HYRONDALE supra Secanam vicus, 434.

I

I., archidiaconus Augi Rotomagensis, 175.
I. DE S. DIONYSIO, magister in medicina, 502.
IMPERATOR GRAECORUM, v. BALDUINUS.
INFERNI porta Parisiensis, 135*; v. GIRARDO DE.
INGERANDUS, dominus de Maintenay, pedagio liberat omnes clericos Parisios studiorum causa accedentes, 420.
INNOCENTIUS IV suas constitutiones Universitati Parisiensi transmittit, 188 sq.
INSULA (Bernardus de), v. BERNARDUS DE INSULA.
INSULA Sequanae, locus ad legendas artes, decreta, leges, theologiam, 56; v. *Introductionem*.
— V. CASTELLANUS, JOHANNES, ROGERUS DE INSULA.
INSULIS (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE INSULIS.
INTRODUCTORIUS in Evangelium aeternum, 31, 272-276, 297, 297*, 298, 315*.
IOLENDIS, uxor Roberti II, comitis Drocensis, 15.
IPRENSIS, v. YPRENSIS.
ISAAC; ejus libri Parisiis, 517.
ISIDORUS, 28.
ISSIACO (Domus de), 594.
IVO I, abbas Cluniacensis, construit oratorium in domo Parisiensi, 421. Cf. 494.
— II, licentiam petit in ipso celebrandi, 571; — de quadam concessione ei facta, 566*.
— canonicus S. Melonis de Pontisara, 598.
— magister, decanus de Clicon, 597.
— dictus Narbonnensis, 287*.
— BRITO, magister in theologica facultate, canonicus Remensis, 441, 442*, 461, 599.
— BRITO, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.

J

J. de Burgo S. Remigii presbyter plures excessus committit, 5.
J. de Cathalago, magister in medicina, 516.
J. SS. Cosmae et Damiani presb. cardinalis, v. Jordanus.
J. Parvus, magister in medicina, 516.
J. de Racheroles, decanus facultatis medicinae, 488.
J. de Rosseto, v. Johannes de Rosseto.
Jacobi S. domus, 94*, 99, 100, 190; — ecclesia fratribus Praedicatoribus a magistris Parisiensibus assignata, 93, 94, 94*, 96, 97; — numerus fratrum, 105*, 103, 172. — V. Praedicatores.
—— locus vel vicus, 597, 599; — porta, 108, 108*.
Jacobus I, Aragonum rex, 589*.
—— archiepiscopus Upsaliensis, studentibus Parisiis ex dioecesi sua quasdam decimas assignat, 581.
—— decanus Turonensis, 365.
—— Humanensis episcopus, 191*.
—— Praenestinus episcopus, apostolicae sedis legatus, 167.
—— d'Arras, episcopus Atrebatensis, 329, 330*.
—— de Buoncambio, Ord. Praed., episcopus Bononiensis, promulget sententiam in Guillelmum de S. Amore latam, 367, 368*.
—— Burgundus, magister, 603.
—— de Dinant, Laudunensis, magister regens in theologia Parisiis, 117; — archidiaconus Morinensis, 141.
—— de Duaco, magister, procurator nationis Picardorum, 530.
—— dictus Robillars, canonicus S. Dionysii Remensis, 449*.
—— de Temericour, canonicus Rotomagensis, magister, 478.
—— de Tornaco, 434.
—— de Viterbio, Ord. S. Aug., magister in theologia, 406*.
—— de Voragine, Ord. Praed., 650*.
Janduno (Johannes de), v. Johannes de Janduno.
Jaquelina, uxor Girardi Acon. civis Parisiensis, 135.
Jechiel ben Josef, Judaeus, 205*.
Joachim, abbas, 82*, 275*, 296, 297*, 297, 315.
Jocelinus, episcopus Saresberiensis, 25.
—— presbyter, 50.
Jocius de Londoniis, fundator Collegii scholarium decem et octo, 49.
Johanna Pie d'Oe, 599.
Johannes, abbas S. Benedicti Floriacensis, 199, 200, 201*, 218.
Johannes abbas Fossatensis, 315.
—— I, abbas S. Genovefae, 13, 14*.
—— abbas S. Victoris Paris., 82.
—— Alexandri IV nepos, Parisiis studens, 326.
—— archidiaconus Cathalaunensis, 126, 127, 129.
—— archidiaconus in ecclesia Parisiensi, 407.
—— archidiaconus Trecensis, magister in decretis Parisiis, 210, 211.
—— archiepiscopus Remensis, enunciat clericos ecclesiae Parisiensis ad contributionem pro debitis Universitatis non teneri, 482, 631, 632; v. Joh. de Curtiniaco.
—— archipresbyter S. Mariae de Castro Cerveteris, 339.
—— Belvacens. episcopus, 633*.
—— canonicus S. Benedicti Parisiensis, magister, 290, 291.
—— Constantiensis archidiaconus, magister, 206.
—— Ebroicensis episcopus, 222, 223, 224, 248, 250, 280.
—— filius Anselli de Gallandia, 198.
—— Meldensis archidiaconus, 450.
—— nepos magistri Remigii physici, scholaris Parisiensis, 463; v. Remigius.
—— nuntius Francorum regis ad Alexandrum IV, 334.
—— Ord. Min. in Anglia, 186.
—— Ord. Min. gardianus Parisiis, 211.
—— papa XXI, de erroribus magistrorum Paris., 625, 626; v. Petrus Hispan.
—— Praemonstratensis abbas, 238, 239.
—— praepositus ecclesiae de Trohalten. Tornacensis dioecesis magister, 437.
—— presbyter de Occines sive de Uccinis, 70, 70*.
—— presbyter, canonicus Capuanus, 339.
—— presbyter, provisor domus S. Thomae de Lupara, 602.
—— prior S. Eligii Parisiensis, concedit fratribus Carmelitis ut quamdam domum libere possideant, 409.
—— rector ecclesiae de Donno Medardo in Pontivo, 444.
—— tit. S. Caeciliae presbyter card., 639.
—— dictus Albuspanis, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— de Allodio, cancellarius Parisiensis, v. Johannes de Aurelianis.
—— de S. Amando, magister, clericus Ludovici IX, 434.
—— de Ambianis, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— dictus Anglicus, magister in theologica facultate studens, 574.
Johannes Augerus, 580.
—— de Aurelianis seu de Allodio, cancellarius Parisiensis, postmodum Ord. Praed. in theol. mag., electus Parisiens., 349, 441, 412, 469, 476*, 493, 494, 503, 589*, 595.
—— dictus Balle, magister scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— de Balneolis, 272, 349, 350.
—— de Barastre, decanus S. Quintini Noviomensis, magister regens in theologia, 94*, 100, 101*, 101, 102*, 113, 114*, 117, 172, 420.
—— Barbitonsor, archidiaconus Senonensis, 569.
—— Belin, magister, 649*.
—— de Bellomonte, 290, 291.
—— de S. Benedicto, magister in theologia, Ord. Praed., 560*, 595.
—— de Benis, 374.
—— Berbette, 598.
—— de Blanesco, magister in decretis, 500; — in legibus, 501*.
—— dictus Blontin, procurator rectoris et Universitatis Parisiensis, 379, 380.
—— Blundus, Anglicus, magister in theologia, postea archiepiscopus Cantuariensis electus, 118*.
—— de Boigeval, 597.
—— Bonaviti, 379.
—— de Bosco Normanni, rector ecclesiae de Guellefontainnes, magister, 574.
—— dictus Brachi, 574.
—— de Brescain, clericus; de erroribus ejusdem, 206, 207, 208*.
—— de Caduno, magister, Belvacensis, 47.
—— de Cande, bedellus nationis Gallicorum, 530.
—— de Candelis, cancellarius Parisiensis, 73, 74*, 75, 76, 77, 78, 79, 81*, 139*.
—— de Castellario, clericus Roberti de Sorbona, 486.
—— de Centovilla, magister, 502*.
—— de Chanlayo, canonicus Autissiodorensis, magister, 469; — episcopus Cenomanensis, 584.
—— de Chanleyo, magister, canonicus Remensis, 500.
—— de Cithara, clericus, 574.
—— Coche, 580.
—— de Curciaco, magister in decretis, 500.
—— de Curtiniaco, capicerius Aurelianensis, archiepiscopus Remensis, 442.
—— de Dacia, canonicus S. Genovefae, forte fundator collegii Daciae, 536.
—— dictus Danebi, 574.

JOHANNES DICUS, magister de natione Anglicorum, 589.
— DE DUACO, rector ecclesiae de Benis, magistrum Robertum de Sorbona haeredem instituit, 418, 419, 600.
— DE EUGUBIO, vicarius generalis Ord. Eremitarum S. Aug., 406; — recognoscit se emisse a Theophania ad opus fratrum quamdam domum Parisiis, 407, 408.
— FELICIS, 37.
— dictus FRESQUETEL, 437.
— FRETEL, magister nationis Picardorum, 450, 456.
— GAJETANUS, S. Nicolai in Carcere diac. cardinalis, 332, 333*, 337, 338, 369.
— DE GANDAVO, magister in decretis, 500.
— DE GARLANDIA, magister in artibus, 131*, 135*, 189*.
— DE GEMETICIS, 573*.
— DE GORBRECURIA, canonicus S. Johannis in Leodio, 375*, 438.
— DE GUALFREDO, Romanus et Florentinus civis, 162, 379.
— HALGRIN DE ABBATISVILLA, magister, decanus Ambianensis, postmodum archiepiscopus Bisuntin., denique card. episcopus Sabinens., 84, 81*.
— DE HEREFORT, decanus Aurelianensis, magister, 469.
— DE HERMANVILLA, 371.
— HISPANUS, translator, 279*.
— DE HEY, magister nationis Picardorum, 450, 456.
— DE JANDUNO, 267.
— dictus DE INSULA, 571.
— DE KELINIS, decanus Royensis, magister, 419, 420.
— DE S. LAUDUNO, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
— DE LESSINGTON, dominus de Eston, 259, 260; — concedit jus patronatus studentibus Ord. Cist. Parisiis, 314.
— dictus LETHMAUS, magister, 461.
— DE LEXOVIIS, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
— DE LIXIACO, supprior prioratus de Caritate, Cluniac. Ordinis, licentiatus, 536.
— DE MAGNO PONTE, magister, 600.
— DE MALIGNES, procurator facultatis artium in curia, 605, 622*, 639; v. PHILIPPUS DE THORIACO.
— DE MARLA, magister de natione Picardorum, 589.
— DE S. MARTINO, 598.
— DE MONTE MIRABILI, Ord. Praed., 211.
— DE MUCHEROS, miles, 483.
— DE NAVARRA, 102.
JOHANNES DE NEAPOLI, magister in theologia, Ord. Praed., 556, 558*.
— NEVELLON, 603.
— DE NIGELLA, magister nationis Picardorum, rector Universitatis artistarum, 403; — magister in medicina, 516*.
— NORMANNUS, magister in medicina, 516.
— DE OSQUEVILLA, presbyter, 572.
— PAGUS (PAGIUS), magister, 145.
— dictus DE PARISIUS, archidiaconus Suessionensis, canonicus Paris., 503.
— DE PARMA, Ord. Min., Parisiis legit, 187*; — minister generalis Ordinis Universitatem in fratres offensam sedat, 258*.
— PECKHAM, Ord. Min., archiepiscopus Cantuariensis, 415*, 420*, 550*, 560*, 624, 626, 627*, 631, 635*.
— PETRI LEONIS, consul Romanorum, 38.
— PUNGESASINUM, Ord. Praed., magister in theologia Parisiis, 210, 211*.
— dictus DE PUTEO, 574.
— QUIDORNOIR, 598.
— QUIDORT, Ord. Praed., magister, 600*.
— ROMANUS, magister, 599.
— DE ROSETO, magister in medicina, facultatis medicinae decani vices gerens, 502; — decanus, 516, 565.
— DE RUA, canonicus Ambianensis, magister, 490, 491.
— DE RUPELLA, Ord. Min., Parisiis in theologia actu regens, 135*, 158*, 187, 217*; — ejusdem mors, 187*.
— DE SAINTEVILLE, procantor Rotomagensis, magister, 478.
— SARESBERIENSIS, 16, 20, 21*, 24.
— SARRACENUS, 238.
— LE SAVONER, 599.
— SCOTUS; ejus opus περὶ φύσεως, 106.
— DE SICCAVILLA, Anglicus, magister, rector Universitatis Parisiensis, 644, 649*.
— DE SIVRIACO, archidiaconus Carnotensis, magister, 469.
— DE SOLIIACO, magister decretorum Parisiis, 210.
— TEUTONICUS, abbas S. Victoris Parisiensis, 74, 74*.
— TEUTONICUS, canonista et glossator decretorum, 74*.
— TEUTONICUS, Ord. Praed., magister generalis, 173, 187*, 190, 211.
— DE TOLLETO, Ord. Cist., S. Laurentii in Lucina presb. cardinalis, 184, 185*, 191*, 192*, 303, 332, 333*, 337.
— DE TOTIVILLA, magister in decretis, 500.
— DE TRECIS, archidiaconus Bajocensis, magister, executor testamenti Ludovici IX, 485.
JOHANNES DE TRIBUS PETRIS, magister, 574.
— DE TURNO, Ord. Praed., magister in theologia, 557*, 595.
— DE ULLIACO, magister nationis Gallicorum, 449, 450, 451, 456.
— DE VERCELLIS, magister generalis Ord. Praed., 288*, 313*, 314, 439, 566, 581.
— VIGOROSI, Ord. Praedicatorum, lector Montispessulani, 566.
— DE VIMI, scholaris Parisiensis, 463.
— DE WESTUN, Ord. Minorum, 216.
JOHANNIS S. Rotundi ecclesia, 80.
— IN VINEIS Suessionensis monasterium, 111, 112.
JOINGNIACO (Petrus de), v. PETRUS DE JOINGNIACO.
JORDANUS DE JANO, Ord. Min., 96*.
— magister generalis Ord. Praed., 104*, 105*, 106, 108, 109*, 112, 131, 132, 153.
— magister, canonicus Parisiensis, 155,
— magister, Petri sigillatoris filius, 565; — de vulneratione obiit, 567.
— presb. cardinalis, 439.
— PETRI LEONIS, consul Romanorum, Johannem Felicis Ludovico VII commendat, 37.
JOSCELINI (Petrus), v. PETRUS JOSCELINI.
JUDAEI; litterae Gregorii IX omnibus archiepiscopis in regnis Franciae, Angliae, Castellae et Legionum constitutis, regibus Portugalliae, Franciae, Angliae, Aragonum, Castellae-Legionum et Navarrae, episcopo Parisiensi fratribusque Praedicatoribus et Minoribus Parisiensibus circa Talmud aliosque libros Judaeorum, 202, 203, 204, 205; — eorum libri eorumque condemnatio, 173, 174, 209, 210, 211; v. TALMUD.
JUDAEUS in personam fidei christianae chirurgice operari nequit, 488.
JUDICIUM aquae, 59, 61*, 120.
JUHELLUS, archiepiscopus Remensis, 188, 193.
JULIANI PAUPERIS S. congregatio facultatis artium ibidem, 570; — Universitatis, 257, 589, 590, 591; — capella b. Mariae seu cancellum apud S. Julianum, 500; — congregatio magistrorum decretorum, ibid. et 542.
— DE BRETEVILLE, magister, canonicus Rotomagensis, 478.
— GRESSUS, 62.
JURAMENTA baccalareorum in artibus, 531; — incipientium, 586, 587.
— civium, magistrorum scholariumque Parisiensium circa pacem urbis, 222, 223, 224.

JURAMENTUM civium Parisiensium, 426.; v. BURGENSES, CIVES.
—— librariorum, 533.
JURAMENTUM medicorum, 518.
—— theologorum, 478.
JUSTINIANUS, 131.
JUVENALIS DE NARNIA, vicarius Parisiens. generalis Ord. S. August., 637, 637*.

K

KALENDARIUM Universitatis, 418.
KELINIS (Johannes de), v. JOHANNES DE KELINIS.
KILWARDBY (Robertus), v. ROBERTUS DE KILWARDBY.

L

L. DE PRULEGO, scholaris Parisiensis, 565.
LAASUM, Parisiis, 433.
LA FOIRE DE LAGNY, 163; v. LATINIACENSES.
LAGO (Stephanus de), v. STEPHANUS DE LAGO.
LALOIER (Rogerus dictus), v. ROGERUS LALOIER.
LAMBALA (Petrus de), v. PETRUS DE LAMBALA.
LAMBERTUS AUTISSIODORENSIS, Ord. Praed., 279*.
—— decanus ecclesiae Senogiensis, magister, 449*.
—— DE BARRO, 600.
LANDERICI (Vicus S.), 109.
LANS (Simon de), v. SIMON DE LANS.
LASACH (Radulphus), v. RADULPHUS LASACH.
LATHOMORUM vicus, 434, 574, 579.
LATINIACENSES nundinae, 162.
LATOMI (Arnulphus), v. ARNULPHUS LATOMI.
—— (Gaufridus), v. GAUFRIDUS LATOMI.
—— (Noellus), v. NOELLUS LATOMI.
LAUDUNENSIS archidiaconus, v. ADAM.
LAUDUNO (Lucas de), v. LUCAS DE LAUDUNO.
—— (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE LAUDUNO.
LAUDURO (Johannes de S.), v. JOHANNES DE S. LAUDURO.
LAURENTIO (Gregorius de S.), v. GREGORIUS DE S. LAURENTIO.
LAURENTIUS ANGLICUS, magister in facultate theologica Parisiis regens, 330, 330*, 350*.
—— magister, 425*, 426*, 427*, 429*.
—— DE BUISSI, canonicus Aurelianensis, magister, 165, 165*.
—— DE POTETARIA, magister in decretis, 500.
LAZARI S. Parisiens. capitulum, 108.
LEGES leguntur Parisiis, 56, 68*, 76; — non legantur Parisiis et in locis vicinis, 92; — baccalarei leges legentes, 223.
LEGES legere non permittitur regularibus, 3, 91, 478.
—— saeculares ne legantur in Francia, Anglia, Scotia, Wallia, Hispania, Hungaria, 261.
LEGUM libri, 33.
LEMAÇON (Arnoldus), v. ARNOLDUS LEMAÇON.
LEMOVICENSIS (Petrus), v. PETRUS LEMOVICENSIS.
LENGRES (Petrus de), v. PETRUS DE LENGRES.
LEODIENSIS episcopus, v. ALEXANDER; — canonicus, v. ARDENGUS LEODIENSIS.
LESSINGTON (Johannes de), v. JOHANNES DE LESSINGTON.
LESSINIA (Aegidius de), v. AEGIDIUS DE LESSINIA.
LETHIAUS (Johannes dictus), v. JOHANNES d. LETHIAUS.
LEXINGTON, v. LESSINGTON.
LEXOVIENSIS episcopus, v. ARNULFUS, GUILLELMUS DE PONTE ARCHE.
—— (Nicolaus), v. NICOLAUS LEXOVIENSIS.
LEXOVIIS (Johannes de), v. JOHANNES DE LEXOVIIS.
LIBRARII seu stationarii, v. STATIONARII.
LIBRI Naturalium, v. ARISTOTELES.
—— theologiae a magistro Stephano archidiacono Cantuariensi legati pauperibus scholaribus, 493.
—— theologiae, philosophiae et juris, eorumque pretium ab Universitate Parisiensi taxatum, 644, [illegible]5, 646, etc.
LICENTIA docendi, 5; — lice[illegible]iam docendi qui vendiderit, beneficio privetur, 10; — legendi in aliqua facultate, 87, 103, 137, 302, 327, 412, 438 et passim; — in artium facultate, 76, 79, 137, 397; — determinandi in artium facultate, 609-612, 616, 619, 622; v. UNIVERSITAS; — legendi in theologia, 75, 79, 85, 99, 137, 307, 385; — licentiam legendi in theologia Parisiis dat Alexander IV Guidoni abbati de Elemosina a duobus cardinalibus examinato, 302; — in decretis, 76, 137, 161, 166 et passim; — in medicina et physica, 75, 76, 517; v. CANCELLARIUS PARISIENSIS; — praedicandi et confessiones audiendi, 339; — studendi aut peregrinandi (manendi in scholis), 63, 64.
LIGERII (Petrus), v. PETRUS LIGERII.
LIMOGES (Stephanus de), v. STEPHANUS DE LIMOGES.
LINCOLNIENSIS dioecesis, 626; — episcopus, v. ROBERTUS GROSSETESTE.
LINGONENSIS episcopus, 597; v. HUGO.
LINGUAE orientales in Ordine Praed., 317.
LITTERA (Bernardus de), v. BERNARDUS DE LITTERA.
LIXIACO (Johannes de), v. JOHANNES DE LIXIACO.
LOANCIUM (LOENCIUM), 374.
LOMBARDUS (Biche), v. BICHE LOMBARDUS.
—— quidam baccalarius Ord. Praed., 132.
—— (Francus), v. FRANCUS LOMBARDUS.
—— (Henricus), v. HENRICUS LOMBARDUS.
—— (Nicolaus), v. NICOLAUS LOMBARDUS.
—— (Odo), v. ODO LOMBARDUS.
—— (Petrus), v. PETRUS LOMBARDUS.
LONDONIIS (Jocius de), v. JOCIUS DE LONDONIIS.
LONGUMELLO (Ecclesia de), 374.
LORRIZ (Stephanus), v. STEPHANUS DE LORRIZ.
LUCAS DE LAUDUNO, decanus Parisiensis, 154, 156*, 210.
LUDOVICUS, apothecarius Parisiensis, 272.
—— CHANCION, 597.
—— VII, Francorum rex, 37, 38, 39, 61*, 122.
—— VIII, Francorum rex, 484*.
—— IX, Francorum rex, 120, 123*, 126, 127, 128, 132, 140*, 145, 148, 173, 174*, 179, 180*, 201, 224*, 232, 233*, 294. 314, 322, 324, 335, 338, 340, 352, 358, 360, 361, 363, 377, 384, 387, 396, 397,

398, 403, 404, 405, 410, 425, 428, 434, 450, 482, 483, 484, 538; — renovat privilegium regale in favorem scholarium, 120; — concedit Roberto de Sorbona ad opus scholarium domum Parisiis, 349; — alias domos, 377, 434; — laudatur ob hoc ab Alexandro IV, 397; — confirmat emptionem bonorum a Guillelmo de Saana factam, 482; — domum de Valle Viridi fratribus Cartusiensibus concedit, 383; — donatio fratribus S. Mathurini facta, 396; — admonetur ab Innocentio IV propter Talmud, 173, 201, 203; — de taxatione hospitiorum scholarium, 483; — circa scholares qui mercedes hospitiorum non persolvunt, 484; — contra turbatores pacis in Universitate Paris., 387; — ejus responsio ad magistros et scholares Parisienses de revocatione Guillelmi de S. Amore, 404; — epistola ad papam, 405; — expellere debet de regno Franciae Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro et Christianum, 324; — interdicit regno suo Guillelmo de S. Amore, 363; — rogatur a papa, ut episcopis Parisiensi, Turonensi et Rotomagensi auxilium praebeat in gratiam fratrum Praedicatorum et Minorum, 314, 335, 336; — testamentum ejus, in quo quibusdam monasteriis et scholaribus providet, 431.

LUDOVICUS II, lantgravius (Hassiae), 39*.

LUGDUNENSIS archiepiscopus, v. AYMARUS, PHILIPPUS DE SABAUDIA.

—— provinciae clericis in scholis fratrum Praedicatorum et Minorum Divionens. studentibus proventus beneficiorum suorum percipere conceditur, 178, 191; v. CONCILIUM.

LULLUS (Raimundus), v. RAIMUNDUS LULLUS.

LUNDENSIS archiepiscopus, v. ABSALON, ERLANDUS.

LUVEYN (Francus de), v. FRANCUS DE LUVEYN.

LUYL (Stephanus de), v. STEPHANUS DE LUYL.

M

M. DE SANCTO DIONYSIO, magister regens in decretis, 164.

MACERIARUM abbas, 165.

MADDELE (W. de), v. W. DE MADDELE.

MADELBERTIS (Angelerius de), v. ANGELERIUS DE MADELBERTIS.

MAFLIX (Balduinus de), v. BALDUINUS DE TORNACO.

MAGISTER primus actu regens Parisiis Ord. S. Aug. Eremit., v. AEGIDIUS ROMANUS.

—— primus actu regens Parisiis ex Ord. Carmelitarum, v. GERARDUS BONONIENSIS.

—— primus actu regens ex Ordine Cisterc., v. GUIDO, abbas de Elemosina.

—— primus actu regens ex Ordine Cluniac., v. GALDERICUS.

—— primus actu regens ex Ordine Min., v. JOHANNES DE RUPELLA.

—— primus ex Ordine Praed., v. ROLANDUS.

—— Vallis Scholarium, v. EVRARDUS.

—— scholarium Andegavensium, 210.

—— in qualibet cathedrali, 10; — theologus in qualibet metropoli, 82, 91; — instituitur in monasterio S. Victoris Parisiensis, 159.

—— studentium in Ord. Praed., 113, 376.

MAGISTRI Parisienses (et scholares), 59, 62, 66, 72, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 83, 85, 86, 95, 102, 113, 119, 133, 134, 136, 137, 138, 139, 142, 143, 144, 145, 147, 160, 161, 177, 178, 181, 219, 220, 234, 235, 279-285, 292, 296, 298-299, 301, 303, 304, 305, 307, 315, 316, 320, 321, 323, 324, 327, 335, 338, 339, 341, 342, 347, 354, 359, 364, 368, 378, 381, 386, 390, 392, 397, 399, 400, 401, 402, 403, 404, 405, 422, 424, 427, 428, 432, 501, 514, 538, 564, 574, 577, 593, 600-602, 628-630, 637; — magister forum sui scholaris habeat, 79, 622; v. REMIS, REPETERE; — absolutio magistrorum propter manuum injectionem; v. UNIVERSITAS; — a quibus retinendae sint scholae et qualiter, 177, 178; — magistri actu regentes ad congregationes accedere tenentur, 182, 399; — concordia eorum cum cancellario, 74 sq.; — de compositione cum eodem facta, 104*, 113; — invitantur ab Innocentio III, ut Constantinopolim migrent ad reformandum litterarum studium; — Honorius III hortatur eos ut ad Tolosanas partes accedant, 83; — invitantur ab Henrico, rege Anglorum, ut in Angliam, 119; — a Manfredo, ut Neapolim veniant, 501; — pro reformatione studii legationem ad papam mittere debent, 133; — non possunt excommunicari; v. UNIVERSITAS; — Praedicatores in consortium recipere nolunt, 292-296; — Praedicatoribus et Minoribus in scholis detrahunt, 338, 339; — rebellionis poena puniuntur si papae mandatis non obediunt, 347; — circa relaxationem poenae eis a papa inflictae, 341; — commercium cum Guillelmo de S. Amore habere nequeunt, 388; — eorum petitio circa Guillelmum de S. Amore, 401; — excessus contra eos, 564; — laudantur a papa, 312, 364; — mandatis apostolicis obedientes ab episcopo Parisiensi absolvantur, 368; — monentur ut litteras apostolicas reverenter observent, 307; — non possunt extra Parisios per sententiam trahi, 400; — privilegiis a sede apostolica concessis perverse abutuntur, 446; — pro expensis ab Universitate factis pecuniam conferunt, 400; — recipere debent in consortium fratres Praedicatores, 390; — reconciliari debent cum fratribus Praedicatoribus et Minoribus, 392; — supplicant ut Guillelmus de S. Amore revocetur de exsilio, 403, 405; — quaestio inter eos Dulciumque et Notium mercatores Florentinos, 378; v. ARTISTAE, FACULTAS, MINORES, PRAEDICATORES, SIGILLUM, UNIVERSITAS.

MAGISTRI scholarum, 5; — magistri scholares in theologia Parisiis studentes, 4.

MAGLORII S. conventus Parisiensis, 98*.

MAGNO PONTE (Johannes de), v. JOHANNES DE MAGNO PONTE.

MAGNUS VICUS Parisiis, 598-600.

MAGUNTINUS archiepiscopus, v. CHRISTIANUS DE BUCH.

MAIDENSTON (Radulphus de), v. RADULPHUS DE MAIDENSTON.

MAINERIUS, magister, 6, 7.

MAINFREDI (Wido), v. WIDO MAINFREDI.

MALBERTI platea Parisiens., v. MAUBERTI.

MALET (Guillelmus), v. GUILLELMUS MALET.

MALI VICINI clausum, 61, 62*.

MALIGNES (Johannes de), v. JOHANNES.

MALLIACO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE MALLIACO.

MALOFORAMINE (Petrus de), v. PETRUS DE MALOFORAMINE.

MAMERTINUS archiepiscopus, suffraganeus Antiocheni patriarchae, 42.

MANDUCATOR (Petrus), v. PETRUS COMESTOR.

MANFREDUS PIZI, 38.

—— rex Siciliae, quosdam codices docto-

ribus in philosophia Parisiis studentibus dono transmittit, 435.
MANTA (Mantes), 186, 187*.
MANTEL (Guillelmus), v. GUILLELMUS MANTEL.
MARC D'ARGENT molendinum, 483.
MARCELLI S. canonici et capitulum, 63, 64, 146; — decanus et capitulum circa privilegium regale, 146; — ecclesia, 63, 107; — vicus, 117*; — villa, decanus et quidam alii circa occisionem scholarium, 142.
MARCHÉ-PALU (Quadrivium de), Parisiis, 239; — vicus, 490.
MARCHIAE comitis filius, 133.
MARCUS TULLIUS, 28.
MARE (G. de la), v. G. DE LA MARE.
MARESCHAL (Guillelmus le), v. GUILLELMUS LE MARESCHAL.
MARGARITA, comitissa Flandriae, 222.
—— dicta DOU CELIER, 290, 291.
—— Francorum regina, 374, 375, 484.
MARIA DE CAUDA, 374.
—— DE S. PATULO, 580.
MARIAE S. ecclesia et monasterium in insula Trecensi Vallis Scholarium, 119, 120*.
—— ecclesia Parisiensis, v. PARISIENS. ECCLESIA.
—— DE CAMPIS, ecclesia Parisiensis, 108.
—— hospitale Parisiensis, v. HOSPITALE S. MARIAE PARISIENSIS, DOMUS DEI.
—— DE PAPELART moniales, S., 373.
—— DE PORTIUNCULA ecclesia, et capitulum fratrum Min. apud camdem, 96*.
—— DE PRATO Rotomagensis ecclesia, et ejus prior, 213.
—— DE VINEIS, ecclesia Parisiis, et ejus prior, 95*.
MARISCO (Adam de), v. ADAM DE MARISCO.
MARLA (Johannes de), v. JOHANNES DE MARLA.
MARLIACI dominus, v. MATTHAEUS DE MONTEMORENCIACO.
MARLIACO (S. Mariae de) presbyter, v. GILBERTUS.
MARMOUSETOS (Marmose[to]s) (Locus vel vicus Parisiens. ad), 597, 600.
MARONITAE populi, 318.
MARSILIUS, monachus, 17.
MARTEL (Alanus), v. ALANUS MARTEL.
—— (Henricus), v. HENRICUS MARTEL.
MARTINO (Johannes, Simon de S.), v. JOHANNES, SIMON DE S. MARTINO.
MARTINUS papa IV (prius Simon, legatus apost. sedis), 570*, 600; — pro cancellario Parisiensi, 623. — V. JOHANNES DE MALIGNES, PHILIPPUS DE THORIACO.
—— scholaris, nepos Hugonis de S. Charo tit. S. Sabinae presb. card. 190*.
MARTINUS tegularius, 603.
MATHILDIS, abbatissa S. Mariae Suessionensis, 41, 42*.
—— uxor Matthaei de Montemorenciaco, 61.
—— DE GARLANDA, 109.
MATHURINI S. hospitale; traditur fratribus S. Trinitatis, 118, 119*; — domus et ecclesia, 267, 373, 396, 429, 445, 485, 493*, 597; — congregatio magistrorum Universitatis ibidem facta, 177. — V. S. TRINITATIS FRATRES.
MATISCONENSIS comes, 599.
MATTHAEUS, abbas S. Dionysii Paris., 433, 635, 636.
—— camerarius Philippi Aug. regis, 61.
—— constabularius, 122.
—— diaconus card. S. M. in Porticu, 627*.
—— episcopus Carnotensis, 329, 330*.
—— prior Praed. S. Jacobi Paris., 99.
—— DE ARGINIS, procurator nationis Picardorum, 468.
—— DE CLARIACO, magister, 584.
—— DINFER, 580.
—— GUIDONIS DE ATREBATO, magister in decretis Parisiis, 210.
—— LOMBARDUS, 599.
—— DE MONTEMIRABILI, 373.
—— DE MONTEMORENCIACO, dominus Marliaci, 61.
—— RUFUS, 590.
—— DE SCOTIA, magister, 85.
MAUBERTI platea, 62*, 597.
MAURINUS, archiepiscopus Narbonensis; objurgatio ei a papa facta, 470; — ejus responsio, 470.
MAURITIUS, apothecarius, serviens in facultate medicorum, 628.
—— Cenomanensis episcopus, 126, 127, 129.
—— Ordinis Praedicatorum, 648.
—— DE HIBERNIA, magister, procurator nationis Anglicorum, 530.
—— HISPANUS, haereticus, 79, 80*.
—— DE SULLY Parisiensis episcopus, 35; — ejus statutum de domibus claustralibus scholaribus non conducendis, 56.
MEAUX (Alermus de), v. ALERMUS DE MEAUX.
MEDERICI S. ecclesia Parisiis, 80, 534.
MEDERICO (Odo de S.), v. ODO DE SANCTO MEDERICO.
MEDICINA legitur Parisiis, 56*; v. FACULTAS.
MEDIOLANENSIS cancellarius, 94.
MEDIOLANO (Petrus de), v. PETRUS DE MEDIOLANO.
MELANO (Magister W. de S.), v. W. DE S. MELANO.
MELDENSIS archidiaconus, 181; — super taxatione hospitiorum, 425.
MELDENSIS episcopus, 161, 595*; v. ALERMUS, PETRUS.
—— R., magister, v. R. MELDENSIS.
MELEDUNENSIS (Melodunensis) archidiaconus, 570*, 594; — canonicus, v. GUILLELMUS DE MEMONTE.
MELEDUNUM, 384.
MELITONA (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE MELITONA.
MEMONTE (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE MEMONTE.
MENANDUS, v. MENENDUS.
MENENDUS, frater S. Victoris, 85.
MENTENAY (Aegidius de), v. AEGIDIUS DE MENTENAY.
MERCURIALES, i. e. professores bonarum litterarum, 21*.
METENSE capitulum, 217*.
MEUDUNO (Almaurus de), 222.
MICHAEL DE S. DIONYSIO, magister Parisiis in decretis regens, 164.
—— frater Ord. S. Trinitatis, 118*, 119*.
—— FLEMENGUS, 600.
—— FRESNEL, 598.
—— DE FURCO QUEMINI, magister de natione Normannorum, 589.
—— SCOTTUS, magister, translator librorum Aristotelis, 105, 110, 144*.
—— DE VILLANOVA, armiger, 198.
—— DE WARENGHIEN, episcopus Tornacensis, 460*.
MICHAELIS (Pons S.) Parisiis, 135*.
MIETTE (Aegidius), v. AEGIDIUS MIETTE.
MILO BEVANZ, miles, 16.
—— DE VICINIS, 62.
MINORES FRATRES, 95, 96*, 134, 135, 158*, 168, 169, 176, 186, 187*, 191, 202, 203, 204, 205, 210, 211, 214, 247, 248, 298, 323*, 325, 326*, 329*, 332, 333-335*, 338, 339, 342, 344, 346*, 347, 351, 352, 361, 362*, 363, 366, 367, 370*, 374, 389, 392, 393, 413, 469, 474, 478, 484, 567*, 582, 583, 592, 593*, 625; — adventus eorum in Francia, 95, 96*; — primo apud S. Dionysium (ibid.), deinde in loco Vallis Viridis, demum in territorio S. Germani de Pratis pedem fixerunt, 135*, 168; — eorum cathedra in Universitate Parisiensi, ibid.; — ratio studiorum, 413; — conventus debitis oneratus, 582; — circa abolitionem Introductorii in Evangelium aeternum ne ex hoc ullum opprobrium incurrant, 298; — commendantur ab Alexandro IV Ludovico regi Franciae, 333, 334; — defenduntur ab Alexandro IV, 342; — discrimen inter eorumdem et Praedicatorum fratrum scholas, 634, 635*; — doctrinam Thomae oppugnant, 567*; — eorum scholae Bononienses et Divionenses, 214, 291; — in societatem scholasticam Parisiis recipiuntur, 339; — privilegia

eis conceduntur, 592. — *V.* ADAM DE MARISCO, AGNELLUS, ALEXANDER DE HALES, ALLOTUS, BARTHOLOMAEUS ANGLICUS, BERNARDUS DE BESSA, BERTRANDUS DE BAIONA, BONAGRATIA, BONAVENTURA, DROCO, FRANCISCUS DE PLACENTIA, GERARDUS DE BURGO S. DONNINI, GREGORIUS DE NEAPOLI, GUALTERUS (ep. Pictaveus.), GUILLELMUS DE BARLO, GUILLELMUS DE MELITONA, GUILLELMUS DE NOTTINGHAM, HAYMO DE FAVERSHAM, JOHANNES (in Anglia), JOHANNES (gardianus Parisiens.), JOHANNES DE PARMA, JOHANNES PECKHAM, JOHANNES DE RUPELLA, JORDANUS DE JANO, ODO RIGALDI, PETRUS JOHANNIS OLIVI, PETRUS DE TEWKSBURIA, R. DE FALLE, RADULPHUS DE ROSA, RAIMUNDUS LULLUS, RICHARDUS CORNUBIENSIS, ROBERTUS, ROGERUS BACO, RUFINUS, SIMON DE LANS, THOMAS DE EBORACO, W. DE MADDELE.
MINUTI, 485, 506.
MITRA baccalareorum, 228, 230, 586.
MOERBEKA (Guillelmus de), *v.* GUILLELMUS DE MOERBEKA.
MONS S. GENOVEFAE Parisiensis, *v.* S. GENOVEFA.
—— MARTYRUM Parisiis, 23, 405, 407; — moniales ibid., 239.
MONSPESSULANUS, 132; — studium generale ibid. Ord. Praedicatorum, 211.
MONTE (Ecclesia de) S. Martini, Cameracensis dioecesis, 373.
MONTE DESIDERII (Albertus, prior de), *v.* ALBERTUS ORD. CLUNIAC.
—— (Radulphus de), *v.* RADULPHUS DE MONTE DESIDERII.
MONTEFORA (Guido), *v.* GUIDO MONTEFORA.
MONTEFONTAINE (Villici de) vulnerant scholares Parisiens., 561, 562.
MONTEMIRABILI (Johannes de), *v.* JOHANNES DE MONTEMIRABILI.
MONTEMORENCIACO (DE), *v.* GUILLELMUS, MATTHAEUS.
MONTENAY, *v.* INGERANDUS.
MONTIS REGALIS abbas, 485; — abbatia, 484.
MORELLI (Petrus), *v.* PETRUS MORELLI.
MORET (Stephanus de), *v.* STEPHANUS DE MORET.
MORETO (Gerardus de), *v.* GERARDUS DE MORETO.
MORIMUNDO (Abbas de), 183.
MORINENSIS archidiaconus, *v.* JACOBUS DE DINANT; — episcopus, 264*; *v.* RADULPHUS.
MOYSE, rabbi, 80*, 556.
MUCHEGROS (Johannes de), *v.* JOHANNES DE MUCHEGROS.
MUSI (Raerius de), *v.* RAERIUS DE MUSI.

N

N., decanus Trecensis, 77.
NANNETENSIS archidiaconus, *v.* R.
NARBONENSIS archiepiscopus, 152*, 264*; *v.* MAURINUS.
—— prior S. Mariae de Burgo Ord. S. Benedicti, 264*.
—— provincia, 338.
NARNIA (Juvenalis de), *v.* JUVENALIS DE NARNIA.
NATIONES Universitatis; scholares neminem sibi secundum nationes suas praeficiant, 103; — 181, 215, 216, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 412, 446, 449, 450, 451, 452, 469, 475, 521, 522, 523-530, 589; — ab antiquo distinctae, 296; — discordia inter Gallicos et alias tres nationes circa modum rectorem eligendi, 215, 216; — discordiae variae inter eas, 446, 449, 521, 565; — servientes, *v.* BEDELLUS, SERVIENTES. — *V.* ANGLICORUM, GALLICORUM, NORMANNORUM, PICARDORUM NATIONES, RECTOR, SIGILLUM. — *V. Introductionem.*
NEALFA (Riccardus de), *v.* RICHARDUS DE NEALFA.
NEAPOLI (Gregorius de), *v.* GREGORIUS DE NEAPOLI.
—— (Johannes de), *v.* JOHANNES DE NEAPOLI.
NEAPOLITANUM studium, 501.
NECKAM (Alexander), *v.* ALEXANDER NECKAM.
NEMOSIO (Aubertus de), *v.* AUBERTUS DE NEMOSIO.
NEVELLON (Johannes de), *v.* JOHANNES DE NEVELLON.
NICOLAI DE CARDINETO (Ecclesia de), 371.
—— DE LUPARA (Scholares S.), 198, 375*.
—— pons S., 198.
NICOLAUS DE ALTISSIODORO, 598.
—— archidiaconus Rotomagensis, 210.
NICOLAUS archidiaconus Tornacensis, quingentas libras Roberto de Sorbona contulit, 460.
—— cancellarius, postea archidiaconus Parisiensis, 476*, 494*.
—— clericus Hugonis de Bruerollis, 108.
—— Imagerius, 598.
—— Lexoviensis thesaurarius, magister, 403*, 495, 497*, 560*; — scribit Guillelmo de S. Amore, ipsique suum tractatum transmittit, 495.
—— Noviomensis episcopus, 149, 150*, 151.
—— papa III, 570, 626*; — constitutiones suas Universitati Parisiensi transmittit, 586.
—— papa IV, 314*.
—— pergamenarius, 267.
—— Trecensis episcopus, 329, 330*.
—— DE BARRO SUPER ALBAM, 319, 320, 321, 324, 325, 341, 342; — beneficiis ecclesiasticis privatur, 319-321; — nisi paruerit papae mandatis exsilii poena mulctetur, 324, 325.
—— BIARD, Ord. Praed., 648, 650*.
—— DE BREAU, 574.
—— LE CHISTOLEUR, 574.
—— DONIN de la Rochelle conversus ex judaismo, 202, 205*.
—— DE ESSONE, magister, 589.
NICOLAUS DE FARNHAM, Anglicus, magister, 118*.
—— GIBOIN, 136.
—— JUVENIS, 599.
NICOLAUS DE LAUDUNO, clericus, 380.
—— LOMBARDUS de Vico Novo, 267.
—— dictus LE MASCON, 598.
—— DE NONANCURIA, cancellarius Parisiensis, 624*, 633, 638, 641.
—— DE PONDEARCHE (Ponte Arche), magister decretorum Parisiis, 210.
—— DE PARISIUS, magister ejusdem scholae, 267, 429.
—— POSTEL, rector ecclesiae de Bouquelont, magister, 574.
—— DE PRESSORIO, archidiaconus in ecclesia Baiocens. in theol. mag., 565, 595.
—— dictus REINGOT, magister in theologica facultate studens, 574.
—— SALERNITANUS, 517.
—— DE TORCULARI, *v.* NICOLAUS DE PRESSORIO.
—— WRIGNI, 375.
NICOSIENSIS episcopus, *v.* AEGIDIUS.
NIFFUS (Gervasius), *v.* GERVASIUS NIFFUS.
NIGELLA (Johannes de), *v.* JOHANNES DE NIGELLA.
—— (Simon de), *v.* SIMON DE NIGELLA.
NIVELLA (Bernerus de), *v.* BERNERUS DE NIVELLA.
NIVELON, episcopus Suessionensis, 329, 330*.
NIVERNENSIS comes, 165; — episcopus, *v.* GUILLELMUS ELECTUS NIVERNENSIS.

NOELLUS LATOMI, 599.
NOGENT, 186.
NONANCURIA (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE NONANCURIA.
NORMANNIA, 338.
NORMANNUS (Johannes), v. JOHANNES NORMANNUS.
—— (Riccardus), v. RICHARDUS NORMANNUS.
NORMANNORUM natio in Universitate Parisiensi, 446, 449, 450, 451, 452, 521, 523, 527, 530, 589; v. NATIONES.
NOTARII (Berengarius), v. BERENGARIUS NOTARII.
NOTTINGHAM (Wilhelmus de), v. GUILLELMUS DE NOTTINGHAM.
NOVAVILLA (Robertus de), v. ROBERTUS DE NOVAVILLA.
NOVIOMENSIS archidiaconus, v. PHILIPPUS; — decanus, 17; et capitulum, 172; — episcopus, v. NICOLAUS; — scholasticus providere debet singulis annis scholis Noviomens. de rectore, 370; — thesaurarius, 155.
NOVO CASTELLO (P. de), v. P. DE NOVO CASTELLO.
NOYON (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE NOYON.
NUCUM vicus Parisiis, 598.

O

OCTAVIANUS, episcopus Ostiensis, apostolicae sedis legatus, 47, 87, 88, 89.
—— S. Mariae in Via Lata diac. cardinalis, 378, 379.
ODELINA, filia Richardi Normanni talliatoris, 266, 267, 429.
ODO, abbas S. Germani de Pratis Parisiensis, 109, 134, 135, 139, 144*, 147, 153.
—— cancellarius S. Genovefae, ecclesiam de Donno Medardo in Pontivo magistro Evrardo confert, 444.
—— cancellarius Parisiensis, 8*.
—— diaconus, 50.
—— DE BELLEVAL, magister, libellum diffamatorium publicat contra magistrum Guillelmum dictum Rigaut, 461. 463; — procurator constituitur ad prosequendam appellationem sententiae a Simone cardinale latae, 407, 468. — V. GUILLOTUS, bedellus.
—— DE BLES, legum doctor, 502*.
—— DE CARNOTO, decanus magistrorum Parisiensium in decretis, 468.
—— DE CASTRO RADULPHI, cancellarius Parisiensis, postea episcopus Tusculanus, apost. sedis legatus, 69*, 107*, 162*, 167, 170, 171, 172*, 174, 179*, 201, 202, 203, 204, 205, 206, 208*, 209, 210, 211, 218.
—— DE S. CLODOALDO, 70.
—— DE S. DIONYSIO, canonicus Parisiensis, 437; — electus Parisiensis, 589*; — decanus theol. facult., magister, 595, 638.
—— DE DUACO, doctor in theologia, 319, 321, 324, 325, 338, 339, 341, 342, 350*, 368, 369; — beneficiis privatur, 319, 321; — certa capita servare jurat, 338, 339; — regno Franciae expellitur, 324, 325; — jurat apostolicis se staturum mandatis, 368, 369. — V. CHRISTIANUS.
ODO EGLINS, miles, 16.
—— LOMBARDUS, S. R. E. diac. cardinalis, abbatissae S. Mariae Suessionens. nepotem Anastasii papae IV Parisiis studentem commendat, 41.
—— DE S. MEDERICO, 62.
—— DE POLENGEIO, procurator nationis Gallicorum, 468.
—— RIGALDI, Ord. Min. cathedraticus, postea archiepiscopus Rotomagensis, 211*, 305*, 340, 341*, 346, 351.
—— DE ROMACO, frater, 211.
—— DE SULLY, cantor Bituricensis, 35, 37*; — postea episcopus Parisiensis, ibid. et 12, 63, 65, 82, 87, 88.
—— VICECOMES, papae capellanus, 380.
OFFICIALIS curiae Parisiensis, 69*, 75, 233, 405, 429, 446, 461, 463, 481, 485, 490, 534, 542, 602; — promulgat sententiam contra clericos et scholares qui flagitia committunt, 481.
OISSELLO (S. Martini ecclesia de), 483.
OLIVI (Petrus Johannis), v. PETRUS JOHANNIS OLIVI.
OPINIONES decem Parisiis anno 1241 proscriptae, 170, 171, 172*, 173, 316, 328; v. STEPHANUS DE VARNESIA.
—— tredecim a Stephano episcopo Parisiensi anno 1270 condemnatae, 486.
—— ducentae undeviginti Sigeri de Brabantia, Boetii de Dacia et aliorum ab eodem anno 1277 condemnatae, 543, 556*.
OPINIONES Johannis de Brescain clerici, 206, 207.
—— Oxoniae condemnatae anno 1277, 558; v. ROBERTUS KILWARDBY.
—— Petri Lombardi, v. PETRUS LOMBARDUS.
—— quae in Talmud aliisque Judaeorum libris continentur, 205*; v. TALMUD.
—— triginta et una ex Introductorio et Evangelio aeterno excerptae, 272-276.
ORDONIUS, episcopus Tusculanus, 627*.
OSONVILLA (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE OSONVILLA.
—— (Reginaldus de), v. REGINALDUS DE OSONVILLA.
OSQUEVILLA (Johannes de), v. JOHANNES DE OSQUEVILLA.
—— (Petrus de), v. PETRUS DE OSQUEVILLA.
OSTIENSIS cardinalis, 22*; v. HENRICUS, OCTAVIANUS.
OSTREVANT (Archidiaconus de), 84.
OXONIA, 216.
OXONIAE magistri in theologica facultate regentes monentur ut Parisiensibus se conforment, 169, 170; — nullus ibi doceat, nisi qui secundum morem Parisiensem fuerit approbatus, 189; — errores de eorum consensu condemnati, 558; — de Oxoniensibus venientibus Parisios, 612; v. CANCELLARIUS, JOHANNES PECKHAM, ROBERTUS GROSSETESTE, ROBERTUS KILWARDBY; — Oxonienses fratres Ord. Minorum, 224, 225.

P

P. DE NOVO CASTELLO, magister, 516.
P., natus Sixti civis Romani, 153.
P., scholaris Parisiensis, 642.
P., succentor, canonicus Parisiensis, 75.
P. DE VALENTIA, Ord. Praed., 288*.
PAGANELLI (Bernardinus), v. BERNARDINUS PAGANELLI.
PAGUS, magister, commentator sententiarum, v. JOHANNES.
PALLIUM, 586.
PANORMITANUS archiepiscopus v. GUALTERUS.
PAPA (Petrus de), v. PETRUS DE PAPA.
PARETI villa prope Parisios, 569, 594.
PARISIENSIS Biblia, 316*, 317*.
—— ecclesia B. Mariae vel Nostrae Dominae, passim; — in generalis ecclesiae firmamento tanquam sidus praelucet irradians, 449; — archidiaconus, v.

Ancherius, Gaufridus, Gerardus, Guillelmus, Johannes, Nicolaus, Philippus; — cancellarius, v. Cancellarius, Cancellaria; — canonici, 59; — canonicorum cathedrae in Universitate Parisiensi, 254; — cantor, v. Petrus; — capicerius, 80; v. Alebrandinus, Ansellus, Bertaudus, Clemens de S. Germano, Guillelmus de Monciaco, Guillelmus de Montemorenciaco, Hugo de Bruerolis, Johannes de Parisius, Jordanus, Odo de S. Dionysio, Petrus de Corbolio, Petrus de Joigniaco, Petrus Rufus, Philippus Fortis Brachii, R. Capellanus, R. de Remis, Robertus de Sorbona; — clerici, 600; — jura, 123, 124; — libertates et consuetudines confirmantur, 7, 60, 65, 66*, 76, 80, 121, 137; — libri eorumque conservatio, 81, 296. — V. Capitulum, Decanus Parisiensis, Officialis, Parvisium.

Parisiensis episcopus, v. Bartholomaeus, Guillelmus Arvernus, Guillelmus (de Chanac), Guillelmus de Seigneley, Hugo, Johannes de Aurelianis (electus), Mauritius, Odo (de Sully), Odo de S. Dionysio (electus), Petrus de Nemours, Ranulphus, Reginaldus, Simon, Stephanus, Theobaldus.

—— Universitas, v. Universitas Parisiensis.

Parisiorum civitas; ejusdem descriptio, 55, 56; — est paradisus deliciarum, 21*, 24, 127; — idonea ad capiendas animas, 24; — civitas litterarum, v. Cariath Sepher; — artium urbs famosa, 343; — difficillimae ibi quaestiones resolvuntur, 35; — ratione studii clerici de diversis partibus mundi accedunt, 194, 343; — diversarum nationum gentes ibi confluunt, 440; — innumerosa ibidem scholarium multitudo, 241; — ut contendat supergredi numerosam multitudinem laicorum, 50; — celebris ibidem recursus theologorum, 65; — est locus, in quo aurum conflatur, i. e. theologia docetur, 92, 183; — est alveus studii litterarum, quo generalis ecclesia irrigatur et foecundatur, 126-128, 384; — documentorum suorum fluentis omnem terram rigat, 342; — parens scientiarum, 136, 139, 140, 341; — peritiae summae sinus, de suae scientiae plenitudine replens orbem, 342; — hinc procedit inclita doctorum prosapia, 343; — de Parisiis fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum, ibid. — V. Studium Parisiense.

Parisiorum burgi, S. Genovefae, S. Germani de Pratis, S. Marcelli.

—— clausum, v. Brunelli, Mali Vicini.

—— collegia, v. Collegium.

—— ecclesiae, monasteria, v. S. Antonii, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Catharinae, S. Christophori, SS. Cosmae et Damiani, S. Dionysii, S. Dionysii de Passu, S. Eligii, S. Genovefae, S. Genovefae parvae, S. Germani Autissiodorensis, S. Germani de Pratis, S. Honorati, S. Jacobi, S. Juliani Pauperis, S. Maglorii, S. Marcelli, B. Mariae (v. Parisiensis ecclesia), S. Mariae de Vineis, S. Mathurini, S. Mederici, S. Nicolai in Cardineto, S. Nicolai de Lupara, S. Pauli, S. Severini, S. Stephani, S. Thomae de Lupara, S. Victoris; — S. Augustini Eremitae, Carmelitae, Cartusienses, Cistercienses, Cluniacenses, De S. Cruce Fratres, S. Lazari, Minores, Poenitentiae Jesu Christi fratres, Praedicatores, Praemonstratenses, S. Trinitatis fratres, Vallis Scholarium.

—— flumina et Insula, v. Beveris, Sequana, Insula Sequanae.

—— hospitalia, v. Domus Dei, Hospitale S. Nicolai de Lupara, S. Quintini.

—— montes, v. S. Genovefa, Mons Martyrum.

—— pontes, v. Pons Magnus, Pons Parvus, S. Michaelis, S. Nicolai.

—— portae: Buci, 108*; — de Coupe-Gueule, 271, 272; — S. Eustachii (Montis Martyrum), 405, 407; — S. Genovefae, 197; — de Gibardo (Inferni S. Michaelis), 134, 135*, 597; — S. Jacobi (Aurelianensis), 108, 420; — S. Victoris, 195, 198.

—— viae: via qua itur ad Sequanam, 62; — du Fouare, 62*; — rue as escholiers de Sainct-Denis, 443*. — V. Mauberti platea.

—— vicus, v. Amigdalorum, Alexandri Anglici, de Attrebato, Bievra, Britonaria, Bucherie, Ad Cacabos, Campelli, Cardinetum, S. Christophori, SS. Cosmae et Damiani, Coupe-Gueule, Cytarae, Erambour de Brie, Aux Estuves, Frigidi Mantelli, Furni, Garlandiae, Hautefeuille, S. Hilarii, De Hyrondale, Hucheta, Landerici, in Laaso, Magnus vicus (S. Jacobi), Marmosetorum, Nucum, Pavatus, Plaustri, Poretarum, Potatorii, Quadrigariae, Sarraceni (Petri), Serpentis, Sorbonistarum, S. Stephani de Gressibus, S. Victoris.

—— V. Burgenses, Cives, Praepositus, Templariorum domus, Termarum palatium, Turrita domus, Vigiles, Volta S. Quintini.

Parisius, v. Johannes, Nicolaus de Parisius.

Parlamenta, 369.

Parma (Johannes de), v. Johannes de Parma.

—— (Hugo de), v. Hugo de Parma.

Parmensis (Bernardus), v. Bernardus.

Parvisium (Paravisum), Parisiis, 463.

Parvus J., v. J. Parvus.

Pastores in Francia, 224.

Paterini in Lombardia, 207*.

Patriarchae, archiepiscopi et episcopi hortantur in favorem fratrum Praedicatorum, 356.

Patritius de Hibernia, magister de natione Anglicorum, 589.

Patulo (Maria de S.), v. Maria de S. Patulo.

Pauli S. Parisiens. ecclesia, 409.

Pavatus vicus, 597.

Peckham (Johannes), v. Johannes Peckham.

Pecusiis (Christophorus de), v. Christophorus de Pecusiis.

Pedagium non solvitur a scholaribus Parisiensibus in eundo et redeundo, 194, 237, 238.

Pelotier (Rogerus le), v. Rogerus le Pelotier.

Pennaforte (Raimundus de), v. Raimundus de Pennaforte.

Peraldi (Guillelmus), v. Guillelmus Peraldi.

Peregrinus Cenomanensis, inter novitios Ord. Praedicatorum enumeratur, 132.

Pergamenarius, v. Nicolaus.

Periculis (De) novissimorum temporum, tractatus brevis Guillelmi de S. Amore, 296*, 331, 337, 345, 363, 366, 391, et passim; — scripta contra hunc librum, 297*, 415*, 417, 497*.

Perifisis, i. e. περὶ φύσεως, liber magistri Johannis Scoti, 106, 107*.

Perusinus episcopus, 277*.

Petragoricensis episcopus, v. Raimundus d'Auberoche.

Petri S. Carnotensis abbatia, v. Carnotensis.

Petri Leonis (Gratianus), v. Gratianus Petri Leonis.

—— (Hugo), v. Hugo Petri Leonis.

—— (Jordanus), v. Jordanus Petri Leonis.

Petri Sarraceni domus Parisiensis, 238, 239, 290, 291; — vicus, 597, 598.

Petrus archidiaconus Belvacensis, 164.

—— Blesensis archidiaconus Bathoniensis, 25, 27, 29, 32, 33, 35.

—— canonicus S. Genovefae, 42, 43, 44.

PETRUS, cantor Parisiensis, 12, 13, 14; — electus Tornacensis, 46.
—— capellanus Roberti comitis Drocensis, 16.
—— cardinalis S. Chrysogoni, legatus ap. sedis, super regimine scholarium Parisiensium, 8, 24.
—— diaconus, 50.
—— Meldensis episcopus, 161.
—— regis Francorum nuntius ad Alexandrum IV, 334.
—— scriptor, 20.
—— sigillator, 565, 567,
—— ALPHONSI, Hispanus, Ord. Praed., 542*.
—— DE ALVERNIA, magister, 516; — rector Universitatis, 521, 530, 597.
—— DE S. AMORE, rector Universitatis Parisiensis; appellatio ejus contra magistrum Philippum cancellarium Parisiensem, 588.
—— dictus ARCHIEPISCOPUS, magister theologiae Parisiis, 210, 211*.
—— DE S. BENEDICTO, 648.
—— DE BOSCO ROGERI, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— DE CAPUA, patriarcha Antiochenus, 85, 85*.
—— CELLENSIS, abbas S. Remigii, 18, 19*; — scribit ad Johannem Saresberiensem de scholis Parisiens., 24; — Petro cardinali S. Chrysogoni magistrum Crispinum scholas Parisienses aditurum commendat, 24.
—— DE CHAMBERIACO, canonicus S. Audomari, magister, 476.
—— DE CHAMBLEYO, magister, 378.
—— DE CLAUSTRO, 599.
—— DE S. CLODOALDO, 70.
—— COCCUS, 381.
—— DE COLLEMEDIO, magister Parisiis, 102.
—— DE COLUBRIO, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 602.
—— DE COLUMPNA, magister, 379.
—— COMESTOR (Manducator), cancellarius Parisiensis, 8, 649.
—— DE CONFLETO, archiepiscopus Corinth. Ord. Praed., 556*, 559*, 560*.
—— DE CORBOLIO, canonicus Parisiensis, magister in theologia, Cameracensis episcopus, postea Senonensis archiepiscopus, 12, 14, 70.
—— CORNUBIENSIS, procurator nationis Anglicorum, 468.
—— DE DIVIONE, nuntius Universitatis Parisiensis, 394, 401, 402*.
—— dictus DOYTE, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— DE ERNANCURIA, 222.
—— HISPANUS, magister, auctor Summularum, 541*. V. JOHANNES XXI.
—— JOHANNIS OLIVI, Ord. Min., 596*.
PETRUS, DE JOINGNIACO, canonicus Pariens. in theol. magister, 595.
—— JOSCELINI, 580.
—— DE LAMBALA, magister, terra ejus, 198.
—— LEMOVICENSIS, decanus magistrorum in physica, 468, 488.
—— DE LENGRES; statutum magistrorum medecinae contra eum, 488.
—— LIGERII, magister decretorum Parisiis, 210.
—— LOMBARDUS, magister, 82, 471, 494, 645, 649*; — ejus falsa sententia de Christo homine, 4; — opiniones quae a magistris Parisiensibus non tenentur, 220; — opus ejus, scilicet Sententiae, praefertur in scholis Bibliae sacrae, 473.
—— (de Ons) MAJORIS CALETI in Rotomagensi ecclesia archidiaconus, magister, 450, 457.
—— DE MALOFORAMINE, magister scholaris S. Thomae de Lupara, 602.
—— MANDUCATOR, v. PETRUS COMESTOR.
—— DE MEDIOLANO, vicecancellarius S. R. E., 633*.
—— MORELLI, 598.
—— DE NEMOURS, Parisiensis episcopus, 68, 69, 69*, 70*, 75, 76, 78, 79, 80, 82, 87, 88, 93*.
—— DE OSQUEVILLA, magister, 574.
—— DE PAPA, canonicus ecclesiae Noviomensis, 155, 156.
—— PARVUS, cancellarius Parisiensis, 179, 180*.
—— PICTAVENSIS, cancellarius Parisiensis, 61*, 66*.
—— POINLANE seu PUNGENSASINUM, civis Parisiensis, 271, 272, 349, 350*.
—— dictus REGIER, magister, 109*.
—— dictus ROVELE, serviens in facultate decret., 628.
—— RUFUS, seu RUSSEL, ROSSEL, canonicus Corboliensis, 389; — canonicus Ebroicensis, in theologia magister Parisiis, obtinere potest ecclesiasticas dignitates non obstante defectu natalium, 408; v. insuper, 381; — canonicus Paris., 439, 440*.
—— S., martyr, 319.
—— DE SALINIS, ejus opus super decretum, 648, 650*.
—— DE TARANTASIA, episcopus Ostiensis, Ord. Praed., 288*, 385, 646.
—— DE TEWKSBURIA, Ord. Min. ex Anglia, 186, 187*, 415*.
—— DE VERNO, paedagogus Odonis de Sully, discipulus Petri Blesensis, 36.
—— DE VILLA BLOVANA, 598.
—— DE VIRETO, magister decretorum Parisiis, 210.
—— DE VYLARCHEAUS, in theologia magister, 597.
PHILIPPUS AUGUSTUS, rex Francorum, 11, 59, 61*, 72, 99*, 120, 122*, 123*, 128, 170*, 141, 538; — ejus privilegium in favorem scholarium Parisiensium, 59, 120, 122, 126, 128, 129, 141, 144 et passim. — V. LUDOVICUS IX, PHILIPPUS III.
PHILIPPUS III, Francorum rex, renovat privilegium Philippi Augusti et Ludovici IX in favorem scholarium, 538; — concedit ut 24 scholares duas domos eis a thesaurario Rotomagensi traditas possideant, 579; — de defensione magistrorum et scholarium Parisiensium, 538; — edicit ut conventus S. Germani de Pratis duas capellanias instituat, 567, 568; — Ivoni abbati Cluniacensi concedit commutando quemdam vicum, 494; — litterae ejus in gratiam scholarium de Sorbona, 580; — privilegia clericorum qui ejus obsequiis insistunt, 591.
—— IV, Francorum rex, 123*, 635, 638*.
—— archidiaconus Parisiensis 50.
—— archidiaconus Bituricensis, magister decretorum Parisiis, 210.
—— archiepiscopus Bituricensis, 222, 223, 224.
—— Aurelianensis episcopus, 156.
—— comes Atrebatensis, 17.
—— electus Ebroicensis, 485.
—— episcopus Belvacensis, 16.
—— BUKETYN, 409.
—— COMIN, civis Parisiensis, 405, 407.
—— DE CURIA, decanus facultatis medicinae, 490.
—— DE FONTANETO, 349.
—— FORTIS BRACHII, canonicus ecclesiae Parisiensis, 154, 155, 156.
—— DE GRÈVE, cancellarius Parisiensis, Noviomensis archidiaconus, 81*, 85*, 93, 102, 111, 112, 133, 134*; — ejusdem laus apud exteros late patet, 148; — injuriatus a senescallo Viromandensi, 148-150. — V. *Introductionem*.
—— DE HARVENGT, 50, 53, 139*.
—— DE LIVIIS, 59, 120.
—— DE LONGES, canonicus Beati Martini Turonensis, 190*.
—— DE RIIS, 434*.
—— DE SABAUDIA, electus Lugdunensis, 206.
—— DE THORIACO, cancellarius Parisiensis, Ferrandum fratrem regis Aragonum sine examine licentiare intendit, 588; — lis cum rectore et artistis, 605-622, 622*, 623, 624, 639.
PICARDIA provincia, 338.
PICARDORUM natio in Universitate Parisiensi, 390, 391, 446, 449, 450, 451, 452, 521, 530, 589; v. NATIONES.
PICARDUS dialectus, 123*.

PICTAVENSIS (Gaufridus), v. GAUFRIDUS PICTAVENSIS.
—— (Guillelmus), v. GUILLELMUS PICTAVENSIS.
—— (Petrus), v. PETRUS PICTAVENSIS.
PIE D'OE (Johanna), v. JOHANNA PIE D'OE.
PILEUM et ejus usus in facultate medicinae, 502.
PILMIL (Vincentius de), v. VINCENTIUS DE PILMIL.
PISIS (Bartholomaeus de), v. BARTHOLOMAEUS DE PISIS, 329*.
PISSIACENSIS archidiaconus, de contributione magistrorum et scholarium in debitis Universitatis, 428.
PIZI (Manfredus), v. MANFREDUS PIZI.
PLACENTINUS episcopus, v. ALBERTUS, HUGO PETRI LEONIS.
PLAILLY (Oise) (Villici de) graviter vulnerant scholares Parisienses, 561.
PLASTRI, PLAUSTRI vicus, 597, 598, 600.
PLATE PIERE (LI), locus Parisiens., 599.
PLATO, 53, 54.
PLEMBOSC (Helyas de), v. ELIAS DE PLEMBOSC.
POENITENTIAE Jesu Christi fratres (Saccorum), 374, 433, 638*.
POINLANE (Petrus), v. PETRUS POINLANE.
POINT LARNE (L'ASNE) (Stephanus), v. STEPHANUS POINT LARNE.
POINTLASNE (Guillelmus), v. GUILLELMUS POINTLASNE, PUNGENSASINUM.
PONCELLO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE PONCELLO.
PONGENSASINUM, v. PUNGENSASINUM.
PONS MAGNUS Parisiensis, 55.
—— PARVUS Parisiensis, 55, 56, 238, 239.
PONTE ARCHE (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE PONTE ARCHE.
—— (Nicolaus de), v. NICOLAUS.
PONTIGNIACO (Abbas de), 183.
PONTISARA (de), v. ADAM, IVO, STEPHANUS DE PONTISARA.
PORETANUS (Gillebertus), v. GILLEBERTUS PORETANUS.
PORETARUM vicus Parisiens., 574, 579, 580, 599.
PORPHYRII introductio in Categorias, 278, 279*.
PORTELANCE (Gilbertus), v. GILBERTUS PORTELANCE.
PORTIUNCULA (Capitulum fratrum Min. apud S. Mariam de), 96*.
POSTEL (Nicolaus), v. NICOLAUS POSTEL.
POTARIUS (Thomas), v. THOMAS POTARIUS.
POTATORII vicus Parisiens., 599.
POTETARIA (Laurentius de), v. LAURENTIUS DE POTETARIA.
PRAEDICATORES fratres, 93, 94*, 95, 96, 97*, 97, 99, 100, 101, 102, 104, 106, 108, 108*, 109*, 112, 113, 131, 132, 143, 153, 157, 158, 167, 172*, 172, 173, 176, 187, 190, 202, 203, 204, 205, 210, 211, 211*, 214, 247, 248, 252-258, 259, 279-285, 287, 288, 290, 300, 301, 304, 305, 306-308, 314, 315, 317, 319, 320, 323*, 325, 327, 328, 329, 332, 333-335*, 339, 340, 342, 344, 347*, 348, 351-355, 361, 362*, 363, 366, 367, 369, 370, 374, 389, 390, 392, 393, 400, 413, 414, 419, 420, 433*, 435, 439, 451, 469, 478, 484, 485, 487*, 494, 495, 504, 505*, 542, 556*, 557*, 567*, 592, 593*, 624, 625, 627; — eorum adventus Parisios, 94*; — ecclesia S. Jacobi, 96; — jus in locum eumdem recipiunt ab Universitate Parisiensi et Johanne decano S. Quintini, 99-101; — instruuntur in theologica facultate (a magistro regente Johanne decano de S. Quintino), 101, 253; — commendantur magistris et scholaribus Parisiensibus, 97; — commendantur Ludovico regi Franciae ab Alexandro IV, 333; primus magister in Universitate, v. ROLANDUS; — ordinationes de studiis, v. CAPITULUM; — de celebratione divinorum, 93; — conceditur eis terra quaedam extra portam S. Jacobi, 108, 108*; — compositio eorum cum capitulo Parisiensi circa parochiam S. Benedicti, 97*; — de statu domus Praedicatorum Parisiensium, 108, 109; — discrimen inter eorumdem et Minorum fratrum scholas, 634, 635*; — disputatio eorum de pluralitate beneficiorum, 157, 158; — aliqui doctrinam Thomae oppugnant, 567*; — accusantur ab Universitate Parisiensi, 252-258; — dissentio inter ipsos et Universitatem Paris., 226, 242 sqq., 247 sqq., et deinceps; — compositio inter eos inita et magistros Parisienses notificatur archiepiscopis Bituricensi, Remensi et Rotomagensi, 304; — compositionem eamdem Alexander IV irritam declarat et reprobat, 319, 327; — eorum defensionem Alexander IV suscipit, 342; — in consortium Universitatis Parisiensis recipi debent, 247, 279-285, 390, 391, 392; — magistri generalis fratrum defensio, v. HUMBERTUS; — laudantur ab Alexandro IV, 351, 352; — querelae praelatorum contra eos, 287, 288; — renuunt interesse concilio ab episcopis provinciarum Senonensis et Remensis indicto, ut lis componeretur inter ipsos et Guillelmum de S. Amore, 329; — statutum Universitatis magistrorum artium Parisiensium de impensis in causa contra fratres Praedicatores, 258, 259; — liti tandem finis imponitur, 402, 403*; — eorum scholae Divionenses theologicae facultatis, 176; — in causa Talmud, 202, 203, 204, 205; — priori eorum Parisiensi scribitur de absolutione scholarium, 143; — privilegia eis conceduntur, 592. — V. AEGIDIUS DE LESSINIO, ALBERTUS MAGNUS, BERENGARIUS NOTARII, BERNARDUS GUIDONIS, BOETIUS DACUS, BONUSHOMO, CONRADUS TEUTONICUS, ELIAS BRUNETI, FLORENTIUS, GAUFRIDUS DE BELLO-LOCO, GAUFRIDUS DE BLEVELLO, GERARDUS DE FRACHET, GUERRICUS, GUIDO DE CLAROMONTE, GUILLELMUS DE ALTONA, GUILLELMUS DE MALLIACO, GUILLELMUS DE MOERBECKA, GUILLELMUS PERALDI (Lugdun.), GUILLELMUS (familiaris Gregorii IX), GUILLELMUS REDONENSIS, GUILLELMUS DE TOCCO, HENRICUS TEUT. (de Colonia), HUGO DE BILOMIO, HUMBERTUS, JACOBUS DE BUONCAMBIO, JACOBUS DE VORAGINE, JOHANNES DE ALLODIO seu AURELIANIS, JOHANNES DE S. BENEDICTO, JOHANNES DE MONTEMIRABILI, JOHANNES DE NEAPOLI, JOHANNES PUNGENSASINUM, JOHANNES QUIDORT, JOHANNES TEUTONICUS, JOHANNES DE TURNO, JOHANNES DE VERCELLIS, JORDANUS, LAMBERTUS AUTISSIOD., MATTHAEUS (prior Parisiens.), MAURITIUS, NICOLAUS BIARD, P. DE VALENTIA, PEREGRINUS, PETRUS ALPHONSI, PETRUS DE CONFLETO, PETRUS DE TARANTASIA, RAIMUNDUS DE MEDULIONE, RAIMUNDUS DE PENNAFORTE, RICHARDUS CLAPWEL, ROBERTUS KILWARDBY, ROLANDUS, SIMON DE VALLE, STEPHANUS LOMBARDUS, STEPHANUS DE SALANHACO, STEPHANUS DE VARNESIA, THOMAS DE AQUINO, THOMAS CANTIMPRATANUS, WALTERUS TEUTONICUS.
PRAEMONSTRATENSIS Ordo, 372.
PRAEMONSTRATENSIUM domus Parisiis studentium prima fundamenta, 238, 239, 290, 291; — eorum domorum taxatio, 179, 232, 233; — studentibus permittitur habere altare portatile, 429.
PRAEPARATORIUM in Evangelium aeternum, v. INTRODUCTORIUS.
PRAEPOSITURA S. Benedicti de Regressu, 200.
PRAEPOSITUS (Prévot) Parisiensis, 59, 60, 121, 223, 538, 570; v. THOMAS; — ejus juramentum, 60, 121, 122.
PRATIS (Rogerus de), v. ROGERUS DE PRATIS.
PRATUM S. Germani, v. S. GERMANI.
S. PREJECTI apud S. Quintinum Noviom. dioec. abbas, 150.

PREPOSITINUS Cremonensis, cancellarius Parisiensis, 65, 66 *, 74 *.
PRESSORIO (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE PRESSORIO.
PRISCIANUS, 28, 138, 278; — minor et major, 228, 230 *.
PRISSIANUS, v. PRISCIANUS.
PRIVILEGIA religiosorum rescinduntur, 262, 267; — eis redduntur, 276, 277.
—— Universitatis, v. UNIVERSITAS.
PROCURATOR scholarium seu Universitatis, de jure communi possunt habere, 82; deinde, 147, 160, 193; — procuratores, 236 et passim.
—— Universitatis in Curia : HUGO DE SEGHUIN, 241; GUILLELMUS DE S. AMORE, 265.
PROCURATORES nationum quatuor, 162, 178, 179, 227 (Anglicorum), 446, 449, 450, 451, 452, 475, 525, 530, 531, 570, 577, 628, v. GUILLELMUS DE INSULIS, JACOBUS DE DUACO, MATTHAEUS DE ARGINIS, MAURITIUS DE HIBERNIA, ODO DE POLENGEIO, PETRUS CORNUBIENSIS, ROBERTUS RUFUS, STEPHANUS GEBENENSIS. — *V. Introductionem.*
—— parvi Sorbonae, 509, 510, 511.
PROSPER S., 417 *.
PROVINCIALIS quidam baccalareus intrat in Ord. Praedicatorum, 132.
PROVISOR domus Sorbonae, v. DOMUS SORBONAE.
—— domus Cisterciensis Parisiis, v. CISTERCIENSIS ORDO.
PROVISOR S. Thomae de Lupara, v. JOHANNES, THOMAS.
PROVISORES Universitatis Parisiensis, 118.
PROXENETICA, 533, 534 *.
PRULEGO (L. de), v. L. DE PRULEGO.
PRUTENORUM natio, 318.
PRUVINENSIS (Droco), v. DROCO PRUVINENSIS.
PSALTERIUM decem chordarum, liber abbatis Joachim, 297 *.
PUNGENSASINUM (Petrus), v. PETRUS POINLANE.
—— (Johannes), v. JOHANNES PUNGESASINUM.
PUTEO (Johannes de), v. JOHANNES DE PUTEO.

Q

QUADRIGARIAE vicus Parisiens., 599.
QUIDORNOIE (Johannes), v. JOHANNES QUIDORNOIE.
QUIDORT (Johannes), v. JOHANNES dictus QUIDORT.
QUINCHI (Robertus de), v. ROBERTUS DE QUINCHI.
QUINTILIANUS, 28.
QUINTINI S. Noviomensis dioec. decanus, 97 *, 100, 108, 113, 114 *, 117, 172; v. JOHANNES, THOMAS.
QUINTINO (Gualterus, Iohannes de S.), v. IOHANNES, GUALTERUS DE S. QUINTINO.

R

R., archidiaconus Nannetensis, 27.
R., capellanus, canonicus Parisiensis, 75.
R. DE FAGIACO, scholaris Parisiensis, 565.
R. DE FALLE, Ord. Min., guardianus Stanfordiae, 217.
R. MELDENSIS, magister in medicina, 516.
R. DE REMIS, canonicus Parisiens, 81 *.
RABANUS, 417 *.
RADULPHUS, abbas Claraevallis, 109.
—— abbas S. Genovefae Parisiensis, 175.
—— abbas S. Victoris Parisiensis, 159, 210.
—— capellanus Calliaci, 16.
—— electus Ebroicensis, v. RAD. GROSPARMI.
—— episcopus Morinensis, 329, 330 *.
—— episcopus Parisiens. v. RANULPHUS DE HOMBLONERIA.
—— poenitentiarius papae, 85, 86 *, 87 *.
—— DE ALBUSSONE, capellanus papae et decanus Carnotensis, quamdam domum pro scholaribus pauperibus acquirit, 474.
—— dictus ASGRENONS, civis Remensis, 449 *.
—— DE AURELIANIS, magister, archipresbyter S. Severini Parisiensis, regens in decretis, 574.
RADULPHUS AOUSTIN vel BARBITONSOR, bedellus nationis Picardorum, 530, 628.
—— DE LA BRUIERE, rector ecclesiae de Escreinville, 574.
—— DE COUDUN, archidiaconus Suessionensis, 111.
—— DACUS, magister, 231.
—— GROSPARMI, episcop. Ebroicens., 475 *.
—— LASACH, magister, 492.
—— DE MAIDENSTONE, Anglicus, magister Parisiis, episcopus Herefordensis, 118 *.
—— DE MONTE DESIDERII, magister theologiae Parisiis, 210.
—— PORTELANCE, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
—— DE ROSA, Ord. Min., poenitentiarius Gregorii IX, 86 *.
—— DE S. VICTORE, potius DE S. GEREMARO seu FLAVIACENSIS, 644, 649 *.
RAERIUS DE MUSI, miles, 16.
RAIMUNDUS, abbas S. Germani de Pratis, 635.
—— capellanus et physicus papae, 440 *.
—— Toletanus archiepiscopus, 279 *.
—— Tolosanus comes, 151, 152 *, 246.
—— D'AUBEROCHE, episcopus Petragoricensis, 584, 623, 624 *.
—— DE CATURCO, capicerius Aurelianensis, magister, 460.
RAIMUNDUS LULLUS, Ord. Min., 556 *, 557 *, 558 *.
—— DE MEDULIONE, Ord. Praed., 566.
—— DE PENNAFORTE, Ord. Praed. magister generalis, 113 *, 154, 645, 648, 649 *.
RAIN., archidiaconus Saresboriensis Parisiis studens commendatur, 3.
RAINERIUS UBERTI, 380.
RANULPHUS, Corisopitensis episcopus, 157.
—— DE HOMBLONERIA, magister, episcopus Parisiensis, 589 *, 595, 596 *, 602, 603, 633.
RATISBONENSIS episcopus, v. ALBERTUS MAGNUS, EBERARDUS.
RECTOR scholarum Noviomensium singulis annis eligetur, 370.
—— primo nominatur, 147 (rectores), deinde, 160; v. 160 *; — cujuscumque aut quarumcumque rector fuerit facultatum, 160 *, 193, 236; — rectores artistarum, 388, 390; — primum in proprio sensu : rector artistarum seu Universitatis, 215, 216, 223, 236, 378 sq., 390, 455, 468, 475, 504, 521, 522, 523, 524, 526, 530, 531, 532, 568, 575, 576, 577, 588, 601, 628, 636, 644, 649 *; — modus eligendi rectorem, 215, 216, 455, 576. — *V.* ALBERICUS DE REMIS, GUILLELMUS, JOHANNES DE NIGELLA, Jo-

hannes de Siccavilla, Petrus de Alvernia, Petrus de S. Amore, Remondus de Caturco, Robertus de Coleriva, Robertus de Winchelis. — V. *Introductionem*.
Redonensis (Guillelmus), v. Guillelmus Redonensis.
Regalis Montis abbas, v. Montis Regalis.
Regens actu, quis per eum intelligatur, 531.
Reginaldus, archiepiscopus Coloniensis, 21.
—— episcopus Exoniae, 18, 19 *.
—— episcopus Parisiensis, 297, 298, 303, 304, 305, 308, 315, 319, 323 *, 324 *, 325, 329, 330 *, 335, 336, 337, 340, 341 *, 346, 347, 348, 350, 351, 356 *, 357 *, 359, 361, 363, 364, 367, 368, 371, 381, 382, 388, 390, 392, 395, 401, 402, 410, 414, 426, 428, 429, 446, 476.
—— Carnotensis, frater, 211.
—— de Cornemare, decanus facultatis medicinae, 490 *.
—— de Osonvilla, magister, 574.
Reingot (Nicolaus de), v. Nicolaus de Reingot.
Religiosi abjecto habitu leges et physicam in scholis audire et docere nequeunt, 478; — non debent licentiari in artibus, 587; — eorum privilegia quantum ad sacramentum poenitentiae, 595. — V. Concilium, Privilegia.
Remensis archidiaconus, v. Hugo; — archiepiscopus, 593 *; v. Guillelmus, Henricus, Henricus de Dreux, Johannes, Juhellus, Thomas.
—— canonicus; v. Gerardus de Goignelin, Jacobus Robillars, Ivo Brito, Richardus; — decanus, v. Fulco.
Remigii S. abbas circa punitionem J. presbyteri, 5.
—— festum, 62, 109, 229.
Remigius, magister, 599.
—— capellanus et physicus papae, 440 *.
Remis (Albericus de), v. Aldericus de Remis.
—— (Alexander de), v. Alexander de Remis.
—— (Gerardus de), v. Gerardus de Remis.
Remondus de Caturco, rector nationis Gallicorum, 215.
Remos petierunt aliqui magistri Parisienses post dispersam Universitatem, 145 *; — in scholares Remenses aliqua sententia ecclesiastica promulgari non potest, donec coram magistro suo velint justitiae stare, 6.
Remundus, magister Parisiis, propter errores incarceratus, 207.
Renerus, magister, 450, 456.
Renoaldus Cherin, 69.
Renoldus de Hombloneria, v. Ranulphus.
Repetere scholares, 223.
Richardus, archidiaconus Ebroicensis, 379, 104 *, 104.
—— rex Romanorum, 275 *.
—— de Alacrimonte, procurator Guillelmi de Saana, 572.
—— Anglicus, doctor theologiae Parisiis, 85.
—— de Barentin, magister in theologica facultate studens, 574.
—— dictus Belin, 483.
—— Clapwel, Ord. Praed., 627 *.
—— Cornubiensis, Ord. Min., Parisiis et Oxoniae legit, 217, 218.
—— dictus Don Porche, 290, 291.
—— Faguee, 603.
—— le Fenier, 597.
—— de Fiscanno, regens in decretis, 574.
—— de Nealfa, canonicus Remensis, 573 *.
—— Normannus, talliator, 266, 429.
—— Normannus, serviens in facult. theolog., 628.
—— Rollant, 483.
—— de Tabulis, magister decretorum Parisiis, 210.
—— de S. Victore, 39, 40, 619 *.
Richerius Senonensis, 208 *.
Richerus, scholaris Parisiensis, 50.
Ridellus (Gaufridus), v. Gaufridus Ridellus.
Rigaldi Odo, v. Odo Rigaldi.
Rigaut (Guillelmus), v. Guillelmus Rigaut.
Riis (Philippus de), v. Philippus de Riis.
Rivofrigido (Thomas de), v. Thomas de Rivofrigido.
Robertus, abbas S. Victoris Parisiensis, 41, 198 *.
—— archiepiscopus Cantuariens., 626.
—— barbitonsor, 493.
—— buticularius, 122.
—— episcopus Atrebatensis, 81.
—— Ord. Minorum, minister Franciae, 168.
—— presbyter S. Benedicti Parisiensis, 396.
—— Rotomagensis archiepiscopus, 87, 88.
—— tit. S. Stephani in Coelio Monte presb. card., legatus ap. sedis, de disciplina et statu Universitatis, 78, 79, 80, 143, 143 *, 249, 445.
—— I, comes Drocensis, certas possessiones domui S. Thomae de Lupara Parisiensis assignat, 11, 15.
—— II, comes Drocensis, 15.
—— de Beelbi, vicarius S. Petri Fossatensis, 6.
Robertus, dictus de Bondevilla, magister, in theologica facultate studens, 574.
—— de Colerica, magister, rector nationum Anglicorum, Normannorum, Picardorum, 215.
—— de Courçon, 71 *; — S. Stephani in Coelio Monte presb. cardinalis, praeses concilii Parisiensis, circa studia, 77, 78, 143, 232 *, 249, 445, 622.
—— de Courton, magister, 502 *.
—— de Cressonsart, episcopus Silvanectensis, 446; — Adamum et Henricum Anglicos scholares Parisienses carcere detentos liberandos curet, 560; — circa punitionem hominum de Plailly, 561, 562.
—— de Duaco, canonicus Silvanectensis, physicus, 270, 271, 272 *, 301, 348, 350, 351, 372, 411, 434; — neminem compellere potest ad contribuendum in certis expensis ab Universitate factis in lite contra fratres Praedicatores, 301.
—— De Duaco, magistri, clerici principis Achaiae, testamentum in favorem scholarium Sorbonae, 372-374.
—— dictus de Fovilla, magister in theologica facultate studens, 574.
—— Grossetešte, episcopus Lincolniensis, 169, 186, 189, 473.
—— de Hibernia, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 602.
—— Kilwardby, Ord. Praed., archiepiscopus Cantuariensis, 556 *, 558, 559 *, 560, 567, 627 *, 646, 649; — Oxoniae quosdam errores condemnat, 558.
—— de Novavilla, 450, 456.
—— de Quinchi, canonicus Rotomagensis, magister in theologia, 389.
—— Rollant, 483.
—— dictus Rufus, magister, procurator nationis Normannorum, 530.
—— le Seeleur, 600.
—— de Sorbona, canonicus Cameracensis, postea Parisiensis, 349, 374, 375 *, 377, 396 *, 398, 420, 429, 430, 434, 443, 448, 449 *, 460, 475, 485, 486, 490, 491, 492, 514, 534, 540, 580; — approbatio ejus convictus, 475; — certae domus a Francorum rege ei concessae sunt, 377; — quasdam cameras ei Gregorius Ord. Vallis Scholarium concedit, 490, 491; — dat ad opus scholarium Parisiensium quamdam domum, 349; — de quibusdam scholis ei venditis, 429, 430; — heres Johannis rectoris ecclesiae de Benis, 448, 449 *; — Nicolaus archidiac. Tornacensis quingentas libras ei contulit, 460; — rex Francorum ei certas concedit domos, 434; — testamenta duo, de rebus immobilibus et mobilibus, in favorem

scholarium suorum condit, 485, 486. — V. Domus Sorbonae.
Robertus de Suessione, magister de natione Gallicorum, 589.
—— de Tionvilla, 574.
—— de Torota, 599.
—— de Winchelis, rector Universitatis Parisiensis, 408.
Robillars (Jacobus), v. Jacobus, 449*.
Roceio (Comes de), 17.
Roderham (Eboracensis dioecesis ecclesia de), 259, 260, 314.
Roffredus (Epiphanius), 648, 650 *.
Rogerus de S. Albino, magister in theologica facultate studens, 574.
—— Alexandri IV nepos Parisiis studens, 326.
—— magister, cancellarius Oxoniensis, 560 *, 624, 626*.
—— miles, 534.
—— minister S. Mathurini Parisiensis, 396.
—— notarius dictus Carnifex, 588, 589.
—— Baco, Ord. Min., 135 *, 316 *, 317*, 320 *, 473, 474; — deplorat magistros sententiaros, 473, 474.
—— Castellani de Insula, 534.
—— dictus Laloier, in theologica facultate studens, 574.
Rogerus Normannus, 68 *.
—— le Pelotier, 603.
—— de Pratis, 600.
—— Ruffus, Anglicus, 603.
Rolandus, primus magister et primus sententiarius ex Ordine Praedicatorum Parisiis, 94 *.
Rollant (Robertus), v. Robertus, Ricardus Rollant.
Roma (Aegidius de), v. Aegidius Romanus.
Romaco (Odo de), v. Odo de Romaco.
Romana lingua, libri theologici scripti in illa, 70.
Romanus, S. Angeli diaconus cardinalis, 106*; — legatus in Francia, 109, 113, 119 *, 130, 141, 144, 157, 194, 234.
—— (Johannes), v. Johannes Romanus.
Romelia, 480.
Roserus (Terra feodalis de), 600 *.
Roseto (Guillelmus de), v. Guillelmus de Roseto.
—— (Johannes de), v. Johannes de Roseto.
Rotagium de Clauso Mali Vicini, 61.
Rotbertus de Coton, magister theologiae Parisiis, 210.
Rotomagense monasterium S. Mariae de Prato, 213.
Rotomagensis archidiaconus, v. Aegidius, Augi, Nicolaus; — archiepiscopus, v. Guillelmus, Odo Rigaldi, Robertus; — cancellarius, v. Guillelmus de Canapevilla; — cantor, 87, 88; — officialis, 572; — thesaurarius, v. Guillelmus de Saana.
—— ecclesia, 477; — S. Audoeni, 478; — majoris Caleti, v. Petrus; — Caletum majus et minus, 477; — S. Dionysii, 483; — S. Viviani, v. Balduinus de Aube.
Rotomagum, 186.
Rotrodus, dominus Rotomagensis, 22, 23.
Rovele (Petrus de), v. Petrus de Rovele.
Rua (Johannes de), v. Johannes de Rua.
Rudolphus Grossi, electus Tarantasiensis, 205.
Ruffus (Rogerus), v. Rogerus Ruffus.
Rufinus, minister fratrum Minorum Boloniensium, 214.
Rufus, v. Matthaeus, Petrus, Robertus.
Rupella (Johannes de), v. Johannes de Rupella.
—— (Praepositi in), 244.
Rychardus, v. Richardus.

S

S., canonicus S. Benedicti Parisiensis, 104.
Saana (Guillebertus de), v. Guillebertus de Saana.
—— (Guillelmus de), v. Guillelmus de Saana.
Sacro Cesare (Stephanus de), v. Stephanus.
Sagiensis episcopus, v. Frogerius.
Sainteville (Johannes de), v. Johannes de Sainteville.
Salamantini magistri ubique exceptis Parisiis et Bononiae regere possunt, 291.
Salanhaco (Stephanus de), v. Stephanus de Salanhaco.
Salinis (Petrus de), v. Petrus de Salinis.
Saraceni populi, 318.
Saresberiensis decanus, 75.
—— episcopus, 624; v. Jocelinus, Walterus Scammel.
—— (Johannes), v. Johannes Saresberiensis.
Sarracenus Petrus, Johannes, v. Johannes, Petrus Sarracenus.
Sasson, clericus Romanus, nepos papae Anastasii, Parisiis, 42.
Savoner (Johannes le), v. Johannes le Savoner.
Saxeburgensis praepositus, v. C.
Scammel (Walterus de), v. Walterus de Scammel.
Scholae, v. Studium, Universitas.
—— ad Britonem, Brunelli, Nicolai de Parisius, Thomae Flamangi, v. ibid.
Scholares Parisienses, 4, 5, 6, 16, 20, 45, 56, 59, 60, 62, 66, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 83, 85, 86, 87, 88, 89, 95, 102, 104, 106, 108, 109, 113, 119, 133, 134, 136, 137, 138, 139, 140, 142, 144, 147, 154, 160, 161, 162, 181, 194, 222, 223, 224, 238, 242, 279-285, 298, 299, 301, 304, 305, 307, 315, 320, 323, 325, 327, 335, 339, 341, 347, 348, 355, 354, 359, 364, 366, 368, 381, 382, 424, 446, 447, 463-467, 481-483, 484, 501, 540, 561, 567, 569, 572, 636; — scholaris Parisiensis non sit, qui certum magistrum non habet, 79; — quinam scholares reputantur, 223; — repetere, v. Repetere; — ab hominibus de Plailly graviter vulnerantur, 561; — aggressi sunt a servientibus magistri Gaufridi officialis Parisiensis, 463; — instigante Jordano magistro generali Ord. Praedicatorum oratur pro eis ut intrent ordinem Praedicatorum, 104; de eorum receptione in Ordinem, 108; — cum armis incedunt et flagitia committunt, 238, 481, 540; — de servientibus communibus, 187; — de ipsorum absolutione pro manuum injectione in clericos, 74, 74*, 86; — excommunicati ab officiali Parisiensi, 161; — Guillelmus episcopus, abbates S. Germani, S. Genovefae, decanus S. Marcelli Parisiensis suos homines constringant pro pace eorum, 139, 144, 146, 147, 426; — interfecti, 567, 569; — juramentum circa pacem in urbe, 222, 223, 224; — Ludovicus IX a papa monetur, ut sit favorabilis scholaribus, 140; — monentur circa scholas et hospitia interdicta, 181; — quomodo sint tractandi a cancellario, 73, 74; — solvant Johanni de Gualfrido mutuum eis datum, 162. — V. Nationes, Universitas.
Scholares Parisienses pauperes, qui Boni Pueri dicuntur, 214, 371, 485; — oratorium construere possunt, 371.
—— Parisienses pauperes S. Honorati, v. S. Honorati collegium.

Scholares Parisienses pauperes S. Nicolai de Lupara, v. S. Nicolai de Lupara scholares.
—— Parisienses Sorbonae, v. Domus Sorbonae.
—— Parisienses pauperes S. Thomae de Lupara, v. S. Thomae de Lupara domus.
Scholasticum studium, 74; — scholastica societas, 304.
Scotia (Matthaeus de), v. Matthaeus de Scotia.
Scottus (Michael), v. Michael Scottus.
Scriptura sacra, seu Biblia, Parisiis primum locum obtinet, 50, 170; — ei Liber sententiarum praefertur, 473. — V. Parisiensis Biblia, Senonensis Bibliae Correctio.
Secana, v. Insula, Sequana.
Secoviensis episcopus, 277*.
Seeleur (Robertus le), v. Robertus le Seeleur.
Seghuin (Hugo de), v. Hugo de Seghuin.
Seigneley (Guillelmus), v. Guillelmus Seigneley.
Seint Cuir (Guillelmus de), v. Guillelmus de Seint Cuir.
Senatores Romae commendant Ludovico VII Johannem Felicis Parisiis studiorum causa degentem, 37.
Seneca, 28, 405.
Senensis episcopus, 277*.
Senescallus Viromandensis Noviomensis dioec., 148, 149, 150.
Senetensis episcopus, 277*.
Senonense concilium. 107*, 145*.
Senonensis archidiaconus, 102, 160; v. Johannes Barbitonsor.
—— archiepiscopus, 593*; v. Galterus Cornuti, Guillelmus, Henricus, Petrus de Corbolio.
—— Bibliae Correctio, 316.
—— decanus, 165.
—— praecentor, 160.
—— (Richerius), v. Richerius Senonensis, 298*.
Senonis (Guillelmus de), v. Guillelmus de Senonis.
Sententiae, liber, v. Petrus Lombardus.
Sepultura magistrorum et scholarium, 67, 79, 99, 230, 515, 586.
Sequana, 55, 62, 62*, 136, 637.
Serpentis vicus Parisiens., 597, 598.
Servientes canonicorum Parisiensium, 60.
—— communes Universitatis a nationibus electi; eorum privilegia, 181, 399; — publici, qui vocantur bedelli, 256; v. Bedelli.
—— furni episcopi Paris., 463-465.
Servientes laici scholarium Parisiensium, 60, 120; — scholarium, 68, 481, 482.
Servius, 28.
S. Severini Parisiens. archipresbyter; de discordia inter nationes orta, 446, 597; — ecclesia, 446, 459*, 477, 573, 574.
Sexannia (Theobaldus de), v. Theobaldus de Sexannia.
Siccavilla (Johannes de), v. Johannes de Siccavilla.
Sigerus de Brabantia, magister in artibus, de natione Picardorum, 450, 456, 487*, 523, *etc.*; — opiniones ejus condemnatae, 487*, 543; — ejusdem pars, 523, 527-529.
Sigillum Universitatis, prima mentio ejusdem, 98; — confringi debet, ibid.; — usus conditionaliter suspenditur, 103; — cardinalis legatus fregit, 104*; — Universitas petit sigillum, 160*; — conceditur usus ejusdem, 194, 234, 235. Cf. 227, 257, 379, 534, 563, 590, 591.
—— facultatis decretorum, 503.
—— facultatis medicinae, 515.
—— nationis Anglicanae, 232.
—— seu Sigilla magistrorum in theologia (non facultatis), 100, 240.
—— seu Sigilla provisorum Universitatis, 118.
—— seu Sigilla quatuor nationum, 216, 279, 296, 469, 571, 607, 614.
Signum quatuor nationum, 532.
—— rectoris, 532.
Silvanectensis archidiaconus, 439; — canonicus, v. Robertus de Duaco; — decanus, 160*, 193, 233, 439.
—— ecclesia S. Mariae, 373.
—— episcopatus, 374; — episcopus, v. Adamus, Garinus, Robertus de Cressonsart; — conservator privilegiorum Universitatis, 89, 90* et passim, 445.
Simon, abbas S. Germani de Pratis Paris., 158*, 168.
—— archidiaconus Pissiacensis, magister, 500.
—— S. Caeciliae presb. cardinalis, legatus ap. sedis, deinde Martinus papa IV, 437, 445, 446, 449, 463, 467, 468, 469, 499, 520, 521, 540, 563, 564, 566, 567, 569, 570, 571, 575, 576, 579, 595; — circa bona a Gaufrido de Barro Sorbonae domui relicta, 520; — de dissidiis placandis inter quatuor nationes, 446, 449, 521; — definit modum denuntiandi congregationes generales, 575, 577; — de magistris et scholaribus qui abutuntur privilegiis, 446; — ejus sententia contra mag. Gaufridum canonicum et officialem Parisiensem, 463; — excessus a monachis S. Germani de Pratis perpetratos punire debet, 564, 566*; — excommunicat illos qui in festo alicujus nationis nefanda perpetrant, 540; — Petrum de Alvernia Universitati praeficit in rectorem, 521; — quondam abbati S. Germani de Pratis possessiones assignat, 562; — statuit ut rector Universitatis quater in anno eligatur, 455, 576.
Simon diaconus, 50.
—— episcopus Parisiensis, 476*.
—— prior S. Germani de Pratis, 595.
—— de Alteis, canonicus Ambianensis, 142, 143, 144.
——, Simonetus, Anglicus, serviens nationis Anglicorum. 530, 628.
—— de Brabant, magister in artibus, de natione Picardorum, 451.
—— de Brideport (Dadeport), archidiaconus de Dorsete, 231, 232*.
—— Fortes, 231, 232*.
—— de Lans. Ord. Min., in theol. magister, 595.
—— de S. Martino, celerarius S. Genovefae, 374.
—— de Nigella, 635, 636.
—— Tornacensis, 45, 71*.
—— de Valle, Ord. Praed., 501*.
—— de Vallèum, magister in decretis, 500.
Simonetus Anglicus, bedellus nationis Anglicorum, v. Simon.
Sivriaco (Johannes de), v. Johannes de Sivriaco.
Sixtus, civis Romanus, 153.
Socrates, 53, 54, 607.
Sognies (Henricus de), v. Henricus de Sognies.
Sorbona (Robertus de), v. Robertus de Sorbona.
Sorbonae collegium, v. Domus Sorbonae.
Sorbonistarum vicus, 598.
Sorrier (Stephanus de), v. Stephanus de Sorrier.
Sotulares fenestrati, laqueati, liripipiati, rostrati, 79, 230, 506, 586.
Spirensis quidam canonicus intrat in Ord. Praed., 132.
Stationarii sive Librarii, 317*, 532, 533.
Statuta, v. Universitas.
Stephani S. de Gressibus ecclesia Parisiis, 80, 91, 99, 100, 108, 219*, 434; — vicus, 420, 434*, 600.
Stephanus, abbas Claraevallis, 175, 176*, 196-198, 208, 245, 246, 289, 290.
—— archidiaconus Meldensis, magister theologiae Parisiis, 210.
—— archidiaconus Parisiensis, 69.
—— Cantuariensis archidiaconus, libros suos scholaribus Parisiensibus pauperibus legavit, 493.

STEPHANUS, cardinalis episcopus Praenestinus, 297*.
— clericus, 70.
— clericus comitissae Drocensis, 16.
— decanus S. Aniani Aurelianensis, 222.
— decanus S. Germani Autissiodorensis Parisiensis regens in theologica facultate, 165, 165*.
— episcopus Parisiensis, v. STEPHANUS TEMPIER.
— episcopus Tornacensis, antea abbas S. Genovefae Parisiens., 12, 42, 43, 44, 45, 46, 48.
— Ord. Praed., provincialis Lombardiae, 131, 132.
— presbyter de Cella, 70.
— presbyter de Corbolio, 70.
— prior S. Benedicti Floriacensis, 218, 219*.
— ALEXII, civis Romanus, 165.
— DE ALVERNIA, canonicus de Gornayo, magister, 469.
— BAATEL, nuntius Gregorii IX ad regem Francorum, 132.
— BEROT, 68; — filius ejus, qui fuit magister, ibid.
— DE BONA VALLE, magister, 469.
— dictus CAILLOT, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 602.
— GEBENNENSIS, magister, procurator nationis Gallicorum, 530.
— DE LAGO, presbyter, 565.
— LANGTON, magister, archiepiscopus Cantuariensis, 71*, 98, 99*, 102, 105, 110, 316*.
— DE LIMOGES, clericus, 598.
— DE LORRIZ, magister in decretis, 210.
STEPHANUS DE LUYL, magister, scholaris S. Thomae de Lupara, 603.
— DE MORET, 597.
— POINT LARNE, 598.
— DE PONTISARA, praepositus seu administrator S. Germani de Pratis, in magistros et scholares Parisienses graviter saevit, 564, 565, 566.
— DE PRUVINO, canonicus Remensis, 143, 144.
— REMENSIS, cancellarius Parisiensis, 74*, 81, 81*.
— DE SACRO CESARE, 222.
— DE SALANHACO, Ord. Praed., 158*, 172*, 419*.
— DE SORRIER, magister decretorum Parisiis, 210.
— TEMPIER sive DE AURELIANIS, cancellarius Parisiensis, postea episcopus Parisiensis, 437, 438, 440, 441, 444, 448, 476*, 485, 486, 494*, 541, 543, 556*, 557*, 571, 589*, 625, 626*, 633, 635*; — homo pertinax et obstinatae mentis, 438, 438*; — nomen et officium decani sibi assumit, 440, 441; — condemnat primo decem, deinde ducentos undeviginti errores, v. OPINIONES.
— DE VARNESIA, Ord. Praed.; errores decem ejusdem Parisiis conscripti, 170, 171, 172*; v. OPINIONES.
STRABO, frater Ord. Min., v. BERTRANDUS DE BAIONA.
STRIGONIENSIS archiepiscopus, 277*.
STUDIA generalia Ord. Praedicatorum Coloniae, Bononiae, Montispessulani et Oxoniae, 211*.
STUDIUM generale Bononiense, 291.
— generale Neapolitanum, 501.
STUDIUM generale Palentinum restauratur, 431.
— generale Placentinum, 208, 209.
— generale Salamantinum, 291.
— generale Tolosanum, 157.
— Parisiense, 87, 182, 194, 216, 226, 257 sqq., 291, 298, 299, 308, 325, 361, 362, 366, 381, 472, 504; — ecclesiae fundamentum, 257, 296; — quasi lignum vitae in paradiso est in ecclesia Parisiensis studii disciplina, 279; quoddam in caelo militantis ecclesiae luminare, 392; — quasi flumen Dei aquis repletum Parisiense studium scientiarium ubertate foecundum, 479; v. PARISIORUM CIVITAS: — studium Parisiense in periculo, 89; — interrumpitur, 118 sqq. 134; — multum perturbatur, 166, 257 sqq., 480; — non transferatur, 324; v. UNIVERSITAS.
— solemne, 478.
STUPIS (Ada de), v. ADA DE STUPIS.
SUESSIONE (Adam de), v. ADAM DE SUESSIONE.
— (Robertus de), v. ROBERTUS DE SUESSIONE.
SUESSIONENSIS archidiaconus, v. JOHANNES DE PARISIUS; — decanus, 144, 145; — episcopus, v. HUGO, NIVELON; — thesaurarius, 503.
SULHIACO (Johannes), v. JOHANNES DE SULHIACO.
SULLY (Henricus de), v. HENRICUS DE SULLY.
— (Mauritius de), v. MAURITIUS DE SULLY.
— (Odo de), v. ODO DE SULLY.
SUPERTUNICALE, 586.
SYBILLA, uxor Renoaldi Chevin, 69.

T

TABULIS (Richardus de), v. RICHARDUS DE TABULIS.
TACITUS CORNELIUS, 54.
TALMUD libri conquirendi et delendi in regno Franciae, 173, 174; — Gregorii IX et Odonis legati circa eos aliosque libros Judaeorum, 201, 202, 203, 204, 205, 209-211.
TARANTASIA (Petrus de), v. PETRUS DE TARANTASIA.
TARANTASIENSIS episcopus, v. HERLUINUS.
TARTARI populi, 318.
TAXATIO hospitiorum, 98, 113, 137, 141, 167, 177, 425, 597; — clericorum ac religiosorum, 160, 161, 179, 180*, 232. — V. UNIVERSITAS.
TAXILLORUM ludus in ecclesiis vetitus, 540, 541, 608.
TEMERICOUR (Jacobus de), v. JACOBUS DE TEMERICOUR.
TEMPIER sive DE AURELIANIS (Stephanus), v. STEPHANUS TEMPIER.
TEMPLARIORUM domorum taxatio, 233.
TERMARUM (Terminorum) palatium Parisiis, 270, 271, 349, 377, 396, 434, 519, 520, 600.
TEUTONICUS (Albertus), v. ALBERTUS TEUTONICUS.
— (Conradus), v. CONRADUS TEUTONICUS.
— (Godescalcus), v. GODESCALCUS TEUTONICUS.
— (Henricus), v. HENRICUS TEUTONICUS.
— (Johannes), v. JOHANNES TEUTONICUS.
TEWKSBURIA (Petrus de), v. PETRUS DE TEWKSBURIA.
TH. DE SANCTO AEGIDIO, 233*, 237*, 238*, 290*.
THALAMUTH, v. TALMUD.
THAMA (Abbas de), 576.
THELONERII Franciae molestant nuntios praelatorum Daciae, 221, 222.
THEOBALDUS, abbas S. Genovefae Parisiensis, 191.
— abbas S. Benedicti Floriacensis, 219*.
— cancellarius comitis Blesensis, 61*.
— canonicus, 10.
— cissor, 599.
— episcopus Parisiensis, 56.
— BRITO, 597, 599.
— DE DIVIONE, magister decretorum Parisiis, 210.

THEOBALDUS DE SEXANNIA, subprior Ord. Praedicatorum Parisiis, 211.
THEOLOGIA, ipsi caeterae scientiae famulari debent, 143; — praeest illis ut superior, domina, praelata, 343; — locus praecipuus ejusdem Parisiorum civitas, 92.
THEOPHANIA, relicta Philippi Comin, vendit fratribus Ord. S. Augustini quamdam domum, 405-407.
THEOPHILUS, medicus; ejus opera Parisiis in scholis, 517.
THIRON-GARDAIS monasterium, 195, 196*, 197.
THOMAE S. DE LUPARA Paris. domus, 11, 15, 69, 70*, 116, 117, 141, 152, 485; — enumerantur scholares, 602, 603; — canonici et ecclesia, 15.
THOMAS, abbas Glocestrensis, 35.
—— archidiaconus Bajocensis, 210.
—— potarius, 597.
—— praepositus Parisiensis, punitur a rege Francorum, 59, 120.
—— provisor domus Pauperum Scholarium S. Thomae de Lupara, 69.
—— Remensis archiepiscopus, 233, 342.
—— DE AQUINO, Ord. Praed., theologiae doctor, 297*, 307, 321, 333*, 339, 356, 385, 386*, 390, 391, 487*, 497, 498*, 556, 557*, 558*, 560*, 566, 567, 624, 625, 626*, 626, 627, 634*, 646, 649*; — quando primum in Universitate Paris. legit, 307*; — ibi recipiatur, 307, 339, 366; — ipso praedicante libellus famosus publicatur, 390, 391; — disputat cum Johanne Peckam Ord. Min. et magistris Parisiens., 625, 628 sq. 634, 635*; — universitas artistarum Paris. Thomae obitum deplorat, corpus ejusdem et quosdam libros philosophicos petit, 504.
—— (BECKET), archiepiscopus Cantuariensis, 16; — scribit Willelmo Senonensi archiep. de lite inter ipsum et Henricum II Angliae, 21.
—— BRITO, 647.
THOMAS CANTIMPRATANUS, Ord. Praed., 330*, 333*.
—— DE CUSELLO, magister, nuntius Universitatis, 394, 401, 402*, 498, 499*.
—— DE EBORACO, magister in theologia, Ord. Min., 244*, 415*.
—— FLAMINGUS, 598; v. — ejus scholae, ibid.
—— HYBERBEC, 580.
—— DE RIVOFRIGIDO, can. Casletensis, 339.
—— DE SABAUDIA, comes, 205.
—— dictus TOREL, magister in theologica facultate studens, 574.
—— WALLENSIS, magister Parisiis in theologica facultate regens, 170*.
THORIACO (Philippus de), v. PHILIPPUS DE THORIACO.
TIERICUS FRISO, 574, 579.
TIONVILLA (Robertus de), v. ROBERTUS DE TIONVILLA.
TOBIAS, magister, 42.
TOCCO (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE TOCCO.
TOLETANUS archiepiscopus, v. RAIMUNDUS.
TOLLETO (Johannes de), v. JOHANNES DE TOLLETO.
TOLOSAM accedant magistri et scholares Parisienses, 83; — aliqui magistri Parisienses post dispersionem Tolosam petunt, 145*; — epistola magistrorum Tolosanorum ad universalia studia missa, 129.
TOLOSANA provincia, 328.
TOLOSANIS scholaribus privilegia Parisiensium conceduntur, 151, 184; — sine praejudicio Parisiensium, 152; — eisdem statuta pro Parisiensibus edita ad observandum traduntur, 185.
TOLOSANUS comes, v. RAIMUNDUS.
—— episcopus, 152*.
TORCULARI (Nicolaus de), v. NICOLAUS DE TORCULARI.
TORNACENSIS archidiaconus, v. HENRICUS DE GANDAVO, NICOLAUS; — canonicus, v. HENRICUS DE SOGNIES; — decanus, 442; — episcopus, v. GUALTERUS, MICHAEL, STEPHANUS.
—— (Simon), v. SIMON TORNACENSIS.
TORNACO (Jacobus de), v. JACOBUS DE TORNACO.
TOROTA (Robertus de), v. ROBERTUS DE TOROTA.
TOTAVILLA (Johannes de), v. JOHANNES DE TOTAVILLA.
TRAJECTENSIS canonicus, v. GODESCALCUS.
TRECENSIS archidiaconus, 73, 74*, 75, 77.
—— cantor, 88, 153.
—— decanus, 73, 74*, 75, 77, 78, 79, 88.
—— episcopus, v. HERVAEUS, NICOLAUS.
—— officialis curiae, 120*.
TRECIS (Johannes de), v. JOHANNES DE TRECIS.
TRIBUS PETRIS (Johannes de), v. JOHANNES DE TRIBUS PETRIS.
TRINITATIS S. fratribus traditur hospitale S. Mathurini Parisiensis cum capella, 118, 119*; v. S. MATHURINI HOSPITALE.
TROCEIO (Gaufridus de), v. GAUFRIDUS DE TROCEIO.
TULLENSIS canonicus, v. GUILLELMUS.
TUNICA, 565.
TURNERII (Godefredus), v. GODEFREDUS TURNERII.
TURNO (Johannes de), v. JOHANNES DE TURNO.
TURONENSIS archiepiscopus, totam curam intendat in defendendis fratribus Praedicatoribus et Minoribus, 340, 346, 351, 593; v. VINCENTIUS DE PILMIL.
—— decanus, v. JACOBUS; — ecclesia beati Martini, 190*.
—— monasterii majoris abbas, 372.
TURRITA DOMUS Johannis decani S. Quintini Parisiis, 168.
TYRON, v. THIRON.

U

UBERTI (Rainerius), v. RAINERIUS UBERTI.
UGUCCIO ALIOCTI, 379.
ULRICUS, presbyter de Lauriaco, 70.
UNIVERSITAS; communitas scholarium, 65; — universitas magistrorum, communio magistrorum, 67, 222; — universitas, 79; — doctorum et discipulorum Parisiensium universitas, 88; — universitas doctorum, 90; — universitas magistrorum et scholarium, primum, 98, ab Universitate ipsa haec locutio primum adhibita, 99, et sic postea; — nostra universitas, 99, 243 et postea; — (magistri et) universitas scholarium, 113, 117, 119, 247, 248, 388, 635; — doctores et universitas scholarium, 265; — scholae et Universitas, 178; — corpus collegii sive universitatis, 253; — Universitatis collegium seu consortium, 243, 247, 249, 280, 284, 285 sqq., 292, 300, *etc.*
—— ARTISTARUM, 229, 258 et passim.
—— PARISIENSIS, primum 177, deinde 258; — in hoc sensu jam 223, 224 226, 227 sqq.; — in documentis papalibus primum, 423; — mater studere volentium et magistra scientiarum, 390; — studentes sunt filii Universitatis matris, 561; — Universitatis matris filia facultas artistarum, 618.
FACULTATES quatuor ejusdem, theologiae scilicet, decretorum, medicinae, artium, v. sub his verbis; — facta facultatum sunt facta Universitatis, 590, 591.

UNIVERSITAS PARISIENSIS; CANCELLARIUS, v. CANCELLARIUS PARISIENSIS, S. GENOVEFAE, LICENTIA DOCENDI.
DECANI, SIGILLA, v. DECANI, SIGILLA.
MAGISTRI, v. MAGISTRI, DOCTORES, SCHOLARES; — magistrorum collegium, 243, 247, 280 et passim; — in magistralibus communicare, 67, 227, 303; — cathedra magisterii, magistralis, 87, 166 et passim; — actu regentes, distincti a non actu regentibus, 178; v. REGENS ACTU; — conventus magistrorum, 79; — congregationes, v. sub hoc verbo, et S. BERNARDI, S. JULIANI, S. MATHURINI ECCLESIAE; — disputationes magistrorum, 67, 69, 113, 178, 232, 306, 516, 608; — disputationes in die, in vesperis, in aula, 596*; — lectiones solemnes et privatae, 79; — cursoriae, v. CURSORIAE; — libri in scholis, v. ARISTOTELIS LIBRI, SENTENTIAE, HISTORIARUM LIBER, BIBLIA, DECRETALES, LEGES, LIBRI MEDICINAE, 517; v. DONATUS, PRISCIANUS; — vacationes, v. VACATIONES; — vestitus, v. CAPUCIUM, HABITUS, SUPERTUNICALE, TUNICA.
TAXATIONES librorum, 644.
STATUTA Universitatis, 67, 118, 177, 199, 223, 242, 265, 418, 532, 538, 562, 589, 590 sq.
STATUTA facultatis theologicae, 226.
STATUTA facultatis decretorum, 500, 502, 542.
STATUTA facultatis medicinae, 488, 502, 515-518.
STATUTA artistarum, 178, 215, 227, 230, 258, 277, 376, 383, 412, 499, 530, 570, 586.
UNIVERSITAS PARISIENSIS; STATUTA summorum pontificum pro Universitate et facultatibus, 65, 90, 102, 114, 136, 139, 163, 238, 279, 285, 298, et nunc passim, 346, 350, 397, 479, 541, 623, 638 sq.
STATUTA legatorum apost. sedis, 66, 78, 167, 206, 446, 449, 521, 540, 575 sq.; v. GUALA BICHIERI, JACOBUS PRAENESTINUS, ODO, ROBERTUS DE COURÇON, SIMON.
PRIVILEGIA regalia, 59, 120, 122, 483, 484, 538, 567, 590.
PRIVILEGIA summorum pontificum, 82 (de procuratore); — 85, 87, 88, 536 (licentia docendi); — 103, 111 (de regendi licentia in parochia S. Genovefae); — 88, 90, 102, 147, 160, 192, 236, 427 (immunitas a sententiis ecclesiasticis); — 181, 235, 400, 426 (privilegium fori); — 193, 423 (contra molestatores Universitatis); — 160, 179, 180, 181, 425 (de taxatione hospitiorum); — magistri et scholares a pedagio liberi, v. PEDAGIUM; — usus sigilli, v. SIGILLUM; — 139, 142 (conservatores), 144, 146 sq., 152, 159, 181, 182 (v. CONGREGATIONES), 192, 265, 266, 399, 427, 428, 432, 600 (privilegia diversi generis); — 65, 73 sq., 85, 143, 240 sq., 368, 424 (absolutio scholarium).
PRINCIPIA, 79, 227, 321, 454; — magister tenet principium alicujus baccalarei, 243; — principium regiminis, 307; — incipere in theologica facultate, 388, 402, 438; — in facultate artistarum, 449 sq., 570; — in medicina, 502, 516; — aetas incipientium in artibus, 78, 228; — in theologia, 79.
UNIVERSITAS PARISIENSIS; DETERMINARE, 178, 227 sqq., 259, 570, 611; — determinatores, 530, 611 sqq.; — subdeterminator, 531.
BACCALAREUS, v. BACCALAREI.
EXAMINA, 73, 75, 78, 85, 87, 103, 137 sq., 163, 189, 219, 226, 228 sq., 280 sqq., 291, 302, 441, 480, 518, 531, 537, 583; — S. Genovefae, 103, 144, 383, 397, 412, 586, 610; — licentiati apud S. Genovefam, numerus eorum, 616; — examen superius, inferius, 570, 571*; — examinatores determinatorum, 376 sq.
JURAMENTUM, v. JURAMENTA.
NATIONES quatuor, v. NATIONES.
RECTOR, v. RECTOR.
PROCURATORES, v. PROCURATORES.
BEDELLI, SERVIENTES, v. sub his verbis.
BURSAE, v. BURSAM.
SIGILLA, v. SIGILLUM.
FESTA nationum, 540; — Anglicorum, 230.
ARCHA, CISTA nationum, 229, 452, 453; Universitatis, in quo conservantur chartae, privilegia et sigillum, 445, 621; — clavis ejus, ibid.
COLLEGIA v. COLLEGIUM.
V. PARISIORUM CIVITAS, PERGAMENARIUS, SEPULTURA, STATIONARII, STUDIUM PARIS., TAXATIONES, VADIA.
UPSALIENSIS archiepiscopus, v. JACOBUS; — praepositus, v. ANDREAS AND.

V

V. BOURET, magister, 516.
VACATIONES, aestivae, 138; — bacallarii possunt continuare lectiones, ibid.; — dies disputabilis, non disputabilis, 178; — dies legibilis, 531.
VACERIA (Gualterus de), v. GUALTERUS DE VACERIA.
VADIA non capiantur a determinatoribus et baccalareis incepturis, 376.
VALLE (Simon de), v. SIMON DE VALLE.
VALLEUM (Simon de), v. SIMON DE VALLEUM.
VALLIS LUCENTIS abbatia, Ord. Cist., 649*.
—— MAGNAE abbas, Ord. Cisterc. 576.
—— SCHOLARIUM Parisien. ecclesia, 568, 635; — fratrum possessiones a Gregorio IX sub protectione sua suscipiuntur, 119, 120*; — facultas construendi domum Parisiis, 123, 124; — Conventus S. Catherinae, 135; — fundum et terra, 136*. Cf. 469, 485, 490.
VALLIS VIRIDIS locus, 135*, 384.
VARIUM, color, 505.
VARNESIA (Stephanus de), v. STEPHANUS DE VARNESIA.
VEIRE (Haimericus de), v. HAIMERICUS DE VEIRE.
VENETENSIS episcopus, v. CADIOCUS.
VERCELLAE; praedicationes magistri Jordani Ord. Praedicatorum ibidem habitae et fructus earum, 131, 132.
VERCELLENSIS (Johannes), v. JOHANNES VERCELLENSIS.
VERDELIACO (Henricus de), v. HENRICUS DE VERDELIACO.
VERNO (Petrus de), v. PETRUS DE VERNO.
VERZEL (Henricus de), v. HENRICUS DE VERZEL.
VIATICUM, liber, 517.
VICECOMES ODO, v. ODO VICECOMES.
VICINIS (Milo de), v. MILO DE VICINIS.
—— (Guillelmus de), v. GUILLELMUS DE VICINIS.
VICTORIS S. Paris. abbas, 66, 86; v. ACELINUS, ACHARDUS, ERVISIUS, JOHANNES, RADULPHUS; — canonici, 493*; — ecclesia, 103, 121; — vicus, 597, 598; — scholares studentes Parisiis ad hoc monasterium recurrunt ad recipiendam poenitentiam, 103, 159; — magistrum theologum habeat, 159.
VICTORE (Hugo de S.), v. HUGO DE S. VICTORE.
—— (Radulphus de S.), v. RADULPHUS DE S. VICTORE.
—— (Richardus de S.), v. RICHARDUS DE S. VICTORE.
VIENNENSIS archiepiscopus, 277*.
—— provincia, 338.

Vigiles Parisienses graves injurias scholaribus inferunt, 242 sqq.; — mag. Hugoni, 615.
Vigneron (Guillelmus), v. Guillelmus Vigneron.
Vigorosi (Johannes), v. Johannes Vigorosi.
Villa Blovana (Petrus de), v. Petrus de Villa Blovana.
Villa Cerneis (Guerinus de), v. Guerinus de Villa Cerneis.
Villanova (Michael de), v. Michael de Villanova.
Vimi (Johannes de), v. Johannes Vimi.
Vincentius de Pilmil, archiepiscopus Turonensis, 352.
Vireto (Petrus de), v. Petrus de Vireto.
Viromandia (Ecclesia de S. Mariae in), 374.
—— (Ecclesia S. Quintini in), 263, 264, 373.
Vitriaco (Agnes de), v. Agnes de Vitriaco.
Vivianus, magister, 22, 23.
Volta S. Quintini Parisiis, 434.
Voragine (Jacobus de), v. Jacobus de Voragine.
Vouta (Guillebertus de), v. Guillebertus de Vouta.
Vylarcheaus (Petrus de), v. Petrus de Vylarcheaus.

W

W. de Cerda, magister Parisiis regens, 170*.
—— de Maddele, Ord. Min., 216.
—— de S. Milano, magister, 75.
Wallensis (Thomas), v. Thomas Wallensis.
Walterus dictus Carnis, praepositus de Ludo et ballivus S. Walarici Ambianensis dioecesis, pecuniam solvit in favorem collegii Sorbonici, 443.
Walterus Scammel, episcopus Saresberiensis, 624, 626*.
—— Teutonicus, magister regens in logica Parisiis, intrat in Ord. Praedicatorum, 131, 132.
Warenghien (Michael), v. Michael Warenghien.
Warnacius, canonicus Tervisinus, magister, Parisiis commorans, 141, 142, 151, 165.
Wernerius, v. Warnacius.
Westun (Johannes de), v. Johannes de Westun.
Wido Mainfredi, 38.
Winchelis (Robertus de), v. Robertus de Winchelis.
Wigorniens. episcopus, v. Henricus.
Willelmus, v. Guillelmus.
Wrigni (Nicolaus), v. Nicolaus Wrigni.

Y

Yprensis ecclesia S. Martini, Ord. S. Augustini, 264*.
Yprensis tyrannus, 17.
Yvo, v. Ivo.

CORRIGENDA ET ADDENDA

Pagina 8, nota ad n^um^ 8. — *Lege :* Hilduinus primo nominatur anno 1180 (*vide* infra parte introd. nº 50).

P. 70, nota, nº 10. — Ad epistolam Innocentii III alluditur in Collect. Camer. Avenion. (*Solutiones censuum et decimarum in Francia* 1291-1300) in Arch. Vat., nº 108, fol. 2, ubi dicitur : « Ecclesia S. Thome Pauperum Scolarium Parisiens... Romane ecclesie pontificatus domini Innocentii pape III [anno] duodecimo, et debet annis singulis pro censu duos obolos aureos. » Affertur deinde instrumentum Petri archidiaconi Senonens. et camerarii papae anni 1263, Junii 2. Procurator generalis Hospitalis tunc temporis erat magister Petrus de Cella.

P. 157, nº 107, *lege* 1235, non 1325.

P. 209, nº 178. — Odonis sententia, sine tamen subscriptis nominibus, excepto Guillelmi episcopi, inserta invenitur etiam epist. Johannis XXII in ejus Regesto Vat. Comm. an. 4, ep. 190, f. 53, cum temporis nota : « millesimo ducentesimo XLVIII, IIII id. Maii » (12 Maii).

P. 212, nota ad num 180, *l.* anno 1.

P. 215, lin. 13, ab inf., *l.* aut odio.

P. 219, nota 1 ad num 191, *vide* notam 2 ad num 396.

P. 251, nota ad num 227, *l.* ccccj.

P. 272, nº 243. — Hoc documentum occurrit insuper in Miscell. arm. VI, 51, Arch. Vat. descriptum in schedula mobili (saec XIV ineunte) sub titulo : « Collectio errorum de Evangelio intitulato eterno, quod fuit condempnatum in Curia Romana sub Alexandro papa IIII et combustum Parisius publice in studio generali anno Domini M CC LIIII vel LVº ». In fine documenti : « Actor vero libri predicti condempnati et combusti fuit frater Johannes de Parma cognomine et origine, qui fuit generalis minister Ord. frat. Minorum, et fuit depositus a suo ministerio per Ordinem in capitulo generali. Corpus istius jacet tumulatum in conventu fratrum Min. de Camerino, in Marchia Anconitana ». In margine ad « Actor » *etc.* legitur manu paulo recentiore scripta : « Falsissimum est hoc ». Textus instrumenti pertinet ad recensionem Matthaei Parisiensis, licet quasdam lectiones variantes offerat.

P. 286, nota 2 ad num 248. — Isti septem articuli contra Praedicatores exstant in ms. Helmstad. (Wolfenbüttel) nº 367, f. 77b.

P. 419, nº 370a, refertur ad abbatiam S. Mariae Blesensis.

P. 436, nota. — *Adjunge :* SCHIRRMACHER, *Die letzten Hohenstaufen*, Göttingen, 1871, p. 624, nº 22.

P. 474, nota ad num 420. — Collegii Radulphi de Albussone mentio fit etiam an. 1424. *V.* Félibien, III, p. 505.

P. 484, nº 430, nota. — Jam ante Ludovicum IX hospitia auctoritate regia taxata fuisse apparet ex documento nº 41. Forte instrumentum Ludovici, quod et in Cod. Cheltenham. 2863 (saec. XV), fol. 45b, anno 1224, mense Martio, ascribitur, ad Ludovicum VIII pertinet et post num 50 ponendum est.

P. 487, nota, *l.* nº 473, non 483.

P. 502, nº 445. — Licet hoc documentum in Cod. etiam Cheltenham. nº 2863, f. 31b, temporis notam « M CC LXXII » praebeat, vix tamen ad hunc annum, sed potius ad annum M CC LXVII referendum (*v.* p. 466 sq.) et post num 415 ponendum est.

P. 504. lin. 13, ab inf. post « obtinere » interpungi debet.

P. 539, nota, *l.* « debent ».

P. 584, nota 1, lin. 3, signum) post « nº 138 » ponas.

P. 587, nota. — Quod ad annum 1341 attinet, vide p. XXVI, nota 1.

P. 596, nº 510. — Hujus documenti transsumptum episcopi Henrici Basileensis 11 Junii 1285 exstat in Archivo status Luzern., aliud 20 Aprilis 1287, in Arch. Ord. Minorum Herbipolitano.

P. 683, nota ad num 522. — Tractatus tripartitus Aegydii Romani, qui in ms. (saec. XV) L. 2, Collegii de Pembroke Cantabrigiae invenitur et incipit : « Dixisti Domine Jesu Christe Dei virtus et Dei sapientia », cum erroribus anno 1277 Parisiis condemnatis non cohaeret, cujus contrarium aliquis ex *Hist. litt.*, XXX, p. 429, conjicere posset. Minime isti errores, sed octo ab archiepiscopo Cantuariensi Johanne Peckham an. 1286 (in antiquo *Catal. mss. Angliae et Hiberniae*, II, 2, p. 159, perperam « 1223 ») proscripti (*v.* supra notam 3 ad num 518) opus Aegydii, quod est *De pluralitate formarum* (non *personarum*, ut in *Catal.* et in *Hist. litt.* l. c., et p. 560, nº 117, dicitur), sequuntur.

P. 705, *adjunge* Praedicatoribus : Theobaldus de Sexannia.

IMPRESSUM PARISIIS ATQUE ABSOLUTUM

ANNO M DCCC LXXXIX,

APUD FRATRES DELALAIN

UNIVERSITATIS GALLICAE TYPOGRAPHOS

VIA A SORBONE DICTA, SUB CICONIARUM SIGNO, COMMORANTES,

SUMMO SCHOLARUM PUBLICARUM MAGISTRO

SUMPTUS EX AERARIO SUPPEDITANTE.

PARISIIS. — EX TYPIS FRATRUM DUMAINE

via a Sorbona dicta, 1 et 3